Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

B 1,177,887

Digitized by Google

B 1,177,887

Digitized by Google


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE


Digitized by Google

Digitized by Google

805
M686

Digitized by Google

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM TERTIUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1925.

Digitized by Google

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
Mnemosyne Quinquagenaria (1873—1922), scripsit P. H. DAMSTÉ	1—9
Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex Vol. LII pag. 275), scripsit J. C. NABER.	10—52
Corrigenda.	52
Qui fuerit Basilii Magni de Mundi procreatione orationum ordo, scripsit J. H. VAN HAERINGEN.	53—56
De Mercatore Plautina, scripsit P. J. ENK	57—74
Statius artis photographicae praenuntius, scripsit P. H. D.	74
Ad Herodoti Lib. II annotationes aliquot, scripsit D. COHEN.	75—84
Propertii et Fr. Villoni concentus, scripsit P. H. D.	84
Ad Taciti dial. C. V., scripsit H. WAGENVOORT	85—87
Pliniana, scripsit C. BRAKMAN I. f.	88—100
De Cleomene Naucratita, scripsit B. A. VAN GRONINGEN	101—130
Ad Verg. Aen. V 52, scripsit H. WAGENVOORT	131—132
Donatea, (continuantur ex vol. LII, pag. 392), scripsit L. RANK.	133—148
Propertiana (ad Lib. IV), scripsit P. H. DAMSTÉ	149—168
Aeschyl. Pers. 483. P. H. D.	168
Praesidium Academia Lugduno-Batava Libertatis, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	169—170
Emendationes Catulli, scripsit T. L. AGAR	171—176
Ad epigramma milesium, scripsit G. V.	176
Tacitea. I. De Clausula, scripsit C. BRAKMAN I. f.	177—200
Ad Phormionem Terenti, scripsit I. S. PHILLIMORE	201—208
Ad inscriptionem Tegeaeam, scripsit G. V.	208
Ad Minucii Felicis Oct. 22, 9, scripsit I. G. P. Borleffs	209—210
De rebus Byzantiorum. ([Arist.] Oec. II p. 1346 b 13—26), scripsit B. A. VAN GRONINGEN.	211—222
Ad Apulei Metam. l. VI c. I.. scripsit G. V.	222
Ad legem XII tabularum, scripsit J. VAN BINSBERGEN.	223—224
ΣΕΛΑΣ, scripsit G. V.	224

Digitized by Google

Pag.

Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex pag. 52), scripsit J. C. NABER . . . . . 225—267

Ad Aeschyli Choephor. vs. 783 sqq., scripsit G. V. 267

De Epistula Alexandri ad Aristotelem Observatiunculae, scripsit F. MULLER Jac. f. . . . . 268—272

Emendationes Catulli (continuantur ex pag. 176) scripsit T. L. AGAR . . . . . 273—282

De Ovidii Metamorphosesi A C. Bulleo in Linguam Germanicam versis, scripsit K. H. E. DE JONG . . . . . 283—285

Iocus Puerilis in Cyri Institutione Ignoratus, scripsit I. BERLAGE . . . . . 286—288

De Vocibus τυκτός, τετυγμένος, ποιητός, οἰκουμένη, aliis, scripsit I. BERLAGE . . . . . 289—298

Ad Grattium Notulae, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 299—306

Ad Nemesiani Cynegetica, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . 307—308

De Plauti Cistellaria, scripsit J. W. BIERMA . . . . . 309—319

Ausoniana, scripsit C. BRAKMAN . . . . . 320—340

Ἄσκος — πέλεκυς, scripsit J. D. Meerwaldt 340

Laus I. C. Naberi (MDCCCLXXXV—MCMXXV), scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 341—342

De Bacchylidis carmine XV, scripsit W. E. J. KUIPER . . 343—350

Ἄσκος — πέλεκυς, scripsit W. E. J. KUIPER 350

ΑΜΦΙΒΟΛΙΑ ΧΡΗΣΜΩΔΗΣ, scripsit I. VAN IJZEREN . . . . . 351—360

Liviana, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 361—371

Ad Epictetum, scripsit A. J. KRONENBERG . . . . . 372—381

Ad Pindari Nemea, scripsit Iohannes P. POSTGATE . . . . 382—392

Adnotationes criticae et exegeticae, scripsit J. D. MEERWALDT . . . . . 393—405

De religionibvs antiquis quaestiunculae tres, scripsit H. I. ROSE . . . . . 406—414

Titulus Atticus in pristinam formam restitutus, scripserunt E. HAAGEN SMIT et P. MOENS . . . . . 415—416

Observatiunculae ad papyros iuridicae, scripsit I. C. NABER. 417—445

Quid fuerit gr. θησαυρός, scripsit F. MULLER Jac. f. . . . . 446—447

Ad Suetonium, scripsit J. C. NABER 447

Ad inscriptionem Pompeianam, scripsit F. M. J.f. 448

Digitized by Google

FEB 26 1925

PERIODICAL ROOM
GENERAL LIBRARY
UNIV. OF MICH.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM TERTIUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1925.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Mnemosyne Quinquagenaria (1873—1922), scripsit P. H. DAMSTÉ	1—9
Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex Vol. LII pag. 275), scripsit J. C. NABER.	10—52
Corrigenda.	52
Qui fuerit Basilii Magni de Mundi procreatione orationum ordo, scripsit J. H. VAN HAERINGEN.	53—56
De Mercatore Plautina, scripsit P. J. ENK	57—74
Statius artis photographicae praenuntius, scripsit P. H. D..	74
Ad Herodoti Lib. II annotationes aliquot, scripsit D. COHEN.	75—84
Propertii et Fr. Villoni concentus, scripsit P. H. D. . . .	84
Ad Taciti dial. C. V., scripsit H. WAGENVOORT	85—87
Pliniana, scripsit C. BRAKMAN I. f.	88—100

Digitized by Google

MNEMOSYNE QUINQUAGENARIA. [1])

(1873—1922).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Fasciculus, qui Octobri mense anni 1922 prodiit, annum quinquagesimum nostrae Mnemosynes, cuius una voce philologia classica apud Batavos utitur, complevit. Revera etiam undecim annis maior natu est, ut ex originis historia apparet, quam Naberus in libro Vier Tijdgenooten (Harlemi 1894 p. 84) sic fere enarravit: „Anno 1851 vertente cum Mehlero, amico nostro, consilium cepimus trimestrem librum condendi in usum litterarum classicarum. Hoc primum fuit Mnemosynes initium, quae praeter inertem somnum per annos 1863—1872 continuatum ad hunc usque diem vixit atque hoc certe officium praestitit litteris, quod Cobetum ad scribendum induxit. Audaces fortuna iuvat: hoc proverbium quam verum sit numquam melius comperimus quam tunc. Discipuli esse vix desieramus et rari admodum erant adiutores nostri. Bakius et Cobetus nobis quidem erant propitii, sed parum eis placuisse credo voluntatem nostram ut librum, quoad eius fieri posset, ad sensum popularem vulgaremque accommodatum itaque, ut ita

1) Anno 1922, quo volumen quinquagesimum Novae Seriei huius Bibliothecae emissum est in lucem, eius historiam in Novis Actis Diurnis, quae Roterodami evulgantur, conscripsi. Diurna autem cum extra fines nostros vix legantur et vita eorum perbrevis sit, Mnemosynes vero nostrae origo atque ratio, ut opinor, haud indignae quae ab exteris quoque cognoscantur, enarrationem meam nec non locos, quos patrio sermone a viro cl. S. A. Nabero egregie compositos laudare ex re mea putabam, Latine repetere sero libitum est. Quod aequi bonique consulas, benevole lector!

Digitized by Google

dicam, bigenerum faceremus. Accedit quod Bakius quidem usum patrii sermonis non improbabat, Cobetus vero admittendum non esse censebat. Postremo tamen vicit potius eorum iudicium. Commentationes semipopulares nescio quo pacto sponte fiebant rariora et tandem nusquam apparuerunt. Id huiusmodi erat ut lingua Batava simul discederet, quae in posterum eo tantum valere posset ut venditio apud exteros distineretur. Res diiudicata erat, cum anno secundo exeunte prima commentatio Cobeti apparuit".

Videmus igitur, volumen primum a. 1852 iam esse emissum. Ad a. 1862 usque fasciculi trimestres ordine prodibant, conscripti a Cobeto, Nabero, Tj. Halbertsma, H. G. Hamakero, E. J. Kiehlio, aliis, sed undecim promptis voluminibus intermissa est editio. At resurrexit Mnemosyne atque recreationem suam debet diei festo, quo professoris munus a Cobeto per lustra quinque splendidissime peractum amici eius rite ac solemniter celebrarunt d. 20 m. Iunii a. 1871. Naberus in Vita Cobeti (l. l. p. 350) rem posteris venuste sic fere impertiit: „Cena modo a me descripta etiam rem peperit stabiliorem. Convivae enim passim querebantur, vocem Mnemosynes tot iam annos tacuisse. Itaque condiciones postulabantur ac dimittebantur et tandem ipsis Kalendis anni 1873 Mnemosyne ab inferis exstitit ducibus auspicibusque amicis Karsteno, Polakkio et tertio illo,

ὅν τ' Οὐρανίωνες
Ϝεαρινὸν καλέουσιν, ἐπιχθόνιοι δέ τε πάντες
Ϝάνδερ Μεῖ,

ut postea Leeuwenus cecinit, cum alumna nostra chartacea quadragesima natalicia iam celebrabat. Iamque idem fieri videmus quod factum est a. 1853: „navi ab aliis deducta Cobetus ipse mox ad gubernacula accessit".

Altera hac specie, quae Nova Series nuncupatur, Mnemosyne quinquaginta iam annos exstitit. In fronte primi tantum voluminis, anni 1873 scilicet, nomina trium curatorum, quos supra memoravimus, significantur; deinde Cobetus et H. W. van der Mey per annos 1874—1886 libro edendo ita praefuerunt ut ille opera illa praestantissima in eo evulgaret, quae postea in iustam librorum formam redacta (Variae

Digitized by Google

Lectiones, Miscellanea Critica, Collectanea Critica, Novae Lectiones) famam sempiternam in philologiae historia ei tribuerunt, hic autem scribae officia, dispositionem, emendationem in se susciperet. Verissime Naberus in ultimis Cobeti annis describendis affirmat: „Mnemosynae operam dare non omisit atque nonnumquam etiam singula contribuit eorum haud prorsus dissimilia, quae florente aetate pollebat. Sed paucis annis post vires eius fractae sunt in perpetuum. Mnemosyne, quam in sinu gestabat, prodibat ut antea, quandoquidem Van der Mey labore indefesso id semper egit ut iusta scriptionum copia in officina typographica temperi adesset. Interim viribus corporis animique morbo identidem exhaustis ultimo anno librariis nuntiavit se munere se abdicare. Feliciter evenit famae philologiae Batavae, quod mater Musarum tantae cladi superstes fuit: per septem iam, immo mox octo annos Leeuwenus et Valetonus, amici mei, praesto mihi fuerunt ut vocem unicam, qua philologia classica apud nostrates loquitur, vivam servarent; socii veteres nec infidelem nec segnem operam nobis praestiterunt atque nova progenies parata est ad laborem continuandum, quem ipse cum Kiehlio et Mehlero amicis a. 1852 iuvenili confidentia in me receperam". (Vid. etiam Mnemos. Vol. I p. 145).

S. A. Naberus, I. Leeuwenus I. f., I. M. J. Valetonus — trias illa omni laude dignissima ab a. 1887 usque ad a. 1910 una mansit; tunc vero hic alteris fato ereptus est, cuius in vicem I. I. Hartmanus successit. Sed iam in voluminis a. 1913 fronte nomen quoque magni conditoris bibliothecae desiderari coeptum est et cum paulo post Leeuwenus peregre profectus est, P. H. Damsté et C. W. Vollgraff Hartmano se adiunxerunt, sub quorum auspiciis nostra Mnemosyne nunc semisaecularem diem festum agit. [1])

Historia Mnemosynes brevi in conspectu posita fas esse iudico memorare, ab ipso initio volumina typis descripta curataque esse in Brilliorum officina. Asseverare non est opus,

1) Iam Hartmanus quoque noster diem supremum obiit, cuius locum in nostro curatorio nunc occupat vir cl. F. Mullerus I. f., eius in cathedra Latina apud Leidenses successor.

Digitized by Google

lucrosum non esse negotium evulgare librum quem emant pauci, qua de causa philologi Batavi huic societati typographicae, imprimis vero eius rectori Peltenburgio, acceptum referunt quod nostrae classicae philologiae condonavit.

In catalogis ab antiquariis Germanicis ad nos missis Mnemosynen nostram saepius indicatam vidimus attributo honorifico quod est „diese vornehme Zeitschrift". Utrum sit externa species èt simplex èt aetate progrediente sibi constans quae nostros finitimos ita afficiat an disserendi genus humanum urbanumque, quo vel adversus adversarios quasi naturaliter sibi innato nostri viri docti uti solent — hanc quaestionem nunc solvere non conabimur. Cum scriptoribus librarius communicet id praeconium, quod bonae existimationi Batavorum gentis decori esse arbitror et ornamento.

Nonnullis quaerendum esse visum est an non liber qualis Mnemosyne est in patria nostra obsoletus absque his temporibus alienus putandus sit.

Ad istam quaestionem breviter respondere possim, supremum collegium quod res publicas administrat per multos iam annos opus nostrum fulcire ac sustinere, iudicem autem iustum atque idoneum, qualis Reginae minister et adiutor eruditionis et artium et scientiarum est, id profecto probaturum non fuisse, nisi scientiae et institutioni et artibus Mnemosyne aliquantulum prodesset, sed hac tempestate solemni fas esse puto rem fusius paulo et accuratius persequi.

Naberus qua erat verecundia unum beneficium Mnemosynae imputavit quod Cobetum perpulit ut ad scribendum se conferret, verum quot commentationes egregias et ipsius et aliorum multorum, qui inter homines esse desierunt, illa pertulit in populorum notitiam, quo nostrorum studia peregre quoque vindicavit!

Quod autem a. 1894 elocutus est, novam paratam esse progeniem quae officium ab ipso et sociis suis relictum sibi reciperet, id eventu comprobatum est atque viro doctissimo patriaeque amantissimo suavissimum fuisse credo, quod vir cl. I. C. Naberus, eius filius, suis de iure Romano observatiunculis tantum valuit ad splendorem huius bibliothecae tam apud nostrates quam apud exteras nationes augendum. Ut vero prin-

Digitized by Google

cipes nostrae philologiae taceamus, quot iuniores, qui in ultimis patriae nostrae partibus occupati sunt, Mnemosyne permovit ut in studiis colendis perseverarent, ut ipsi aliquam pervestigationem instituerent, unde factum est ut quamvis in eodem pistrino sine fine viventes numquam refrigescerent neve illum animi corporisque vigorem, bonis praeceptoribus necessarium, elanguescere paterentur! Ecquis negare potest, iam istis de causis suum locum Mnemosynae deberi?

Ceterum plus quam semel hosce scrupulos nonnullis residere comperi, quos tandem ex eorum animo evellere lubet.

Est alter, quod liber sermone Latino, non patrio, conficiatur, alter, quod eius argumentum ad artem criticam maxime pertineat.

Illud autem crimen temere ortum, hoc etiam falsissimum esse facili negotio demonstrabo.

Id quod in bibliotheca condenda argumentum gravissimum visum est ut solum et unum esset Latinae linguae commercium, sermonem scilicet Batavum libri venditioni detrimento fore, etiamnunc valet, quoniam peregrinorum subscriptorum numerus nostris multo est frequentior. Accedit quod Mnemosyne Latino ornatu quasi vinculum est inter philologos nostrates atque exteros, id quod multae commentationes facile comprobant quas viri docti Americani, Britanni, Germani, Hungarii, Austriaci, Belgae, Poloni, Hispani nobis curatoribus, id est his novem annis, contribuerunt. Praeterea ratiocinatio, qua consuetudo sermonis Latini in nostra bibliotheca impugnatur, claudicat. Multi enim contendere solent rationes, quas docti nostrae aetatis in philologia sequuntur, in partes tam diversas iam discessisse atque singulas tantum obtinuisse ambitum ut multa argumenta nunc vix ac ne vix quidem Latino sermone tractari possint, utpote qui ad notiones novicias et antiquis incognitas reddendas haud satis valeat. Istam argumentationem falsam esse perhibemus, etsi quin bona fide sint qui ea utuntur nihil dubitamus. Quicquid exprimi potest lingua hodierna, etiam Latine optime exponi potest, etiamsi laboriosum scriptori saepe est pro cogitatione a Romanis aliena vel notione eis ignota aptam significationem vel enuntiationem accommodatam in lingua Latina invenire. Immo, non in sermonis Latini egestate, verum in ipsis philologis ista difficultas sita est.

Digitized by Google

Saeculo XIX ineunte cum ratio historica in litterarum studio vigere coepit, plerisque hominibus doctis mox deerat otium et impulsus Latine loquendi scribendique, unde factum est ut cognitionem linguae et usum, quo patres eorum excelluerant, aut non acquirerent aut amitterent. Minime mirum id quidem, quod fit ex naturae legibus! Verum ne culpa, quae revera sita est in doctorum imbecillitate propter philologiae incrementum, in linguae infirmitate esse putetur!

Ad alteram insimulationem iam venio, artem criticam in nostris voluminibus potissimum atque adeo unice praevalere. Quod crimen, olim fortasse iustum nonnumquam probatumque, his proximis annis omnino falsum esse e tot commentationibus cernitur quae de linguarum studio et grammaticae historia, de papyrologia et dialectis, de archaeologia et epigraphica, de historia vetere et geographia, de antiquitatibus et aliis compositae in eis prodierunt. Immo licet Mnemosyne natu grandior iam sit, rationem atque inclinationem temporum sequi non est gravata neque umquam difficilis ac morosa ab eis declinavit. Iure tamen censuit aurem praebendam non esse eis qui nimia novi cursus admiratione perducti arbitrabantur clamabantque, de arte critica actum iam esse, quam tamquam veterem et iam obsoletam maiorum occupationem despiciebant. [1]) Mnemosyne vero suo utitur iudicio, arti criticae suum locum integrum incolumemque etiamnunc mansisse atque omni tempore mansurum esse. Res satis habet gravitatis in qua paulisper commoremur.

Ratio historica in philologia, ut supra monui, initio fere saeculi XIX orta est. Cuius cum Germani fuerint cultores et primi et frequentissimi et fere optimi, multi, immodica eorum veneratione imbuti, imitatione caeca secuti sunt Germanorum methodos. Ratio vero historica, quamquam in Germania orta, non unice Germanica est: multum inter se distant indoles animi ingeniique Germanorum atque nostratium vel gentium Anglo-Saxonum. Nihilominus fuit cum nulli alii docti viderentur et omnes fere tantummodo Germanorum doctorum opera in oculis ferrent. Itaque haud raro perincommode factum est ut

1) Vide *The Revival of Criticism* by J. S. Phillimore (Oxford 1919).

Digitized by Google

exempla sibi ad imitandum eligerent deteriora. Americani philologi isto imitandi morbo vel maxime laborare et sine ulla sui fiducia alienis vestigiis nimium insistere videntur. Quamquam eis quidem venia parata est. Quid enim? Studiorum causa in academiis Germanicis saepe commorantur et clausis velut oculis deinde vias ac rationes Germanorum sequi pergunt, dum vires sui ingenii repudiant suaeque repugnant naturae.

Spissum volumen promo, quod Harvard Studies in Classical Philology inscriptum quotannis evulgatur. Quantulae minutiae et quisquiliae rerum levissimarum ac prorsus inutilium in eis saepe accurata subtilique diligentia disseruntur! Unum exemplum ad rem illustrandam afferre liceat.

In Plauti Terentiique fabulis mehercle virorum imprecationem esse, mecastor mulierum nota res est. Haud gravius est neque cuiquam antiquius quod viri nunc diabolum, mulieres vero caelum invocare amant, cum animum vehementer commotum levare cupiunt. At tamen vir doctus quidam Americanus rem tantae gravitatis esse ratus est ut diutini laboris numerum ineundi eum non taederet, cuius eventu deprehendit, apud Plautum viros toties fere per Herculem iurare quoties per Pollucem ($1^5 : 1$) atque mulieres haud minus saepe per Pollucem quam per Castorem ($1 : 1+$), in Terentii vero comoediis viros Herculem Polluci praeferre ($5 : 1$), feminas Pollucem Castori multum anteponere ($8 : 1$). Valde miramur, res eiusmodi legere Anglice expositas!

Quid mirum, virum doctum Britannicum aliquando huius consilii auctorem fuisse: „If Americans will for the present follow models, let them not forget that in the Dutchman Cobet and the Frenchman Weil they will find both criticism and exegesis not only quite distinctive, but, in our opinion, more brilliant and more suggestive than the recent work of Germany". Hoc autem multo ante bellum quod mundanum dicimus monuit!

Ad eiusmodi nugas caeca imitatio homines perducit atque eius generis philologi iam damnant artem criticam! Utinam orationem illam ardoris plenam audiissent omnes, qua Wilamowitzius a. 1909 Lugduni Batavorum philologos Batavos commonuit, eos pridem suam sibi viam in philologia elegisse

Digitized by Google

naturae ipsorum ingenioque consentaneam, quam per multa iam saecula gloriose essent ingressi, qua de causa obsecrabat ne ab ea desisterent neve aliena itinera inire in animum inducerent.

E philologis Batavis nemo non Wilamowitzium novit et admiratur, sed quotusquisque inter iuniores nostros Cobeti novit merita atque scripta nunc legit? Agedum in manus sumant eiusdem Wilamowitzii aureum libellum Geschichte der Philologie et perlegant locum Cobeto ibi dicatum, quo cognito, credo, incuriae eos pudebit!

Qualis est hodie studiorum nostrorum condicio, philologia, siquidem latissimum eius ambitum finesque extremos consideramus, historiam universam humani generis amplectitur atque indagare ac referre studet. Sed non omnia possumus omnes. Nemo non in variis regionibus campi philologici tam late patentis libenter animo ac mente moratur atque nova inventa et notiones nondum auditas summo studio cognoscit, sed unicuique in opere aliquo aggrediendo opus erit ut semet ipse coërceat et ex illa historia partem ad elaborandum sibi seponat, quae suae elegantiae esse et suis ingenii animique dotibus consentire videatur. Quicumque autem artem criticam contemnere iam velit, verba Th. Stanglii perpendat: „Die Blüte philologischer Tätigkeit ist die Kritik. Ob sie sich auf ein einziges Wort, auf einen Satz, auf einen gröszeren Abschnitt oder auf die Echtheit einer ganzen Schrift bezieht, macht nicht einen Unterschied in ihrem Wesen, sondern nur im Umfang des behandelten Stoffes und in den Mitteln. Eine auszeichnende Bewertung der sogenannten höheren Kritik gegenüber der sogenannten niederen oder Wortkritik, der Mutter und Quelle all dieser Beurteilungsformen, hat keine innere Berechtigung. Wer zur Wortkritik gediegen anleitet, befähigt zu jeder Art literarischer Kritik: die Geisteskräfte, die in Bewegung gesetzt werden, sind die gleichen; das Ziel, dem man zustrebt, bleibt das nämliche: das Nichtwahre ist als solches zu erkennen und hinsichtlich seiner Entstehung zu erklären, das Wahre zu ergründen und zu begründen".

Quod si adversariis suis de artis criticae aestimatione atque integritate critici persuadere non possint, iam vero eos con-

Digitized by Google

soletur cum recordantur, se cum Gildersleevio versari inter illos „oldsters who are grateful for the freedom granted them to work out their own salvation or damnation, as the case might be".

Mnemosyne nostra habitum vestitumque peregrinum et minus bene sibi sedentem semper sprevit: cavillationum eorum, qui externa et advecticia tantum approbant, secura neque eos magis curans, qui ipsi aegroti valentibus recta consilia dare sibi videntur, porro Valckenaerii praecepti memor suam viam fideliter ingressa est atque cursum tenuit a parentibus suis monstratum. Unde factum est ut undecim et quinquaginta voluminibus expressam philologiae classicae inter Batavos reddiderit imaginem.

Quaeri potest num rursus, cum in eo iam erit ut curatores praesentes cum sociis suis ponant arma, copiae recentes paratae futurae sint ut viribus redintegratis laborem in se recipiant.

Quis hodie eadem fiducia id affirmare ausit qua Naberus olim? Quantum his quinquaginta annis immutata est nostrorum philologorum condicio! Quanto gravius et difficilius factum est certamen, quod non pro suis modo commodis sed etiam pro ipsis studiis sustinere coguntur, in quibus quasi tabernaculum vitae suae collocarunt!

Ceterum quicquid tempus feret, nobis grandioribus natu certa et circumscripta via est. Fais ce que dois! Id autem est: sacramentum, quod summis ducibus nostris quondam diximus, numquam detrectare, pro viribus nostris eorum signum proponere, denique insistere viam ad eius virtutis imaginem, quam illi quondam nobis ostenderunt quamque etiam nunc summam esse perfectissimamque ex animo agnoscimus.

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex vol. LII pag. 275).

CXXI.

De concurrentibus actionibus.

Pars altera.

Possunt autem actiones concurrere non tantum inter easdem personas, sed etiam inter alias atque alias [1]), nec erunt plures utique rei [2]), veluti, quum quis pecuniam dederit, negotium alii ne fiat, *tunc et (illum) repetere et (hunc) in quadruplum agere posse constat* [3]). Versa quoque vice, quum in nave furtum factum damnumve datum sit, simul nascetur adversus exercitorem honoraria in factum, adversus nautam furti vel damni iniuriae actio [4]). Similiter, quum plures simul deliquerint, modo delic-

1) Eam appellat Last, *Anspruchkonk.* (1908) p. 8 (§ 1), „*Anspruchkonkurrenz im weiteren Sinne*". Hinc stant Merkel, *Konkurs* etc. § 13; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 67 (excipit hic (p. 70) duos pluresve reos, pro quibus ne Merkel quidem (p. 122/3) valde contendit); Levy, *die Konkurrenz* I (1918) § 1 (etiam pro duobus reis valde hic contendit). Pro parte concedunt Martens, *Ueber Concurrenz* p. 2 (de pluribus actoribus); Windscheid (1891) § 121 ante notam 11 („*Identitaet des verpflichteten Subjects ist.... nicht erforderlich*, nisi tantum refellere voluit Gulielmum et pronuntiandum est: „*Identitaet des verpfl. Subjects ist.... nicht erforderlich*"). Ex diverso totum negat Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 330/1, quem sequitur W. Peters, *Klagenkonkurrenz* (1902) p. 5/6, ut in re arbitraria.

2) Cf. H. Krueger, *Ztschr. der Sav.-St.* XXII (1901) p. 224/5: „*auch nach* Binder (*S.* 393)".

3) L. 7 pr. D. 3. 6.

4) L. 1 § 3 D. 47. 5 (Hartmann, *Archiv f. d. civ. Praxis* 50 (1867) p. 124/5); l. 6 § 4 D. 4. 9 (id., ibid. p. 129).

Digitized by Google

tum sit, quod, quum fecerunt plures, *unum* est, veluti furtum, erunt actiones in omnes, qui deliquerint, concurrentes, nisi, quod sunt ὁμώνυμοι, obstabit [1]). In damno dato vel iniuria non est idem [2]), sed *tot iniuriae.... quot et personae iniuriam facientium* [3]). Quid igitur, si pluribus simul iniuria facta sit? Erunt *ex una iniuria* plures actiones [4]), quum directo iniuria facta sit uni, per quem senserint ceteri. Proinde in hac [5]) specie concurrunt actiones [6]), quocirca èt interse consumere dicuntur Ulpiano [7]), quod non contingeret, nisi concurrerent [8]), èt ea ratione negantur Pomponio [9]), *quod sua cuiusque iniuria propriam aestimationem haberet.* Potest etiam ex facto incidenti actio concurrere mutata adversarii persona, veluti concurrit actio principalis cum fideiussoria [10]) tutoria [11]) curatoria [12]), quum sit fideiussio, sit tutela, sit curatio obligationi factum

1) Obstaturum non puto.

2) L. 9 D. 2. 1 (quam quidem demoliri cupit Pampaloni, *Studi sopra il furto* II 1 (1900) p. 49[12], p. 50, et ex parte Ferrini, *Dir. pen. rom.* (1902) p. 109[7], 110[2]: Levy, *die Konkurrenz* I p. 478 not. 4). In damno dato non est contraria l. 3 § 3 D. 39. 4, quia pertinet ad certam speciem; haud magis l. 1 § 2 D. 47. 6, ubi tantum quaeritur, aequitati quid sit conveniens; vel minus l. 32 pr. D. 9. 2, ubi videtur Gai responsio (*sed magis visum est (non) idem esse observandum*) a Triboniano adulterata. Cf. (ad ipsam legem) Krueger. Videntur autem mihi etiam l. 3 § 3 D. 39. 4; l. 1 § 2 D. 47. 6 Tribonianum patrem habere.

3) L. 34 D. 47. 10. Damnat hanc quoque clausulam Pampaloni, *Studi* cit. p. 50 cit., sed invito Ferrinio, *Dir. pen.* cit. (1902) p. 110[1].

4) L. 1 § 9 D. 47. 10.

5) Ad diversam speciem potest pertinere c: 2 C. 9. 35.

6) Glück IV p. 6/7. Alia ratione concurrere negat Savigny, *System* V § 234 (p. 233/4), id est, interse consumere.

7) L. 17 § 21 D. 47. 10. Contrarium placebat Neratio (l. 1 § 9, l. 41 eod.). Quam quidem tollit controversiam Accursius (dum vv. *patri actio non competit* interpretatur sic: *patri actio (quae filii nomine ei datur) non competit*).

8) Permiscet quidem singulariter et semel Celsus (l. 68 (67) § 2 D. 47. 2) actiones non concurrentes.

9) L. 18 § 2 D. 47. 10. Cf. l. 2 § 3 D. 47. 1.

10) Hoc negat Ribbentrop, *Correal-oblig.* (1831) p. 88: „*Man (kann) gewiss nicht sagen, dass die Obligationen des Hauptschuldners und des Bürgen auf demselben Grunde beruhen*". Non idoneo argumento disputat in contrariam partem Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 423; „*in diesem Falle wird die* eadem causa *ersetzt durch das Accessionsverhältniss*". Quem propterea belle deridet Binder, *Korrealobligationen* p. 397 ima.

11) In tutorem creditoris (l. 95 § 10 D. 46. 3), qui petere neglexit tutor.

12) In curatorem creditoris (l. 39 § 15 D. 26. 7; l. 23 D. 27. 3), qui etc.

Digitized by Google

incidens; nec minus actio in mandatorem cum ea actione, quae ex numeratione competit in reum [1]), quia numeratio mandato incidit, ut tutela debito, quocirca auctore Papiniano [2]) *eiusmodi contractus similis est tutori et debitori pupilli.* Eadem prorsus ratione, cuius servus versuram fecerit *ad vestem comparandam* et comparaverit nec pretium solverit et pecuniam perdiderit, de in rem verso obligatus erit *ex una causa duobus* [3]), quia scilicet vestis emptioni incidit mutui datio vel dationi emptio. Is quoque, qui aut pater dotem dixit marito, deinde eam legat filiae [4]), aut socer dotem tulit, deinde eam legat aut nurui [5]) aut marito exheredato [6]), quia legatum incidit dictionis obligationi vel rei uxoriae actioni, efficit, ut concurrere incipiat utra actio cum legatorum actione. Quodsi praeterea cum una aliqua actione diversae actiones concurrunt, sunt hae quoque ipsae secum concurrere existimandae, veluti in confideiussores, licet separatim fideiusserint [7]), et in mandatores *eiusdem pecuniae* [8]). — Concurrunt autem, ut generaliter omnes huius iuris figuras, quae modo possint existere, comprehendam, actiones publicae [9]) cum publicis vel cum privatis; rursus privatae poenales cum poenalibus vel cum rei persequendae gratia comparatis; comparatae denique rei persequendae causa cum sui similibus. **6.** In his igitur omnibus duplex quaestio vertitur, cui dirimendae non sufficeret, etiamsi vera esset, generalis Fridolini forma [10]), de qua superius (52, 261) disputavimus, sed per singula exempla progrediendum est: consu-

---

1) Vidit hoc Savigny, *System* V § 232 (p. 222),

2) L. 95 § 10 cit. (D. 46. 3).

3) L. 3 § 10 (cf. § 1). D. 15. 3. Disconvenit l. 18 (i. f.) eod. (Tuhr, Actio de in rem verso (1895) p. 190 not. 2).

4) L. 29 D. 23. 3; l. 84 § 6 D. 30.

5) L. 1 § 9 D. 33. 4.

6) L. 1 § 10, § 11, l. 7 pr., § 1 D. 33. 4.

7) Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 462.

8) Cf. l. 52 § 3 D. 46. 1.

9) Ulterius distinguunt Savigny (*Verm. Schr.* IV p. 86/8); Mommsen (*Strafrecht* p. 891/3) ordinaria crimina et extraordinaria, quod in hac iuris parte non est opus. Fuit ea via excogitata ad responsorum varietatem elidendam (Cuiac., Obs. XX 26, quem sequitur Matthaeus, lib. 47 tit. 1 cap. 4 § 3 i. f.), quae ne sic quidem eliditur (l. 6 D. 47. 10; l. 2 § 1 D. 47. 8; l. 9 § 5 D. 39. 4).

10) Non sufficere vidit Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 988: *„leider hilft uns diese ... Formel nicht über die Schwierigkeiten hinweg"*.

Digitized by Google

mant minuantve actiones interse, deinde: consumant minuantve iudicio an solutione [1]). Quae quidem res intricata est ideo, quia, quod dudum intellectum est [2]), iurisconsultorum sententiae in hac iuris parte plerumque ambiguae sunt [3]); veluti, quum doceant ex pluribus actionibus *una qu(em) experiri debe(re)* [4]) vel duarum *alterutra contentu(m) esse* [5]) vel *una tantummodo.... utendum es(se)* [6]) vel *eligere.... debere agentem, qua potius actione experiatur* [7]), fieri quidem potest, ut intellexerint prudentes concurrentium actionum mutuam peremptionem re iudicata vel in iudicium deducta; sed aeque fieri potest, significare ut voluerint unam solutionem utrique rei sufficere. Qui vero superest sermo: quum dicitur *altera* actione *electa alteram consumi* [8]), vel *consumi* [9]) *tolli* [10]) *perimi* [11]) *alteram actionem*

---

1) Iure genuino solutione numquam (*die Konkurrenz* I p. 130 not. 4) vel raro (ibid. p. 372/3: *„nur in gewissen, später* (§ 165) *zu präzisierenden Fällen*), plerumque ne iudicio quidem (ibid. p. 120/1 = Helssig, *zur Konk.* p. 24) consumi persuasum est Ernesto. Quomodo igitur consumptio iudicio ipso quoque cognitore (I p. 48 ima) *„(das) die Konkurrenz .... beherrsch(ende Prinzip)"*? Nempe, quod excogitavit tertium genus, rursus consumit, ut secundum, lite (II (1) p. 110: *„knüpft ebenfalls an die Litiskontestation an"*). Itaque eodem rem vi deducit, quo deduxerat Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 329. Quem praetergresso, consumi iudicio semper, etsi personis variatis concurrant actiones, stat Ferrinio, *Pandette* § 434 (cf. ibid. § 205), nec haeret hic nisi in mandatoribus eiusdem pecuniae (ib. p. 558 not. 3 (i. f.) ia. (ib.) not. 2; *Enciel. giur. ital.* XII (1) p. 415/6) si quidem est haerere, quum dicere cogaris nulla societate iuncta esse mandata, *„(che) si riferiscono al mutuo medesimo* (Enciel.). Cui contrarium errorem errat Binder, *Korrealobligationen* p. 352: *eiusdem pecuniae* unum et idem mandatum esse oportere, quem emendat ipse p. 354 lin. 2/4.

2) Ribbentrop, *Correal-obligationen* (1831) p. 104.

3) Hic magnopere dissentit Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 349/56.

4) L. 43 § 1 D. 50. 17.

5) L. 9 D. 47. 7; l. 18 D. 9. 2; l. 50 D. 17. 2 (Paling. Paul. 1736); l. 43 D. 19. 2. Cf. l. 84 § 6 D. 30. Negat quidem Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 47, hanc loquendi formulam bene convenire mutuae peremptioni, quae fiat iudicio.

6) L. 53 pr. D. 44. 7.

7) L. 5 § 1, l. 9 § 1 D. 14. 4; l. 26 § 1 D. 9. 4. Haec tamen scilicet loquendi figura (ubi in unum conveniunt *eligere, debere, experiri*) certum sensum habere videtur Ernesto Levy, *die Konkurrenz* I p. 44/5. Prudenter hic quoque dubitabat Merkel, *Konkurs* etc. p. 124/5 (ad l. 9 § 1 D. 14. 4).

8) L. 34 pr. D. 44. 7; l. 28 § 4 D. 12. 2.

9) L. 14 § 13 D. 4. 2; l. 34 pr. D. 44. 7.

10) L. 38 § 1 D. 17. 2 (cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 56; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 26[63], quique ab his laudantur, et ex diverso Levy, *die Konkurrenz* II (1)

Digitized by Google

per alteram, valde is quidem certus et indubitabilis videtur Fridolino [1]); Kellero [2]) autem et Friderico Carolo [3]) et Ottoni Karlowa [4]) superiore genere nihilo certior. Quae sententia confirmatur inprimis eo, quod scriptum exstat l. 34 pr. D. 44. 7: actionem iniuriarum *(per) actionem* legis Aquiliae *consumi ideo, quoniam desiit bonum et aequum esse condemnari eum, qui aestimationem praestitit* [5]), deinde vero eo, quod legitur l. 1 § 2 D. 15. 3: *Iulianum existimare de peculio actione perimi de in rem verso actionem.... sed ita demum, si praestiterit ex actione de peculio dominus, quod servus in rem eius verterat* etc. [6]). Quibus exemplis addit Merkel [7]) l. 2 § 1 D. 27. 3 non recte, quia ibi non affirmatur sed negatur, aliquam actionem alia actione tolli. Itaque tunc tantum certo vestigio innitimur, quum legimus una aliqua actione instituta ceteris opponendam esse rei iudicatae vel in iudicium deductae exceptionem, quod fit circa hereditatis petitionem et singularum rerum actiones [8]) et item circa actiones aedilitias, id est, aestimatoriam et redhibitoriam [9]); vel ex diverso, ubi legimus

---

p. 142 ante notam 5); l. 18 D. 13. 1 (cf. Levy, op. cit. I p. 388). Add. l. 18 § 1 D. 13. 6 (Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 989; Biondi, Iud. bon. fid. I p. 238; Levy, *Konkurrenz* II (1) p. 65—69).

11) L. 34 § 1 D. 44. 7; l. 1 § 2 D. 15. 3.

1) *Abhandl.* (1889) p. 52; *Archiv* etc. 79 (1892) p. 351, 358 (= Merkel, *Konkurs* etc. p. 72).

2) *Ueber Litiscontestation* p. 484, 494.

3) *System* V § 234 (p. 242) note *s*, (p. 243) not. *u*; VI § 297 (p. 425).

4) *Rechtsgesch.* II p. 986/7.

5) Hoc testimonium laudat quis? Fridolinus laudat, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 339, nec mutat, quod abiudicat (p. 340 ima) Paulo haec: *qui aestimationem praestitit*. Conservat enim ei *quoniam desiit bonum et aequum esse condemnari eum*, quod ipse putat (p. 339) sufficere, ne videatur lite consumi. — Ne Ferrini quidem adversus haec quidquam hiscere audet (*Diritto penale* (1899) p. 236; (1902) § 104). Ex diverso opem fert Wrzeszinski, *die Konkurrenz*, Diss. Frib. 1902 p. 24, vv. *qui praestitit* vertendo *„wer belangt worden ist"*, quasi vero *bonum et aequum*, id est, ipsa aequitas obstare possit eius condemnationi, qui *occasione iuris* liberatus sit (l. 32 pr. D. 15. 1) vel, quo redit sententia Ernesti, *die Konkurrenz* II (1) p. 186, praestigiis, non contra praestigias, aliquem liberare. Quod ne Portia quidem, quam nosti, potuit, antequam aequitatem omisisset.

6) Caudam scilicet his decidit Lusignani, *Consumazione dell' actio de pec.* (1899) p. 11—15.

7) *Konkurs* etc. p. 104.

8) L. 3, l. 7 § 4, § 5 D. 44. 2.

9) L. 25 § 1 D. 44. 2 (Savigny, *System* VI § 297 (p. 425) not *c*).

Digitized by Google

exceptionem rei iudicatae vel in iudicium deductae non opponendam [1]), quum alioquin constet actiones contribui [2]), vel ubi legimus mutua vice consumi *perceptione*, *non litis contestatione* vel simile quid [3]), quum praeterea absit interpolationis suspicio [4]). Potest sub eadem cautione ad eos locos provocari, ubi legitur, quum quis *conventus* [5]) *praestiterit*, tum demum alteram actionem perire vel simile quid [6]); erit denique res certa, quum *ex aequitate* altera actio *inhibe(ri)* demonstretur [7]), nam, litis contestatione qui liberatur, is *occasione iuris*, non propter bonum et aequum *liber(a)tur* [8]). Quamquam certo se vestigio stare

---

1) L. 31 D. 44. 2 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 423/4, quem torquet adiectum *nec tenuisset*); l. 23 D. 27. 3 (cf. l. 39 § 15 (vv. *a quibus totum servari non potuit*) D. 26. 7; l. 71 pr. (quam quidem eius partem Triboniano adsignat Biondi, Iud. bon. fid. I (1920) p. 14 not. 2) D. 46. 1.

2) Hoc deest l. 14 § 3 D. 44. 2 (cf. l. 12 § 1 D. 41. 2).

3) Locos congessit Savigny, *System* V § 235 (p. 254) not. *b*. Addenda videtur l. 1 § 43 D. 16. 3, demenda (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 145) l. 35 § 1 D. 19. 2.

4) Arguit l. 4 D. 9. 3 Ascoli (*Studi e docum.* XI (1890) p. 164. Cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 434/5); l. 32 pr. D. 5. 1 Levy (*die Konk.* I p. 253/4); l. 1 § 43 D. 16. 3 Eisele (*Archiv* etc. 77 p. 448/50. Add. Levy, op. cit. I p. 215/7. In contrariam partem disputat Ascoli, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* IV p. 290/9); l. 18 § 3 D. 13. 5 Segrè (*Studi per Fadda* VI p. 376 not. 1); argunnt denique l. 7 § 4 D. 27. 6 Alibrandi (*del concorso* etc. § 42), Ascoli (*Studi e docum.* XI p. 165), Eisele (*Archiv* etc. 77 p. 454/5), Levy (*die Konk.* II (1) p. 244).

5) Ubi hoc desit, plerumque (cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 p. 468; 79 p. 366 VI) nihil probari posse, vidit Ascoli, *Studi e Docum.* XI (1890) p. 159 (ad l. 1 § 4 D. 2. 10, quam nihilominus demoliri cupit Levy, *die Konkurrenz* I p. 498/500).

6) L. 3 pr. D. 11. 6; l. 5 § 15 D. 13. 6; l. 15 D. 27. 3; l. 10 D. 27. 9; l. 8 § 1 D. 30; l. 11 § 1 D. 39. 3; l. 1 § 13 D. 43. 16; c. 1 C. 4. 8. Harum nulla non suspicionibus obsidetur (cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 433—458; 79 (1892) p. 369/70, sed etiam (ad c. 1 C. 4. 8) Kalb, *die Jagd* (1897) p. 23, atque rursus Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 284/5). Accedunt l. 52 § 3 D. 46. 1 (Alibrandi, *del concorso* § 37; Eisele, *Archiv* etc. 77 p. 461; Ferrini, *Encicl. giur. ital.* XII (1) p. 415/6; Levy *die Konkurrenz* I p. 202); c. 23 C. 8. 40 (41) (Alibrandi, op. cit. § 42; Binder, *Korrealobligationen* p. 354; Levy, *die Konkurrenz* I p. 201); l. 14 § 15 D. 4. 2; l. 17 pr. D. 4. 3 (Ferrini, *Encicl.* cit. XII (1) p. 427). — Consulto non laudo l. 1 § 2 D. 15. 3, quia ad alium tractatum pertinet.

7) L. 10 D. 27. 9. Cf. l. 34 pr. D. 44. 7; *actionem iniuriarum consumi, quoniam desiit bonum et aequum esse condemnari eum qui* etc.

8) L. 32 pr. D. 15. 1.

Digitized by Google

praeterea putant Krüger [1]), Merkel [2]), Levy [3]), quum legunt [4]): post alteram actionem institutam alteram esse remittendam. Qua de re magis dubitat Eisele [5]) et est res valde dubia, quia in una utique specie [6]) remittendam legimus actionem, licet litis contestatione peremptam, etsi temere negat Levy [7]), constet [8]). Quid igitur, ubi legitur cedendam esse alteram actionem? Potest videri res certa esse, superest tamen vel sic dubitatio, num ad id tantum actio superesse intelligatur, ut possit cedi [9]). Etenim superesse interdum actionem ad id tantum, ut possit cedi, demonstratur exemplo mandatoris, qui pro reo solverit, vel tutoris, qui pro debitore pupilli, quem convenire neglexisset. Superest enim in utraque specie adversus principalem debitorem actio ad id tantum, ut possit mandatori vel tutori cedi [10]). Certum denique testimonium petendum docent ex l. 28 § 4 D. 12. 2 Krüger [11]), Merkel [12]), quod ibi iureiurando interposito mutua vice actiones perimantur, quum non cedat iusiurandum pro solutione. Atqui cedere ostendunt Gaius l. 27 eod.; Marcianus l. 5 § 3 D. 20. 6; laudarem etiam l. 28 § 1, l. 35 § 1 D. 12. 2, nisi essent interpolatae [13]). Aliquanto plus tribuendum arbitror secundario Kruegeri argumento [14]). Ubi igitur in obscuro est, qualis peremptio intelligenda sit, Kelleri [15]) exemplo certa

---

1) *Prozess. Consumption* (1864) p. 125[2].

2) *Konkurs* etc. p. 125[22] (in. 74).

3) *Die Konkurrenz* II (1) p. 42/3.

4) L. 36 § 2 D. 5. 3; l. 13 D. 6. 1; l. 7 § 1 D. 13. 6; l. 25 § 5 D. 19. 2; l. 3 D. 44. 4; l. 9 pr. D. 46. 2; l. 9 § 1 D. 47. 2.

5) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 381—385.

6) L. 36 § 2 D. 5. 3 (W. Peters, *die Klagenkonkurrenz* (1902) p. 34 lin. 5: „*häufig*").

7) *Die Konkurrenz* II (1) p. 3 lin. 3/4.

8) L. 3, l. 7 § 4, § 5 D. 44. 2. Rem explicare frustra conatus est Krüger, *Consumption* p. 131 (lin. 15—20), aliquanto melius Eisele, *Archiv* etc. 79 p. 385 (quocum facit W. Peters, op. cit. p. 33/4). Sed possunt l. 36 § 2 cit. (D. 5. 3) ipsa verba *ut careat — lege Aquilia* esse insititia.

9) Cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 457 (= Ribbentrop, *Correal-Oblig.* p. 50). Rem fuse exsequitur Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 223/30.

10) Dictum est supra (52, 254/5).

11) *Consumption* p. 108.

12) Op. cit. p. 55.

13) De l. 35 cit. demonstravit Tichelaar, *Rechtsgel. Magazijn* XII (1893) p. 32.

14) „*Das wird noch bekräftigt durch den Ausdruck* in iudicium deducatur".

15) *Litiscont.* § 55 (p. 435): „*Allein wir bleiben hier stehen* etc."

Digitized by Google

definitione abstinendum vel statuendum est id, quod *(dicere) tutius est* [1]): perceptione consumi, ideo tutius, quia, ubi lite consumitur, vel magis perceptione consumitur. Licet enim verum sit, quod scribit Merkel [2]): ubi perceptione consumatur, ibi consumi etiam sine lite, nihilominus verum erit, ubi lite consumatur, ibi multo magis sine lite consumi perceptione, ideo scilicet, quod perceptione facilius quam lite consumitur [3]). Quo exemplo, qui negat Africanus [4]) fideiussores servi liberari lite contestata de peculio actione, *quia naturalis obligatio, quam* solam *servus suscipere videtur in litem translata non est* [5]), tamen liberari eos docet, si dominus *damnatus* [6]) *solv(er)it.* 7. Sed iam videndum est de singulis concurrendi figuris, quarum PRIMA publicarum actionum cum publicis concursu continetur. Et constat, *(si) ex eodem facto* [7]) *plur*[im]*a crimina* adversus eundem *nasc(a)ntur, et de uno crimine* is *in accusationem fuerit deductus, de altero non prohiberi ab alio,* id est: vel ab alio [8]) *deferri* [9]). Eodem exemplo in uno crimine *multiplicatur..... actio* et poena adversus plures *criminis reos* [10]).

---

1) L. 18 § 3 D. 13. 5 (cf. Gradenwitz, *Interpolationen* p. 134 not. 1).

2) *Konkurs* etc. p. 6/7 (= Savigny, *System* V p. 253). Eodem redit disputatio, quam instituit Alibrandi, *del concorso* etc. § 9.

3) Hoc res ipsa docet, quae semper valet plurimum (Berndt, *der röm.* conc. act., Diss. Wratisl. 1913 p. 44: *„dass, wenn schon Litiscontestation absorbierende Wirkung ausübt, die Solution das in noch höherem Maasse thut, leuchtet ein"*; Levy, *die Konkurrenz* I p. 190 lin. 3/4: *„schlechthin selbstverständliche Konsequenz"*; Bekker, *die Aktionen* II (1873) p. 109: *„wo der Anspruch derselbe, ist die zweite Klage und selbstverständlich die zweite Zahlung ausgeschlossen"*. Cf. l. 1 § 24 D. 14. 1; l. 8 § 1 (i. f.) D. 30. Alioquin posset quis in contrariam partem laudare l. 28 D. 46. 2 (*nec* = ne tum quidem).

4) L. 38 § 2 D. 46. 3. Consentit Proculus l. 84 D. eod. Dissentit Pomponius l. 21 § 4 D. 44. 2 (Cf. Erman, *Mélanges Appleton* (1903) p. 203—304, maxime p. 269). Aberrare videtur (ad l. 38 § 2, l. 84 citt.) Levy, *die Konkurrenz* I p. 370/5. Cf. Mandry, *Familiengüterrecht* II p. 268.

5) L. 50 § 2 D. 15. 1, quam aliter interpretatur Levy, *die Konkurrenz* I p. 364/5.

6) Quodsi sine iudice, multo magis, quoniam ne novatio quidem impedimento erit, quominus eadem videatur actio, quae concurreret et ex qua solutio facta sit.

7) Quid sit *ex eodem facto*, diximus supra (52, 270): quum et res sit una et actus unus.

8) L. 11 § 2 D. 48. 2.

9) c. 9 § 1 C. 9. 2. Congruit Constantii c. 4 § 2 C. 9. 19 (= C. Th. 9. 17).

10) L. 6 D. 39. 4. — Ex persona eius, cui debetur publica poena, non potest multiplicari, quia semper est una et populi.

Digitized by Google

Etsi dissentit Hermogenianus, quum doceat [1]): *si multi fisco fraudem* [2]) *fecerint.... semel quadrupli* [3]) *poenam* ab omnibus [4]) *debe(ri)* publicanorum exemplo, qui quid illicite exegerint [5]), quod delictum privatum est, non publicum. Itaque sub hac dumtaxat exceptione nulla crimina interse consumunt [6]), nisi forte sint eiusdem nominis: *senatus* enim *censuit, ne quis ob idem crimen*, id est, ob unius appellationis crimen, *pluribus legibus reus fieret* [7]), veluti lege Cornelia et lege Iulia, quum Iulia priores de eodem crimine non abrogasset [8]). Nam hoc modo senatusconsultum Savigny [9]) interpretatus est fortasse recte [10]), illud fortasse non recte, quod ad hanc concursus figuram pertinere docet [11]) verba Modestini [12]): *is, qui praedam..... subripuit, lege peculatus tenetur et in quadruplum*

---

1) L. 46 § 9 D. 49. 14. Idem velle videtur c. 2 C. Th. 9. 17 (*ab utroque una libra postuletur*).

2) I. e., furtum (quod reponendum temere censet Cuiacius).

3) I. e., peculatus.

4) *Pro virili portione*, quod nihil miratur Savigny, *Obligationenrecht* I § 20 (p. 199) not *c* („*nur einmal von Allen ..., von Jedem also.... nur theilweise*").

5) L. 6 D. 39. 4. In eam rem Severus et Antoninus rescripserunt: *inter criminis reos et fraudis participes multum esse.*

6) Exempli causa laudat Mommsen (*Strafrecht* p. 890 not. 1) l. 5 D. 48. 18; c. 11 C. 9. 2. Laudat Ferrini (*Diritto penale* (1899) p. 228; (1902) § 102) etiam Iustiniani c. 1 § 1ª C. 9. 13, qua censet abstinendum Mommsen. Cf. praeterea Thalel. sch. 3 ad Bas. 60. 33. 22.

7) L. 14 D. 48. 2 (= Suet., Tit. § 8 i. f.).

8) Non utique novis legibus latis veteres actiones evanescunt (Paul. l. 41 pr. D. 44. 7) veluti post legem Aquiliam latam potuit agi ex XII tabulis de arboribus succisis (Paul. l. 1, l. 11 D. 47. 7; Merkel, *Konkurs* etc. p. 87: „*trotz* l. 1 pr. D. 9. 2". Cf. praeterea Martens, *Ueber Concurrenz* p. 29/31; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 43[109]; Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 990). Sic post legem repetundarum inscriptam potuit agi quum ex lege Calpurnia tum ex lege Iunia (lin. 74: *fueritve*), quod sine causa Mommsen (*Ges. Schr.* I p. 60) et Brasloff (*Wiener Stud.* XXVI p. 111/7) ad solas pecunias ante captas, Rudorff (*Abhandl. der Berl. Akad. a. d. J.* 1861 p. 517) et Hesky (*Wien. Stud.* XXV p. 285/6) ad sola iudicia ante coepta referunt.

9) *System* V § 231 (p. 207) not. *b* (= *Verm. Schr.* IV p. 153/6).

10) Alios quaerunt exitus Mommsen, *Strafrecht* p. 890/1 („*bei gleichem ethischen Fundament*"), Ferrini, *Diritto penale* (1899) p. 230/1 („*violazione di un' unica norma.... considerata in diverse disposizioni di legge*"); (1902) § 103 (ia. 102); Helssig, *zur Konkurrenz* p. 47 cum not. 117 („*Subsumtion der nämlichen faktischen Momente unter verschiedene Rechtsbegriffe*").

11) *Verm. Schr.* IV p. 141. 12) L. 15 (13) D. 48. 13.

Digitized by Google

damnatur, perinde quasi aliud sit, lege peculatus teneri, aliud in quadruplum damnari. Decepit eum, ni fallor [1]), Tribonianus, nam veteri iure peculatus poena quadruplo semper stetit [2]), etsi docet quidem Diodorus [3]), cui fidem habendam putat Mommsen [4]), Africani iudicium de pecunia capta [5]) fuisse capitale, cuius erroris causam Livius manifestat [6]). Quadruplum capitali poena commutavit demum Theodosius [7]) vel ipse Tribonianus [8]), quum iam *ex edicto divi Pii* constituta esset iis, qui *ex metallis Caesarianis aurum argentumve furat(i)* essent, manente tamen vetere poena quadrupli, si quis *aurum ex metallo* [9]) *habu(isse)t illicite et confla(visse)t* [10]). Ergo sententia Modestini [11]) ad primam concursus figuram non pertinet, nam ne ad concursum quidem. 8. SECUNDA posthac figura publicae actionis cum privata concursu continetur. De hac figura *a plerisque prudentium generaliter definitum est, quotiens de re familiari* [12]) *et civilis et criminalis competit actio, utraque licere experiri* [13]) *nec, si civiliter fuerit actum, criminalem posse consumi* [14]). Eapropter, *(qui) interdicto unde vi fuerit usus, non*

---

1) Laudat Savigny l. 3 D. 48. 13, quam perinde ut c. 5 C. Th. 9. 27 pertinuisse ad sacrilegium (cf. l. 11 (9) pr. D. eod.) vidit Ferrini, *Dir. penale* (1902) § 354. Quod qui non perspexit, Finestres putat (Hermog. I p. 1044. 2) legitimam peculatus poenam fuisse deportationem, sed (p. 1045. 3) quadrupli veterem actionem nec lege Iulia abrogatam et *m(agi)s frequentatam*.

2) Paul. V 27 (= Ed. Theod. 115); Amm. Marcell. XXVI 6 § 7; Basil., epist. 21 (373). 3) XXIX 24. Add. Plut., v. Cat. Mai. 15.

4) *Strafrecht* p. 769[4]. Lucium appellat perperam.

5) Liv. XXXVIII c. 51.

6) Ibid. 59 (i. f.). Quid, si de vi tribunis plebis facta (cf. ibid. 56) reus fuit vel certe ab illis auctoribus creditus est fuisse?

7) c. 1 C. Th. 9. 28 (= c. m. C. 9. 28).

8) Pertinuerit oportet c. 1 (= c. un.) cit. principaliter ad repetundarum iudicium (cf. Gothofr. ad h. l.). Add. § 9 Inst. IV 18.

9) A Compilatoribus omissum reor: *populi Romani*. Cui vel imperium abrogaverunt l. 1 § 2 D. 1. 6 (= Gai. I § 53).

10) L. 8 (6) § 1 (2) D. 48. 13. Cf. l. 38 pr. D. 48. 19.

11) L. 15 (13) cit. (D. 48. 13).

12) Haec exceptio ad aliam regulam proprie pertinet (l. 6 D. 47. 10; l. 4 D. 48. 1).

13) Inseruit Tribonianus; *sive prius criminalis sive civilis actio moveatur*. Qua de re cf. Suarez, ad leg. Aquil. (Thes. Meerm. II) lib. III c. 1 § 7.

14) Inseruit Tribonianus; *et similiter e contrario*, cui quodammodo praeivit Ulpianus l. 3 pr. D. 43. 29 (Suarez, op. cit. lib. III cap. 1 sect. 1 § 22).

Digitized by Google

prohibe(bi)tur.... lege Iulia de vi.... instituere accusationem, et suppresso testamento, quum ex interdicto de tabulis exhibendis fuerit actum, nihilominus ex lege Cornelia testamentaria poterit crimen inferri [1]), *et, quum libertus se dicit ingenuum, tam de operis* [2]) *civiliter quam etiam lege Visellia* [3]) *criminaliter poterit perurgeri* [4]). *Quo in genere etiam habetur furti actio et legis Fabiae* [5]) *constitutum* [6]),..... *sescenta alia, quae enumerari non possunt* [7])..... *Qua iuris definitione non ambigitur falsi crimen* [8]), *de quo civiliter iam actum est, criminaliter esse repetendum* [9]). Nisi *una (causa)* excipitur, id est, ubi iudicium de moribus concurrit cum publica adulterii quaestione, haec enim inter se consumunt [10]), etsi diversum putat Mommsen [11]). Sed ne ipsa quidem regula extra controversiam est posita [12]), et

---

1) Alio modo, utrum legi per interdictum *praeiudic(e)tur*, quaerit Ulpianus l. 3 § 6 D. 43. 5. 2) Cf. l. 6 D. 40. 14; l. 18 pr. D. 22. 3.

3) De lege Visellia cf. Mommsen, *Ges. Schr.* III p. 27—32.

4) Haec de liberto sententia iteratur c. 1 § 1 C. 9. 21 sub persona Diocletiani.

5) Cf. l. 6 pr. D. 48. 15; l. 52 § 12 (i. f.) D. 47. 2; c. 12 C. 9. 20; Cuiac., Obs. XX 26.

6) Multo igitur magis post in rem actionem superest lex Fabia (c. 1 C. 9. 20) vel post interdictum de homine libero (l. 3 pr. D. 43. 29).

7) Veluti legis Aquiliae vel ad exemplum eius in factum actio et lex Cornelia altera alteri nihil derogat (Theoph. IV 76; l. 23 § 9 D. 9. 2; l. 14 § 1 D. 19. 5, quam quidem apparet esse interpolatam). Haud magis illicite exacti nomine actio et publica coercitio invicem tollunt (l. 9 § 5 D. 39. 4; c. 3 C. 4. 7). Per quem factum erit, quominus quis vadimonium sistat, *actione in factum poenali tenetur, quamquam lege Cornelia reus (factus) sit* (l. 25 D. 48. 10 = Paling. Ulp. 299). Addit l. 5 D. 47. 11 Mommsen, *Strafr.* p. 892[5]. Sed cf. l. 1 § 2 (i. f.), l. 16 § 1, l. 36 pr. D. 13. 7; l. 4 D. 48. 3; Collat. XII 7 § 2, quae, quum similiter sint conceptae, tamen incertos nos dimittunt. Lege denique Rhodia maritima (Bas. 53, 8) c. 14, qui verum depositum abiuraverit, eius duplum reddet, τῆς δὲ ἐπιορκίας τὴν τιμωρίαν ὑπομενέτω, cui similiter habet de falso teste inscr. *Jahreshafte* XIV (1911) p. 168/9 (lin. 20); (ἐπι)ορκίᾳ ἐχέστω καὶ ἀποτεισάτω διπλόαν τὰν δίκαν (Wilhelm, ibid. p. 234).

8) Cf. c. 16 C. 9. 22; c. 13 § 1 C. 4. 20.

9) c. un. C. Th. 9. 20 = c. uu. C. 9. 31 = Carrara, *Programma di dir. pen.* I (1877) § 565, § 569, § 573. Ex diverso alteram utram vindictam remittendam esse, haud obcure significat Demosthenes XXI § 28.

10) c. un. C. Th. 9. 20. Rem confirmat Papinianus l. 12 (11) § 3 D. 48. 5 (Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 146 not. 3).

11) *Strafrecht* p. 889 post notam 5.

12) Iam ipsi Gratiani constitutioni (c. 1 C. Th. 9. 20 = c. 1 C. 9. 31) quodammodo aculeum eximit § (apud Iustinianum) 2: *iudicatum liceat retractari,*

Digitized by Google

supersunt veteris altercationis vestigia, veluti scribit Paulus [1]): *si actum sit publico iudicio, denegandum est privatum, similiter ex diverso* [2]); docet Ulpianus [3]) *eligentibus* [4]) dandam esse privatam persecutionem; iubet Septimius Severus [5]) *electionem esse, utrum quis velit crimen expilatae hereditatis extra ordinem apud praefectum urbi.... agere, an hereditatem a possessoribus iure ordinario vindicare*; permittit Diocletianus in servo plagii reo actori, *si dominum elegerit*, adversus hunc servi corrupti vel furti noxale iudicium instituere [6]); iubet denique Valentinianus [7]) actorem *eliger(e)*, utrum de falso criminaliter agat an civiliter [8]). Quin immo videtur eadem sententia significari Antonio quidem Matthaeo [9]), quibus utatur verbis Iustinianus [10]), in causa iniuriarum: *posse vel criminaliter agi vel civiliter*, idem dicturo [11]), ni fallor de sermone Caracallae [12]): *legis Fabiae crimen vel actionem.... servi corrupti.... persequi potes*,

---

cui respondet rubrica (C. Th.) *victum civiliter agere criminaliter posse.* (Habent ex diverso Basil. 60. 62. 1: δύναται δέ τις, καὶ περὶ συμβολαίου χρηματικῶ(ς) ἀγωνισάμενος καὶ δείξας αὐτὸ πλαστόν, κινῆσαι μετὰ ταῦτα τὸν νόμον τὸν περὶ πλαστογραφίας). Qua falsa specie post Cuiacium (Obs. XX 25) deceptus negabat Gothofredus (ad c. 1 C. Th. 9. 20) de re familiari utroque modo cum effectu agi posse. Quem refellit Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 152/3, nec laudat c. 3 C. 4. 7; c. 1 C. 9. 20..

1) L. 6 D. 47. 10.

2) Cf. Tribon. c. un. C. 9. 31: *et similiter ex contrario.*

3) L. 2 § 1 D. 47. 8. Cf. l. 15 D. 48. 2.

4) Hoc solo verbo transactum ne putemus, prudenter monet Merkel, *Konkurs* etc. p. 125 (cf. ibid. p. 72) et item Levy, *die Konkurrenz* § 3 I.

5) L. 3 D. 47. 19 (Alibrandi, *del concorso* etc. § 46). Quod Caracallae constitutione (c. 3 C. 3. 36) denegetur expilatae hereditatis actio, quum iudicio familiae herciscundae locus sit, etsi in eam rem vix quadrat c. 1 C. 9. 32, id cur fiat, explicare conatus est Cuiacius, Obs. XX 27.

6) c. 3 C. 3. 41. Non propterea crimen intercidit, etiamsi maxime servus dedatur, quod *adversus proprium servum accusationem instituere dominus* non potest. *Potest* enim *ex rescripto divi Marci* (l. 5 D. 48. 2). Quid, si non dedatur?

7) c. 2 C. Th. 4. 4 (= c. 24 C. 9. 22).

8) Cf. praeterea Pap. Amh. 27 (Chrestom. II 380) lin. 11: *si contra reum narratio falsi eligitur* et horum interpretatio: *Ztschr. der Sav.-St.* XXIII p. 371—376 (Gradenwitz), Chrestom. II pag. 428[1] (Mitteis).

9) Lib. 47 tit. 1 cap. 4 § 3.

10) § 10 Inst. IV 4. Cf. Savigny, *System* V § 234 (p. 251) not. *ll.*

11) Contendit enim l. 3 D. 47. 1; l. 93 (92) D. 47. 2 *orationem esse disiunctam.* Idem sentire videntur Savigny, *System* V § 234 (p. 251) not. *ii, kk*; Mommsen, *Strafrecht* p. 892[4]; Ferrini, *Dir. penale* (1899) p. 238; (1902) § 106.

12) c. 2 C. 9. 20.

Digitized by Google

et Gratiani [1]): *damus copiam.... profitendi, utrum de falso criminaliter an de scripturae fide statuat civiliter experiri*, inprimis autem, si modo cognovisset, Gai [2]): *cuius.... servus occisus est, is liberum arbitrium habet vel capitali crimine reum facere eum qui occiderit vel hac lege damnum persequi* [3]), Cuiacio [4]) autem et ipsi Matthaeo et Friderico Carolo [5]) et Mommseno [6]), Ferrinio [7]) denique, quibus utatur verbis Iulianus [8]): *qui furem deducit ad praefectum vigilibus.... existimandus est elegisse viam, qua rem persequeretur, et, si negotium ibi terminatum et damnato fure recepta est pecunia* [9]) *sublata in simplum, videtur furti quaestio sublata (eo)...., quod in periculum maioris poenae deductus est fur*, licet eventu simplum praestiterit. Interest, hic quae *furti quaestio* intelligenda sit. Si est vulgaris actio dupli quadrupli intelligenda, erit regulae propositae locus contrarius [10]), sin extraordinaria animadversio [11]), iam non miramur [12]), cur pro quaestione cedat praefecti vigilibus cognitio [13]). De eo utique dubitandum non est, quin ab hoc tractatu, id est, utrum post privatum iudicium supersit publicum versaque vice, tractatus diversus sit, utrum per privatum iudicium publico praeiudicari oporteat [14]), qua de re

---

1) c. 4 pr. C. Th. 9. 19 (= c. 23 pr. C. 9. 22).

2) III § 213 (= § 11 Inst. IV 3).

3) *Arbitrii* mentionem sustulit Iustinianus (§ 11 cit.), idem iuncturam disiunctivam (*vel — vel*) commutavit copulativa (*et — et*).

4) Obs. XX 26. 5) *System* V § 234 (p. 251) not. *kk*.

6) *Strafrecht* p. 893[1].

7) *Dir. penale* (1899) p. 238; (1902) § 106.

8) L. 57 (56) § 1 D. 47. 2.

9) Cf. l. 178 pr., l. 222 D. 50. 16; l. 11 § 2 D. 4. 8; Gai. III § 124.

10) Frustra reluctabatur Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 157/8. Docuerat Finestres (Hermog. I p. 635. 87 — 636. 89) propriam esse causam concurrentis privatae ex delicto actionis cum extraordinaria eiusdem delicti animadversione (cf. l. 3 D. 47. 1; l. 93 (92) D. 47. 2).

11) Ita vertit Merkel, *Konkurs* etc. p. 41.

12) Cf. Mommsen, *Strafrecht* p. 887/8 (ante notam 1)

13) Erunt quidem *vel ad praesidem* circumducenda.

14) Rectissime haec distinguit Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 139 sq. (ia. p. 114). Errat tamen circa l. 23 § 9 D. 9. 2 (ibid. p. 133 not. 1) et alio modo propter falsam interpretationem c. un. C. 9. 31 (Obs. XX c. 25) Cuiacius (Obs. XX c. 26), secum qui traxit Mommsenum (*Strafrecht* p. 892 not. 3 i. f.), hic Ferrinium, *Diritto penale* (1902) p. 142[6], recto qui stabat talo (1899) p. 238/9.

Digitized by Google

egimus aliquo superiore [1]) harum observatiuncularum capite. **9.** Iam TERTIA concursus figura privatas poenales actiones cum privatis poenalibus actionibus committit, quibus, *quum ex uno delicto plures nascuntur* [2])..., *omnibus experiri permitti post magnas varietates obtinuit* [3]). Varietatis vestigia affatim supersunt, quae vel sic multi [4]), dum ipsam regulam [5]) eludunt vel flectunt, delinere studuerunt [6]), veluti legitur apud Modestinum [7]): *si ex una obligatione* [8]) *plures actiones nasc(a)ntur, una tantummodo.... utendum es(se)*, cui sententiae conveniens est, quod praescribit Gaius [9]): de calumnia quum praeter iudicium calumniae etiam contrarium competat, *alterutro tantum iudicio agere permitt(i)*. Eodem exemplo interse minuunt apud Paulum [10]) furti actio et vi bonorum raptorum, quas negat Ulpianus [11]) actiones *contributas*, id est, contribuendas [12])

1) LXXXIII. 2) Helssig, *zur Konkurrenz* p. 47: „*lediglich durch*... *Subsumption*". Cui non adsentior.

3) Hermog. l. 32 D. 44. 7. Docet Ferrini, *Diritto penale* (1899) p. 234, (1902) § 104 (i. f.), sermonem pertinere ad concursum rei persecutionis et poenae. Sed cf. Diocl. c. 18 C. 6. 2.

4) Veluti Accursius; Cuiacius, Obs. VIII 24; Matthaeus XLVII 1 c. 4 § 3; Voet, ad Pandectas XLIV 7 § 20; Huschke, *Ztsckr. f. Civilr. u. Prozess* 1846 p. 194; Vangerow (1851/6) § 572, quem ceteri secuti sunt (Kleinschrod, *zur Concurrenz* p. 15 sqq.; Pernice, *z. Lehre von den Sachbeschädigungen* (1867) p. 136—140; Merkel, *Konkurs* etc. (1877) p. 62/3; Windscheid (1891) § 326 not. 8 et 9; Levy, *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 214/5, p. 230) vel non sunt (Martens, *Ueber Concurrenz* (1856) p. 18—31, p. 79—92; Kann, *Klagenmehrheit* (1901) passim). Stat mecum Savigny, *System* V § 234.

5) Obstantia potius Martens, Kann.

6) His non est adnumerandus Finestres, quippe qui intelligit operam se ludere (Hermog. I p. 610. 21). 7) L. 53 pr. D. 44. 7.

8) Quia de *delict(is)* loquitur, ideo hic est *obligatio* = delictum.

9) IV § 179.

10) L. 89 (88) D. 47. 2; l. 1 D. 47. 8. Utrique fragmento caudam decidit Ferrini, *Diritto penale* (1899) p. 236[1], (1902) p. 139[4], post quod exsistit consumptio μονομέρης (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 200).

11) L. 2 § 10 D. 47. 8. Ex diverso videtur hic l. 1 § 4 D. 39. 4 contribuere actionem in duplum adversus publicanum cum *generali vi bonorum raptorum* etc. (cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 48/9).

12) De hoc sermonis genere diximus cap. LXXIX. Eodem redit effectu interpretatio Friderici Caroli, *System* V § 234 not. *z* (p. 245), cui tamen obloquuntur Buchka, *Einfluss* etc. I (1846) p. 85; Martens, *Ueber Concurrenz* (1856) p. 76; Merkel, *Konkurs* etc. p. 48; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 43[108], Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 465[1].

Digitized by Google

esse [1]), quin immo ne furti quidem et servi corrupti [2]), quum concurrunt [3]), *rerum subtractarum nomine* [4]); generaliter quoque docet idem [5]): *numquam actiones praesertim poenales de eadem re concurrentes alia(m) aliam consum(ere)*. Quae quidem verba in Institutionibus collocata sunt post factum circa de pauperie actionem et de feris aediliciam sermonem, quasi pertineant ad concursum rei persecutionis et poenae [6]), vix tamen est, ut recte [7]), et ut aliam spectent concurrendi figuram quam, de qua nunc agimus [8]). *Praesertim* nihilominus molestum est, quia actiones, quae non sunt poenales, *de eadem re* concurrentes utique interse consumunt [9]), etiamsi ex maleficiis oriantur [10]).

---

1) Controversiam tollere adgreditur Alibrandi, *del concorso* etc. § 71, dum Paulo l. 89 (88) D. 47. 2 nihil relinquit praeter haec: *si quis egerit ei bonorum raptorum etiam furti agere* [non] *potest*. Sed manet l. 1 D. 47. 8. Paulo potius adstipulatur auctor exceptionum Petri III 2 (Tub. 17), sed erat etiamtunc res controversa (App. P. I 11 a pag. 156, 16).

2) L. 11 § 2 (— *minuit*) D. 11. 3 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 469), ubi *n(on) sufficiet* hoc significat: non sufficiet ad alteram actionem excludendam. Similiter Papinianus l. 6 pr. D. 48. 5 servae stupratae nomine iniuriarum actionem et servi corrupti iunctim accommodare videtur (cf. Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 342/3). Ad propositam quaestionem nihil refert, utrum *minuit* scripserit Ulpianus, an *consumit* (Eisele, *Archiv* etc. 79 p. 394) an neutrum (Levy).

3) Cf. praeter l. 11 § 2 cit. etiam l. 10, l. 11 pr., l. 16 D. eod.

4) Horum verborum rationem non habent Vangerow (l. l. p. 60); Windscheid (l. l. not. 8); Pernice (l. l. p. 139); Alibrandi, op. cit. § 72; Merkel, *Konkurs* etc. p. 86. Rationem habet idem Merkel p. 41, sed vel ibi labitur eo, quod putat servi corrupti actionem Ulpiano visam rem persequi (cf. Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 173). Etiam Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 467/8, rationem habet, sed negat unum factum (res subtractas). Omne tulit punctum Helssig, *zur Konkurrenz* p. 53.

5) L. 60 D. 44. 7 = l. 130 D. 50. 17 = § 1 (i. f.) Inst. IV 9 = Paling. Ulp. 610. — A l. 60 cit. abest *praesertim* et pro *eadem re* habet *eadem pecunia*.

6) Savigny, *System* V § 234 (p. 244) not. *x*. Docet Alibrandi, *del concorso* etc. § 73, actionem de feris, licet in duplum sit, rei persequendae causam continere, proinde sermonem pertinere ad concursum rei persequendae comparatarum actionum. Quocirca delet *numquam* et *praesertim poenales*.

7) Recte habere putat Helssig, *zur Konkurrenz* p. 55, et item Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 994 (secus Berndt, *der röm.* concursus actionum, Diss. Wratisl. 1913 p. 18/9), sed obstat, quod de pauperie actio et aedilicia de feris non facile concurrunt (l. 1 § 10 D. 9. 1). Quod removere studet Vangerow (1851/6) § 689 (p. 621).

8) Putat Ferrini, *Dir. Penale* (1902) § 104 (i. f.), locum revera pertinere, sicut l. 32 cit. (D. 44. 7), ad concursum rei persecutionis et poenae.

9) Merkel, *Konkurs* etc. p. 57.

10) Lewinsohn, *Beitr. zur Aktionenkonkurrenz*, Diss. Heid. 1910 p. 33.

Digitized by Google

Quocirca ipsum *praesertim* interpretabatur Cuiacius [1]) *dumtaxat*, ex diverso *numquam* Savigny [2]) *non semper*. Abest vocabulum a. l. 60 cit., quam propterea potiorem habet Merkel [3]). Triboniano adsignandum esse, opinio est Fridolini [4]), cui hactenus adstipulatur Karlowa [5]). Est haud minus molestum *de eadem re*, quia non quantitatem, ut Huschke [6]), sed universum genus spectantibus [7]) diversis poenalibus actionibus *numquam* vel certe raro [8]) *eadem res expetitur* [9]). Possit quis interpretari [10]): *poenales actiones* utpote numquam *de eadem re concurrentes* numquam *alia(m) aliam consum(ere)*. Sed abest hoc quoque vitium totum a l. 60 cit., quae facit concurrentes *de eadem pecunia*, id est, ut interpretatur Helssig [11]), in eandem summam; Graeculus [12]): εἰς τὸ αὐτὸ.... ποσόν, quod propterea, ut videtur, quod *de eadem re* usurpato genere dicendi poenales actiones non concurrunt, praestare putat Eisele [13]). Cui adstipulatur hactenus Karlowa [14]), ex diverso rebellat Appleton [15]): quod numquam concurrant actiones poenales [16]) εἰς τὸ αὐτὸ ποσόν et, quod nihil referret, etsi sic concurrerent. Quem licet in priore specie refellat Gaius [17]), in secunda Ulpianus [18]), vel sic tamen

1) Obs. VIII 24. 2) *System* V (§ 234) p. 243.

3) *Konkurs* etc. p. 59 ima („*enger gefasst und richtiger*").

4) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 380, 395/6.

5) *Rechtsgesch.* II p. 994.

6) *Ztschr. f. Civilr. u. Prozess* 1846 p. 184. Similiter Kleinschrod, *zur Concurrenz* (1849) p. 9: „*dasselbe Objekt*" (sed longe aliter p. 11).

7) Martens, *Ueber Concurrenz* p. 21.

8) Levy, *die Konkurrenz* I p. 141; II (1) p. 231.

9) Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 100; *System* V § 234 (p. 237). Idem sentit Merkel, *Konkurs* etc. p. 59 („*Strafen in reinen Strafklagen sind ni(e)* eadem res"), sed diversum prospicit exitum (p. 59/60).

10) Posse vidit Lewinsohn, Diss. cit. p. 34.

11) *Zur Konkurrenz* p. 56 not. 143.

12) Bas. 52. 1. 59. Obloquitur Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 230, vertit denique: *ex uno delicto*.

13) *Archiv* etc. 79 p. 380: „*der Ausdruck* de eadem pecunia *ist zur Bezeichnung der* eadem res *gerade dann geeignet, wenn es sich um* actiones poenales *handelt*". 14) *Rechtsgesch.* II p. 994.

15) *Revue génér.* 36 (1912) p. 489 not. 4 (p. 490).

16) In eandem, opinor, personam. Alioquin refelleret eum Huschke, *Ztschr. f. Civilr. u. Prozess* 1846 p. 191 (= l. 1 § 19 D. 47. 4).

17) IV § 175, 177. Esse docet tantundem in contrario iniuriarum et in calumniae iudicio. 18) L. 13 D. 44. 2.

Digitized by Google

habet in secunda adsentientem Gulielmum Martens [1]): „*indessen wird die Durchsetzung der mehreren Poenalklagen nur einem juristisch irrelevanten Momente gegenüber behauptet*". Quem recte refutat Lewinsohn [2]): „*man (würde)* — eadem causa *vorausgesetzt* — *bei Identität der Poenalsumme* eadem res *als vorliegend ansehen können* [3])". Erat igitur cavendi causa, quod vi negat Martens. Concurrunt autem *de eadem pecunia*, solam quantitatem spectantibus, poenales actiones non tantum, quum eadem summa sit, quod evenit in contrario iniuriarum et calumniae iudicio [4]), sed etiam, quum in altera plus sit, in altera minus, velut in furti actione duplum, vi bonorum raptorum quadruplum, erit enim in utraque duplo tenus eadem pecunia. Quod plus est, poterit, ni obstet iuris regula, *alia aliam consum(ere)*, pinguior utique minus pinguem in totum, sed etiam minus pinguis pinguiorem ex parte, quum sit commentitia doctrina Ioannis Merkel [5]): numquam consumi ex parte, sed minui. Quid enim aliud minui? Quodsi quis nostro loco *de eadem re* sic interpretetur, quemadmodum iuvenis interpretatus est Savigny [6]): *in eadem re*, desinet ad propositam concurrendi figuram [7]) locus pertinere, sed obstat interpretationi èt gemina lectio *de eadem pecunia* et ipsa sermonis proprietas [8]). Obtinebit autem regula, modo obtineat, non tantum inter easdem personas, sed etiam pluribus intervenientibus, veluti, quum plures simul furtum fecerint [9]), *itaque nullus eorum* [10]) *liberatur*, *etsi*

---

1) *Ueber Concurrenz* etc. (1856) p. 21.

2) Diss. cit. p. 34. Praeivit Huschke, *Ztschr. f. Civilr. u. Proz.* 1846 p. 191.

3) Hoc verum esse demonstrat Ulpianus l. 13 cit. (D. 44. 2).

4) Gai. IV § 175, 177. Requirebat exemplum Appleton, *Rer. génér.* 36 (1912) p. 489 not. 4 (p. 490).

5) *Konkurs* etc. p. 3, p. 18^5, 54, 58 (p. 18^5: „consumere *bedeutet nur völlige Ausschliessung*").

6) *Verm. Schr.* IV p. 100. In posteriore opere (*System* V (§ 234) p. 243) tantundem docet valere, quantum *ex eodem facto* (Helssig, *zur Konkurrenz* p. 55: *de* eodem facto). Non dissentit Appleton, *Rer. génér.* 36 (1912) p. 489^4 (*de* = ex); dissentit Merkel, *Konkurs* etc. p. 93. — Posteriorem Friderici Caroli interpretationem oppugnat, priorem sequitur Kleinschrod, *zur Concurrenz* (1849) p. 11, quum proxime (p. 9) aliter interpretatus esset. Etiam defendit priorem Martens, *Ueber Concurrenz* etc. (1856) § 4 (p. 18/20). Quem redarguit Merkel, *Konkurs* etc. p. 59^3.

7) Ad quam solam potest.

8) Cf. l. 10 D. 19. 1.

9) *Unum* delictum est (l. 9 D. 2. 1).

10) I. e., ceterorum.

Digitized by Google

unus conventus poenam *praestiterit* [1]). Alia ratione, *ex lege Aquilia quod alius praestitit, alium non relevat*, non, quod sit *poena* [2]), sed, nisi Tribonianus turbavit [3]), *quia plura facta sunt, non ut in furto unum* [4]). In iis enim, quae pertinent ad actionum concursum, magis rei persecutionis instar Aquilia habet quam poenae [5]), licet ultra damnum aestimetur. Quod multo magis observandum est circa ceteras ex delicto actiones, quae rem tantum persequuntur [6]), quin porrigendum ad actionem, quae appellatur de rationibus distrahendis [7]), *licet in*

1) L. 1 § 19 D. 47. 4. Sunt quidem verba *conventus praestiterit* suspecta, at res indubitabilis: l. 55 § 1 D. 26. 7; l. 6 pr. (ia. § 1) D. 47. 7; c. 1 C. 4. 8; Levy, *die Konkurrenz* I p. 482, 488.

2) Eam rationem adsignat sive Ulpianus sive Tribonianus (cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 467) l. 11 § 2 (cf. l. 23 § 8) D. 9. 2. Veram esse putant Pernice, *z. Lehre von den Sachbeschädigungen* p. 129 sq.; Ascoli, *Studi e documenti* XI (1890) p. 156/7; Levy, *die Konkurrenz* I p. 484. Veram non esse (id est, abundare), si plura facta sint, perspexit Eisele, l. l. (*Archiv* 77 p. 467).

3) Tribonianum arguunt Pampaloni, *Studi sopra il furto* II 1 (1900) p. 49[12], p. 50; Ferrini. *Dir. penale romano* (1902) p. 109[7], 110[2]; Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 478[4]. Quidni movear, dixi supra (p. 11 not. 2).

4) L. 9 D. 2. 1. Ergo verum quidem est, quod scribit Dernburg, *Pandekten* II (1892) § 72[5]: *„Hierin (dass die Leistung des Einen seinen Theilnehmer nicht befreite) lag nicht eine.... Eigenthümlichkeit der* lex Aquilia", sed perperam subiungit: *„sondern ein Rest der Auffassung, welche ursprünglich bei allen Schadensklagen wegen Delikte herrschte"*, adstipuletur licet Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 464/5.

5) Alf. l. 30 § 2 D. 19. 2 (cf. Proc. l. 7 § 8, l. 27 § 11 D. 9. 2); Gai. l. 18 § 1 D. 13. 6; Paul. l. 34 § 2 D. 44. 7; l. 50 (iis. l. 47 § 1, l. 48) D. 17. 2; l. 18 D. 9. 2; l. 43 D. 19. 2; Ulp. l. 7 § 1 D. 13. 6; Glück IV p. 12[32]: *„die* actio ex contractu *und* legis Aquiliae (*concurriren elektivisch*)"; Savigny, *System* V § 233 (p. 226); Pernice, *Sachbesch.* p. 123, 140—144; Merkel, *Konkurs* etc. § 5 (et p. 79, p. 99); Ferrini, *Dir. pen. rom.* (1899) p. 234, (1902) § 104 (p. 139); Lewinsohn, *Beitr. z. Konkurrenz*, Diss. Heid. 1910 p. 22; Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 41. Idem est, si concurrit interdictum quod vi aut clam (l. 11 D. 47. 7), quocirca fallere non debet l. 13 pr. D. 43. 24 (Kann, *Klagenmehrheit* p. 22).

6) Quas priorum exemplo (cf. Cuiac., Obs. XXIV 18) appellat Savigny, *System* V § 210 (p. 41): *„einseitige Strafklagen"*.

7) Tryphon. l. 55 § 1 D. 26. 7; Ulp. l. 1 § 21 D. 27. 3; Paul. l. 2 § 1 D. 27. 3; Savigny, *System* V § 212 (p. 58) post notam *m*; Krüger, *Consumption* p. 105; Merkel, *Konkurs* etc. p. 44; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 27[67] (et p. 62[156] ad l. 2 § 1 cit. vv. *quia nihil absit papillo*); Kann, *Klagenmehrheit* (1901) p. 60/2 (ad l. 1 § 21 cit.); Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 191/2 (ad l. 2 § 1 cit.); Lewinsohn, Diss. cit. (1910) p. 45/8; Levy, *die Konkurrenz*

Digitized by Google

duplum sit [1]). Apparet autem ex iis, quae praediximus, poenalem actionem, quum plures simul deliquerint, saepius esse dandam nec referre, quid ceteri praestiterint [2]), sive unum factum sit sive plura [3]), quod ut fiat, ratio suadet, etiam, quum in plures delictum sit [4]), itaque fieri videmus multorum auctoritate [5]) in actione iniuriarum et in sepulchri violati [6]) actione. Ergo poena saepius exigitur, verum rei persecutio, licet ex delicto veniat, semel datur, nisi plura facta sint [7]), tunc enim, quia ne concurrunt quidem actiones, non possunt nisi iure singulari interse consumere. Quocirca rationibus distrahendis actio, quum habeat, ut supra diximus, instar condictionis, ex facto plurium tutorum dabitur semel [8]), quasi ex uno facto, nam furtum quoque, quod plures faciunt, *unum* est. Quodsi plura facta intelligerentur, etiam de re persequenda posset agi saepius. Quamobrem quod vi aut clam, *si communi consilio plurium (opus) factum sit, licere vel cum uno* [9]), responsum est, *vel cum singulis* [10]) *experiri: opus enim, quod a pluribus*

I (1918) p. 146; II 1 (1922) p. 174/6 (ad l. 2 § 1 cit.); p. 250/1 (ad l. 55 § 1 cit.). — Ulterius id porrigit Alibrandi, *del concorso* etc. § 73, ad aediliciam de feris actionem; ad omnes mixtas actiones Helssig, op. cit. p. 62/3, cui praevit Merkel, *Konkurs* etc. § 6 i. f. (p. 49) iis. p. 77/8.

1) Paul. l. 2 § 2 D. 27. 3 (Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 144): *haec actio, licet in duplum sit,* [in simplo] *rei persecutionem continet* [non tota dupli poena est]. Cf. Paul. l. 34 § 2 D. 44. 7; l. 50 D. 17. 2.

2) Cf. e. g. l. 7 § 5, l. 8 D. 2. 1. Nam Triboniani est, dissentiat licet Levy (*die Konkurrenz* I p. 494/8), l. 5 pr. (*sed si omnibus — liberabitur,* vel certe (Binder, *Korrealobligationen* p. 388/9) *nec* (Ascoli, *Studi e docum.* XI p. 155: *et*) *altero — liberabitur*) D. 9. 4, incertus denique intellectus l. 5 § 3 D. 2. 7 (Levy, op. cit. I p. 489).

3) Savigny, *System* V § 234 (p. 235) not. *e* (media); Helssig, *zur Konkurrenz* p. 69.

4) Aliter censet Levy, *die Konkurrenz* I p. 376, et (p. 506/10) in actione iniuriarum ius verti singulare. Quod potest verum esse.

5) L. 1 § 9, l. 18 § 2, l. 41 D. 47. 10.

6) Ulp. l. 3 § 9 D. 47. 12. Suspecta mihi est ratio: *quia in id, quod uniuscuiusque interest, agitur.*

7) Vidit hoc Keller, *Pandekten* § 83[12]. Semper esse unum factum docet Helssig, op cit. p. 69 (non inspecta, ut videtur l. 9 D. 2. 1).

8) L. 55 § 1 D. 26. 7.

9) In solidum (Bekker, *Aktionen* I p. 179). Cf. l. 11 § 1 D. 39. 3 (Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 442).

10) Pro partibus (Bekker, l. l.). Cf. l. 11 § 1 cit. (D. 39. 3) sed etiam l. 14

Digitized by Google

pro indiviso factum est, singulos in solidum obligare [1]). *Si tamen proprio quis(que) eorum consilio hoc* [2]) *fecerit* — quum sic iam plura facta sint intelligenda — *cum omnibus esse agendum, scilicet in solidum, itaque alter conventus alterum non liberabit, quin immo* [3]) *(nec) perceptio ab altero* [4]). Est quidem horum sensus impeditus eo, quod non intelligitur, quo pacto commune opus totum fiat *proprio* singulorum *consilio*. Quem ut solvat nodum, dicere temptat Bekker [5]): proprio singulorum consilio fieri, quum uni mandent separatim isque exsequatur. Cui non obiciam l. 9 (i. f.) D. 2. 1, est enim ibi clausula *quia tunc* [6]) *unum consilium sit non plura facta*, sine dubio interpolata [7]), sed obiciam, quod ne ipsum quidem latuit [8]), scripturum Ulpianum in tali specie fuisse: *si proprio (cuiusque) consilio hoc (factum fuerit)*. Accedit, quod, si proprio cuiusque consilio

---

§ 2 D. 11. 3. Non est contrarium (esse docet Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 303 not. 4), quod *singul(i) in solidum obligar(i)* dicuntur (Levy, op. cit. I p. 262/3: *„zur ratenweisen Belangung (im Konsumptionsverhältniss stehender Schuldner) (ist der Gläubiger) allgemein berechtigt"*).

1) Cf. l. 2 § 41 D. 43. 8 *(si autem communiter hoc opus fieri curaverimus. utrumque nostrum teneri)*.

2) Totum. Diversum quidem *(pro diviso)* putat Ribbentrop, *Correal-Obligationen* (1831) p. 98, adstipulante Fridolino, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 429; sed refellitur sententia eo, quod sequitur: *in solidum* agendum. Non enim possunt plures *in solidum* teneri pro diviso (*„jeder einzelne nur für das, was er gethan hat"*), quemadmodum interpretantur Ribbentrop p. 100; Binder, *Korrealobligationen* p. 362, 363, auctore et cognitore Fridolino (*Archiv* etc. 77 p. 430). Eiciunt quidem *scilicet in solidum* Schmidt, *Interdictenverf.* (1853) p. 202; Collinet, *Nouv. rev. histor.* 33 (1909) p. 189[2], sed nihil proderit eiecisse, quia tacite continetur ulteriore clausula: *itaque alter conventus alterum non liberabit* (Bekker, *Aktionen* I p. 179 not. 39). Et cancellat quidem post *agendum* omnia Pernice, *Ztschr. f. d. ges. Handelsr.* 33 (1887) p. 440 not., sed ne hoc quidem sufficiet, quia *cum uno — cum singulis — cum omnibus* non dixisset, nisi tria essent significanda, iuris consultus.

3) *Selbst.... nicht"*, inserendum ne sit *(nec)*, vertit Dernburg, *Pandekten* II (1892) § 72[6].

4) L. 15 § 2 D. 43. 24 (Bekker, *Aktionen* I p. 178). Putat Ascoli, *Studi e docum.* XI p. 159 (not. 1), interpolatum esse *quin immo perceptio ab altero*, glossema (*„à l'occasion du mot* conventio") Collinet, *Nouv. rev. histor.* 33 (1909) p. 189 p. 189 post notam 2. Quo casu transponendum esset (post vv. *alterius conventio*).

5) *Aktionen* I p. 179.

6) I. e., *si dolo malo curaverint (plures), ut ab alio album corrumperetur.*

7) Hactenus adsentior Pampalonio, *Studi sopra il furto* II 1 p. 50.

8) L. l. not. 38. Cf. praeterea Binder, op. cit. p. 359.

Digitized by Google

factum intelligendum est de separatim iubentibus, intelligendum erit *communi consilio plurium* factum de communiter iubentibus [1]), quod tamen suam habet difficultatem propterea, quod statim post *a pluribus* factum opus dicitur [2]). Fieri potest, ut Tribonianus hic aliquid molitus sit; non tamen sufficit cum Henrico Dernburg [3]) inter Tribonianum vel, quod ipse mavult, glossatorem et Ulpianum locum sic partiri: *et si communi consilio plurium id factum sit, licere vel cum uno vel cum singulis experiri: opus enim, quod a pluribus pro indiviso factum est singulos in solidum obligare.* [Si tamen proprio quis(que) eorum consilio hoc fecerit, cum omnibus esse agendum scilicet in solidum]: *itaque alter conventus alterum non liberabit, quin immo (nec) perceptio ab altero; superiore etenim casu* [4]) *alterius conventio* [5]) *alterum liberat,* — quia non potest *alter conventus alterum non* (= numquam) *libera(re), quin immo (nec) perceptio ab altero,* si de toto necesse est *cum uno* experiri. Subducta porro haec etiam reliqua secum trahunt [6]). Atqui rebellat Eisele [7]) hoc argumento: quod non sit probabile, Compilatores de suo invexisse casum, quo *conventio.... liber(e)t.* Quod prima quidem specie magnam vim habet, attamen videtur alibi quoque admissum [8]), nec est in summa naturae humanae contrarium, idem facere quem vel scribere, quod facientem vel scribentem alium ferre non possit. Sed eo ut redeat oratio, unde deflexa est: quod praediximus, poenam

---

1) Bekker, l. l. p. 179.

2) Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 428[50].

3) *Pandekten* II (1892) § 72[6]. Adstipulatur Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 302. Damnat praeterea (p. 299/300): *quin immo perceptio ab altero.*

4) Proximis expunctis *superior casus* iam non erit, quum communi consilio factum sit, sed, quum alter iusserit alter fecerit.

5) Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 725: *„so also dass schon Wahl...., nicht etwa (erst) die Litiskontestation befreit".* Argumentum putari vult dedisse (*also*), dedit revera nullum.

6) Itaque damno *si tamen — alterum liberat.*

7) *Archiv* etc. 77 (1891) p. 430 (adversus Alfredum Pernice damnantem *scilicet in solidum* reliqua). In eundem sensum disputat Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 298[3], quocirca etiam genuina spondet (p. 300 ima) *alter conventus alterum non liberabit,* sicut (p. 494/8) l. 5 pr. D. 9. 4 *sed si — nec altero convento alter liberabitur.*

8) L. 9 D. 9. 4 vix sunt Pauli *et conventus alterum quoque liberat.*

Digitized by Google

utique saepius exigi, sive in plures delictum sit sive a pluribus, sunt nihilominus interdum una poena contenti iuris conditores, velut iniuriarum Ulpianus, quum filio et per filium patri iniuria facta sit [1]). Et hic quidem contradicunt multi [2]), sed in actione furti contradictor nullus, quin ubi pluribus furtum factum sit, aut *divid(a)tur* [3]), aut, ubi non dividatur, *alterutro agente* ipsa *tollatur* [4]). Eodem exemplo auctore et cognitore Pedio partitur Paulus [5]) condemnationem pro partibus dominicis, *si servum complurium cecidero* [6]), Pomponio denique teste [7]), *si eadem arbor plurium fuerit* et succisa, *universis dumtaxat una et semel poena praestabitur* [8]). In contraria quoque specie, ubi plures poenam debent, *si multi publicani sint, qui illicite quid exeger(i)nt, non multiplica(ri) dupli actio(nem)*, quum respondit Modestinus tum *Severus et Antoninus rescripserunt, nam inter criminis reos et fraudis participes multum esse* [9]) *constituerunt* [10]). Sed satis superque testimoniorum vel sic superest [11]). Veluti iubet Ulpianus [12]), *si plures in eodem cenaculo habitent*, unde deiectum sit, *(et) cum uno fuerit actum* in duplum iudicio [13]), *ceter(os) libera(ri)*, nec dissentit Paulus [14]). Eodem exemplo, quum in

1) L. 17 § 21 D. 47. 10. 2) Locos dedimus supra (p. 28 not. 5).

3) L. 46 § 1 D. 47. 2; cf. l. 46 § 4, § 5, l. 75 (74), l. 88 (87) eod.

4) L. 6 D. 13. 6. — De servi corrupti actione mirifica est sententia sive Ulpiani sive, quod videtur Alfredo Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 439[1], Triboniani: *absurdum* esse, si duobus competat (l. 1 § 1 D. 11. 3), quo tamen ipso in furti actione nihil est frequentius (Paul. II 31 § 17; l. 12 § 2, l. 46 § 1, § 4, § 5, l. 71 (70), l. 75 (74), l. 83 (82) § 1 D. 47. 2).

5) L. 16 D. 47. 10. Cf. Helssig, *zur Konkurrenz* p. 68[166].

6) L. 15 § 49 D. 47. 10.

7) L. 6 § 1 D. 47. 7. Cf. Helssig, op. cit. p. 69[169].

8) Ex diverso, *si plures eandem arborem* [furtim] *ceciderint cum singulis in solidum agetur* (l. 6 pr. D. 47. 7).

9) Cf. Horat. Sat. I 1, 105: *est inter T. quiddam socerumque V.*

10) L. 6 D. 39. 4. Duplum hoc continet rem et poenam (l. 5 § 1 eod.) vel certe in poena rem (Levy, *die Konkurrenz* I p. 491).

11) Non pertinet ad hanc figuram l. 1 § 4 D. 2. 10. Appellatur ibi *poena* veniens ex delicto rei persecutio. Qua de re cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 p. 465[79] et ex diverso Levy, *die Konkurrenz* I p. 501[1].

12) L. 1 § 10, l. 3 D. 9. 3. Ad l. 2 eod. cf. l. 11 § 2 D. 9. 2.

13) L. 1 pr. D. 9. 3. Ergo perperam hanc actionem laudat inter venientes ex delicto rei persecutiones („*einseitige Strafklagen*") Savigny, *System* V § 211 (p. 46) not. *c*. Verum vidit Levy, *die Konkurrenz* I p. 329 lin. 3.

14) L. 4 D. 9. 3 (cf. Ascoli, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* IV (1892) p. 289/90).

Digitized by Google

nave furtum factum sit, non permittit Ulpianus [1]) cum exercitore honoraria actione atque praeterea cum fure civili iudicio experiri, sed eligere iubet, cui res subrepta sit, utrum cum exercitore an cum fure experiri velit. Apertius Paulus [2]): *possumus* inquit *furti* [3])... . *actione uti cum nautis, ut certi hominis factum arguamus: sed una contenti esse debemus; et, si cum exercitore egerimus* [4]), *praestare ei debemus actiones nostras* [5]), *quamvis ex conducto actio adversus eos competat exercitori* [6]). *Sed, si absolutus sit exercitor hac actione, deinde agatur cum nauta, exceptio* rei utique iudicatae [7]) *dabitur, ne saepius de eiusdem hominis admisso quaeratur. Et contra, si de admisso unius hominis actum sit, deinde in factum actione agatur* [8]), *exceptio dabitur.* Etsi non absurde quis dixerit [9]), ideo fieri, ut interse consumant civilis actio in furem et honoraria cum exercitore, quia *ex persona (nautae)*, non *suo nomine* [10]), exercitor tenetur, quod alias quoque sufficit, ne possit saepius actio institui, velut in exercitoria actione [11]) et noxali [12]), quum *ex persona servi duo tenentur* [13]), quod eveniet, ubi servus com-

---

1) L. 1 § 3 D. 47. 5 (Hartmann, *Archiv* etc. 50 (1867) p. 124/5).

2) L. 6 § 4 D. 4. 9.

3) Suspicionem movet, quod de furto disputat cum damno simul, quum separata sint edicta.

4) Et eum scilicet condemnaverimus.

5) Id est, civilem furti actionem. Movere non debet, quod consumpta videatur, quia reus utique liberatus non est. Cf. l. 95 § 10 D. 46. 3; l. 28 D. 17. 1; l. 13 D. 46. 1; l. 36 D. 46. 1; l. 76 D. 46. 3. Eius iuris rationem habere debuerat Eisele, *Archiv* etc. 79 p. 386 post lin. 20 (ad l. 7 § 1 D. 13. 6).

6) Similiter fideiussori actio praestanda est habenti mandati actionem.

7) Dictum est supra (52, 252).

8) De eiusdem hominis admisso, ne nova exceptione opus sit (cf. Helssig, *zur Konkurrenz* p. 75 not. 184). Quodsi non de eiusdem, praedicendum erit iudici (l. 7 § 2 D. 5. 3).

9) In eam sententiam ipsi disputavimus cap. harum obs. C.

10) Cf. l. 20 pr. D. 11. 1.

11) L. 1 § 24 (cf. § 17) D. 14. 1. Cf. Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 117—124.

12) Vel *praetoria cum eo qui desiit possidere* (l. 26 § 2 D. 9. 4), *quia.... in locum directae actionis succedit* (l. 26 cit. § 4) *detracta noxae deditione* (l. 39 pr., l. 22 § 4 eod.). Quae falso dicitur *noxalis* l. 24 D. 9. 4 (expungit vocem recte Cuiacius Obs. XXII 9).

13) L. 20 pr. D. 11. 1.

Digitized by Google

munis furtum fecerit vel damnum dederit [1]) vel extraneum corruperit [2]), et ubi servum dominus ne possit secum agi alienaverit vel manumiserit [3]), et ubi alienum servum esse suum in iure quis responderit [4]). Consumitur autem in istis speciebus, quod vidit Binder [5]) iudicio [6]), quocirca, quia pertinet ad ius strictum universa actionis peremptio, quae iudicio fiat, non esse Pauli videntur, quae nunc sub eius nomine leguntur [7]): *id enim praetor introduxit, ne eluderetur actor, non, ut etiam lucrum faceret* [8]): *ideoque exceptione* [9]) *a sequenti submovebitur* [10]). Diversum est [11]), *quum dominus ob scientiam teneatur*, quo casu auctore Paulo [12]), *an servi quoque nomine danda sit actio* [13]), *videndum est* [nisi forte praetor unam poenam a domino exigi voluit]. *Ergo dolus servi impunitus erit?* [quod est iniquum.] *Immo utroque modo dominus tenebitur una autem poena exacta, quam actor elegerit, altera toll(e)tur* [14]). Licet enim totam paragraphum Faber [15]), clausulam (*una autem* rell.) damnent Eisele [16]), Pampaloni [17]), Levy [18]), tamen dubitari non oportet,

1) L. 20 pr. cit. (D. 11. 1); l. 26 § 1, § 2, l. 39 pr. D. 9. 4.

2) Cf. l. 14 § 2 D. 11. 3.

3) L. 24 — l. 26 pr. D. 9. 4; l. 42 § 1 D, 47. 2; l. 3 D. 47. 8.

4) L. 8, l. 20 pr. D. 11. 1; l. 26 § 3 D. 9. 4.

5) *Korrealoblig.* p. 381/92.

6) Cf. inprimis l. 3 D. 47. 8 (*si cum domino intra annum* rell.). Quae videntur obstare, l. 26 § 3 D. 9. 4; l. 14 § 2 D. 11. 3 aut sunt interpolatae (Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 391; Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 311/2, 319) aut ideo non obstant, quia, conventus qui liberat, is vel magis solvens. Dictum supra (p. 17).

7) L. 26 pr. D. 9. 4.

8) Cf. l. 18 § 15 D. 39. 2.

9) Non obstat l. 42 § 1 D. 47. 2 (cf. l. 3 D. 47. 8).

10) Manifestavit fraudem Levy, *die Konkurrenz* I p. 326/7.

11) Esse vidit Binder, *Korrealobligationen* p. 381/4.

12) L. 4 § 2 D. 9. 4.

13) Dandam esse defendit Ulpianus l. 2 § 1 D. 9. 4.

14) Eieci ea, quae sermonis nexum turbant. Praeterea non possunt stare, quae cancellat Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 159[5]: *nisi forte praetor — voluit* (cf. praeterea Kann, *Klagenmehrheit* (1901) p. 66/7), quia non de edicti sed de legis Aquiliae interpretatione quaestio est (l. 2 § 1 D. 9. 4; Levy, op. cit. I p. 159 not. 1). Putat quidem Pampaloni, *Studi sopra il furto* II 1 p. 21, etiam praetorem interdum nominatim statuisse, ut dominus, quo sciente servus fecerit, suo nomine teneatur, non tamen id demonstrat adhibita l. 5 § 6 D. 9. 3. Cf. Lenel, *das* edictum p. 168 (133) (ad l. 1 pr. eod.).

15) In Rationalibus.

16) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 373.

17) *Studi sopra il furto* II 1 p. 81.

18) *Die Konkurrenz* I p. 160/1.

Digitized by Google

quin voluerit Paulus actorem altera utra harum actionum contentum esse; pergit enim [1]): *si detracta noxae deditione quasi cum conscio domino actum sit, qui non erat conscius: absolutione facta et finito iudicio* [2]) *amplius agendo cum noxae deditione exceptione rei iudicatae* [3]) *submovebitur* [4]), *quia res in superius iudicium deducta et finita* [5]) *est* [6]) [donec autem prius iudicium agitatur, licentia agenti est — ad noxalem causam transire [7])]. *Contra quoque, si cum eo qui scit cum noxae deditione actum sit, amplius* [in dominum] *detracta* [8]) *noxae deditione danda actio non* [9]) *est* [10]). Apparet igitur, apud Paulum noxalem actionem et directam cum eo qui scit invicem consumere, aut iudicio, si sana sunt *quia res in superius iudicium deducta... est* [11]), aut, si non sunt, simpliciter [12]). Quodsi quis negaverit ad edictum libro tertio decimo Paulum docuisse consumendam per noxalem actionem directam adversus scientem, fateatur tamen necesse est, in ea doctrina fuisse Paulum ad edictum libro vicesimo secundo. Nam, ibi [13]) quod nunc legitur, satis

---

1) L. 4 cit. (D. 9. 4 § 3.

2) *Absolutione facta et finito iudicio* damnat Eisele, *Abhandl.* (1889) p. 55, damnat Ferrini, *Enciel. giur. ital.* XII (1) p. 417[1].

3) *Rei iudicatae* damnat Eisele, l. l.

4) *Submovebitur* sanum non videtur Fridolino l. l. p. 56 grammatica ratione, quod non apparet, submovendus quis sit, Pampalonio autem (*Studi* cit. II 1 p. 81), propterea quod non eadem res in utrumque iudicium venit. Reponit hic: *(non) submovebitur.*

5) *Et finita* damnat Eisele (l. l. p. 55).

6) Reponit Pampaloni (l. l.): *(non) est*, sicut supra *(non) submovebitur.*

7) Haec damnat in Palingenesia (Paul. 110) Lenel. Argumenta suppeditabit Eisele (l. l. p. 55). Cf. praeterea Faber (in Rationalibus); Ferrini, *Enciel.* cit. XII (1) p. 417[1].

8) *In dominum* abundare vidit Levy, *die Konkurrenz* I p. 165.

9) *Non* damnat Pampaloni (l. l.) ideo, quod, quum superioribus negationem reddidisset *(non submovebitur, finita non est)*, videbatur hic propter copulam *quoque* nihilomagis actor submovendus. Plane, quia ultimum paragraphi sensum non cancellat, debuerat potius copulam damnare, nam, quod scribit (l. l.) p. 82: „*le parole finali* in ipso autem etc. *non hanno senso, ove si ammette l'eccezione della cosa giudicata per la seconda azione*", id contra se habet.

10) Reliqua suo iure damnat Eisele, totam § Kann, op. cit. p. 68.

11) Quomodo eludat Ribbentrop (*Correal-Obligationen* (1831) p. 253 4), apud ipsum videndum est. Cf. Binder, *Korrealobligationen* p. 383[156]; Ferrini, *Enciel.* cit. XII (1) p. 417.

12) Cf. l. 4 cit. § 2: *una... poena exacta.* 13) L. 17 pr. D. 9. 4.

Digitized by Google

demonstrat, quid olim scriptum fuerit: *si ex duobus dominis uno sciente altero ignorante servus deliquit, si ante cum altero, qui nesciebat, actum sit et noxae dediderit servum, iniquum est, vilissimi hominis deditione alterum quoque liberari.* Intelliget enim [1]), qui contulerit § 34 Inst. II 1 (*ridiculum est enim picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimae tabulae cedere*), cui debeantur haec: *iniquum est vilissimi hominis deditione alterum quoque liberari.* Scripserat Paulus: *si ex duobus dominis — qui nesciebat — noxae dederit servum, (alter quoque liberatur)*, et sunt interpolata cetera [2]) quoque [3]). His consequens est Pomponii responsum [4]): *si emptor servi noxali conventus sit, venditorem, quo sciente factum est, conveniri iam non* [5]) *posse.* Ex diverso non liberabitur operis possessor vi aut clam facti, servi venditor, qui fecisset, quem ex interdicto emptor noxae dederit, quia, si dominus mansisset et noxae servum dedisset, etiamnunc conveniretur ad patientiam utique [6]) praestandam [7]). Quodsi non servus sed familia [8]) furtum fecit, adhuc quaeri potest, utrum actio noxalis, quae datur in ignorantem [9]) *familiae nomine* [10]) de eo quod praestaret unus liber [11]), et directa actio cum sciente, quae multiplicatur pro numero furum, interse consumant? Veluti, si unus dominus ignoravit, alter conscius fuit, liberabitne qui ignoravit conscium, conscius

---

1) Ferrinium dixisse putato (*Enciel.* cit. XII (1) p. 418).

2) Ante *ipsi tamen* (Levy, *die Konkurrenz* I p. 351/5: ante *illud iniquum est*).

3) Ergo recte habet sententia Ferrinii, *Pandette* p. 558 not. 3 (p. 559): „*correalità v'è anche fra il* dominus ignorans *e lo* sciens".

4) L. 7 § 1 D. 9. 4 (Merkel, *Konkurs* etc. p. 119/20).

5) Docte ambigit Merkel (p. 120 lin. 10) sitne *iam non* = οὔπω an = οὐκέτι.

6) Cf. l. 5 § 11 D. 43. 24.

7) L. 7 § 1 D. 43. 24.

8) Haec miscet Binder, *Korrealoblig.* p. 113, p. 385, exemplo Triboniani l. 9 D. 9. 4 (vv. *vel communis servus*). Recte discernit species Levy, *die Konkurrenz* I § 33 (p. 339—358).

9) L. 1 § 1 D. 47. 6.

10) L. 3 pr. D. 47. 6. Negat quidem Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 341/4, talem formulam fuisse in edicto propositam, sed fatetur potuisse intendi (p. 344 not. 4). Poterat autem actor etiam *singulorum nomine* noxalibus experiri (l. 1 § 1 D. 47. 6) etiam cum ignorante (l. 1 § 3 D. 47. 6; l. 9 D. 2. 1; l. 31 D. 9. 4) tantundem consecuturus

11) Nisi scilicet malit *omnes* dedere (l. 1 pr. D. 47. 6) vel, quorum *ex pretiis... duplum colligatur* (l. 31 D. 9. 4).

Digitized by Google

eum qui ignoravit? Et quidem conscius sine dubio liberabit ignorantem teste Paulo [1]) vel sub huius persona Triboniano [2]), sed, num ignorans conscium, dubitat Marcellus [3]): *et videamus an iam* [4]) *in socium* [alterius servi nomine [5])] *non sit dandum iudicium, quemadmodum si omnium* [6]) *nomine socius decidisset* [7]); *nisi forte hoc casu severius a praetore constituendum est nec servorum conscio parcendum est;* erit igitur, ultima si placebunt [8]), in hac specie μονομερὴς consumptio. Idem eveniet [9]), si familia sola deliquerit, mox unus manumissus sit; dominus enim conventus manumissum liberat, manumissus dominum non, quia non familiae nomine patitur [10]), quocirca idem esse videtur dicendum, postquam unus legatus sit vel donatus, ut prior conventus vetus dominus liberet legatarium eumve cui donavit, non hic veterem dominum [11]), sed in venditore et emptore diversum est, quia, quod emptor praestat, id quodammodo a venditore praestatur [12]), quandoquidem *victi emptores reversuri sunt ad eum qui distraxit* [13]). **10.** Iam QUARTA figura ad concursum rei persecutionis et poenae pertinet. *Et poena quidem* cum rei persecutione *non confunditur* [14]), itaque tenebi-

---

1) L. 9 D. 9. 4.

2) Vv.: *et conventus alterum quoque liberat.* Indicio est quum temporum alternatio (*tenebitur; liberat; debebit*) tum τὸ ἔξω τῆς ὑποθέσεως εἰρῆσθαι. Quaeritur enim, quid praestetur, adversum *qui scit.* In praecedentibus interpolavit: *vel communis servus.* Quod vidit Pampaloni, *Studi sopra il furto* II 1 (1900) p. 52, cui non iure suspecta est clausula: *nec a socio* rell., quae redit iisdem fere verbis l. 17 pr. (i. f.) D. 9. 4, sed ad eum relata, *qui iussit.*

3) L. 5 D. 47. 6.

4) I. e., postquam actum sit cum eo quo ignorante factum est.

5) Haec sensu carent, quia *utriusque servi nomine* actum quum fingebatur tum fingi perseverat (vv. *quemadmodum si omnium nomine socius decidisset*).

6) I. e., amborum.

7) Cf. l. 42 § 1 (i. f.) D. 47. 2 *(quasi decisum sit).*

8) Valde displicent Mucio, *Studi sopra il furto* II 1 p. 52, qui non recte docet (p. 53) pugnare Marcelli sententiam cum l. 9 D. 9. 4. Hic enim quaeritur an conscius liberetur, illic an liberet. Cf. praeterea Levy, *die Konkurrenz* I p. 347/50.

9) Eventurum dixit Levy, op. cit. I p. 351.

10) L. 3 pr. D. 47. 6. Legendum videtur: *nec enim potest dici, quod a manumisso (abla)tum est, quasi a familia esse praestitum.*

11) Cf. l. 3 § 1 D. 47. 6.

12) L. 3 pr. D. 47. 6 (Paling. Ulp. 1071). Cf. l. 20 pr. (i. f.) D. 11. 1.

13) L. 25 § 17 D. 5. 3.

14) L. 34 § 2 D. 44. 7.

Digitized by Google

tur fur èt condictione èt furti, quocirca *neque furti actio per condictionem neque condictio per furti actionem consum(e)tur* [1]), *quum altera poenam continens alterius electione minime tolli possit* [2]). Eodem exemplo, si quis alienum servum verberaverit [3]) vel virginem immaturam stupraverit [4]), iniuriarum actio et Aquilia nequaquam interse consument, quia, ut supra diximus, Aquilia in hoc tractatu comparatis rei persequendae gratia actionibus adnumeratur, iniuriarum actio utique poenalibus [5]). Quocirca Labeo scribit [6]) *eandem rem non esse* [7]), *quia altera actio ad damnum* [8]) *pertineret.... altera ad contumeliam* [9]). Sed putaverunt *quidam* nihilominus *altera electa alteram consumi* [10]), quod non potest eo explicari [11]), quod in atroci iniuria, quae servo fiat, *damni etiam haberi rationem verbis* edicti vel formulae *evidenter exprimitur* [12]), vel, quia res vera non videtur [13]),

---

1) L. 7 § 1 D. 13. 1; l. 45, l. 46 D. 17. 2 (ubi potius sunt delenda (l. 45) *idemque in omnibus b. f. iudiciis dicendum est* (cf. sch. 3 Τοῦ αὐτοῦ ad Bas. 12. 1. 45), quam cum Cuiacio (Paris. IX 648 B) corrigendum (l. 46) *id*[em] *est*); l. 42 D. 19. 2; l. 1 § 22 D. 27. 3; l. 55 (54) § 3 D. 47. 2; l. 1 § 17 (cf. tamen § 16) D. 47. 4; l. 2 D. 47. 6; c. 5 C. 3. 41; c. 13, c. 14, c. 19 C. 6. 2; § 19 (21) Inst. IV. 1. Ergo parum refert sitne interpolata (Pernice, Lab. III p. 289 not. 4) l. 14 D. 12. 4, quam praeterea laudat Merkel, *Konkurs* etc. p. 41. — Ius novum continet Paul. II 31 § 13 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 419), quod redit apud Petrum, Exc. III 1 (Tub. 16).

2) C. 12 § 1 C. 6. 2. Add. l. 20 § 4, l. 21 pr. (ia. l. 22 § 6) D. 40. 12.

3) L. 15 § 46 D. 47. 10. Cf. l. 15 pr. D. 6. 1 (Merkel, *Konkurs* etc, p. 42).

4) L. 25 D. 47. 10. Eius fragmenti prior species pertinet ad plurium delictorum *in una re* concursum.

5) Rationem non admittit Helssig, *zur Konkurrenz* p. 57[145], quia, inquit, licet idem factum sit (l. 34 pr. D. 44. 7), tamen aliud est damnum aliud contumelia.

6) L. 15 § 46 D. 47. 10. Add. l. 6 pr. D. 48. 5 (Eisole, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 342/3).

7) Id est: nihil invicem (Merkel, *Konkurs* etc. p. 45/6; Eisele, *Archiv* etc. 79 p. 356/7; Levy, *die Konkurrenz*, II (1) p. 183: *iudicio* nihil invicem) consumi.

8) Sarciendum scilicet. 9) Ulciscendam scilicet.

10) L. 34 pr. D. 44. 7. Vindicat haec Paulo Ernestus, *die Konkurrenz* II (1) p. 185. 11) Cf. Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 106.

12) c. 8 C. 9. 35. Add. l. 17 § 2 D. 47. 10.

13) Obstat non tantum l. 15 § 46 sed etiam l. 7 § 1 D. 47. 10. Itaque l. 17 § 2 eod. potius cancellanda sunt *quia de damno — agatur*. Propter ipsam c. 8 C. 9. 35 cf. Averan. III 14 § 9; Lenel, *das* edictum p. 387 (323) not. 19 (16); Mommsen, *Strafrecht* p. 801 not. 6 (p. 802); Alibrandi, *del concorso* etc. § 68; Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 987[1] (ia. p. 1335 lin. 4/5); Vangerow (1851/6) § 572 (p. 61); Helssig, *zur Konkurrenz* p. 57 not. 145 (i. f.).

Digitized by Google

vel, quia in legis Aquiliae actione de contumelia ulciscenda profecto numquam agitur, quocirca non potest illa actionis iniuriarum vice fungi [1]). Sed dicendum est, hac quoque figura regulam propositam saepe negligi [2]), veluti contribuit Iavolenus [3]) furti actionem [4]) et commodati; Ulpianus [5]) furti [6]) et de recepto; Severus [7]) furti et mandati; Gordianus [8]) furti et depositi; Diocletianus [9]) vi bonorum raptorum et negotiorum gestorum; Paulus [10]) damni legitimam actionem et in factum adversus exercitorem, quae dupli est; rursus Ulpianus [11]) condictionem et quadrupli actionem, quam praetor accommodat in eum, qui, ut calumniae causa negotium alteri faceret vel ne faceret, pecuniam acceperit; Gaius denique [12]), cui ex parte

1) Merkel, *Konkurs* etc. p. 45.

2) Cf. Merkel, *Konkurs* etc. § 6; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 363. Alio rem deduxit Lewinsohn, *Beitr. zur Aktionenkonkurrenz*, Diss. Heidelb. 1910 p. 35.

3) L. 72 (71) pr. D. 47. 2. Cf. Paul. l. 54 (53) § 1 eod.

4) Putaverunt multi (Cuiac., Observ. XVII 12; Glück IV p. 12[30]; Savigny, *System* V § 232 (p. 218 not. *h*) intelligendam hic esse condictionem furtivam, non dupli quadrupli actionem. Laudantur in eam rem l. 14 § 16 D. 47. 2; c. un. C. 9. 31; Paul. II 31 § 34. Disputant in contrariam partem Merkel, *Konkurs* etc. p. 38/9; Alibrandi, *del concorso* etc. § 47 (ia. 46). — Propria sententia est Fridolino, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 365/6, est Ernesto, *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 100. 5) L. 3 § 5 (cf. Paul. l. 4 pr.) D. 4. 9.

6) Cf. Hartmann, *Archiv* etc. 50 (1867) p. 125/7; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 73/4 (not. 183); Eisele, *Archiv* cit. 79 p. 383. Intelligendam hi docent honorariam furti actionem adversus nautas (D. 47. 5); intelligunt alii hic quoque furtivam condictionem (cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 39 not. 2); delent alii ipsam clausulam (*sed magis* rell.) invito Ernesto, qui putat ipse clausulam initio pertinuisse ad actionem legis Aquiliae cum de recepto actione concurrentem (*die Konkurrenz* II (1) p. 85—87); reponit denique *locati* Beseler, *Ztschr.* cit. 44 (1924) p. 366.

7) c. 1 C. 6. 2. Verum concursum esse recte negant Helssig, op. cit. p. 77; Levy, *die Konkurrenz* I p. 32/3. Sed ad mentem rescribentis species est, in qua concurrant mandati actio et furti ex facto, quod inciderit (Merkel, *Konkurs* etc. p. 134).

8) c. 3 C. 4. 34 (Alibrandi, *del concorso* etc. § 46). Testimonium amoliri cupit Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 96[6].

9) c. 5 C. 9. 33. Cf. Alibrandi, op. cit. § 71 (i. f.).

10) L. 6 § 4 D. 4. 9.

11) L. 5 § 1 (cf. l. 7 pr.) D. 3. 6. Reddit quidem totam paragraphum Triboniano Faber (in Rationalibus), sed non sinit eum Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 152[5], quin conservat (p. 154) ipsa verba responsionis: *puto sufficere alterutram actionem.*

12) L. 25 § 5 D. 19. 2 (Paling. Gai. 245); l. 9 D. 47. 7 (clausulam (*plane* rell.) damnat Kaun, *Klagenmehrheit* (1901) p. 37).

Digitized by Google

praeivit Trebatius [1]), legem Aquiliam et honorariam furtim arborum caesarum dupli actionem atque legitimam de arboribus succisis vicenum quinum assium [2]), etsi legitimam vicenum quinum assium non putat Siber [3]). Ad actionem quoque de tigno iuncto porrectum hoc esse ab Institutionum compilatoribus [4]) recte docere videtur Merkel [5]). Diversa causa est actionis de rationibus distrahendis, quae *licet in duplum sit*, tamen *rei persecutionem contine(re)* videtur [6]). Quod praeterea contribuitur metus causa quadrupli actio cum doli mali actione [7]) et cum actione in rem [8]), optima fit ratione [9]), quia scilicet metus causa actio principaliter rei persecutionem continet, quocirca *non statim quadrupli est.... sed, si res non restituatur* [10]). **11.** QUINTA

---

1) Invicem is minuit (l. 1 D. 47. 7) Aquiliam actionem et legitimam de arboribus succisis. Ex diverso Paulus (l. 11 eod., quod testimonium neglexit Helssig, *zur Konkurrenz* p. 43 not. 109), utramque dat in solidum itaque Labeoni (l. 1 cit.) placuisse videtur Fridolino, *Archiv* etc. 79 p. 377/8, atque Sibero, *Passivlegitimation* p. 176. Est omnino media l. 5 § 1 D. 47. 7 *(eius actionis eadem causa est, quae est legis Aquiliae)*, quocirca non multum refert, pertineatne ad legitimam an ad honorariam actionem. Haud magis l. 28 § 6 D. 12. 2 efficitur, ut actiones contribuendae sint, quia proponitur colonus de facto iurasse. Cf. Ferrini, *Dir. penale* (1899) p. 234/5; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 27[65].

2) Eam fuisse *„einer sachverfolgenden Funktion kaum zugänglic(h)"* mecum convenit Ernesto, *die Konkurrenz* II (1) p. 204[2].

3) *Die Passivlegitimation* (1907) p. 176. Idcirco l. 1 D. 47. 7 apud Trebatium intelligendam censet (p. 176/7) praetoriam arborum furtim caesarum actionem, apud Labeonem legitimam vicenum quinum assium, apud Gaium l. 25 § 5 cit. (D. 19. 2) damnat *ex lege XII tabularum* nec ibi praeterea quidquam mutat. Infestius Lewinsohn, *Beitr. zur Aktionenkonk.*, Diss. Heid. 1910 p. 39/40, legitimam actionem totam exterminat, etiam apud Labeonem (l. 1 cit.) et l. 11 eod. (*manente* rell.) apud Paulum.

4) § 29 (i. f.) Inst. II 1 (= l. 7 § 10 D. 41. 1) inserto hoc: *si non fuerit duplum iam persecutus.* Cf. l. 2 D. 47. 3.

5) *Konkurs* etc. p. 99. Cf. Levy, *die Konkurrenz* I p. 421.

6) Paulo utique l. 2 § 2 D. 27. 3 interpolatione remota (removit Levy).

7) L. 14 § 13 D. 4. 2.

8) L. 9 § 6 D. 4. 2. Discrepuerit hinc necesse est Labeo (l. 14 § 9 D. 4. 2) atque fortasse Papinianus (l. 22 § 1 D. 13. 7), quem negat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 165/8.

9) Cf. Savigny, *Verm. Schr.* IV p. 98 (adnot.); Merkel, *Konkurs* etc. p. 138/9, p. 80; Gradenwitz, *Ungültigkeit* etc. (1887) § 4; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 363; Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 168/70.

10) L. 14 § 3 (i. f.) D. 4. 2. Damnat locum Schulz, *Ztschr. der Sav.-St.* 43 (1922) p. 249/50.

Digitized by Google

denique figura earum actionum, quae rei 'persequendae causa comparatae sunt, cum sui similibus concursu continetur [1]). In talibus igitur regula comprobata est, ut, *quotiens concurr(a)nt plures actiones eiusdem rei nomine, una quis experiri debe(a)t* [2]), qua sententia licet cui videatur proprie significari, ne quis eiusdem rei nomine plures simul actiones instituat [3]), erit nihilominus verum, quod posuimus [4]): rei persequendae causa comparatas actiones, quae in eandem rem concurrant, et multo magis, quum etiam sint eiusdem nominis velut depositi vel commodati formulae in ius et in factum conceptae [5]), invicem consumere. Itaque *de colono responsum est, si aliquid ex fundo subtraxerit, teneri eum condictione et furti, quin etiam ex locato; et poena quidem furti non confunditur, illae autem interse miscentur* [6])*.... utraeque enim.... rei persecutionem continent* [7]). Eadem ratione *recepta re* tolluntur rei vindicatio et condictio furtiva actione furti salva [8]), nisi quis dixerit recepta per con-

1) Cf. Merkel, *Konkurs* etc. § 7.

2) L. 43 § 1 D. 50. 17. Cf. Helssig, *zur Konkurrenz* (1887) p. 38/9: „*dieser Satz..... muss auf sachverfolgende Klagen eingeschränkt werden*". Viderat Accursius.

3) Ita (cf. l. 76 § 8 D. 31) regulam interpretantur Glück IV p. 2, p. 22; Merkel, *Konkurs* etc. p. 61 („*in ihrer Bedeutung für die.... Kompilation*"), p. 113, a quibus dissentit Helssig, *zur Konkurrenz* not. 94 (p. 37). Hodie utique aliter observatur (Wetzell, *System* (1861) § 63 (p. 682); Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 135 ante notam 2).

4) Audiatur modo Paulus l. 51 § 1 D. 42. 1: *puto improbum esse eum, qui velit iterum consequi, quod accepit.*

5) Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 103[87] (II p. 508). Eam appellat Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 27: „*blosse Formelkonkurrenz*". Quo pertinere l. 18 § 1 D. 13. 6 (*aliae tollantur*) censet Segrè, *Studi per Fadda* VI p. 338[1], absurdum pronuntiat Biondi, Iud. bon. fid. I (1920) p. 237 lin. 5, non credendum („*schlechthin unmöglich*") Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 67 lin. 9. Cf. praeterea Helssig, op. cit. p. 11, p. 26, p. 40.

6) *Illae autem interse miscentur* suspectum est Sibero, *die Passivlegitimation* p. 193, p. 194 („*die Vorstellung (mutet) auch nicht eben klassisch an.... und (erinnert eher) an die Verschmelzungsneigung Justinians*").

7) L. 34 § 2 D. 44. 7. De plurali *utraeque.... continent* cf. Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 110.

8) L. 55 (54) § 3 D. 47. 2. Cf. l. 9 § 1 eod.; c. 5 C. 3. 41; c. 12, c. 13 C. 6. 2; § 19 (21) Inst. IV 1; Martens, *Ueber Concurrenz* p. 16/7; Merkel, *Konkurs* etc. p. 49/50. — Apud Paulum, Sent. II 31 § 34 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 419) *furti actio* intelligenda videtur (Cuiacio) furtiva condictio. A Visigothis utique fraudis suspicio abest, qui locum ne receperunt quidem.

Digitized by Google

dictionem [1]) re alia ratione tolli in rem actionem: quod neque vindicare possidens neque a non possidente vindicari potest [2]). Quodsi litis aestimationem abstulit, qui condixit, rursus videri potest vindicatio non propter mutuam actionum peremptionem, sed quasi genere quodam alienationis, quia litis aestimatio venditio est [3]), intercidisse [4]). De eo quidem dubitari non oportet, quin interciderit, etsi negat Tuhr [5]), aut in id tantum perseveret, ne perdat actor arbitrii commodum, quod consistit iureiurando in litem, quocirca debet ei permitti, ut restituat, quod ex condictione consecutus sit, et sic vindicet [6]). Quodsi furtum et poena cessat, *ob res amotas* quum sit vindicatio [7]) et *ex (in)iusta causa* [8]) condictio [9]), erit *in potestate* coniugis, *qua velit actione uti* [10]), non utraque. Ipsa quoque rerum amotarum actio, si praeterea competat [11]), quin contribuatur, dubitationem non recipit, quia *rei persecutionem continet* [12]); quin

---

1) Posse demonstrat (contra Siberum, *Passivlegitimation* p. 192 summa) Tryphoninus l. 55 § 1 (*nemo denique* rell.) D. 26. 7, quam quia damnant clausulam totam Betti, Solazzi, *Rendic. istit. Lomb.* 50 (1917) p. 181, ex parte Levy, *die Konk.* II (1) p. 250, 252, ergo cf. Gai. IV § 114.

2) Cf. Siber, *die Passivlegitimation* p. 139; Wrzeszinski, *die Konkurrenz*, Diss. Frib. 1902 p. 50.

3) Diximus cap. VI. Negat quidem Levy, *Ztschr. der Sav.-St.* 42 (1921) p. 488—492, in condictione furtiva regulae locum esse, et in eam rem laudat l. 70 D. 6. 1.

4) Quodsi, qui vindicavit, litis aestimationem abstulit, quia *(haec) alienatio non sponte (domini) fit* (l. 3 § 2 D. 27. 9), non tollitur condictio, aeci *domini facto* dominium recesserit (l. 10 § 2, l. 12 pr., § 1 D. 13. 1). Quod fefellit Siberum, op. cit. p. 141.

5) Actio de in rem verso (1895) p. 46 not. 55 (i. f.).

6) L. 9 § 1 D. 47. 2 (modo testimonium sit genuinum). Cf. Siber, op. cit. p. 143; Levy, *Ztschr.* cit. 42 p. 490; id., *die Konkurrenz* II (1) p. 92/3.

7) L. 24 D. 25. 2; c. 3 C. 5. 21.

8) L. 6 § 5, l. 25 D. 25. 2. Cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 53/4. Furtivam intelligunt Winscheid (1891) § 454[24]; Mayr, *die* condictio (1900) p. 311; Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 181[1], propterea quod (l. 25 cit.) *ipsas res* maritus *condicere* dicitur.

9) L. 17 § 2, l. 24, l. 25, l. 26 D. 25. 2. — L. 26 cit. *actio* circumduximus cap. XXIII.

10) L. 24 D. 25. 2.

11) Competet, *si divortii consilio res amotae fuerint et secutum divortium fuerit* (l. 25 D. 25. 2). Sana non videtur c. 2 C. 5. 21, sed medicina non suppeditat.

12) L. 21 § 5 D. 25. 2.

Digitized by Google

constat contribui eam, etiamsi personae varientur [1]): vel magis igitur inter easdem personas contribui eam oportet. Similiter legatae rei nomine contribuetur actio ex testamento et in rem, ubi utraque competit, quod potest contingere, si testator rem per damnationem [2]) ab uno herede nominatim, eandem per vindicationem ab omnibus heredibus eidem reliquerit; licet enim possit eadem res eidem eodem testamento utiliter bis legari, a diversis scilicet heredibus [3]), nec obsit concursus duarum causarum lucrativarum, si, ut proponitur, priore actione *litis aestimationem consecutus fuerit*, videtur tamen in hac specie, ubi oneratum rursus pro parte [4]) oneravit, testator *semel legatum ad* legatarium *pervenire volui(sse)* [5]). Quod multo magis dicendum erit, si a solo herede eandem rem eidem quum per damnationem tum per vindicationem legaverit [6]), *eum enim, qui pluribus speciebus iuris uteretur, non saepius.... legare, sed loqui saepius*, Papiniani in hoc ipso tractatu auctoritate declaratur [7]); videtur praeterea huic legatario, quum bis petat, obstatura *constitutio principis, qua placuit eidem saepe legatum corpus non onerare heredem* [8]). Quo commode potest referri textus Africani [9]): *cum homo Titio legatus esset*, utroque scilicet modo, *quaesitum est* [10]), *utrum arbitrium heredis es(se)t*

1) L. 17 § 3, l. 18 D. 25. 2. Cf. Levy, *die Konkurrenz* I p. 413/5 (condictionem intelligit furtivam).

2) Potest quidem ab uno herede per vindicationem legari, sed valebit legatum pro parte hereditaria (l. 81 § 4 D. 30). Ergo in proposita specie, ubi legatarius aufert solidum, erat legatum per damnationem. 3) L. 53 § 2 D. 30.

4) Tollere hoc studet Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 137[2], quasi supervacaneum.

5) L. 86 § 1 D. 30. Alterum legatum per vindicationem esse intelligendum, demonstrat quum verbum *vindicare* — etsi cf. l. 40 § 1, l, 32 D. 32; l. 8 D. 18. 3 et fortasse (Glück XLVI (Arndts) p. 233 not. 43) l. 39 § 2 D. 30 — tum lege gemina (l. 66 § 5 D. 31) verba *rei relictae.... dominium non quaerere*, id est, effectu non quaerere propter amissam vindicationem. Quod locum habet *ipso iure* (l. 86 § 1 cit.) propter vim arbitrii, quum opposita non sit exceptio (cf. l. 85 eod.).

6) Hoc esse indubitabile (*„unzweifelhaft"*) recte docet Glück XLVI (Arndts) p. 40/2.

7) L. 66 § 5 D. 31. Cf. Segrè, *Studi per Scialoja* I (1904) p. 249 ima.

8) L. 66 pr. D. 31.

9) L. 108 § 2 D. 30. Cf. Segrè, *Studi per Scial.* I p. 247[2].

10) Quia in legato damnationis (Cic. de Inv. II 40 § 116) *nihil es(t) dubitationis, quin heres qu(em) ipse rel(i)t d(e)t* (ibid. 41 § 120), ex diverso in dolego legato legatarii est optio: Ulp. XXIV § 14 (ad probabilem Lachmanni restitutionem).

Digitized by Google

[quae fuerat electa] *legatum petere* [1]). *Si(n) pluribus* per vindicationem [2]) *eadem res legata fuerit* [3]), nihil obstare videtur, quominus *alter* [4]) *vindicet alter ex testamento agat.* Sed is qui vindicat, quum alter quoque ad legatum venit, petere non potest nisi partem suam sive coniunctim sive disiunctim legatum est [5]), alter vero, qui ex testamento agit, an possit, quum disiunctim legatum sit, damnationis exemplo [6]) intendere solidum sibi deberi, dubitari potest, etsi negat Paulus: *non plus quam partem habebit is, qui ex testamento aget* [7]). Quod non cavit in eius persona, qui vindicabit, nec esse videtur causa cavendi, quocirca negotium facit eiusdem iurisconsulti auctoritas [8]): *duobus coniunctim fundus erat legatus* [9]); *alter ex his partis aestimationem per actionem personalem abstulit, alter, si fundum totum vindicare velit, exceptione doli* [pro parte dimidia] *repellitur, quia* etc. Recte miratur Eisele [10]), quid ita exceptione doli repellatur, qui videatur semissem dumtaxat petere posse, etiamsi collegatarius *per actionem personalem* petat [11]), quum sufficiat, quod ad legatum quomodocumque veniat [12]). Nisi quis dicat: non proprie ad legatum venire, qui *aestimationem* auferat, proinde collegatarium post huiusmodi factum, quum *non inveni(a)t....*, *qui sibi concurrat* [13]), *ubi non fit caducum* [14]), ipso quidem iure totum vindicare, sed exceptione

---

trarium (p. 7/8). Verum viderat Merkel, *Konkurs* etc. p. 132, et aliquatenus Helssig, *zur Konkurrenz* (1887) not. 192 (pag. 78). Credibile est falsam lectionem in exemplari suo Compilatores invenisse, sed supplementi ope ad suum sensum vel magis accommodasse.

1) Haec omnia Papiniano abiudicat Eisele, *Ztschr.* cit. XVIII p. 7/8, sed videntur ei conservari posse, quae non inclusimus.

2) *Per vindicationem* recte supplet Ascoli, *Archivio giur.* 40 p. 432.

3) Ad eam speciem pertinet Pauli l. 33 D. 30.

4) *Alter* in *duobus pluribusve* nullam habet offensionem (Gai. II § 205).

5) Gai. II § 199. 6) Gai. II § 205.

7) Quae deinde sequuntur, omnia interpolata esse pauci negant. Sed apparet etiam inter ea, quae praecedunt, recte inclusisse Paulum Krueger *si quidem coniunctim* (= Gai. II § 205), quia de coniunctis non modo facilis (Ferrini, *Teoria gener. dei legati* I (1889) p. 28 ima: „*più semplice*") quaestio est, sed nulla.

8) L. 85 D. 30. 9) Per vindicationem utique.

10) *Ztschr.* cit. XVIII p. 8/9.

11) Nam (quod dicere omisit Eisele) ideo tacetur de eo, qui vindicabit, l. 33 eod.

12) Gai. II § 199. 13) Vat. 77 (i. f.). 14) Vat. 84.

Digitized by Google

legatum heres ante aditam hereditatem occiderit, quoniam, priu. quam factus sit legatarii, interemptus est, cessat legis Aquilia actio: de dolo autem actio, quocumque tempore eum occideri cessat, quia ex testamento actio competit [1]). Ergo competit e testamento actio de servo post aditam hereditatem futuro lega tarii, id est, per vindicationem legato. Vix enim est, ut hae quoque pertineant ad id, quod utroque modo legatum sit. Ne quidquam obstat Gai praeceptum [2]): per vindicationem legatum *vindicar(i) debe(re)*, quia *verbis* debere *et* posse *promiscue utun tur auctores nostri* [3]), quamquam concedimus ultro Iuliani Africanique temporibus, nisi utroque modo legatum esset, potestatem, qua actione uti vellet, legatarii nondum fuisse. Quoniam igitur, quum sit potestas, legatarius heresve eius *constituere* debet, *qua actione uti vel(i)t* [4]), idcirco auctore Papiniano [5]) *variis actionibus* legatorum [6]) *simul* [7]) *legatarius uti non potest* partem vindicando partem ex testamento petendo [8]), *quia legatum* uni [9]) *datum in partes dividi non potest* [10]), *non enim* [ea mente] *datum est legatariis pluribus actionibus uti, sed* [ut latior eis agendi facultas sit] *ex (pluribus) una inte(g)r(u)m* [11])

1) Quidni igitur competit, si heres *rem legatam ignorans in funus consumpsit* (l. 63 D. 31)? Quia tunc nulla culpa versatur. 2) II § 194.

3) Cuiac., Observ. XIII 17. Exempla passim occurrunt.

4) L. 84 § 13 cit. (D. 30). 5) L. 76 § 8 D. 31.

6) Hoc vocabulum èt mihi suspectum est èt Segraeo, *Studi per Scial.* I p. 250[1]: *„ove si tratta di un solo legato, come è detto tosto dopo"*.

7) *„Zugleich"* vertit Eisele, *Ztschr.* cit. XVIII p. 7, et quaerit possitne deinceps? Sed videtur articulus *simul* potius abundare, ut apud Gaium I § 54, § 164, III § 11 (ia. 12), IV § 44.

8) Ita interpretatur Cuiacius (Paris. IV (Resp.) p. 296 C; VII p. 1307 C) habita ratione eorum quae sequuntur (*quia* etc.); ex diverso Eisele, *Ztschr.* cit. XVIII p. 8, eorum, quae sequuntur, fidem impugnat, quia haec non praecedunt et sine his ipsa stare non possunt.

9) Vocabulum *uni* intercidisse videtur. Alioquin *datum* redundaret (Eisele, *Ztschr.* cit. XVIII p. 8).

10) Eo scilicet modo, quo diximus. Haud magis potest partem repudiando (l. 4, l. 6, l. 23 D. 31) vel condicionem pro parte implendo (l. 23 D. 35. 1) vel alterna eligendo (l. 8 § 2 D. 30). Ex diverso inter heredes legatarii legatum scinditur, et potest, si nondum admissum est (cf. l. 81 § 6 D. 30) suam quisque heres partem repudiare (l. 38 pr. D. 30).

11) In Pandectis est *interim*, quod iungendum cum iis quae sequuntur (*quae fuerat electa*), ut intelligamus reditum ad alteram actionem non intercludi, quod perperam docet Eisele, *Ztschr.* cit. XVIII, hic non praecipi (p. 7) vel eius con-

Digitized by Google

[quae fuerat electa] *legatum petere* [1]). *Si(n) pluribus* per vindicationem [2]) *eadem res legata fuerit* [3]), nihil obstare videtur, quominus *alter* [4]) *vindicet alter ex testamento agat.* Sed is qui vindicat, quum alter quoque ad legatum venit, petere non potest nisi partem suam sive coniunctim sive disiunctim legatum est [5]), alter vero, qui ex testamento agit, an possit, quum disiunctim legatum sit, damnationis exemplo [6]) intendere solidum sibi deberi, dubitari potest, etsi negat Paulus: *non plus quam partem habebit is, qui ex testamento aget* [7]). Quod non cavit in eius persona, qui vindicabit, nec esse videtur causa cavendi, quocirca negotium facit eiusdem iurisconsulti auctoritas [8]): *duobus coniunctim fundus erat legatus* [9]); *alter ex his partis aestimationem per actionem personalem abstulit, alter, si fundum totum vindicare velit, exceptione doli* [pro parte dimidia] *repellitur, quia* etc. Recte miratur Eisele [10]), quid ita exceptione doli repellatur, qui videatur semissem dumtaxat petere posse, etiamsi collegatarius *per actionem personalem* petat [11]), quum sufficiat, quod ad legatum quomodocumque veniat [12]). Nisi quis dicat: non proprie ad legatum venire, qui *aestimationem* auferat, proinde collegatarium post huiusmodi factum, quum *non inveni(a)t....., qui sibi concurrat* [13]), *ubi non fit caducum* [14]), ipso quidem iure totum vindicare, sed exceptione

---

trarium (p. 7/8). Verum viderat Merkel, *Konkurs* etc. p. 132, et aliquatenus Helssig, *zur Konkurrenz* (1887) not. 192 (pag. 78). Credibile est falsam lectionem in exemplari suo Compilatores invenisse, sed supplementi ope ad suum sensum vel magis accommodasse.

1) Haec omnia Papiniano abiudicat Eisele, *Ztschr.* cit. XVIII p. 7/8, sed videntur ei conservari posse, quae non inclusimus.

2) *Per vindicationem* recte supplet Ascoli, *Archivio giur.* 40 p. 432.

3) Ad eam speciem pertinet Pauli l. 33 D. 30.

4) *Alter* in *duobus pluribusve* nullam habet offensionem (Gai. II § 205).

5) Gai. II § 199. 6) Gai. II § 205.

7) Quae deinde sequuntur, omnia interpolata esse pauci negant. Sed apparet etiam inter ea, quae praecedunt, recte inclusisse Paulum Krueger *si quidem coniunctim* (= Gai. II § 205), quia de coniunctis non modo facilis (Ferrini, *Teoria gener. dei legati* I (1889) p. 28 ima: *„più semplice"*) quaestio est, sed nulla.

8) L. 85 D. 30. 9) Per vindicationem utique.

10) *Ztschr.* cit. XVIII p. 8/9.

11) Nam (quod dicere omisit Eisele) ideo tacetur de eo, qui vindicabit, l. 33 eod.

12) Gai. II § 199. 13) Vat. 77 (i. f.). 14) Vat. 84.

Digitized by Google

repelli, *quia defunctus semel ad eos legatum pervenire voluit* [1]). Cui videtur consequens esse, nihil referre, utrum quis vindicando an ex testamento agendo aestimationem auferat, proinde verba *per actionem personalem* Paulo abiudicanda [2]). Quae si ita se habent, nihil ad propositam de concursu rei vindicationis et legatorum actionis quaestionem textus pertinet; haud magis Gordiani notum rescriptum [3]), quod alioquin suas habet difficultates, sed non demonstrat ex uno eodemque legato quum in rem tum in personam agi posse [4]); fallere denique Severi constitutionem [5]) propter fraudem quandam Triboniani, suspicio est Segraei [6]), quam refutare non possum. Ulterius negat Helssig [7]), licet per vindicationem legatum quum in rem actionem tum ex testamento pariat, verum esse concursum [8]), ideo, quia legatarius, *antequam constitu(a)t, qua actione uti vel(i)t*, neutram habet [9]), post constitutum alteram utram, non utramque, quae sententia mihi non inarguta videtur, ut est totus illius libellus argutissimus, sed hebetibus, ut mihi, passim crux. De eo quidem dubitari non oportet, quin verus non sit concursus, si quis debitoris sui fidei commiserit, etsi posse scribit Scaevola [10]) hunc debitorem *et ex stipulatu ab heredibus.... et (ex) fideicommisso ab his quorum interest.... conveniri.* Nam, quoniam voluntatem agnoscendo debitor fideicommissario teneri incipit, simul adversus heredem exceptionem nanciscitur [11]), apparet actionem potius transire quam duplicari, quod similiter est respondendum Rudolpho Jhering docenti [12]): quum donator pactum pro extraneo interposuerit et hic a donatario

1) Redit par clausula l. 86 § 1 eod. et videtur utrubique interpolata Segraeo, *Studi per Scial.* I p. 249[1].

2) Abiudicabat Lenel, Palingen. I p. 1165[6], nunc etiam Segrè, *Studi* cit. I p. 248[2].

3) c. 4 C. 6. 47 (*sive in rem sive in personam agatur*).

4) Eadem causa est l. 38 D. 5. 1, interpolationis quaestione quantumvis remota.

5) c. 3 C. 6. 37 (*si in personam actio electa est*).

6) *Studi per Scial.* I p. 251/2. Cf. Ascoli, *Archivio* cit. 40 p. 348/9, 349/50.

7) *Zur Konkurrenz* (1887) not. 105 (p. 41/2).

8) De iure Iustiniano aliter sentit.

9) L. 84 § 13 D. 30.

10) L. 37 § 3 D. 32.

11) L. 45 pr. D. 40. 5; l. 77 D. 30.

12) *Jahrb. f. d. Dogm.* XXIV (1886) p. 143/4.

Digitized by Google

stipulatus sit, huius ex stipulatu actionem cum donatoris condictione concurrere [1]). Ex diverso principalis actio et ex testamento, ubi utiliter creditori legatum est, non tantum, ut supra (52, 273) dictum est, concurrunt, sed etiam invicem consumunt [2]). Quia autem, ut supra (p. 27) demonstratum est, lex Aquilia in hac iuris parte comparatis rei persequendae causa actionibus connumeratur, ideo contribuitur ipsa cum ex contractu actionibus, veluti, *si tibi commodavero vestimenta et tu ea ruperis* [3]). Erit idem in ceteris contractibus [4]) et in rei vindicatione [5]), nam in hereditatis petitionem, *si ante aditam hereditatem occisus sit servus* [6]), eadem ratione venit Aquilia [7]), qua veniunt ceterae hereditariae actiones *omnes* [8]), licet poenales sint [9]). Concurrit etiam secum legis Aquiliae actio et per alteram Aquiliam altera minuitur, quum servum quis vulneraverit et *ex eo vulnere* mox servus mortuus sit [10]). Longe magis interdictum *quod vi aut clam* actione legis Aquiliae vacuabitur [11]), *si(ve) quis alia actione fuerit consecutus id, quod interfuit opus non esse factum* [12]), nec illic additum oportuit: *si satis prima condemnatione* [13]) *gravaverit reum*, quia omnino plus est in lege Aquilia quam in interdicto, certe numquam minus. Hoc amplius, *si tecum*

---

1) Cf. c. 3 C. 8. 54 (55) = Vat. 286. Similiter, quum doceat (*Jahrb.* cit. XXIV p. 144) eo iure, quo hodie utimur, eum, cui cum debitore convenerit, ut locum eius subeat, post adsensum creditoris èt a creditore conveniri posse ut solvat èt a debitore, ut se liberet, potest tunc ita ius fuisse, sed nova Germanorum lege (*B. G.-B.* § 415. 3) perstat actio debitoris, donec („*solange nicht*") creditori actio quaeratur. (Aliter ad utramque speciem respondet Binder, *Korrealobligationen* p. 474/7).

2) L. 84 § 2 D. 30. Nihil ad rem facit, quod ibi principalis quoque actio est ex testamento.

3) L. 34 § 2 D. 44. 7.

4) Locos indicavimus supra (p. 27 not. 5).

5) L. 13, l. 14 D. 6. 1.

6) L. 36 § 2 D. 5. 3.

7) L. 20 § 4 D. 5. 3.

8) L. 20 § 4 D. 5. 3; l. 7 § 5 (i. f.) D. 44. 2.

9) L. 13 § 1 (io. pr.) D. 11. 3.

10) L. 46, l. 47 D. 9. 2. Dissentit Merkel, *Konkurs* etc. p. 68.

11) L. 11 D. 47. 7.

12) L. 15 § 12 D. 43. 24 (Merkel, *Konkurs* etc. p. 91). Eam totam damnat Albertarius apud Ernestum, *die Konkurrenz* II (1) p. 82[3], hic (ibid. ante notam 3): *alia actione*.

13) Emendat Mommsen; *condemnatio*. Interpolatorem detexit Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 394. Cf. Alibrandi, *del concorso* etc. § 63.

Digitized by Google

societas mihi sit et res ex societate communes, quam impensam in eas fecero,... vel pro socio vel communi dividundo me consecuturum et altera actione alteram tolli recte [1]) *Proculus ait* [2]), adicit autem Africanus [3]) *cum eo scilicet, ut, quum alterutra actione rem servaverim, altera perimatur.* Perinde erit, si post *actionem mandati, negotiorum gestorum, societatis ceterasque similes.... ex iisdem causis* certum [4]) *condicatur* [5]), *quia per alteram actionem altera quoque consumitur* [6]). Concurrit autem condictio cum mandati, negotiorum, societatis ceterisque similibus actionibus et per alteram altera consumitur [7]), iure quidem Iustiniano *ex omni causa,... ex qua certum petitur* [8]), verum iure genuino, sive quis in contractu rem subripuerit [9]), sive quo alio modo in contractum inciderit causa condictionis, veluti, quod quis pretio accepto arrham non reddat [10]), quum iam sit apud eum sine causa pignus, vel, quod acceperit pecuniam, ut reddat rem, quam ex contractu reddere debuerit [11]), accepit enim turpiter, vel, quod dederit pecuniam quasi re deperdita [12]), nam, si extat res, sine causa dedit. Eadem ratione, ubi concurrit praescriptis verbis actio cum mandati vel commodati vel venditi actionibus, debet *vel mandati* quis *vel praescriptis verbis experiri* [13]), dabitur *actio praescriptis verbis vel ex ven-*

1) Si modo nihil praeterea in iudicium veniet.

2) L. 38 1 D. 17. 2. Cf. Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 142.

3) L. 35 § 1 D. 19. 2. Cf. Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 144/5.

4) Diximus supra, id est, cap. XXIV.

5) Quae hactenus exscripsi, ea videntur interpolata Fridolino, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 353[28]; Ernesto, *die Konkurrenz* I (1918) p. 102/6.

6) L. 28 § 4 D. 12. 2 (cf. l. 5 D. 44. 2, quam purgare conatus sum cap. harum observat. II).

7) L. 47 pr. D. 17. 2; l. 34 § 1, § 2 D. 44. 7; c. 1 C. 6. 2.

8) L. 9 pr. — § 3 D. 12. 1. Auctori suo haec reddidimus cap. harum observ. XIX.

9) L. 16 D. 13. 1; l. 13 § 1 D. 16. 3 (quam emendare conati sumus cap. harum observ. LX); l. 47 pr. (ia. l. 45) D. 17. 2; l. 34 § 1, § 2 D. 44. 7; c. 1 C. 6. 2.

10) L. 11 § 6 D. 19. 1. Damnat clausulam (*ego* rell.) Levy, *Ztschr. der Sav.-St.* 42 (1921) p. 503 not. 6 (p. 504), cui praeivit Partsch, *GGA* 173 (1911) p. 723/4, quem praevertit Antonius Faber.

11) L. 9 § 1 (io. pr.) D. 12. 5; l. 5 D. 27. 3.

12) L. 2 D. 12. 7. Clausulam (*nisi forte* rell.) qui damnat (*Ztschr.* cit. 42 p. 503 not. 6) Levy, is tamen Cassio condictionem cum conducti actione concurrentem abiudicare non audet.

13) Cels. l. 13 § 1 D. 13. 6.

Digitized by Google

dito [1]), non utraque, neque id mirum, sed actionem subsidiariam, quae detur *cessantibus iudiciis proditis et vulgaribus actionibus* [2]), posse visam concurrere [3]). Similiter, quum testamento vendere damnatus vendiderit, *de reliquis.... vel ex empto vel ex testamento agi cum eo poterit* [4]). Eodem exemplo consumunt interse actio principalis et constitutoria [5]), nec minus sortis actio et poenae, quae quidem in stipulatum venerit [6]), nisi *id actum proba(bi)tur, ut... et (sors) et (poena) debeatur* [7]). Ita tamen hoc, quod de mutua peremptione sortis actionis et poenae diximus, obtinebit, quatenus placeat sortis actionem ipsa poenae stipulatione non perimi; alioquin concursus ne erit quidem [8]). Ex diverso sortis actio et hypothecaria, licet concurrant, non tamen interse consumunt [9]), quia hypothecaria non proprie rem persequitur, sed *nudam*, id est, temporariam [10]) *possessionem avocat* [11]). Aestimata quidem lite [12]) ex accidenti extinguet hypothecaria sortis actionem [13]), sortis actio omnino hypothecariam, quia re principali sublata accessio superesse non potest [14]). Quid igitur, si accessio esse desiit hypotheca?

---

1) Alex. c. 2 C. 4. 54. Delet quidem *praescriptis verbis vel* Girard, *Manuel* (1924) p. 763[1]. Sed cf. Ulp. l. 50 D. 18. 1.

2) Papin. l. pr. D. 19. 5. Cf. l. 2, l. 3 eod.; Salpius, *Novation* p. 223.

3) Rem explicare conatus est Cuiacius ad l. 50 D. 18. 1 (Paris. VII p. 753 C).

4) L. 5 pr. D. 19. 1. 5) L. 18 § 3 D. 13. 5.

6) L. 28 D. 19. 1 (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 129); l. 42 (non etiam l. 41) D. 17. 2; l. 4 § 7 D. 44. 4 (quam supra (52, 273) purgavimus). Eadem ratione, qui exceptione utitur, actionem poenae promissae inutilem sibi reddit et versa quoque vice: l. 10 § 1 D. 2. 14; l. 12 § 2 D. 23. 4; c. 40 C. 2. 4 (= c. 2 C. Th. 2. 9), quibuscum cf. l. 17, l. 18 D. 21. 2 (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 125/6).

7) Ratam esse legem demonstrat Papinianus l. 115 § 2 D. 45. 1. Rata similiter lex est, ut èt poenam quis petat vel data repetat (c. 17 C. 2. 4) èt exceptione nihilominus utatur: l. 16 D. 2. 15; cf. l. 122 § 6 D. 45. 1. Quod genus in Graecorum contractibus est frequentissimum velut inscr. Delph. inv. 926 + 1021 (Klio XVI p. 170) lin. 38/9 (*καὶ οὕτως ἅ τε ὁροθεσία κυρία ἔστω.... καὶ ἃ χώρα* i. e., *ἡ κτῆσις*, ut Inscr. Chia *BCH* XXXVII p. 211, A lin. 55) quosque laudat papyros Berger, *Strafklauseln* (1911) p. 47—50. 8) Dictum supra (52, 272/3).

9) c. 10 C. 4. 10. Cf. c. 14 eod. 10) Diximus cap. LXX.

11) L. 66 pr. D. 21. 2. Cf. Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 103[86] (II p. 507); Merkel, *Konkurs* etc. p. 124, p. 89.

12) Tanti, quantum deberetur, vel pluris. 13) L. 8 § 19 D. 20. 6.

14) Cf. Helssig, *zur Konkurrenz* p. 76. — Expectabitur utique solutio: l. 13 § 4 D. 20. 1 (Merkel, *Konkurs* etc p. 13).

Digitized by Google

Quod potest contingere, sive nomen sine pignore sive pignus sine nomine creditor ad alium transtulerit [1]). Adhuc extinguet sortis actio hypothecariam, quia semel debetur, proinde una solutio ad utramque causam sufficit, quod eventurum esse, ubicumque concurrentium actionum altera utra sola translata sit, recte docere videtur Merkel [2]). Sicut autem, ubi novatio vel quasi novatio [3]) locum habet, concursus cessat, ita cessante novatione incipiet ex causa [4]) esse concursus, veluti, quum pupillus creditor sine tutore rem in stipulationem deduxerit nec pubes factus ratam habeat. Ergo debet altera utra actione contentus esse [5]), ubi valet utraque [6]). Idem dicendum videtur, si servus creditoris iniussu domini [7]), iure denique novo ipse creditor, quum *non novandi animo hoc interveni(re)t* [8]), in stipulatum rem deduxerit [9]). Non refert sitne ex contractu an ex delicto rei persecutio, quamobrem consumunt interse condictio furtiva et rei vindicatio [10]), rei vindicatio et metus causa actio [11]), metus causa actio et doli [12]), in rem actio et *in factum* [13]) adversus eum, *qui possider(i)* ex decreto *passus non (s)it* [14]), interdictum *quod vi aut clam* et legis Aquiliae actio [15]). Eadem prima fronte esse videtur causa *unde vi* interdicti et rei vindicationis [16]), non tamen est [17]), quia interdictum, quemad-

---

1) Fieri posse docui cap. CII. 2) *Konkurs* etc. p. 121.

3) L. 44 § 6 D. 44. 7. Ibi quidem veram esse novationem, contendit Marchi, *Bull. dell' ist di dir. rom.* XXI (1909) p. 86—92.

4) Non fieri semper cavimus supra (52, 274: ad l. 28 D. 46. 2).

5) L. 9 pr. D. 46. 2. Cf. superior observ. XLIII.

6) Hoc adiecimus propter l. 18 D. 45. 1. 7) L. 16 D. 46. 2.

8) Cf. Tribon. l. 8 § 5 D. 46. 2 (Eisele, *Archiv* etc. 77 p. 462).

9) Helssig, *zur Konkurrenz* (1887) p. 14/8.

10) L. 55 (54) § 3 D. 47. 2; cf. l. 9 § 1 eod.; c. 5 C. 3. 41; c. 12 C. 6. 2; § 19 (21) Inst. IV 1; Martens, *Ueber Concurrenz* p. 16/7; Merkel, *Konkurs* etc. p. 49/50. 11) L. 9 § 6 D. 4. 2. 12) L. 14 § 13 D. 4. 2.

13) Nomen sexies occurrit (*Ztschr. der Sav.-St.* XIX (1898) p. 309 not. 1). Sitne genuinum valde dubitat Erman, *Ztschr.* cit. XXIII (1902) p. 448 ima.

14) L. 18 § 15 D. 39. 2 (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 176/8).

15) Cf. supra (p. 47).

16) Cf. l. 18 § 15 cit. (D. 39. 2). *Publicianam* ibi significari eius, qui rem in bonis habeat, manifestum est.

17) Esse putat Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 163; esse putabat Helssig, *zur Konkurrenz* p. 12[27]. Melior sententia sedit Ioanni Merkel, *Konkurs* etc. p. 102 (cf. ibid. p. 89).

Digitized by Google

modum de hypothecaria diximus (p. 49), non proprie rem persequitur [1]), sed *nudam.... possessionem avocat* [2]). Alia [3]) ratione post restitutionem ex interdicto perinde ut ex causa condictionis [4]) rei vindicatio tollitur, quia scilicet iure Romano neque possidenti neque adversus non possidentem talis actio datur [5]); similiter post vindicationem perlatam interdictum, quod eo pertinet, ut quis *interim* possideat [6]). Et haec quidem, ubi dominus est, cui competit interdictum; sin minus post restitutionem ex interdicto adversario supererit in rem actio, quia de proprietate non fuit quaesitum; quodsi dominus prius egerit [7]), post rei vindicationem perlatam rursus interdictum cessabit [8]) praedicta ratione. Ergo valde est mirifica sententia hypomnematographi [9]) sub Hadriano, qua post adiudicatam alteri litigatori proprietatem (ἐκ τῶν ὠνῶν καὶ ἐκ τῆς τῶν ἀρχιτεκτόνων προσφωνήσεως καὶ ἐκ τῆς αὐτοψίας, ἣν ἐγὼ ἐπεῖδον, ἡ οἰκία τῇ Πτολέμᾳ προσήκει) dicere pergit de possessione se nihil decreturum propterea, quod decreverint Traianus et Hadrianus (περὶ γὰρ τῆς νομῆς οὐδὲν ζητεῖν δεόμεθα (= debemus) προσκυνεῖν ὀφείλοντες τὰς ἀναγνωσθείσας τοῦ θεοῦ Τραϊανοῦ καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἀδριανοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ ἀποφάσεις). Sed nihilominus mirifica [10]) est ipsius Hadriani ἀπόφασις [11]): idcirco se adversus

1) Alio modo interdicto *rei persecutio continer(i)* negatur l. 3 § 1 D. 43. 16; l. 35 pr. D. 44. 7. Cf. Savigny, *System* V § 210 (p. 43/4).

2) Cf. l. 14 § 3 D. 44. 2 (.... *in interdicto possessio in actione proprietas vertitur*).

3) Diversam esse vidit Helssig, op. cit. not. 27 (p. 13). Aliquoties haec confundit Siber, *die Passivleg.* p. 139 (lin. 3/7), p. 163 (lin. 2/4, 17/9). Cf. denique Wrzeszinski, *die Konkurrenz*, Diss. Frib. 1902, § 23. 2. 4) Diximus supra (p. 40/1).

5) Quodsi lis aestimabitur, manebit rei vindicatio, est enim ex causa interdicti tanti aestimandum, *quanti intersit* interim *possidere* (l. 6 D. 43. 16; cf. l. 1 § 41 eod.; l. 21 § 2 D. 4. 2; l. 3 § 11 D. 43. 17). Disputant contra Helssig, op. cit. not. 27 (p. 12); Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 164/9.

6) Ergo proprietatis *pendente iudicio* potest quis transire ad interdictum (l. 18 § 1 D. 43. 16; cf. l. 12 § 1 D. 41. 2). Quae sententia vera erit, etiamsi verba *pendente iudicio* Papinianus numquam scripserit.

7) Cum a se deiecto et possessionem nacto.

8) Adstipulatur Glanvilla IV c. 11.

9) Pap. Tebt. 286 (Chrestom. II 83). Laudabo deinceps lin. 18—21, 21—24, 5—7, 7—8.

10) Mitteis, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 386: *„merkwürdig"*.

11) Cf. Wilcken, Herm. 55 (1920) p. 32 not 1 (p. 33). Laudatur ex actis Iuncini apud Theonem.

Digitized by Google

Philoteram [1]) interdictum denegare, quod sit persuasum sibi, eam κρατίστην οὖσαν καὶ ἐπὶ τῷ ἀρίστῳ ἐμοὶ γνωρίμην οὐδέν σε (i. e., actorem) ἀδικήσειν (i. e., laesuram fuisse) καὶ μάλιστα εἰδυῖαν, ὅτι νομὴ ἄδικος οὐδὲν ἰσχύει. Etsi fortasse ideo sic Hadrianus constituerat, quod in aliena lite [2]) Philoterae controversiam moveret actor περὶ τῶν οὐ ζητουμένων ἐνοχλεῖν (οἱ) θέλ(ων).

1) Philoteram esse puto matrem Ptolemaeae.

2) Lin. 3: πρὸς Κλαύδιον Ἀντωνῖνον. Videtur hic Antoninus pendente iudicio mortuus atque propterea sententia data esse (lin. 12) (κατὰ) τοῦ Ἀντωνίνου τοῦ κληρονόμου, id est, adversus Antonini, non, quemadmodum credit cum Ludovico Mitteis (Chrestom.) Bortolucci, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* XX p. 79, Antoninum heredem. Cui deinde facit testatricem Philoteram quasi adversus hanc lite coepta.

(Continuabitur).

Corrigenda.

Cognovisse nos piget, menda nonnulla typographica postumum Hartmani nostri carmen, quod in Vol. LII huius Bibliothecae expressum est, dedecere, quae uti in tuo exemplari tollere velis a te, lector benevole, quaesumus. Est autem unum in nostro alloquio, ubi in lin. 2 pro *relictum* reponas *relicta*, deinde in carmine ipso haec corrigantur vitia:

P. 339 vs. 10: defendit. L. defendet.
P. 340 vs. 9 infra: Orbilio. L. Orbiculo.
P. 341 vs. 4: Invictoque. L. Indictoque.
P. 347 vs. 4 a calce paginae: Quae. L. Quam.

Digitized by Google

QUI FUERIT BASILII MAGNI DE MUNDI PROCREATIONE ORATIONUM ORDO.

SCRIPSIT

J. H. VAN HAERINGEN.

Ambrosius Mediolanensis episcopus in opere, quod 'Exameron' inscribitur continetque explanationes primi πενταπεύχους capitis, multis locis Basilium Magnum, qui Graece eadem tractaverat, eo usque imitatur, ut totae sententiae atque etiam maiores partes ipsa Basilii verba in Latinum sermonem versa referant.

Ut Basilii sic Ambrosi opus compositum est e novem orationibus in coetu fidelium habitis. Praeterea viri docti ex certis, quae ipsum opus praebet, indiciis statuerunt novem eas orationes ab Ambrosio sex diebus iisque continuis ita habitas esse, ut diebus primo tertio quinto semel, diebus secundo quarto sexto bis contionatus sit. Nemo mirabitur isdem viris in suspicionem venisse, ut tot et tanta alia, sic ordinem quoquo sive orationum sive dierum ex imitatione exempli extitisse. Itaque necessario prius quaesitum est qui ordo apud Basilium fuisset.

In qua causa primus audiatur Garnier, cuius verba in prooemio Basilii operum (anno 1721 editorum) haec sunt: 'Constat Basilium bis die concionatum fuisse, matutinis horis atque vespertinis'. Nec plura. Sed quoniam orationes novem sunt numero, necesse est una restet. Garnier autem neque quae sit ea quae restet dicit neque utrum inter dies intervallum fuerit an alius alium continuo ordine exceperit explicat.

C. Schenkl in praefatione, quam Ambrosi editioni (Corpori Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum insertae) adiecit, p. 1 dicit haec: 'Basilii sermones item sex deinceps diebus habiti

Digitized by Google

sunt et quidem die primo quinto sexto bini I II VI VII VIII VIIII unus ante alter post meridiem, die secundo tertio quarto singuli, ut videtur tempore antemeridiano'.

Cui assentitur Bardenhewer [1]) (Geschichte der altkirchlichen Literatur III p. 148): 'Die Homilien 1—2 sind an einem Tage morgens und abends gesprochen worden (Hom. 2, 1 u. 8); ebenso die Homilien 8—9 (Hom. 8, 8; 9, 1) und wahrscheinlich auch die Homilien 6—7 (vgl. Hom. 8, 2). Ferner ist Homilie 3 auf den nächsten Tag nach Homilie 1—2 und Homilie 8 auf den nächsten Tag nach Homilie 7 gefallen (Hom. 3, 1 u. 2; 8, 2). Es mag also mit C. Schenkl (S. Ambrosii opp. I Vindob. 1897 Praef. 1) anzunehmen sein, dass der Vortrag sich über sechs aufeinander folgende Tage erstreckte und dass am ersten, fünften und sechsten Tage je zweimal, am zweiten, dritten und vierten Tage je einmal, vermutlich morgens gepredigt wurde'. — Neque tamen Bardenhewer rem tam exploratam habet, ut contrariam sententiam silentio praeterire audeat. Addit enim haec: 'Anders Allard St. Basile 156: Basile prêcha deux fois par jour, le matin et le soir, sauf un jour où il ne prêcha qu'une fois'. Videmus Allardum (cuius opus indoctis scriptum est) se cum Garniero consociare.

Itaque cum viri docti in duas quasi partes discederent, de integro quaestionem tractandam putavi. Nonnullos inveni locos qui nova argumenta praebent. Quos hic una cum ceteris iam a Bardenhewero adhibitis profero, ut omnia quae ad ordinem orationum et dierum pertineant in uno conspectu ponantur.

Initio orationis II legitur [2]): '*μικροῖς ἔωθεν ἐνδιατρίψαντες ῥήμασι τοσοῦτον ἀποκεκρυμμένον τὸ βάθος τῆς διανοίας εὕρομεν, ὥστε τοῦ ἐφεξῆς παντελῶς ἀπογνῶναι*'. Quod Latine vertam: 'Mane in paucis explicandis verbis immorati tantam tamque reconditam sententiarum altitudinem invenimus, ut de iis quae sequuntur omnino desperemus'. Pauca autem verba dicit prima libri Geneseos verba, quae prima oratione explanaverat. Mane igitur prima oratio habita erat. Hanc autem secundam vesperi esse dictam docet ipsius finis: '*ἀλλὰ γὰρ οἱ περὶ τῆς ἑσπέρας*

1) Qui non magis quam Schenkl Garnieri sententiam commemorat.
2) Usus sum editione Garnieri (1721).

Digitized by Google

ἐκεινῆς λόγοι ὑπὸ τῆς παρούσης ἑσπέρας καταληφθέντες, ἐνταῦθα ἡμῖν τὸν λόγον ὁρίζουσιν'. Dicit se de prima mundi vespera amplius acturum fuisse, nisi praesens vespera verbis finem imponeret.

Orationis III attendas quaeso verba 'ἀλλ' ὅτι τὰ ἐν αὐτῇ (primo divini opificii die) γενόμενα χθὲς ἐπελθὼν ὁ λόγος καὶ διελὼν τὴν ἐξήγησιν τοῖς ἀκροωμένοις, τὴν μὲν ἑωθινὴν τροφὴν τῶν ψυχῶν τὴν δ' ἑσπερινὴν εὐφροσύνην ποιησάμενος, νῦν ἐπὶ τὰ τῆς δευτέρας θαύματα μεταβαίνει. Id est: 'Cum heri ea quae primo die facta sunt oratio enarraverit et digesserit ad usum eorum qui audiebant, praebens et matutina animis alimenta et vespertina gaudia, iam ad secundi diei miracula transit (sc. oratio)'. Haec indicant Basilium tertiam orationem postridie habuisse. Eandem mane esse habitam apparet e duobus locis, quibus episcopus eos qui audiunt, imprimis opifices, adhortatur ut, negotiis medio tempore expeditis, ad vespertinum coetum redeant. Altero loco haec dicit 'ἀλλὰ γὰρ οὐ λέληθέ με ὅτι πολλοὶ τεχνῖται τῶν βαναύσων τέχνων ἀγαπητῶς ἐκ τῆς ἐφ' ἡμέραν ἐργασίας τὴν τροφὴν ἑκυτοῖς συμπορίζοντες, περιεστήκασιν ἡμᾶς, οἳ τὸν λόγον ἡμῖν συντέμνουσιν, ἵνα μὴ ἐπὶ πολὺ τῆς ἐργασίας ἀφελκῶνται'. Altero autem (sub finem orationis) ad vespertinum convivium invitat his verbis: '....τοῖς δὲ περὶ τοῦ βίου ἀσχολουμένοις δοῦναι σχολὴν διὰ τοῦ μέσου χρόνου τὰς φροντίδας διαθεμένοις καθαρᾷ μεριμνῶν τῇ ψυχῇ πρὸς τὴν ἑσπερινὴν τῶν λόγων ἑστίασιν ἀπαντῆσαι'. Unde simul efficitur ut oratio IV eodem die atque III horis vespertinis habita sit.

In oratione V nihil invenitur ex quo colligere liceat, cui diei vel cui tempori diei attribuenda sit.

Orationes VI et VII uno die habitae sunt. Septimam vesperi dictam esse apparet e fine orationis: ἐνταῦθα τὸν λόγον ὁρμίσαντες μείνωμεν τὴν ἡμέραν πρὸς τὴν τῶν λειπομένων ἀπόδοσιν'. Sextam autem mane antecessisse significant verba quae paulo infra leguntur: 'γένοιτο δ' ὑμῖν καὶ ἔν τῇ μεταλήψει τῆς τροφῆς ἐπιτραπέζια διηγήματα, ὅσα τε ἔωθεν ὑμῖν, καὶ ὅσα κατὰ τὴν ἑσπέραν ἐπῆλθεν ὁ λόγος'.

Oratio VIII secuta est postridie atque ea mane: 'εἴπαμεν τὰ περὶ τῶν νηκτῶν (de animalibus natantibus, quorum procreationem oratione VII enarraverat) ὅσα ὁ καιρὸς ἐνεδίδου

Digitized by Google

ἑσπέρας, σήμερον μετέβημεν ἐπὶ τὴν τῶν χερσαίων ἐξέτασιν'.

Eodem die vesperi Basilius totam seriem orationem IX conclusit. Etenim prooemii verba 'Πῶς ὑμῖν ἡ ἐωθινὴ τῶν λόγων τράπεζα κατεφάνη'; orationis VIII memoriam renovant.

Iam tempus est res disperse a me dictas summatim exponere. Basilius igitur orationes habuit

uno die I et II
postridie III et IV
alio die V
uno die VI et VII
postridie VIII et IX.

Is dies, quo oratio V dicta est, utrum aliquo intervallo a ceteris disiunctus an continua serie sive cum prioribus sive cum posterioribus sive cum utrisque coniunctus fuerit, diiudicare non possumus.

Ut facile res comparare liceat, Ambrosianarum orationum ordinem adscribo. Ambrosius orationes dixit

primo die I
secundo II et III
tertio IV
quarto V et VI
quinto VII
sexto VIII et IX.

Satis perspicuum est iniuria Schenklium et Bardenhewerum existimare *utrumque* episcopum sex dies ad has orationes habendas sumpsisse. Simul quaestionem de Basilii orationum ordine, aut nimis breviter aut vitiose adhuc tractatam, quoad fieri posset solutam esse puto.

Digitized by Google

DE MERCATORE PLAUTINA.

SCRIPSIT

P. J. ENK.

I.

Mercator Plautina, quamquam inter optimas festivissimi illius poetae fabulas numerari non solet, tamen magnis digna est laudibus. Etiam Gilbertus Norwood, qui nuper pulcherrimum scripsit librum, cui titulus est 'The Art of Terence', quamvis parvi Plautum faciat, hanc unam comoediam, Mercatorem, magnopere admiratur. 'One comedy — haec ipsius Norwoodii verba sunt — shines forth wonderfully in the wilderness of bad construction, cheap characterisation, and at times miraculously stupid dialogue. That exception is the Mercator, a really sparkling farce'. Equidem prorsus non assentior philologo Britanno sic de Plauto meo iudicanti, sed magnopere gaudeo eum Mercatorem saltem fabulam suo pretio aestimasse.

Intelligere tamen mihi videor, quam ob causam Norwoodio Mercator tantopere placeat, ceterae Plautinae fere omnes sordeant. Plautus, cum Mercatorem componeret, fabulam Graecam verbum de verbo expressam, ut cum Terentio loquar, Latine vertit; universi argumenti tenorem vix unquam licentius mutavit; colorem Romanum fere nusquam, ut in aliis fabulis, obduxit. Mercatorem cum legimus, ipsius Philemonis Ἔμπορον in manibus habere nobis videmur. Norwoodius igitur, ut artis Atticae fervidus est admirator, ingenii tamen Plautini spretor, Mercatoris Atticam elegantiam summis effert laudibus, fabulas quae

Digitized by Google

Plauti indolem rusticam ostendunt, utpote barbare scriptas, contemnit nihilique pendit.

Sed licet Plautus in Mercatore componenda fabulam Graecam tantum non ad verbum transtulisse videatur, eandem hanc comoediam Latinam locum aliquem ab ipso Plauto excogitatum continere Marxius multis argumentis demonstrare conatus est.

Cuius viri docti opinionem nuperrime probavit Eduardus Fraenkel in libro doctissimo utilissimoque, qui inscribitur „Plautinisches im Plautus", quae mihi causa fuit, cur in totam rem denuo inquirerem.

Quaeritur autem, utrum Marxius recte an falso contenderit versus 225—254, 268—270; 272—276 ab ipso Plauto excogitatos esse.

Initio actus secundi nostrae fabulae Demipho senex somnium narrat quod nocte proxima somniavit:

Miris modis di ludos faciunt hominibus
mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
velut ego nocte hac *quae* praeteriit *proxuma*
in somnis egi satis et fui homo exercitus.
mercari visus mihi sum formosam capram;
ei ne noceret quam domi ante habui capram,
neu discordarent, si ambae in uno essent loco,
posterius quam mercatus fueram, visus sum
in custodelam simiae concredere.
ea simia adeo *post hau multo* ad me venit,
male mihi precatur et facit convicium,
ait sese illius opera atque adventu caprae
flagitium et damnum fecisse haud mediocriter;
dicit capram quam dederam servandam sibi,
suai uxoris dotem ambedisse oppido.
mihi illud videri mirum, ut una illaec capra
uxoris simiai dotem ambederit.
instare factum simia, atque hoc denique
respondet: ni properem illam ab sese abducere,
ad me domum intro ad uxorem ducturum meam.
atque oppido hercle bene velle illi visus sum,
ast non habere quoi commendarem capram.
quo magis quid facerem cura cruciabar miser.

Digitized by Google

interea *ad me haedus visust adgredirier*,
infit mihi praedicare sese ab simia
capram abduxisse et coepit inridere me;
ego enim lugere atque abductam illam aegre pati.
hoc *quam ad rem* credam per*tinere somnium*
nequeo invenire, nisi capram illam suspicor
iam me invenisse quae sit aut quid voluerit.
ad portum hinc abii mane cum luci simul.
postquam id quod volui transegi, atque ego conspicor
navim ex Rhodo quast heri advectus filius.
conlibitumst illuc mihi nescioqui visere:
inscendo in lembum; atque ad navim devehor.
atque ego illi aspicio forma eximia mulierem,
filius quam advexit meus matri ancillam suae.
quam ego postquam aspexi, non ita amo ut sanei solent
homines, sed eodem pacto ut insanei solent.
amavi hercle equidem ego olim in adulescentia.
verum ad hoc exemplum numquam ut nunc insanio.
unum quidem hercle iam scio, periisse me;
vosmet videte ceterum quanti siem.
nunc hoc profecto seic est: haec illast capra;
verum hercle simia illa atque haedus mihi malum
adportant, atque eos esse quos deicam hau scio.

Etiam in Rudente fabula somnium narrat senex quidam, cui nomen Daemones:

Miris modis di ludos faciunt hominibus,
mirisque exemplis somnia in somnis dant:
ne dormientis quidem sinunt quiescere.
velut ego hac nocte *quae* processit *proxuma*
mirum atque inscitum somniavi somnium.
ad hirundininum nidum visa est simia
ascensionem ut faceret admolirier
ut in omnibus . . . . . .
neque eas eripere quibat inde. *postibi*
videtur ad me simia adgredirier,
rogare scalas ut darem utendas sibi.
ego ad hoc exemplum simiae respondeo,
. . . . . .

Digitized by Google

natas ex Philomela ac Progne esse hirundines.
ago cum illa *ne quid noceat* meis popularibus.
atque illa nimio iam fieri ferocior;
videtur ultro mihi malum minitarier.
in ius vocat me. ibi ego nescioquo modo
iratus videor mediam arripere simiam;
concludo in vincla bestiam nequissumam.
nunc *quam ad rem dicam* hoc *attinere somnium*
nunquam hodie quivi ad coniecturam evadere.

Iam in indice scholarum Universitatis Gryphiswaldae anni 1892—1893 Marxius demonstrare conatus erat Plautum somnium, quod in Rudente legitur, e Graeco suo exemplo, Diphili fabula, sumpsisse, somnium tamen, quod in Mercatore narratur, ab ipso poeta Latino ad somnii Daemonis (Rudens 593 sqq.) exemplum fictum esse. Neque tamen se verum vidisse Marxius vero clarissimo Leo persuasit; Leo enim utrumque somnium Demiphonis et Daemonis e Graecis exemplis translatum esse defendit (Plautinische Forschungen[2], p. 163).

Postea Marxius iterum opinionem suam comprobare conatus est in commentatione quae inscribitur „Ein Stück unabhängiger Poesie des Plautus" [1]). Marxio adstipulati sunt Schanzius (Geschichte der röm. Literatur[3] I. 1. p. 85), qui scripsit: „dass Leo völlig im Unrecht ist, hat Marx in durchaus überzeugender Weise dargetan", et nuperrime, ut iam diximus, Fraenkelius.

Equidem confiteor me neque Marxio neque Fraenkelio assentiri posse. Proficiscar autem a versibus 238—241 Mercatoris:

dicit capram, quam dederam servandam sibi,
suai uxoris dotem *ambedisse* oppido.
mihi illud videri mirum, ut una illaec capra
uxoris simiai dotem *ambederit.*

Si Thesaurum linguae Latinae consulimus, apparet *ambedendi* verbum raro inveniri; fere omnibus autem locis, quos Thesaurus citat, praepositio *amb-* in hoc verbo suum sibi habet sensum, fere ubique „circumedere" significat (Germanice „um und um anessen, — annagen").

1) Sitzungsberichte der Kaiserlichen Akademie der Wissensch. Philosoph.-histor. classe CXL Band. Jahrg. 1899.

Digitized by Google

Legimus autem hoc verbum (locis Plautinis omissis) apud Vergilum, Aen. III. 255—257

sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
ambesas [1]) subigat malis consumere mensas,

ubi poeta de *quadris rotundis* loquitur ('to gnaw round and consume your tables', vertit vir doctus T. E. Page in praestantissima sua Virgilii editione),

Aen. V. 752

ipsi transtra novant, flammisque *ambesa* reponunt
robora navigiis,

ubi *ambesa* = circumquaque combusta,
apud Tacitum, Annal. XV. 5

nam exorta vis (vi *Mediceus*) locustarum *ambederat* (*sic Lipsius*, aberat *Mediceus*) quicquid herbidum aut frondosum, et apud Alfenum Varum (Digesta, XXXXI. 1. 38)

flumen paulatim.... agrum qui inter viam et flumen esset, *ambedit*, et viam sustulit.

Taciti loco excepto, ubi *vis* pro *vi* et *ambederat* pro *aberat* ex coniectura scripta sunt, omnibus locis *ambedere* = circumedere.

Quodsi lexica [2]) nos docent *ambedere* non solum *circumedere* significare, sed etiam *prorsus devorare*, id solo Taciti loco, quem citavimus, nititur. Noli igitur dubitare, quin etiam Mercatoris locis laudatis *ambedere* „circumquaque arrodere" significet. Cum autem *dos* non significet aliquid rotundi, potius *comedendi* verbum exspectemus, praesertim cum Plautus adverbio *oppido* verbi vim auxerit. Timet enim Lysimachus, ne uxor secum divortium faciat *totamque* dotem reposcat. Sic recte interpretari nos, luce clarius est, comparatis versibus 240. 41:

mihi illud videri mirum, ut *una* illaec capra
uxoris simiai dotem ambederit.

---

1) Undique esas: Servius.

2) Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch von K. E. Georges, achte Aufl. v. H. Georges, 1913 vertit „*um u. um aufessen*, — *abnagen*, dah. *völlig aufzehren*"; Engelbregt[4] „*roudom afeten, geheel verteren*"; van Wageningen—Muller „*roudom van iets afeten, geheel verteren*". Klotzii tamen lexicon (1879) verbo priorem tantum sensum (*umfressen*) attribuit.

Digitized by Google

Unam capram dotem arrodere non est mirum, *unam* vero capram *totam* dotem consumere vel comedere id miratur Demipho. Num igitur supra iniuria negavimus nostro loco *ambedere* „prorsus consumere" significare? Ceteri loci, ne id credamus, obstant.

Recte igitur Rostius in Opusculis Plautinis, Vol. II, p. 149 hunc locum vertit:

> Das schien mir seltsam, wie die einzige Ziege konnt'
> des Affenweibs Mitgift *benagen um und um.*

Quam ob rem autem Plautus hoc verbo rariore usus est? Ego respondeam: quia in exemplo Graeco verbum περιτρώγειν legerat. Nam si sumimus Plautum hoc verbum apud comicum Graecum legisse, apparet Philemonem, Ἐμπόρου poetam, verbo περιτρώγειν ambiguam alligasse significationem. Περιτρώγειν enim, ut omnes novimus, non solum *arrodere*, sed etiam *adimere* significat, cf.

Arist. Vesp. 596 αὐτὸς δὲ Κλέων ὁ κεκραξιδάμας μόνον ἡμᾶς
[οὐ περιτρώγει

ubi vir cl. van Leeuwen adnotat: οὐ περιτρώγει „non arrodit, non imminuit nostra emolumenta".

Sed praesertim:

Arist. Acharn. 257. 58 πρόβκινε, καὶ ἐν τῷ ὄχλῳ φυλάττεσθαι
[σφόδρα
μή τις λαθών σου περι τρώγῃ τὰ χρυσία

ubi περιτρώγειν „adimere" (Germanice „Wegmausen") vertendum est. Comparandus alius quoque locus (Equites, 1025. 26), ubi παρεσθίειν eodem fere modo adhibetur atque περιτρώγειν locis ex Aristophane citatis et *ambedere* locis Mercatoris.

οὐ τοῦτό Φησ' ὁ χρησμός, ἀλλ' ὁ κύων ὀδὶ
ὥσπερ ἀθάρης σου τῶν λογίων παρεσθίει,

ubi isiciarius hoc dicit: „intacta et integra iste non sinit oracula, sed mente fallaci meliorem eorum partem tibi *detrahit*" (van Leeuwen).

Capra igitur, de qua Demipho narrat, Dorippae (id est nomen Lysimachi uxori) dotem περιτρώγει i. e. Lysimacho uxoris dotem *detrahit*.

Credo igitur tum demum locum Mercatoris ab omnibus partibus intelligi posse, si Graece vertatur, nam latine *ambedere* „adimere" significare nusquam apparet. Qua de re si mihi

Digitized by Google

assentieris, simul persuasum tibi erit Plautum totum somnium ex Graeca petisse fabula.

Videor mihi iecisse fundamenta argumentationis meae; videamus nunc quaenam res Marxio in Demiphonis somnio tantopere displiceant, ut totam hanc partem Plauto quam ipsi Philemoni attribuere malit.

1. Primum displicet Marxio et Pasicompsam puellam et Demiphonis anum uxorem utramque cum capra comparari. „Wie wenig glücklich -- haec ipsa Marxii verba sunt — ist die Benennung der jungen, schönen Pasicompsa als capra, wenn die anus uxor des Demipho gleichfalls als capra bezeichnet wird und der Sohn Charinus, der Liebhaber der capra Pasicompsa und Sohn der anderen capra als haedus, als Zicklein" (p. 17). Quod utraque femina in somnio capra nominatur, nil habeo, quod poetam, sive Plautus est, ut Marxius vult, sive Philemon, ut ego puto, reprehendam.

Et si me rogas, utrum haec a comico Romano ficta an e fonte Graeco hausta putem, duobus modis respondeam; aut enim dixerim nequaquam diiudicari posse, Plautusne haec excogitaverit an Philemon, aut adferre possum narratiunculam Graecam quam legimus apud Aelianum, de natura animalium VI. 42.

Ibi enim Κρᾶθις .... τῇ τῶν αἰγῶν ἰδεῖν ὡραιοτάτῃ μίγνυται, dum tandem aliquando ab haedo occisus est. Fortasse haec e comoedia aliqua petita sunt.

Quod vero Marxius putat *Charinum*, Demiphonis filium, haedum nominari, haec res eum fefellit. Haedus, de quo versu 248 (interea ad me haedus visust adgredirier) legimus, neminem alium designat nisi Eutychum, Lysimachi filium.

Comparemus modo versus sequentes 249/50

infit mihi praedicare sese ab simia
capram abduxisse et coepit inridere me

cum versu 972/73

nam te istac aetate haud aequom filio fuerat tuo
adulescenti amanti amicam eripere emptam argento suo

et cum versu 976

propterea igitur tu mercatu's novos amator, vetu' puer.

et cum 982

Digitized by Google

monere, quantopere Demipho in scaena postrema ab amico eiusque filio irrideatur, quantopere timeat, ne uxor se grav poena afficiat.

5. Credit Marxius versus

248 interea ad me haedus visust adgredirier,
249 infit mihi praedicare sese ab simia
250 capram abduxisse et coepit inridere me:
251 ego enim lugere et abductam illam aegre pati

cum fabulae fine pugnare; nam in scaena postrema Demiphonem prorsus non lugere, sed puellam filio concedere, seque posthac non iam tale quid commissurum polliceri. Haec enim apud Marxium (p. 28) legimus: „Diese Verse widersprechen der Schlussscene, in der der alte Demipho keinerlei Trauer kundgibt, vielmehr bereitwilligst auf das Mädchen zu Gunsten seines Sohnes verzichtet (988) und reuevoll Besserung verspricht" (1000). Demiphonem tamen revera lugere docet scaena postrema: versu 966 Eutychus Demiphoni dicit: tibi amicam esse nullam nuntio, et Demipho respondet: di te perdant; versu 978 exclamat senex: nullus sum. Nonne igitur luget, i. e. lamentatur, et aegre fert Demipho Pasicompsam sibi abductam?

Eutychus, postquam puellam in patris domo repperit, Lysimachum patrem cum matre in gratiam reducit, vel, quod eodem redit, haedus capram a simia abducit. Ipse hac re gloriatur Demiphoni dicens: tibi amicam esse nullam nuntio. Neque igitur me inquietant, quae Marxius p. 28 scribit: „die Figur des haedus ist so unklar gezeichnet, dass man in derselben fast den Sohn des simia vermuthen könnte (tandem verum videre Marxius videtur), wäre demselben der Kauf und die Wegführung der schönen Magd nicht offenkündig missglückt und stünde die Zoologie dieser Auslegung nicht im Wege".

Vides Marxium verba „sese ab simia capram abduxisse" non recte interpretatum. Omnino vir ille doctus poetae comici verba nimis urget, tamquam si ei cum mathematico res sit.

Nonne ridiculum est Marxium dicere zoologiam obstare, ne sumamus haedum Lysimachi i. e. simiae filium esse; nam si fieri non potest, ut Eutychus haedi imagine designetur, cum Lysimachus pater eius simia sit, cur tandem Charinus haedus

Digitized by Google

4. Marxius (p. 23) Demiphonis somnium male compositum ducit, quod altera huius somnii pars statim explicetur. Laudat tamen Rudentem fabulam, cuius spectator incertus maneat, quidnam Daemonis somnium sibi velit. „Im Rudens bleibt nach der Traumerzählung der Zuschauer vorerst in Spannung was das Traumbild bedeute; auch Daemones weiss dasselbe nicht zu erklären. Erst nachdem sich die Hauptscene des Traumes thatsächlich abgespielt, nach 115 Versen gibt Daemones die richtige Deutung. Anders und weit schwächlicher im Mercator, 252 ff.

hoc quam ad rem credam pertinere somnium
nequeo invenire: nisi capram illam suspicor
iam me invenisse quae sit aut quid voluerit.

Es folgt die Erzählung der Bekanntschaft mit Pasicompsa auf dem Schiff und sofort die Deutung der Hauptfigur des Traumes (268)

nunc hoc profecto seic est: haec illast capra;
verum hercle simia illa atque haedus mihi malum
adportant, atque eos esse quos deicam, hau scio.

Es ist ein überaus unglücklicher Gedanke, die Deutung der einen Hälfte des Traumes mit der Erzählung direct zu verbinden, die Deutung der anderen Hälfte gänzlich zu unterlassen; wie viel besser, weil spannender im Rudens! Wie thöricht klingt die Befürchtung vor dem Unheil, das dem Alten der Affe, der gutmüthige, gefällige Nachbar und sein in Ehrerbietung gehorsamer Sohn bringen werden! Von diesem Unheil weiss der Verlauf des Stückes nichts zu berichten". Hactenus Marxius, cuius vituperationibus haec habeo, quae respondeam. Licet verum sit partem Demiphonis somnii statim explicari, maior pars obscura manet, spectatoresque suspensi tenentur, quoad fabula procedente omnia dilucent.

Negare nolim Demiphonis somnium minus subtiliter pulchreque excogitatum esse quam Daemonis in Rudente, neque tamen intelligo quid obstet ne Diphilus, sive Πήρᾳ *ante*, sive *post* Ἔμπορον composita est, in hac re felicior fuerit Philemone. Id quoque miror, unde Marxius dicere possit Lysimachum eiusque filium Demiphoni nullas molestias afferre totamque fabulam nihil de ea re narrare. Neque enim opus est

Digitized by Google

monere, quantopere Demipho in scaena postrema ab amico eiusque filio irrideatur, quantopere timeat, ne uxor se gravi poena afficiat.

5. Credit Marxius versus

248 interea ad me haedus visust adgredirier,
249 infit mihi praedicare sese ab simia
250 capram abduxisse et coepit inridere me:
251 ego enim lugere et abductam illam aegre pati

cum fabulae fine pugnare; nam in scaena postrema Demiphonem prorsus non lugere, sed puellam filio concedere, seque posthac non iam tale quid commissurum polliceri. Haec enim apud Marxium (p. 28) legimus: „Diese Verse widersprechen der Schlussscene, in der der alte Demipho keinerlei Trauer kundgibt, vielmehr bereitwilligst auf das Mädchen zu Gunsten seines Sohnes verzichtet (988) und reuevoll Besserung verspricht" (1000). Demiphonem tamen revera lugere docet scaena postrema: versu 966 Eutychus Demiphoni dicit: tibi amicam esse nullam nuntio, et Demipho respondet: di te perdant; versu 978 exclamat senex: nullus sum. Nonne igitur luget, i. e. lamentatur, et aegre fert Demipho Pasicompsam sibi abductam?

Eutychus, postquam puellam in patris domo repperit, Lysimachum patrem cum matre in gratiam reducit, vel, quod eodem redit, haedus capram a simia abducit. Ipse hac re gloriatur Demiphoni dicens: tibi amicam esse nullam nuntio. Neque igitur me inquietant, quae Marxius p. 28 scribit: „die Figur des haedus ist so unklar gezeichnet, dass man in derselben fast den Sohn des simia vermuthen könnte (tandem verum videre Marxius videtur), wäre demselben der Kauf und die Wegführung der schönen Magd nicht offenkündig missglückt und stünde die Zoologie dieser Auslegung nicht im Wege".

Vides Marxium verba „sese ab simia capram abduxisse" non recte interpretatum. Omnino vir ille doctus poetae comici verba nimis urget, tamquam si ei cum mathematico res sit.

Nonne ridiculum est Marxium dicere zoologiam obstare, ne sumamus haedum Lysimachi i. e. simiae filium esse; nam si fieri non potest, ut Eutychus haedi imagine designetur, cum Lysimachus pater eius simia sit, cur tandem Charinus haedus

Digitized by Google

esse potest, si pater eius Demipho inter homines [1]) habetur. Sed talia non curant poetae, nedum comici: non scribunt philologis severioribus, qui omnia cum pulvisculo scrutantur, sed spectatoribus remissis delectari gestientibus.

6. Etiam vs. 242 sequentesque

instare factum simia atque hoc denique
respondet, ni properem illam ab sese abducere,
ad me domum intro ad uxorem ducturum meam

pugnare dicit cum versibus 797 sequentibusque

ibo ad forum atque Demiphoni haec eloquar
me istanc capillo protracturum esse in viam,
nisi hinc abducit quo volt ex hisce aedibus.

Sed mea quidem sententia hi loci nequaquam inter se pugnant, nam versu 798 Lysimachus *recenti ira* minatur se puellam foras protracturum, versu 243 legimus Lysimachum puellam ‹foras proiectam› ad Demiphonis uxorum ducturum. Hic locus ostendit Emporu *οἰκονομίαν* talem esse, ut somnium suppleat, quae in fabula uno tantum verbo tanguntur. Versu 957 Demipho in scaenam prodit, dum Lysimacho dicit:

quasi tu numquam quicquam adsimile huiius facti feceris.

Quae Lysimachus dixerit, non audiunt spectatores, sed e versibus 243 seq. intellegunt quid senex, *postquam ira paulum resedit*, amico minatus sit.

Hactenus ea, quae Marxius in somnio Demiphonis vituperaverat, refutare conatus sum. Nunc de Eduardi Fraenkelii disputatione agam. Non tamen omnia eius argumenta redarguere conabor, sed ea solum, quae a Marxii argumentis differunt et novi aliquid in medium proferunt.

1. „Wer soeben", inquit Fraenkelius (p. 200), „den Bericht über einen Traum mit den Worten beendet hat (v. 252) *hoc quam ad rem credam pertinere somnium, nequeo invenire*, der kann, wenn das Ganze noch Sinn haben soll, unmöglich fortfahren *nisi capram illam suspicor iam me invenisse quae sit aut quid voluerit....* Der Traum des Daemones im Rudens

1) Licet Demipho versu 575 *senex hircosus* nominetur, nusquam in somnio cum hirco vel haedo comparatur; optimo iure scribit Fraenkelius (p. 206): „Demipho kommt dort (i. e. in somnio), ebenso wie Daemones im Traume des Rudens, nur als Mensch vor".

Digitized by Google

erhält mit dem Satze (611) *nunc quam ad rem dicam hoc attinere somnium, nunquam hodie quivi ad coniecturam evadere* einen volkommenen, durch die Stellung des Traums innerhalb des Stückes bedingten (Daemones hat ja das Erlebnis noch nicht gehabt, das ihm zu der Deutung verhilft) und die Erwartung auf die Lösung spannenden Abschluss. Im Merkator ist das Geständnis der Aporie schon an sich unberechtigt, da Demipho zwischen der Zeit des Traumes und seinem Bericht die entscheidende Begegnung mit der jungen Sklavin gehabt hat; mit dem Folgenden verträgt es sich garnicht. Die Übernahme aus dem Monologe des Rudens ist in dieser Einzelheit besonders deutlich".

Mihi quidem Fraenkelius sic disputans nodum in scirpo quaerere videtur; nam versibus laudatis (252—255) nihil aliud dicit Demipho nisi hoc: „quid totum hoc somnium praedicat, non intelligo; una tantum res hodie mane mihi perspicua facta est; scire mihi videor quid illa capra sibi velit"; et nunc narrare incipit de formosa puella, quam in nave aspexit.

Verum est Plautum versu 252 iisdem fere verbis uti atque in eo somnio, quod in Rudente legimus, sed saepius in variis comoediis Graecis interpretandis se ipse imitatur, qua de re videas Kellermanni dissertationem, cui titulus est „de Plauti sui imitatore" (p. 164—191). Dabo aliquot exempla:

1) Amph. 184 quoniam bene quae in me fecerunt, ingrata
[ea habui atque inrita
Asin. 136 sq. ingrata atque inrita esse omnia intellego quae dedi et quod bene feci....
2) Amph. 319 mirum ni hic me quasi murenam exossare
[cogitat.
Pseud. 382 exossabo ego illum simulter itidem ut mu-
[renam coquos.
3) Asin. 729... quin nec caput nec pes sermoni apparet
Captiv. 614 garriet quoi neque pes umquam neque caput
[compareat.
4) Asin. 186 vera dico: ad suom quemque hominem quaestum
[esse aequomst callidum
Truc. 416 ad suom quemque aequomst esse quaestum
[callidum.

Digitized by Google

5) Aul. 166 ego virtute deum et maiorum nostrum dives
[sum satis
Capt. 324 ego virtute deum et maiorum nostrum dives
[sum satis.
6) Aul. 223 neque edepol ego te derisum venio neque derideo:
neque dignum arbitror.
Trin. 448 neque te derisum advenio neque dignum puto.
7) Bacch. 399 nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc
[certamen cernitur
Cas. 516 .....nunc specimen specitur, nunc certamen
[cernitur.

Noli igitur ex versibus Mercatoris et Rudentis inter se similibus, quos supra pronis litteris imprimendos curavi, efficere totum somnium, quod in Mercatore legimus, ad exemplum somnii, quod Rudens fabula continet, ab ipso Plauto esse excogitatum.

2. Fraenkelius id quoque contendit Demiphonis soliloquium ex duabus constare partes, quarum copulatio novae comoediae arti repugnet: „Marx hat nicht ausgesprochen und Leo scheint überhaupt nicht darauf geachtet zu haben" — sic legimus apud Fraenkelium (p. 201) — „dass der plautinische Monolog zwei Berichte in einer Weise verbindet, die für die konstante Technik der neueren Komödie schlechterdings unerhört ist". Paulo post haec addit Fraenkelius: „Wenn jemand einen aufregenden Traum gehabt hat und nun in ausführlichem Bericht den Zuschauer zum Mitwisser macht, so fordert das geschlossene und einheitliche Erlebnis den Raum eines Monologs ungeteilt für sich, es kann nicht mit der Erzählung von Dingen, die ausserhalb des Traums liegen, verkoppelt werden".

Sed iam Leo (Plautinische Forschungen[2], p. 164) coniecit Philemonem, Emporu poetam, cum somnium Demiphonis excogitaret, memorem fuisse tragoediae („erfunden had das Motiv, in Nachfolge der Tragödie, für seinen Ἔμπορος Philemon").

Equidem nescio, utrum Philemoni an alii poetae comico primo omnium in mentem venerit in fabulam suam somnium inserere; hoc tantum Leonio assentior somnium, quod in Mercatore legimus, ad exemplum tragoediae compositum esse. Demiphonis enim somnio cum Euripidis Iphigeniae Tauricae

Digitized by Google

initio comparato videmus etiam apud poetam tragicum duas narrationes prorsus eodem modo coniunctas esse atque in Mercatore. Etiam Iphigeniae soliloquium cum aliis rebus somnii narrationem coniungit:

38 θύω γάρ, ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν πόλει,
ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν Ἕλλην ἀνήρ.
40 κατάρχομαι μέν, σφάγια δ' ἄλλοισιν μέλει
ἄρρητ' ἔσωθεν τῶνδ' ἀνακτόρων θεᾶς.
ἃ καινὰ δ' ἥκει νὺξ φέρουσα φάσματα,
λέξω πρὸς αἰθέρ', εἴ τι δὴ τόδ' ἔστ' ἄκος.
ἔδοξ' ἐν ὕπνῳ τῆσδ' ἀπαλλαχθεῖσα γῆς
45 οἰκεῖν ἐν Ἄργει, παρθενῶσι δ' ἐν μέσοις
εὕδειν, χθονὸς δὲ νῶτα σεισθῆναι σάλῳ,
φεύγειν δέ, κἄξω στᾶσα θριγκὸν εἰσιδεῖν
δόμων πίτνοντα κ. τ. λ.

Quod autem Fraenkelius scribit somnii narrationem coniungi non posse cum iis rebus, quae a somnio alienae sint, hoc nihil ad rem. Nam in Mercatore somnium quam artissime cohaeret cum ceteris rebus, quas Demipho spectatoribus narrat, se in nave formosissimam puellam cupidis oculis conspexisse. Versus 255—267, quos solos ex tota scaena Marxius Philemonis manu scriptos putat, aptum μονόλογον praebere non negaverim, sed etiam apud Atticum poetam somnium cum alia narratione coniungi posse ostendit Iphigeniae Tauricae initium, quod supra exscripsi.

Praeterea Fraenkelius versus 266—267

unum quidem hercle iam scio, periisse me:
vosmet videte ceterum quanti siem

totum Demiphonis soliloquium, quale a Philemone compositum sit, concludere dicit; post eos versus nihil amplius desiderari; quod autem versus 268—270 additi sint, id demonstrare totum somnium additamentum Plautinum esse. Hic viro docto assentior fieri potuisse, ut versus 268—270 a Plauto additi sint ut omnia spectatoribus quam facillima ad intelligendum essent. Sed, hoc si Fraenkelio concedamus, non sequitur, ut Plautus totum somnium commentus sit. Nam, si versus 268—270 comico Romano attribuamus, cetera vero in hac scaena Philemoni, totum soliloquium, quod restat, bene procedat.

Digitized by Google

3. Rectissime negat Fraenkelius versus 272—275, id quod contendit Marxius, a Plauto esse fictos, vide optimam eius de his versibus disputationem (p. 205). Sic tamen tollitur Marxii argumentum Plautum versibus 272—276 additis adductum esse ut somnium excogitaret. [1])

Fraenkelius Plautum somnium addidisse putat ut breve soliloquium, quod Philemon Demiphoni tribuisset, produceret. Scribit enim (p. 203): „Plautus empfand das Bedürfnis den mässig umfangreichen, sachlich berichtenden Monolog, mit dem der Alte bei Philemon auftrat, aufzufüllen und ihn um phantastische Züge zu bereichern. Was ihn in einzelnen dazu trieb, entgeht uns". Neque mirum Fraenkelium nescire, qua re adductus Plautus somnium addiderit: non addidit, sed in exemplo suo invenit.

Quae si feliciter disputata sunt, mihi quidem constat neque Marxio neque Fraenkelio contigisse, ut planum facerent somnium Demiphonis Philemone indignum esse; quodsi praeterea nobiscum reputamus, quae de usu *ambedendi* verbo supra scripsimus, dubitari non iam potest, quin totum somnium, quod in Mercatore legimus, e Graeco exemplo sumptum sit.

Magnopere gaudemus Ludovicum Gurlitt, qui Plautum Germanice elegantissime vertit [2]), de hac re idem sentire atque nos; nam in praefatione, quam Mercatori a se Germanice versae praeposuit, suam opinionem, nullis tamen argumentis additis, his paucis verbis profert: „nach meiner Überzeugung, die ich hier nicht begründen kann, ist der Merkator eine ganz getreue Nachbildung des Ἔμπορος von Philemon, den wir dadurch bewundern lernen; diese herrliche Dichtung allein erklärt uns schon die Verehrung, die er in der alten Welt genossen hat. Auch den Traum des Demipho, den Marx für Zutat des Plautus ausgeben möchte, fand Plautus so in seiner Vorlage vor".

---

1) „Bei Philemon begann die Scene mit den in 277—282 wörtlich übersetzten urbanen Versen, der derbe Anfang der Scene ist Zuthat des Plautus, und *diese Verse (272—276) sind wahrscheinlich die Quelle der Traumerzählung*: ist Demipho ein lüsterner Bock, dann ist die Geliebte eine Ziege, ebenso seine Gattin, und das Böcklein ist der Sohn Charinus (Marx, p. 25). Vide meam adnotationem p. 67.

2) Die Komödien des Plautus, Dritter Band, Im Propyläen-Verlag, Berlin.

Digitized by Google

II.

In altera parte nostrae de Mercatore disputationis pauca de Lysimachi partibus observabimus.

Proficiscar ab Actu quarto, ubi Pasicompsa in Lysimachi domo a Dorippa, senis uxore, invenitur. Dorippa enim, marito diffisa, exspectatione celerius domum rediit. Paelicem a marito sibi obductam esse rata Lysimachum, postquam solus a foro revertit, ubi coquum conduxit obsoniumque emit, conviciis minisque obruit. Frustra senex Pasicompsam sibi „quasi sequestro" a litigantibus civibus commissam esse fingit. Nam statim refutatur a coquo, qui cum servis obsonium afferentibus supervenit. Coquus, simulac Lysimachi uxorem conspexit, senem roget, haecine eius amica sit.

753 *Co.* haecin tua est amica, quam dudum mihi
te amare dixtei, quom opsonabas? *Ly.* non taces?
755 *Co.* satis scitum filum mulieris. verum hercle anet.
Ly. abin dierectus? *Co.* hau malast. *Ly.* at tu malu's.
Co. scitam hercle opinor concubinam hanc. *Ly.* quin abis?
non ego sum qui te dudum conduxi. *Co.* quid est?
immo hercle tu istic ipsus. *Ly.* vae misero mihi!
760 *Co.* nempe uxor rurist tua, quam dudum deixeras
te odisse atque anguis. *Ly.* egone istuc dixi tibi?

Hunc locum nondum satis perspicuum esse iam anno 1906 vidit vir doctus Langrehr, qui miratus coquum talia verba Lysimacho imputare in commentatione, cui titulus „Plautina", (Programm des Gymnasiums zu Friedland 1906) sic scribit: „Lysimachus Demiphonis partes sibi ipse vindicavit, cum coquo uxorem suam ruri esse, se uxorem odisse ut anguem gloriaretur. Quid haec sibi volunt? An putabimus in Graeco exemplari revera has fuisse partes Demiphonis et uxoris eius? An senem, qui quidem amico in hac re auxiliatur, sed ipse prorsus aliis moribus utitur, per iocum hanc sibi gloriam falso attribuisse ullo modo veri simile est? Sed tum certe spectatores de hac re et mutationis causa monendi erant".

Vides Langrehrium hic non iniuria haerere, sed nemodum philologus (si non omnia me fallunt) hanc ἀπορίαν solvere conatus est.

Digitized by Google

Omnes autem difficultates tolluntur, cum intelleximus Lysimachum puellae formosissimae amore non minus quam Demiphonem, sed tectius flagrare. Quod nos iure contendere iam statim apparet ex actus tertii initio.

Lysimachus iam versu 501 Pasicompsam blandis verbis alloquitur:

ne plora: nimis stulte facis, *oculos corrumpis talis.*

Versu 517 formam puellae laudat:

ex forma nomen inditumst.

Versibus 518 et 519 iocis obscenis utitur:

possis tu, sei ussus venerit, subtemen tenue nere.
Pa. possum. *Ly.* sci tenue scis, scio te uberius posse nere.

Qua re observata nova lux affulget alii loco, qui nondum ab omnibus partibus perspicuus est.

Versus Plautinos inde a versu 566 exscribam: Lysimachus et Demipho colloquuntur inter se:

566 *De.* quid cogitem? equidem hercle opus hoc facto existumo,
ut illo intro eam. *Ly.* itane vero, vervex? intro eas?
De. quid aliud faciam? *Ly.* prius hoc ausculta atque ades.
prius etiamst quod te facere ego aequom censeo.
570 nam nunc si illo introieris, amplecti voles,
confabulari atque osculari. *De.* tu quidem
meum animum gestas: scis quid acturus siem.
Ly. pervorse facies. *De.* quodne ames? *Ly.* tanto minus.
iaiunitatis plenus, anima foetida,
575 senex hircosus tu osculere mulierem?
utine adveniens vomitum excutias mulieri?
scio pol te amare, quom istaec praemonstras mihi.
De. quid si igitur unum faciam hoc? si censes, coquom
aliquem arripiamus, prandium qui percoquat.

Vides Lysimachum se versibus 570/1 rei amatoriae Demiphonis nimis immiscere, quod ne Demiphonem quidem praeterit; nam is, ut amicum suum ludibrio habeat, Lysimacho: tu quidem, inquit, meum animum gestas: scis quid acturus sim. Et, cum Lysimachus Demiphonis verba neglegat, rogat hic: „quodne ames?"

Plerique viri docti, quid duo haec verba sibi vellent, non intelligentes Scaligeri coniecturam „quodne amem" veram ha-

Digitized by Google

bebant. Ex editoribus Ussingius et Goetzius (in editione maiore anni 1883) „amem" in textu posuerunt et vir doctus Lindsay hanc coniecturam in apparatu critico verbis „fortasse recte" commendat. Vir doctus C. H. Weise in editione sua anni 1837 „ames" tuetur, sed non recte explicat; adnotat enim: „sensus plenus: quid ais? anne perversum est osculari quod ames?" Sed iam Lambinus verba tradita recte interpretatus est: „an ideo dicis quod tu ipse ames?"

Lambini interpretationem veram esse melius etiam apparet, cum versum 577

scio pol te amare quom istaec praemonstras mihi,

quem et alii et Lindsay Lysimacho dant, Demiphoni tribuimus. „Scio pol te amare", inquit Demipho, „si mihi praemonstras non osculandum esse nisi cum satur sim". Praemonstrandi verbum eodem sensu (= monere) legitur in Trinummo versu 342 et in Persa versu 148.

Simulac intelleximus etiam Lysimachum Pasicompsae cupidine flagrare, sed amorem celare, id quoque luce clarius fit quid versus 574—576 sibi velint. Lysimachus eam ob causam amicum monet, ne ieiunus osculetur puellam, quod una cum Demiphone et puella prandere cupit. Sic enim puellam formosam coram adspiciet. Postremo apparet, cur Lysimachus coquo, quem conduxerat, se uxorem suam tamquam anguem odisse narraverit, cur gloriatus sit se concubinam habere, quae revera non eius, sed Demiphonis erat.

Quibus rebus bene perspectis difficultates, quas Langrehrius in hac scaena invenisse sibi visus est, omnes tolluntur.

STATII'S ARTIS PHOTOGRAPHICAE PRAENUNTIUS.

Silv. L. III 4 vs. 97 sq.:

'tu modo fige aciem et vultus hic usque relinque!'
sic ait et speculum reclusit imagine rapta.

P. H. D.

Digitized by Google

AD HERODOTI LIB. II ANNOTATIONES ALIQUOT.

SCRIPSIT

D. COHEN.

Herodotus qua ratione in regionibus, quas ipse adiit, statum rerum naturam locorum mores indigenarum investigaverit, nusquam magis est perspicuum quam in ea parte operis eius ubi res Aegyptiacae exponuntur. Primum enim compluribus locis ipse auctores suos nominat; tum autem imagines et tituli in Aegypto reperti multa de vita et historia antiquorum Aegyptiorum nos docent; quo fit ut saepe, num Herodotus vera narraverit, nos melius quam ipse statuere possimus. Accedit quod etiam papyri, quae de Lagidarum regni administrandi ratione agunt, antiquiorum quoque morum memoriam nobis servaverunt. Quibus omnibus adiuvantibus saepe quousque Herodoti narratio fide sit digna pro certo affirmare nobis licet.

In illa autem inquisitione una semper res est tenenda: Herodotum ubi prava tradidit non consulto esse mentitum, sed saepe ea quae aut ex aliis audivit aut ipse vidit male intellexisse eamque ob causam propter inscientiam falli. Si autem ita res se habet, nostrum est ex nostris fontibus inquirere, quid auctores eius re vera narraverint, quid monumenta, quae suis verbis describit, re vera significaverint, quales mores, quos ille suis verbis explicare conatur, re vera fuerint. Quaestio igitur illa, num Herodotus res Aegyptiacas describens fide sit dignus, hodie non iam valet; nobis est quaerendum num quid

Digitized by Google

in narratione eius lateat, quod, ab eo ipso prave intellectum, nobis nunc perspicuum est. [1])

Quam inquisitionem ut aggredi possimus iam antea cognoscendum est quae in singulis narrationibus causae errandi apud nostrum fuerint, quamque ob rem hic illic falsam investigandi et tradendi rationem inierit. Quod inquirentibus quattuor potissimum causae nobis sunt discernendae.

Prima est quod Herodotus ea quae aut ex auctoribus suis audivit aut ex aliis scriptoribus hausit non ipsorum verbis tradit, sed suo modo narrat, quo et lectoribus suis et sibi ipsi magis perspicua ea reddat. Itaque corona quadam verborum ea circumdat et exemplis nonnullis ea illustrare explicare augere conatur „wie das Kind, wenn Mutter Märchen erzählt, sie im Stillen schon selber weiterspinnt" [2]). Male tamen fit quod re ipsa prave intellecta interdum „telam nens" fila minime apta operi suo induxit; nostrum igitur est telam explicare et proba fila invenire, i. e. ipsorum auctorum verba explorare. Id quod per se difficillimum hic illic fieri posse infra demonstrare conabor.

Secunda causa est quod omnia, utpote peregrinus, mirans, ea potissimum relatu digna iudicat, quae a moribus Graecorum abhorrent, cetera tacens. Ita fit ut tantum res a Graecorum consuetudine differentes animadvertat, congruentia autem eum lateant; quod vitium complurium errorum ei causa facta est [3]). Ut ex multis pauca afferam: apud Aegyptios non modo filius, ut apud Graecos, sed etiam filia parentes senescentes alere debebat; Herodotus tamen [4]) tantopere miratur quod apud Aegyptios etiam filiae parentum alendorum officium erat impo-

1) Eodem modo, quod ad res geographicas attinet, iudicat *Sourdille*, La durée et l'étendue du voyage d' Hérodote en Égypte p. 255: „En partant de cette hypothèse que ses données reposent *sur quelque chose de réel*, et en recherchant à quelle réalité elles ont pu correspondre, on a cru arriver dans le présent ouvrage à quelques solutions générales".

2) E. Maass, Neue Jahrbücher f. d. klass. Altertum 1916, p. 634.

3) Iure monet H. Bolkestein, Het economische leven in Griekenlands bloeitijd p. 26: „Het is een bekend verschijnsel, psychologisch gemakkelijk te begrijpen, dat het normale het minst de aandacht trekt van den niet wetenschappelijk-geschoolden mensch, die gewoon is het afwijkende en opvallende met bijzondere belangstelling te beschouwen en bijna steeds met volkomen miskenning van de juiste verhoudingen te beschrijven".

4) II c. 35 cf. A. Wiedemann, *Herodots Zweites Buch* p. 153.

Digitized by Google

situm, ut id solum animadvertat, filio vero invito nunquam tale officium praestandum esse putet. Vel ut alio utar exemplo: iter faciens viros texentes [1]) conspexerat idque ut mirum aliquid annotaverat: feminas eodem opere occupatas fortasse viderat, at, quia domi quoque saepe tales cernebat, mox earum erat oblitus: in Graeciam reversus illud meminit, hoc ei in mentem non iam venit; itaque *οἱ ἄνδρες*, inquit, *κατ' οἴκους ἐόντες ὑφαίνουσιν*. Quid autem feminae agunt? Iam est perspicuum: id quod apud Graecos virorum est. Habet igitur illud: *αἱ γυναῖκες ἀγοράζουσι καὶ καπηλεύουσιν*, quamquam sine dubio ipse quoque viros Aegyptios in foro mercantes viderat. Vel tertium afferam exemplum: in cap. 77 Aegyptios nunquam vites serere narrat, cum ipse c. 37 sacerdotibus *οἶνον ἀμπέλινον* dari dicat, id quod nunc papyris Graecis confirmatur [2]), et c. 121 a fure callido illo vinum custodibus corporis fratris mortui esse datum narret. Quo modo error ille natus sit, facile intelligitur, si verba comparantur in c. 77 obvia: *Οἴνῳ ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται* (*οἱ Αἰγύπτιοι*). Illud „vinum" eos potantes Herodotus conspexerat, fortasse ipse biberat. At miratur. Quam ob causam vino hordeaceo fruuntur? Iam est perspicuum viro Graeco. *Οὐ γάρ σφι εἰσι ἐν τῇ χώρῃ ἄμπελοι*. Si enim vites novissent, vino deteriore iis opus non esset [3])! Eandem ob

1) II c. 35 cf. ERMAN-RANKE, *Aegypten*[2] p. 536. Mirum in modum etiam papyris Graecis confirmatur viros *λινύφους* et *βυσσουργούς* et *ἐριουφαντάς* fuisse; cf. e. g. Pap. Tebt. I, 5, 239 sqq. et Wilcken, Chrestomathie der Papyruskunde p. 365 sqq.

2) *ἡ ἀπόμοιρα* a Ptolemaeo Philadelpho coniugi Arsinoae tributa antea sacerdotibus dabatur cf. Grenfell, Rev. Laws of Ptol. Phil. col. 37: *ὡσαύτως καὶ οἱ ἱερεῖς* (*διδότωσαν χειρογραφίας*) *ἐκ ποίου κτήματος ἐλάμβανον καὶ πόσον οἶνον*.

Addere licet etiam alia quae in cap. 37 de sacerdotibus noster narrat nunc titulis vel papyris confirmari. Sic e. g. tradit haec: *ἰχθύων δὲ οὐ σφι ἔξεστι πάσασθαι*: id quod mirum videri potest, cum et Nilus piscibus abundet et Aegyptios ipsos paene cotidie eo cibo usos esse constet. At revera posterioribus temporibus sacerdotes pisces incestos duxisse nunc scimus cf. Erman-Ranke[2] l.l. p. 270. Et quicumque legit sacerdotibus *σιτία ἱρὰ πεσσόμενα* data fuisse, nonne statim meminit *τῶν ἀρτῶν πεπτῶν*, qui gemellis illis in Serapeo ministris debebantur? (Wilcken Urkunden der Ptolem. Zeit N[i] 20 et 42—58).

3) Sourdille l.l. p. 33 putat inundationem fortasse prohibuisse quominus vites videret. At si ita res se habuisset, nullum profecto fructum nominare potuisset. Si autem, id quod Sourdille p. 40 conicit, error ille ex eo natus esset quod Herodotus vinum ab externis regionibus importatum in Aegypto viderit, aequo iure ne in Graecia quidem vites fuisse confirmare potuisset!

Digitized by Google

causam aut ille aut auctor eius Graecus errat, ubi animo mortuorum necesse esse dicit in alia corpora transire; quae opinio apud Aegyptios ignota erat [1]); eodem denique modo fallitur ubicumque ea quae ad deorum Aegyptiorum cultum attinent Graecis nominibus refert. Neque id mirum: quisquis enim peregrinus regiones adit ignotas, omnia cum moribus patriae suae comparat, insolita mirabundus, cetera neglegens [2]). Quo fit ut Herodotus saepe ea taceat quae nostrae aetati maxime videntur memorabilia: de Aegyptiorum more crudeli infantes exponendi ne loquitur quidem, cum nunc nulla paene epistola in papyro conscripta magis sit nota quam ea in qua opifex quidam uxorem puellam, si nascatur, eicere iubet [3]). Causa tacendi iam est perspicua: talis enim consuetudo Graecis, sicut postea Romanis, haud erat ignota; itaque scriptores antiqui eius nunquam tamquam insolitae mentionem fecerunt. Immo quae gentes a crudelitate illa abhorrerent commemorare operae pretium duxerunt [4]). Quam mentis indolem semper esse observandam cum aut nostrum aut alium quemvis auctorem antiquum interpretari conamur patet; sunt illi aliarum rerum curiosi atque nos neque nostrae aetatis oculis ea quae illi narrant spectare licet.

Tertia causa cur Herodotus interdum erraverit haec est, quod rem, forte apud nonnullos Aegyptios aspectam, semper apud omnes eodem modo fieri putat, vel, ut aliis verbis utar, quod ex casu fortuito et singulari morem vulgarem et communem colligit. Cuius vitii et Wiedemann et Sourdille in libris supra laudatis [5]) iam exempla nonnulla dederunt, quibus nova addere nequeo.

1) C. 123 cf. Wiedemann l.l. p. 458; Erman-Ranke[2] l.l. p. 344.

2) Cf. Sourdille l.l. p. 254: „(Il n'a pu) abjurer d'une manière sensible cette mentalité grecque naturellement si tenace et si exclusive".

3) Pap. Oxyrrh. IV 744.

4) Tac. Hist. V 5: „Nam et necare quemquam ex agnatis nefas (Iudaei putant)". Germ. 19: „Numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur".

5) Cf. Wiedemann l.l. p. 157: „Die Sitte dieser Klageweiber (das Haar lange zu tragen) hat Herodotus auf das ganze Volk übertragen; cf. etiam p. 193 et Sourdille l.l. p. 254; „Hérodote devait être fatalement conduit à des généralisations".

Digitized by Google

Quartam autem causam cur in singulis Herodoti narrationibus investigandis maxima sit cura et diligentia nobis attribuenda hanc habemus, quod apud plebem et sacerdotes inferiores modo eum versatum esse patet. Id quod luce clarius perspicitur si non solum nobiscum reputamus quid narraverit sed etiam quid praetermiserit. Ut iterum pauca exempla afferam: neque consuetudinis paelicum habendarum noster mentionem fecit neque matrimonii inter fratrem et sororem contracti. Quae causa esse potest quod tales mores viro Graeco mirabiles taceat? Verisimile videtur eos tantum apud nobiles extitisse; homines enim ex plebe non satis possidebant unde praeter uxorem alias domi alerent neque ut nobiles stirpem ex nobilibus natam relinquere cupiebant. Qua de re more a Graecis non abhorrente unam feminam ex quolibet patre ortam uxorem ducebant; quam consuetudinem conspectam Herodotus tradidit [1]). Eandem ob causam, si quid video, ex ricino (κίκι) oleum factum esse narrat, plane omisso sesamo illo, quod maioris pretii oleum praebebat, plebi ob caritatem ignotum [2]).

Quae quattuor formulae si probari possunt, earum auxilio duos locos explicare aggrediamur qui nostra quidem opinione nondum satis sunt illustrati. Primum haec verba in cap. 124 obvia, ubi Herodotus narrat Χέοπα (βασιλεύοντα Αἰγυπτίων) ἐς πᾶσαν κακότητα ἐλάσαι· κατακλήισαντα γάρ μιν πάντα τὰ ἱρὰ πρῶτα μέν σφεας θυσιέων ἀπέρξαι, μετὰ δὲ ἐργάζεσθαι ἑωυτῷ κελεύειν πάντας Αἰγυπτίους [3]). Quae verba miratione sunt dignissima. Quo modo enim factum est ut Cheops ille, qui aeque ac successor eius Chefren in titulis Aegyptiis ut rex maxime

1) C. 92: γυναικὶ μιῇ ἕκαστος αὐτῶν συνοικέει κατά περ Ἕλληνες; cf. Wiedemann l.l. p. 372 sq.

2) Cf. c. 94 et Revenue Laws col. 39 et 40. Wiedemann l.l. p. 159 Herodotum in c. 36 panem ἀπὸ ὀλυρέων modo factum Aegyptios edisse eam ob causam tradidisse putat, quod eius dux pauper tali cibo vesceretur. At ὄλυρα non „durrha" sed „triticum dicoccum" esse videtur (cf. A. Schulz Der Emmer des Alten Aegyptens (Ber. d. Deutsch. Bot. Ges. 34, 1916 p. 705) quod etiam in nobilium sepulcris inventum est (cf. Erman-Ranke l.l. p. 522[1]). Quo modo illo loco error sit explicandus nescio.

3) Cf. etiam c. 133 ubi Chefren quoque eadem peccavisse narratur, et c. 128 sq. quo Mycerinus templa diu clausa aperuisse traditur.

Digitized by Google

pius celebratur et pro eo ut templa clauserit aedes novas struxisse et sacrasse narratur, apud Herodotum Aegyptios sacris prohibuisse tradatur? Minime est verisimile de industria nostrum regi illi clarissimo tales partes tribuisse. Itaque fallitur. At quam ob causam? Wiedemann [1]) plebem tyrannum duxisse impium Cheopem putat, qui omnes Aegyptios ut servos suum sepulcrum aedificare iussisset. Sed quis unquam vir Aegyptius fingere potuit templa clausa virosque pios sacris prohibitos esse vel apud quem auctorem Herodotus talia legit?

Hic, si quid video, formula prima, quam supra memoravi, est adhibenda. Prave intellegendo Herodotus rem per se ipsam veram vitiavit maleque tradidit. Notum enim est temporibus Lagidarum et rusticos et eos qui in metallis exercendis vel in fabricis regiis laborabant interdum labore supersedisse et officium detractavisse aut in vicos proximos diffugiendo aut perfugium in templa petendo [2]). Quod malum tantopere diffusum erat — unum erat remedium contra munera gravissima a rege populo imposita [3]) — ut multi mercennarii se non in templa esse perfugituros ut labore vacarent polliceri deberent. Quin etiam agricolis regiis se tale aliquid non esse facturos sollemni iureiurando iurandum erat! Eadem iam Pharaonum aetate facta esse ex fontibus quidem non apparet; sed ex papyris nonnullis demoticis conicere licet verba talis iurisiurandi posterioribus temporibus usitata ex temporibus antiquioribus esse accepta; accedit quod vox qua templi perfugium in papyris demoticis est indicata, non ex Graeco sermone illuc translata esse videtur sed ad linguam Aegyptiacam referri potest. Quam ob rem et v. cl. Sethe et alii iam Pharaonum aetate consuetudinem illam in templa se recipiendi viguisse verisimile ducunt [4]). Praeterea ex ipsa Pharaonum aetate narratio est servata quae tradit quondam opifices regios fame

1) l.l. p. 463.

2) Cf. e. c. P. Tebt. 26; P. Zen. 40 (Annales du service des Antiq. de l'Égypte t. XIX p. 88); P. S. I. 502 et Rostowzew, Gesch. des röm. Kolonates p. 74.

3) Die Asylie ist das Korrektiv der staatlichen Gesetzgebung (von Woess. *Das Asylwesen in der Ptolemaeerzeit* (Münch. Beitr. zur Papyrusf. Heft V) p. 3; cf. etiam p. 17 sqq.

4) Cf. v. Woess l.l. p. 45 sqq. At cf. Wiedemann l.l. p. 436.

Digitized by Google

coactos opere supersedisse refugiumque in templum quoddam petisse; alii sacrificandi officium praetendebant quo labore vacarent [1]).

Maxime igitur est verisimile et Herodoti temporibus et iam antea illum refugiendi morem extitisse. Ipse quoque primo aspectu de tali consuetudine loqui videtur in c. 113; at eo loco de alia re mentionem fieri iam est observatum [2]): fit enim servus στίγματα ἱρά accipiendo templi mancipium cum opifices ei, de quibus supra locutus sum, sperato potiti statim ex templo redeant. Mos ille in templa refugiendi ut labor vitaretur nostro ignotus fuisse videtur.

Qua de causa igitur fallitur? Auctores eius — erant autem aut sacerdotes inferiores aut homines ex plebe [3]) qui tyranni illius gravia onera populo imponentis memoriam minime benignam servabant — Herodoto tantum narraverunt Cheopem eiusque successorem Aegyptios sacris templisque prohibuisse. Qua de re id reges illi fecissent iis perspicuum erat: impediebant ne opifices sui in templa refugiendo opus relinquerent. Quo modo profecto id perfecerint nos latet; fortasse aeque ac postea Lagidae eos iurare iusserunt se „neque templum neque aram neque asylum esse petituros [4])"; aut templis eos recipi prohibuerunt ἀγωγίμους eos esse pronuntiantes [5]). Fieri tamen utique non potuit ut templa clauderent; id enim si factum esset — id quod per se ipsum minime est verisimile — Cheopem templa nova condidisse sacerdotes non tradidissent [6]). Quascumque tamen artes adhibuerunt, hoc mihi constare videtur Herodoti auctores id solum narravisse reges illos impedivisse ne Aegyptii quibus pyramides aedificandae essent templa adirent, eum

1) Erman-Ranke l.l. p. 141; p. 140.

2) ἢν δὲ Ἡρακλέος ἱρόν, ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης ὁτευῶν ἀνθρώπων ἐπιβάλληται στίγματα ἱρά, ἑωυτὸν διδοὺς τῷ θεῷ, οὐκ ἔξεστι τούτου ἅψασθαι. cf. Wiedemann l.l. p. 436: „Die Sitte durch Stempelung Menschen zum Tempeleigentum zu erklären ist aegyptisch."; v. Woess l.l. p. 34.

3) Cf. p. 79 formula IV.

4) E. c. ἔξω ἱεροῦ τεμένους σκέπης πάσης ut Wilcken Chrestom. 327.

5) Sic ut postea debitores publici et olearii ἀγώγιμοι erant; cf. v. Woess l.l. p. 172.

6) Wiedemann l.l. p. 463: „Den Monumenten ist die Gottlosigkeit des Cheops unbekannt; vielmehr gilt er der echt aegyptischen Tradition als Tempelgründer".

Digitized by Google

tamen causa prohibendi prave intellecta tradidisse templa ipsa eos clausisse et sacrificari vetuisse. Neque igitur verum est *κατακλήισαντα πάντα τὰ ἱρὰ Χέσπα πρῶτα μὲν θυσιέων ἀπέρξαι, μετὰ δὲ ἐργάζεσθαι ἑαυτῶι κελεύειν πάντας Αἰγυπτίους*, sed hoc solum *Χέσπα ἐργάζεσθαι ἑαυτῷ κελεύσιν πάντας Αἰγυπτίους καὶ θυσιέων σφέας ἀπέρξαι*. Ea auctorum verba erant; cetera Herodotus ut rem melius explicaret ex suo addidit.

Si autem ita res se habet, grato animo novum hoc argumentum accipimus, quo iam antiquis temporibus morem illum in templa refugiendi exstitisse confirmatur.

Eodem modo narrationes quoque in cap. 128 et 129 obviae illustrari possunt, ubi „templa centum et sex annos *κατακλησθέντα οὐκ ἀνοιχθῆναι*" et regem Mycerinum *τὰ ἱρὰ ἀνοῖξαι καὶ τὸν λεὼν ἀνεῖναι πρὸς ἔργα τε καὶ θυσίας* traditur [1]). Quin etiam Herodotus narrando magis atque magis res augere videtur; quo modo enim fieri potuit ut per tantam annorum seriem templa clauderentur, nedum Aegyptii agros colere prohiberentur! Aegypti terra tam diu inculta relicta tota sterilis et plane inops facta esset! Immo rectissime et ipse noster verbis *ἐργάζοντο δὲ κατὰ δέκα μυριάδας ἀνθρώπων αἰεὶ τὴν τρίμηνον ἑκάστην* [2]) indicasse videtur etiam tunc temporis agros more solito cultos esse. Sed eius nuci putamen detrahendo nucleum probum adeptos nos esse speramus.

Transeamus nunc ad alium locum ubi etiam ex suo falsa addendo Herodotum veritatem vitiavisse apparet. In c. 177 haec dicit: *νόμον τε Αἰγυπτίοισι τόνδε Ἄμασίς ἐστι ὁ κατάστησας, ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων ὅθεν βιοῦται· μὴ δὲ ποιεῦντα ταῦτα μηδὲ ἀποφαίνοντα δικαίην ζόην ἰθύνεσθαι θανάτῳ. Σόλων δὲ ὁ Ἀθηναῖος λαβὼν ἐξ Αἰγύπτου τοῦτον τὸν νόμον Ἀθηναίοισι ἔθετο· τῷ ἐκεῖνοι ἐς αἰεὶ χρέωνται, ἐόντι ἀμώμῳ νόμῳ*. Re vera omnes Aegyptios quotannis censum deferre debuisse ex papyris aetatis Lagidarum nos nunc scimus [3]); antiquioribus quoque temporibus iis certe hominum numerum

1) Cf. etiam c. 133: *ἀποκλήισαντες τὰ ἱρὰ καὶ θεῶν οὐ μεμνημένοι.*
2) C. 124, cf. Ed. Meyer Gesch. Aeg. 111.
3) Cf. Wilcken, Grundzüge der Papyruskunde p. 175 et 176.

Digitized by Google

qui in eadem domo habitarent indicandum fuisse notum est [1]). Conicere licet iam tunc sicut hominum ita etiam rerum ἀπογραφάς esse delatas, ex quibus tributa singulis statuerentur. Talis autem mos in Graecia ignotus erat. At Herodotus omnia suis — viri Graeci dico — oculis spectans illam consuetudinem ad mores Graecos referre conatur.... et comparando totam rem depravat. Re ipsa commemoranda non contentus causam investigat explicationem quaerit; id quod viro docto honori, viro imperito calamitati est. Reputat enim secum quid Amasin impulerit ut legem illam ferret. Meminit autem Athenis quid quisque Atheniensium agat aut quonam quaestu sustentetur diligentissime inquiri solere [2]). Illum morem cum lege Aegyptiorum coniungere ei promptum videbatur. At fallitur. Ut enim in Aegypto tributorum causa unicuique declarandum erat ὅθεν βιοῦται, ita Athenis plane aliam ob causam „ut homines honestatem, vitae rationem memores reddendam esse, sequerentur" [3]). Neque igitur vel Solon vel quivis alius [4]) lege illa ferenda Aegyptios est imitatus. Rectissime et hic Herodotus rem ipsam observavit; sed hic quoque explicando et comparando prave eam intellexit falseque tradidit. Nam Amasin quoque id agentem facit ut Aegyptii honeste viverent, cum is vel potius reges qui multo ante eum vixerunt pecuniam modo spectarent. Athenis tamen tales ἀπογραφαί tributi causa non deferebantur; sed εἰδότες τὰς ἀπορίας μὲν διὰ τὰς ἀργίας γιγνομένας, τὰς δὲ κακουργίας διὰ τὰς ἀπορίας.... ἐθεώρουν τὸν βίον τὸν ἑκάστου καὶ τοὺς ἀκοσμοῦντας ἀνῆγον εἰς τὴν βουλήν [5]); quae lex ζημιοῦσα πάντας τοὺς ἀκοσμοῦντας [6]) vetuit περιεῖναι ἐν τῇ πόλει (οὐκ ἐγκαζόμενον). [7])

1) Ed. Meyer G. A. I³ p. 274.

2) Sunt verba ipsa Valerii Maximi II 6, 3.

3) Iterum verba ipsa Valerii Maximi l. l.

4) De hac quaestione cf. Busolt Gr. Gesch. II p. 149¹; Pauly-Wissowa s. v. ἀργίας δίκη.

5) Isocrates, Areopag 44, 46.

6) Aristoteles Ἀθ. πολ. 3, 6; secundum illam legem Areopagum antiquis temporibus regimen morum exercuisse puto.

7) Demosthenes contra Eubuliden 33. De tota re cf. Busolt l.l. P. W. l.l. et Lipsius, Das Att. Recht und Rechtsverfahren II¹ p. 353 sq., qui discernit inter τὸν νόμον περὶ τῆς ἀργίας et magistratuum regimen morum. At locus Valerii

Digitized by Google

Si eo modo causa errandi recte explicata est, etiam initium erroris indicari potest. Incipit enim ubi Herodotus narrationi auctoris sua ipsius addens verba μηδὲ ἀποφαίνοντα δικαίην ζόην iniungit. Duas res ipsas, quod ad summam attinet, veras, legem Aegyptiorum et morem Atheniensium, inter se coniungendo falsa tradidit; nostrum autem est non errorem damnare sed grato animo veritatem in errore latentem quaerere. Quod sicut in exemplis supra allatis ita in aliis facere conantibus verba ipsorum auctorum interdum invenire fortasse nobis continget.

Maximi II 6, 2 et 3, quem ille argumento affert, potius mihi distinguere videtur inter τὴν δίκην περὶ τῆς ἀργίας, unicuique concessam, et legem ipsam. Etiam verba Isocratis, quae supra memoravi, idem discrimen spectare videntur. Itaque philosophi illi qui postea in iudicium vocati sunt λόγους δώσοντες, πόθεν ἐς τοσοῦτον εὐέκται ὄντες διαζῶσιν (Diog. Laert. VII 169 Athen. IV 65 p. 168 A cf. Herodoteum illud ὅθεν βιοῦνται!) ex illa lege sunt accusati. Si haec omnia recte demonstravi, iam Herodotus verbis δικαίην ζόην illam curam morum attingit, quam alii posterioribus temporibus attribuunt (v. Wilamowitz, Aristot. und Athen I p. 255[146]).

Propertii et Fr. Villoni concentus.

Propertius cecinerat IV 9, 35:

Fontis egens erro circaque sonantia lymphis.

Quattuordecim fere saeculis postea François Villon (Ballade du concours de Blois) haud aliter questus est:

Je meurs de seuf auprès de la fontaine.

P. H. D.

Digitized by Google

AD TACITI DIAL. C. V.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT.

In Dialogi c. 5 initio qui sit verus sententiarum nexus prae nonnullis corruptelis nondum perspectum esse mihi persuasi. Iulius Secundus, a Materno invitatus ut arbitri partes suscipiat, hoc officium detrectandum sibi ratus: '*ego vero*', *inquit*, '*antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi et moderati iudices solent, ut in iis cognitionibus* ⟨*se*⟩*excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere. quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Saleium Bassum, cum optimum virum tum absolutissimum poetam? porro si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem*'.

Quem, quaeso, dicit reum locupletiorem? Saleium Bassum amicum suum? Ita, si commentatoribus fidem habes. Tamen et alii viderunt et Gudemannus, ita si locum accipiamus, Secundum mirum quam inurbane atque inhumane se gessisse adversus Maternum, quippe cui inter poetas secundas tantum partes — an potius tertias vel quartas? — attribueret, nec non dubitaret, possetne pro se loqui satis idonee. Qua de re Gudemannus haec dicit [1]): 'wenn aber nun weiter behauptet wird *si poetica accusatur non alium video reum locupletiorem*, so läuft das geradezu auf eine wenig schmeichelhafte Ausschaltung des *Dichters* Maternus hinaus. Einen plausiblen Grund für diese auffällige Tatsache kann ich nicht entdecken, denn die etwaige Annahme, Secundus sträube sich, über den an-

1) In editione p. 207.

Digitized by Google

wesenden Freund ein Urteil zu fällen, kommt nicht in Betracht, da er sich überhaupt weigert, in rebus poeticis als Schiedsrichter zu fungieren, und seine Überzeugung ihn in jedem Falle gezwungen hätte, zugunsten des Maternus als des Repräsentanten der Poesie zu entscheiden. Wir haben daher hier wohl, wie des öfteren in der Einleitung, eine kleine Inkonsequenz oder Ungeschicklichkeit des Verfassers zu konstatieren'.

Iam antequam quid sentiam declarem videamus, quis latine dicatur *reus locuples*, et memoria teneamus Tacitum viros iuris peritissimos inducere de poetica litigantes. Primo quidem loco id tenendum, reum non esse virum accusatum, sed quicumque alicuius rei in iudicium allatae sit particeps; quo sensu e. g. Cicero in dialogo De Oratore, quam disputationem ipse sibi Tacitus exemplum sumpsit, persaepe usus est, cfr. II 77, 116, 134, 137, 183, 321, III 109. Quorum locorum duos describo: II 183 'Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur: sic enim olim loquebantur'; II 321 'reos appello, quorum res est'. Postea quoque viros iuris prudentes ita locutos esse ex Digestis apparet, praesertim compluribus locis ubi ipsa verba q. s. *reus locuples* occurrunt. Sane 'locuples est, qui satis idonee habet pro magnitudine rei, quam petitor restituendam esse petit' (Gaius in Dig. 50, 16, 234, 1); reus autem locuples non est ipse debitor, cfr. Celsus in Dig. 12, 1, 42, 1: 'Labeo ait, cum decem dari curari stipulatus sis, ideo non posse te decem dare oportere intendere quia etiam reum locupletiorem dando promissor liberari possit: quo scilicet significat non esse cogendum eum accipere iudicium, si reum locupletem offerat'; porro Ulpianus in Dig. 19, 1, 13, 23 et 45, 1, 67, 1. Ergo reus locuples is est, qui sponsorem se professus est quemque solvendo esse constat.

Iterum igitur rogo: quid dicit Secundus apud Tacitum? Reverane hoc voluit, Saleium Bassum esse reum istum locupletem, qui sponsionem non susceperat, immo ne aderat quidem? Num credamus timuisse eum, ne ipse Maternus sui defendendi officio impar esset? Prorsus aliter me quidem iudice res se habet: tantum abest, ita Secundus, ut in hac lite derimenda arbiter exsistere velim, ut potius Maternus propter poeticam accusatus me habeat reum locupletem, quippe qui

Digitized by Google

Saleium Bassum intima amicitia mihi devinctum habeam atque ideo in defendenda poetica et paratus sim eum adiuvare et possim. Magis nimirum perspicua haec sententia esset, si legeremus: '*non alium* ⟨*me*⟩ *video reum locupletiorem*'; necessariam autem hanc additionem nequaquam duco.

Quod si adhuc dubitas, sintne recte haec disputata, sequentia mecum sodes inspicias. '*Securus sit*' *inquit Aper* '*et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. ego enim, quatenus arbitrum litis huius* † *inveniri, non patiar Maternum societate plurium defendi, sed* † *et ipsum solum apud eos arguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam..... omittit studium.....*'.

Ne omnes emendationes ad hunc locum sanandum in medium prolatas enumerem, id tantum moneo, omnes quod sciam commentatores ita in duas partes discedere, ut alteri sententiam affirmantem (velut Pithoeus, Muretus, Halmius, Wagnerus, Ribbeckius, Steudingius, Philippus), alteri rectius negantem restituere velint (ita e. g. Andresenus, Johnius, Baehrensius, Gudemannus). Utique Secundus negavit se arbitrum fore; attamen si cum Gudemanno legimus: 'ego enim, quatenus arbitrum litis huius non invenimus, non patiar Maternum societate plurium defendi', non intellego equidem, quid sibi velit. An putem, si litis arbitrum invenire ei contigisset, tum futurum fuisse ut Maternum societate plurium defendi pateretur?

Velim Taciti verba ita restituas: '*ego enim, quatenus arbitrum litis huius inveni reum, non patiar Maternum societate plurium defendi, sed id ipsum solum apud eos arguam, quod* e. q. s., id est: quoniam apparet Secundum, qui fore ut arbitri vicibus fungeretur sperabam, non esse aequum integrumque iudicem, sed adversarii mei partes sequi, non ipsam poeticam accusabo, ita ut Secundus et eius ore Bassus absens Maternum adiuvare possent et ille societate plurium defenderetur, sed id tantum apud eos (socios sc. plures) vituperabo, quod orator natus poetam induit. Textu ita emendato verba '*apud eos*' retineri posse arbitror, quae quamquam codicum fere consensu nituntur, semper mutantur; praeterea '*id* ipsum solum' legendum videtur, ubi codd. B^2 H praebent '*et* ipsum solum'.

Digitized by Google

PLINIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Nuper Carlsson [1]) centum viginti fere exemplis luculente docuit quam facile clausulae ope metricae inter varias lectiones, quas libri manuscripti exhibent, deligi possit. Manifesto apparuit familiam indicatam notis B F, cui imprimis Otto [2]) maximam attribuit auctoritatem, quamque editores recentiores Mueller, Kukula, Merrill alii plerumque secuti sunt, re vera postponendam esse classi M V. Itaque factum est ut recensio Keilii [3]), qui cum leges clausularum ignoraret tamen in rebus dubiis frequentissime singulis momentis perpensis lectiones in M V obvias praetulit, ceteris praestaret.

Carlsson de litteris a Plinio ad Traianum scriptis et invicem non egit, idem tacuit de clausula heroa. Iam vero constat aliquotiens bonam clausulam nasci, dummodo orthographia utatur legitima. Denique non desunt loci ubi verba tradita adversus multorum tentamina tuenda sint, alii rursus ubi editoribus nondum contigerit ut quae corrupta sunt in integrum restituerent. Quare qui diligenter Plinii Epistulas perlegit, aliquot fructus videtur posse assequi. Fortasse unus alterve motus severis verbis Postgatii, quibus ille censuram egit [4]) de Merrillii editione „We may wonder that after nineteen

1) Zur Textkritik der Plinius briefe 1922 (Lund Gleerup); cf. Museum XXXI (1924) p. 114 sqq.

2) Cf. Hermes XXI (1886) p. 287 sqq.

3) Editio maior quae prodiit a. 1870. Haec Keiliana recensio sola in hac commentatiuncula respicietur.

4) The Classical Review XXXVII (1923) p. 35. Verum confitendum est Merrillium historiam librorum manuscriptorum textusque egregie enucleavisse.

Digitized by Google

years an editor of the Letters of Pliny has so little to offer for the improvement of a litterary work, which extends to three hundred Teubner pages" — accinget se ad novam editionem curandam. Equidem pro mea verecundia conabor variis observationibus proferendis maximam partem ad rem criticam pertinentibus non inutilia facere.

Etiam mihi incipiendum est a comparatione variarum lectionum ab editoribus e diversis codicibus receptarum, ut praecipue ratione habita clausulae legum auctoris verba recuperem.

I 5, 16 verum ut idem *saepius dicam*, expecto Mauricum.

Verborum ordo *saepius dicam* creticum et trochaeum efficiens i. e. optimam clausulam legitur in R F et in Keiliana editione. Kukula M V secutus scribens *dicam saepius* ingratum rhythmum amplexus est.

I 16, 6 legit mihi nuper epistulas; uxoris esse dicebat; Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi, quae sive uxoris sunt, ut adfirmat, sive ipsius, ut negat, pari *gloria dignus*, qui aut illa componat aut uxorem, quam *virginem accepit*, tam doctam politamque reddiderit.

Hic bis Kukula peccavit, quippe qui primum verbis *gloria dignus* egregiam clausulam efficientibus R F p secutus copulam *est* adderet, qua secundum usum Plinianum carere possumus, deinde *virginem accepit*, quam lectionem clausula ipsa tuetur, donaret additamento *indoctam*, quasi vero huius vocis vis non inesset substantivo *virginem*.

I 20, 12 frequenter egi, frequenter iudicavi, frequenter in consilio fui: aliud alios movet, ac plerumque parvae res *maximas trahunt*.

Haec duo ultima verba exhibita a codicibus M V D iure recepit Keil, nam praebent et satis bonam clausulam (troch. et cretic.) occurrentem centies tricies septies [1]) in Plinii novem libris et praeclaram sententiam, quam Batave proverbialiter sic reddimus: kleinigheden hebben vaak de grootste gevolgen.

At Kukula fretus R F a edidit: ac plerumque parvae res

1) Hofacker, de clausulis C. Caecili Plini Secundi (Bonnae 1903) p. 35.

Digitized by Google

maxime trahuntur. Cui haec non invenusta videntur, cum in uno enuntiato *plerumque* et *maxime* iungantur?

II 14, 4 secuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti; manceps *convenitur*: in media basilica tam palam sportulae quam in triclinio dantur.

Recte Keil cum M V D distinxit colo posito post *convenitur*, quod verbum ex duobus trochaeis constans bonam praebet clausulam, praeterea *in media basilica* et *in triclinio* sic bene inter se opponuntur.

Kukula post *basilicam* colo posito minus bonam clausulam et deteriorem sententiam acquisivit.

III 5, 16 repeto me correptum ab eo, cur ambularem. „poteras", inquit, „has horas non perdere"; nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non *impenderetur*.

Verbo *impenderetur* [1]) in duos trochaeos exeunte enuntiatum terminatur. Sic scribere cum M V et Keilio multo praestat quam edere *impertiretur* cum R F pra et Kukula. Zielinski in omnibus Ciceronis orationibus eiusmodi clausulas (quinque syllabas longas continentes) tantummodo triginta quattuor invenit, quem numerum computatione facta repraesentavit figura 0,2 °/c.

III 7, 14 sed tanto magis hoc quidquid est temporis futtilis et caduci, si non datur factis (nam horum materia *in aliena manu*), certe studiis proferamus et, quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur.

Parenthesis finitur duobus creticis, quorum prior solutus est (*in aliena manu*). Haec quoque clausula frequens est. Mueller desiderat *posita* oblitus epistulare genus dicendi brevitatem adamare.

III 9, 5 ille accusationem vel fortuita vel voluntaria morte praevertit. nam fuit mors *eius infamis*, ambigua tamen: ut enim credibile videbatur voluisse exire de vita, cum defendi non posset, ita mirum, pudorem damnationis morte fugisse, quem non puduisset damnanda committere.

---

1) Etiam V 16, 7 legimus *impenderetur* et III 5, 18 *impenderit*.

Digitized by Google

Schuster [1]) requirens: fuit mors eius ⟨*minus*⟩ infamis, pulcherrimam clausulam pessumdedit. Ceterum qui auctoris verba in hunc modum accipit: talis viri mors quidni esset turpis, ad quam ipsius scelera eum coegerunt? verum aliquid certe laudabile in ea eminebat, fuit ergo ambigua — nihil desiderat.

IV 16, 2 ad hoc quidam ornatus adulescens scissis tunicis, ut in *frequentia solet*, sola velatus toga perstitit et quidem horis septem.

Keil edidit: in frequentia solet ⟨*fieri*⟩, quo facto bona clausula exstitit, sed haud spernendus est trochaeus, quem creticus excipit (vide supra ad I 20, 12). Supervacaneum autem esse Keilii supplementum declarat hic locus (IV 24, 2): processit animus, *ut solet*, longius. Ubi verbo opus est clausulae gratia, auctor ipse utitur *evenire* e. g. IV 17, 4 quem ego cum ex admiratione diligere coepissem, quod *evenire contra solet*, magis admiratus sum, postquam penitus inspexi.

IV 17, 5 inspexi enim penitus: nihil a me *ille secretum*, non ioculare, non serium, non triste, non laetum.

Keil R F D pa secutus legens: *ille secretum* optimam clausulam obtinuit, at Kukula edens: *ille a me secretum* (quod M V exhibent) sex longas syllabas in clausula habet!

VI 20, 11 nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria, cinxerat Capreas et absconderat, Miseni quod procurrit, *abstulerat*.

Schuster l. l. 41 delere voluit „das nachhümpfende *abstulerat*" quasi concinnitatem violaret atque supervacaneum esset. Idem nimis quaesite mea quidem sententia scripsit: das unverkennbare Streben des Schriftstellers nach Gedrungenheit in der ganzen Schilderung, die eine aufgeregt hastige Knappheit mit erhöhtem Herzschlage charakterisiert, sprechen für die Eliminierung der in den Text versprengten Variante *abstulerat*. Facile possis obicere auctorem ipsa inconcinnitate (i. e. duobus infinitivis historicis et tribus plusquamperfectis) subitam

1) Studien zur Textkritik des jüngeren Plinius (Wien 1919) p. 19 sq.

Digitized by Google

rerum mutationem reddere voluisse. Nonne optime se habent — nam rursus interpretatione Batava opus est — niet veel later daalde die wolk neer op het land, bedekte de zee, op eens had zij Capua omringd en verborgen, dan koap Misenum aan het oog onttrokken?

Ceterum egregia clausula (pro)*currit abstulerat* quicquam omitti vetat, Schuster nihilominus septem longas syllabas (*Misenum quod procurrit*) in clausula habere voluit!

X 96, 5 qui negabant esse se Christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, praeterea male dicerent Christo, quorum nihil cogi *posse dicuntur*, qui sunt re vera Christiani, dimittendos esse putavi.

(Cogi) *posse dicuntur* Aldina exhibet i. e. clausulam qua nulla fieri potest melior. Verum Keil, Mueller Kukula, alii ediderunt *posse cogi dicuntur*, quo ordine quinque longae syllabae se excipiunt.

De orthographia.

VIII 8, 5 adiacet templum priscum et religiosum: stat Clitumnus ipse amictus ornatusque praetexta; praesens numen atque etiam fatidicum indicant sortes, sparsa sunt circa sacella complura totidemque *di*.

Hic scribitur *di* (monosyll.), ut nascerentur duo cretici (*plura totidemque di*), quorum prior alteram longam habet solutam.

Ob similem causam ponitur genetivus *Vergili*:

III 7, 8 multum ubique librorum, multum statuarum multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, *Vergili ante omnes* (cretic. et spond.); et genetivus *Helvidi*:

VII 30, 4 sed cum lego, ex comparatione sentio, quam male scribam, licet tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de *ultione Helvidi* orationi Demosthenis κατὰ Μειδίου confers.

Hic duos creticos in clausula habemus sicut:

IX 13, 16 dicunt..... nec interesse cuius ordinis quis sit, sed quam causam habeat: Cornutus, datum se a consulibus tutorem *Helvidi filiae*.

Digitized by Google

Verum etiam extra clausulam genetivi in *i* pro *ii* exeuntes deprehenduntur e. g.

II 7, 6 his ex causis statua *Cotti* publice laetor nec privatim minus;

VII 19, 5 nam, cum Senecio reus esset, quod de vita *Helvidi* libros composuisset e. q. s. [1])

Ecce alter genetivus (*aerari*) extra clausulam, alter (*Caecili*) in clausula invenitur in hoc exemplo:

III 4, 2 cum..... excucurissem accepto ut praefectus *aerari* commeatu, legati provinciae Baeticae questuri de proconsulatu *Caecili* Classici advocatum me a senatu petierunt.

Quo magis clausulae gratia genetivos in *i* (pro *ii*) exeuntes oportet deligi hisce locis:

I 20, 21 quod certe, etsi non limatioris, maioris tamen *ingeni* vitium est (cretic. et spond. solutus);

III 4, 4 adlegantes *patrocini* foedus (cretic. et troch.);

IV 19, 3 quem eventum *iudici* tulerim (cretic et troch. solutus);

VI 31, 4 sequenti die audita est Gallitta *adulteri* rea (troch. et cretic.);

VII 6, 8 mater amisso filio..... libertos eius eosdemque coheredes suos falsi et *venefici* reos detulerat ad principem; (troch. et cretic. efficiunt: (ve)*nefici reos*);

VII 17, 10 quibusque singulis *iudici* parum (troch. et cretic.);

VIII 6, 14 placuit aere signari omnes honores fastidiosissimi *mancipi* (duo cretic.).

De clausula heroa.

Etsi Plinius plerumque pulchras adhibet clausulas, tamen non paucae clausulae heroicae in eius Epistulis reperiuntur, quas si velis excusare in polysyllabis, alio non possis non improbare. Affero hasce

I 3, 4 desinent esse.

II 16, 2 deficerentur.

II 19, 4 praepediuntur.

---

1) Qui formam trisyllabam *naucula* praefert, itaque scribit *nauculam* (III 16, 9), *naucularum* (V 6, 37), *naucula* (IX 7, 4) ter bonam acquirit clausulam.

Digitized by Google

III 4, 2 a senatu petierunt.

III 4, 6 hoc solum meminerunt.

IV 1, 6 corripiemus.

V 5, 6 et fuit idem (sc. finis).

VI 6, 4 viventes reverentur (hic observo in M. legi V 12, 1 *ut revereri*; at Dpra exhibere *ut vererer*).

VI 20, 10 consuleremus.

VII 11, 6 ratum debeam habere (sic scripserunt Keil et Kukula cum M; at Mueller edidit *habere debeam* Dpra secutus).

VII 19, 5 composuisset.

VIII 14, 9 vidimus tulimusque.

VIII 17, 2 sistere cogit.

VIII 20, 7 medium tenuere.

IX 13, 4 defremuisset (sic edidit Keil cum M; at Kukula recepit *defervisset* ex Dpra).

X 10, 1 proposuisses.

X 43, 1 maxima fecit (sc. impendia).

X 73 restituendis.

X 86 B pertribuerunt (Kukula edidit *perhibuerunt*).

X 96, 5 dimittendos esse putavi.

Itaque in unoquoque Epistularum libro clausulae heroicae obviae sunt.

Vindiciae.

VI 8, 1 hunc ego non ut multi, sed *artissime* diligo. Pro *artissime* Cortius substituere voluit *ardentissime* oblitus Plinium scripsisse II 13, 5 (hunc) *arte* familiariterque dilexi.

IX 33, 10 confluebant *omnes* ad spectaculum magistratus, quorum adventu et mora modica res publica novis sumptibus atterebatur.

Schuster offendit in voce *omnes* scribens l. l. 51 es könnten höchstens *omnes magistratus* der näheren und nächsten Umgebung sein, da wäre mindestens der Begriff der Nachbarschaft, der hier nicht erscheint, beizusetzen gewesen, denn ohne die-

1) X 17 A, 2 in provincia celebrare. Praestat et hic clausulam heroam assumi quam existimari syllabam *le* produci litteris *br*.

Digitized by Google

sen hat das *omnes* keine Berechtigung. Quod mihi nimis ieiunum videtur. Si dicimus: hic vir aeger omnes medicos adhibuit, facile intellegitur sermonem esse de sescentis peritis artis Aesculapii. Hoc sensu posuit Plinius *omnes magistratus*, neque aliter *omnes deos* Tibullus I 3, 10

Delia non usquam. quae me cum mitteret urbe
dicitur ante omnes consuluisse deos.

X 18, 2 provinciales, credo, prospectum sibi a me intellegent nam et tu dabis operam ut manifestum sit illis electum te esse, qui ad *eosdem* mei loco mittereris.

Keil cancellavit syllabam *dem* verbi *eosdem*. Iniuria, nam non semel Plinius usurpat *idem*, ubi *is* exspectaveris e. g. X 31, 3 nam et reddere poenae post longum tempus plerosque iam senes et, quantum adfirmatur, frugaliter modesteque viventes nimis severum arbitrabar, et in publicis officiis retinere damnatos non satis honestum putabam; *eosdem* rursus a re publica pasci otiosos inutile, non pasci etiam periculosum existimabam. Nihil igitur habemus cur non Traiano quoque *eosdem* tribuamus pro *eos*. Iuvat laudare Schmalzii verba [1]): (dasz) *is* auszer Kurs kam, und nun muszten *hic iste ille ipse idem* für dasselbe eintreten. Dadurch verloren auch diese an ihre Bedeutung und so erklärt es sich, dasz *idem* schon von Cicero verwendet wurde, wo *is* genügen würde.

X 82, 1 potuisti non haerere, mi Secunde carissime, circa id, de quo me consulendum existimasti, cum propositum meum optime nosses non ex metu nec terrore hominum aut criminibus maiestatis reverentiam nomini meo *adquirere*.

Infinitivus *adquirere* pendet a substantivo *propositum*, quamobrem Madvig proposuit *adquirendi*, quod Mueller recepit. Verum bona clausula *(nomi)ni meo adquirere* (duo cretic.) Madvigium redarguit quattuor longas syllabus in clausulam adipiscentem. Ceterum *propositum meum nosses* valet idem fere quod *nosses me velle, me cupere*, quocirca mirari non possumus eodem modo construi atque haec verba. Magna est vis „analogiae"

1) Lat. Gramm. p. 622.

Digitized by Google

neque in stilo epistulari tam severe regnat lex grammaticae.

Hoc exemplum tuetur etiam eiusmodi infinitivum ab ipso Plinio usurpatum X 47, 1 cum vellem, domine, Apameae cognoscere publicos debitores et reditum et impendia, responsum est mihi cupere quidem universos ut a me rationes coloniae legerentur, numquam tamen esse lectas ab ullo proconsulum; habuisse privilegium et vetustissimum morem arbitrio suo rempublicam *administrare.* [1])

X 87, 3 meum gaudium meamque gratulationem filii honore *continebis.*

Plinius Traiano commendat Nymphidium Lupum et propter patris et ipsius iuvenis merita. Verba a me exscripta haec volunt: si Nymphidium provches meum gaudium coniunges cum illius honore, eaque erit quasi mea gratulatio (cf. Pro Muren. § 88).

Keil *continebis* mutans in *continebo* — quod necesse non est — servavit saltem bonam clausulam. At Kukula edens: ⟨*rogo*⟩ *contineas* et Mueller scribens *honores complebunt* malam clausulam adepti nimis longe a tradita lectione recesserunt.

Coniecturae.

VI 2, 9 sed de his melius coram, ut de pluribus vitiis civitatis, nam tu quoque amore *communium* soles emendari cupere quae iam corrigere difficile est.

Haec verba exhibita a M D receperunt Keil et Merrill, sed *communium* corruptum esse debet. Schuster l. l. 34 primum scripsit: diese Stelle ist eine der schwierigsten bei Plinius, tum reiectis omnibus priorum coniecturis ipse proposuit *amore communi civium*, quod non multum distat a lectione in editione Romana obvia: *communium civium.* Cum mihi coniecturae neque Casanboni *in more communi* neque Mommseni *amore communi omnium* neque Kukulae *ardore communi mecum* probarentur, ipse excogitavi: nam tu quoque amore communi ⟨*multa*⟩ soles emendari cupere e. q. s.

1) Hic Wilde in dissertatione sua coniecit dubitanter tamen *administraudi.*

Digitized by Google

Ad *amore communi* subintellegendum est *civitatis* e proxime praecedente enuntiato, significant ergo illa duo verba: amore tuo et meo [1]) in civitatem. In scriptura continua ex *amore communi multa* facile suppressis tribus litteris (*lta*) oriri potuit: *amore communium*. Satis apte *multa* respicere videtur ad *pluribus* (vitiis civitatis). Reliquum est ut locum Batave vertam: want ook gij pleegt door liefde voor den staat, die wij beiden koesteren, verbetering te wenschen van veel, wat al moeilijk valt terecht te brengen.

VI 8, 6 gravis est ei vel minima iactura, *quia* reparare quod amiseris gravius est.

Sic ediderunt Keil et Merrill. *Quia* est in D, at M exhibet *quam*, quod licet corruptum sit, facile viam emendandi monstrat. Vera enim lectio videtur; *quam*⟨*quam*⟩ reparare quod amiseris gravius. Quae verba sic verto: moeilijk valt hem ieder verlies: echter te herstellen, wat men verloren heeft, valt nog zwaarder. *Quamquam* correctivum, quod restitui, Plinius in deliciis habet, cf. huius epistulae § 9 quamquam quid denuntiationibus et quasi minis ago? VI 17, 5 quamquam quis uno te reverentior huius operis, quis benignior aestimator? VI 21, 3; VII 4, 10; VII 9, 4 et 15; IX 33, 11 cet.

Coniunctivus *amiseris* legitur in M, in sententia re vera necessarius est, at contra copulam *est* in eiusmodi senuntiatis Plinius omittere solet [2]), hac in re sequendus est codex D (non M). Ceterum bona clausula *miseris gravius* respuit additamentum *est*.

VII 6, 11 Huius nepos, iuvenis ingeniosus, sed [*non*] *parum* callidus, cum multa dixisset e. q. s.

Keil et Merrill recte mea quidem sententia deleverunt glossema *non*, nam *parum* saepe positum est sensu adverbii *non* cf. VII 28, 3 parum multi cet. Nunc duo cretici (*sed parum callidus*) bonam clausulam efficiunt. Kukula secutus est Stanglium pro *non* suspicatum *homo*.

---

1) Cf. I 12, 9 communem amicum i. e. illius et meum.
2) Carlsson l.l. 27.

Digitized by Google

VII 6, 13 similiter nunc et probatum et exceptum est, quod pro Vareno hactenus *non tacui.*

In prima actione Bithynorum contra Varenum, quem Plinius defendit, patronus non nisi perpauca locutus est, cf. § 6 ipse raro et breviter interlocutus multum me intra silentium tenui. Rationem reddens silentii sui auctor exemplo ostendit quemadmodum etiam silendo, vel si mavis, quasi silendo magna effici possint. Quare hic restituo: *non* ⟨*taceus*⟩ *tacui.*

Plinius oxymora valde adamavit e. g. IX 6, 4 quos (sc. dies) alii otiosissimis occupationibus perdunt; IX 26, 1 nihil peccat, nisi quod nihil peccat. VII 10, 3 agatque poenitentiam paenitentiae suae cet.

Saepe etiam apud Plinium formae eiusdem verbi se excipiunt e. q. IV 28, 3 imitationis imitatio; VIII 20, 5 terunt terunturque; VII 27, 6 longiorque causis timoris timor erat cet.

Mea coniectura optima clausula existit, at Kukulae (⟨*tantum*⟩ *non tacui*) mala. Itaque aeque malam clausulam habent Keil et Merrill, qui traditam lectionem sanam putaverunt.

VII 28, 3 igitur ad alios hanc sinistram diligentiam conferant, nec sunt parum multi, qui carpere amicos suos iudicium vocant; mihi numquam persuadebunt, ut meos amari a me *nimium* putem.

Sic edidit Merrill quoque. Si scribimus *nimis*, oritur clausula satis frequens in Plinii epistulis (*me nimis putem*) i. e. troch. et cretic. Observandum est *nimis* legi in D, sed male collocatum: *nimis* unquam putem. Verum ut hic *nimis* anteferam nulla re magis moveor quam hoc exemplo VIII 6, 17 facilius est, ut me..... parum doluisse quam *nimis* credas. Hic quin *nimis* egregiae clausulae gratia adhibitum sit, dubitare nemo potest.

De lacu Vadimonis cum alia narrat Plinius tum haec:

VIII 20, 4 lacus est in similitudinem iacentis rotae circumscriptus et undique aequalis: nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria et quasi artificis manu cavata et excisa. color caerulo albidior, *viridior et pressior* e. q. s.

Clausula *viridior et pressior* (duo cretici, quorum prior solu-

Digitized by Google

tus est) testatur lectionem esse integram non minus quam *caerulo albidior* (duo cretici, quorum alter solutus est). Verum desideramus ablativum pendentem a *viridior et pressior*, itaque insero: ⟨*vitro*⟩ viridior et pressior. Verto igitur: lichter dan het azuur, groener en donkerder dan glas.

Kukula edens *viridi pressior* malam assecutus est clausulam.

X 9 et multas et omnes publicas causas petendi commeatus reddidisti; mihi autem vel sola voluntas tua suffecisset.

Keil *omnes* delevit, at Kukula Stanglium secutus edidit multas ⟨*tuas*⟩. Ego quoque puto post *multas* verbum intercidisse nempe adiectivum, quod persaepe vices pronominis [1]) obit: *proprias*. Quod si scriptum esset per compendium [2]) librarium praetermisisse verisimile est. Ceterum hic *privatas* et *publicas* eodem modo inter se opponuntur atque Salvian. Gub. I 12 quamquam quid ego de illis loquor, qui cura imperii propagandi contemptum *propriae* facultatis ad opes *publicas* conferebant.

X 34, 1 tibi quidem secundum exempla complurium in mentem venit posse collegium fabrorum apud Nicomedenses constitui, sed meminerimus provinciam istam et praecipue eam civitatem eiusmodi factionibus esse vexatam. quodcumque nomen ex quacumque causa dederimus iis, qui in idem contracti fuerint, *hetaeriaeque* brevi fient.

In lacuna a Keilio et Merrillio statuta ante *hetaeriaeque* Kukula supplevit *nefariae sodalitates*. Incredibile autem est Traianum talem magistelli explicationem ad *hetaeriae* addidisse, cum Plinius ipse scriberet X 96, 7 secundum mandata tua *hetaerias* esse vetueram. Equidem lacuna statim post *hetaeriae* sumpta edendum censeo: hetaeriae ⟨*uti*⟩*que* brevi fient. Batave verto: wat voor naam en uit welken grond ook wij hun, die tot hetzelfde lichaam behooren, zullen geven, in elk geval zullen het binnen kort politieke vereenigingen worden. [3])

1) Cf. Plin. Ep. I 8, 13 ne forte non aliorum utilitatibus, sed *propriae* laudi servisse videamur.

2) Cf. Lindsay, Notae Latinae p. 497 et 499.

3) *Utique* saepius in his litteris occurrit V 7, 2; VII 12, 2; VII 17, 9 cet.

Digitized by Google

X 98, 2 quibus ex causis non minus salubritatis quam decoris interest eam contegi; quod fiet, si permiseris, curantibus nobis, ne desit *quoque* pecunia operi tam magno quam necessario.

Hic auctor agit de cloaca contegenda, quae turpat civitatem Amastrianorum.

Haud facile quispiam dixerit, quid valeat in sententia a me descripta *quoque*. Gierig, Mueller, Kukula alii iure eam coniunctionem corruptam putant. Verum dubito an Kukula locum non sanaverit coniciens *usquequaque*. Vereor ne sit rectius *utcumque* (sive *utquōque*), cuius prima syllaba post *desit* haplographia interiit. Non possum non vertere in linguam vernaculam alteram partem periodi: hetgeen zal geschieden, als gij zult toestaan, dat door mijn bemoeiingen, zoo goed en zoo kwaad als 't kan, het geld er komt voor een werk even belangrijk als noodzakelijk.

Ex Traiani responso elucet imperatorem confidere a Plinio honeste innocenterque opes necessarias collatum iri; rescribit enim: pecunia ne huic operi desit curaturum te secundam diligentiam tuam certum habeo.

Utcumque Plinius usurpat I 12, 2 nam *utcumque* in illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solacium est; cet.

Digitized by Google

PERIODICAL ROOM
GENERAL LIBRARY
UNIV. OF MICH.

MAY 14 1925

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM TERTIUM. PARS II.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1925.

Digitized by Google

INDEX

	Pag.
De Cleomene Naucratita, scripsit B. A. VAN GRONINGEN . .	101—130
Ad Verg. Aen. V 52, scripsit H. WAGENVOORT	131—132
Donatea, (continuantur ex vol. LII, pag. 392), scripsit L. RANK.	133—148
Propertiana (ad Lib. IV), scripsit P. H. DAMSTÉ	149—168
Aeschyl. Pers. 483. P. H. D.	168
Praesidium Academia Lugduno-Batava Libertatis, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF	169—170
Emendationes Catulli, scripsit T. L. AGAR	171—176
Ad epigramma milesium, G. V.	176
Tacitea. I. De Clausula, scripsit C. BRAKMAN I. f.	177—200
Ad Phormionem Terenti, scripsit I. S. PHILLIMORE	201—208
Ad inscriptionem Tegeaeam, G. V.	208
Ad Minucii Felicis Oct. 22, 9, scripsit I. G. P. Borleffs . .	209—210
De rebus Byzantiorum. ([Arist.] Oec. II p. 1346 b 13—26), scripsit B. A. VAN GRONINGEN.	211—222
Ad Apulei Metam. l. VI c. I. scripsit G. V.	222
Ad legem XII tabularum, scripsit J. VAN BINSBERGEN. . .	223—224
ΣΕΛΑΣ, G. V.	224

Digitized by Google

DE CLEOMENE NAUCRATITA.

SCRIPSIT

B. A. VAN GRONINGEN.

In ordine saeculorum certae partes inveniuntur, quarum singuli viri vivae quaedam imagines sunt: illi omnium aequalium oculos in se vertebant; ceteri leviores videbantur, fortuna singulos, ex quibus omnia pendebant, intuente. Ita alteram quarti a. C. n. saeculi partem si spectamus, ceteros omittere et neglegere possimus, Alexandrum illum Magnum certe non possumus; qui iuvenis, Achillis fabulosi verus aemulus, suae aetatis fastigium et apex erat; ad eum omnia merito referebantur. Itaque eius aequalibus ad eum unum animos attendentibus, minime mirum si rerum quoque scriptores antiqui, hodierni etiam, eum imprimis colunt, idem in litterarum monumentis enitet elucetque. Quod quidem rectissime fit, attamen suum vitium habet: de ceteris enim eiusdem aetatis praestantibus viris eo minus legitur, quo plura de praestantissimo, huiusque fama et gloria illorum laudibus officit. Saepius tamen maxima ingenia probissimi mores animi fortissimi in eiusmodi tenebris latent, vel potius luce, ut luna stellaeque sole nitente deficiunt. Quod profecto ad Cleomenem Naucratitam pertinet, cuius vitam et indolem, quantum fieri potest pro rei obscuritate, descripturus sum. [1])

1) De Cleomene data opera agit Stähelinius, P-W. R-E. XI p. 710—2 s. v. Obiter eum tangunt multi: Boeckhius, *Die Staath. d. Ath.*[3], passim; Droysenus, *Gesch. d. Hellen.*[2], passim; Schaeferus, *Demosthenes u. s. Zeit* III[2] passim (etiam

Digitized by Google

Paucissimi fontes exstant. Rerum enim scriptores Alexandrum sequuntur, eius vestigia in narrando premunt, Cleomenis obiter tantum mentione illata, dum de rege Macedonum in Aegypto commorante verba faciunt [1]); uno loco excepto [2]) prorsus nihil de eo referunt ab Alexandri discessu ex Aegypto usque ad eiusdem mortem. Tunc autem, cum in memoriae luce eius praetores et administri versentur, in regno dividendo occupati, facile evenit ut de Cleomene iterum quaedam legamus [3]); sed minus duobus annis post occiditur. Quae praeterea scimus, historici non docent; falso Callisthene Iulio Valerio omissis [4]), quibus his in rebus pretium non est, duo auctores praesto sunt, ignotus uterque: alter, qui orationem in Dionysodorum quendam habitam, quae Demostheni tribuitur LVI[a], conscripsit, alter, cui Oeconomicorum Aristotelis quae feruntur librum secundum debemus [5]). Nisi igitur litterarum et eloquentiae fuissent studiosi, quibus ὁ ῥήτωρ cordi erat, nisi etiam ex Peripateticorum, quibus multiplex doctrina placebat, multitudine unus aliquis varia quaestus exempla contulisset, nomen Cleomenis exstaret, ipse alta caligine obductus falleret.

In duas partes disputationem divisi: in altera Cleomenis vitam enarrare, in altera quanti facere deberemus virum eiusque facta inquirere temptavi.

III 2[1] p. 307 sqq.); Nieseus, *Gesch. d. Gr. Mak. Staaten* I passim; W. Schwarzius, *Zur politik Alex. d. Gr.*, N. Jhrb. f. Philol. u. Päd. 149 (1894) p. 179—90; Wilckenus, *Zu d. ps.-Arist. Oeconomica*, Hermes 1901 p. 193—290; Bouché-Leclercq, *Hist. d. Lag.* I 11 sqq., III 273; Belochius, *Gr. Gesch.* III[1] p. 14, 87, 334; Riezlerus, *Finanzen u. Monopole* (1907), passim; Schneiderus, *Das 2e Buch d. ps.-Arist. Oekonomik* (1907) p. 108 sqq., 116; Svoronos, Τὰ νομίσματα τ. κρ. τῶν Πτολεμαίων I μη'-θ' (= IV 2 sq.); Kaerstius, *Gesch. d. Hellen.* I[2] p. 390 sq.; Sternius, *Zur Wertung d. ps.-Ar. zweiten Oek.*, Hermes 1916 p. 423 sqq.; Hasebroekius, *Die Betriebsformen d. Gr. Handels*, Hermes 1923 p. 393 sqq. Quae opera solis auctorum nominibus, ipsis omissis inscriptionibus, designaturus sum.

1) Arr. III 5, 3—4; Curt. IV 8, 4—5 (cf. etiam Arr. *succ.* § 5; Paus. I 6, 3).

2) Arr. VII 23, 6.

3) Arr. *succ.* § 5 (eadem Dexippus fr. 1 = F. H. G. III p. 668); Iust. XIII 4, 10—11; Paus. I 6, 3.

4) Ps.-Call. I 31, III 19; Iul. Val. I 25—26.

5) Fide dignum eum puto; cf. imprimis Wilckenum. Aristotelis Oeconomicorum Susemihlii editionem Teubnerianam semper laudo (editam anno 1887). De loco Athenaei (IX p. 393 c) cf. infra p. 117.

Digitized by Google

I.

Alexander cum Syria recepta Tyroque post septem menses expugnata in Aegyptum se contulisset, nullo fere repugnante ditissimam regionem imperio addidit. Quam gravi momento eam tunc aestimaverit, eo patet quod hieme inter annos a. C. n. 332um et 331um eam non uni viro, sed pluribus administrandam et tuendam permisit [1]): Pelusii classis remansit navarcho Polemone, militum praesidia duobus praetoribus Peucestae et Balacro commissa sunt; praeter singulos singulorum pagorum nomarchas utrique Aegypti parti praefectus est nomarcha indigena, postea ambabus unus, cui nomen Doloaspis; iam regiones quaedam vicinae, quae a dextra manu in orientem et Arabica deserta, a sinistra in occidentem et Libycam solitudinem tendunt, suos procuratores acceperunt; eum autem, cui regio ab oriente sita obtigit, Cleomenem volo, eundem totius Aegypti vectigalibus tributisque exigendis et pecuniis publicis dispensandis praeposuit, etiam munus quoddam ad Alexandriam novam urbem pertinens ei mandavit. [2])

Tria ea munera ordine definiam. Primum id est, quod his verbis loco in adnotatione secunda huius paginae laudato significavit Arrianus: Ἀραβίας δὲ τῆς πρὸς Ἡρώων πόλει Κλεομένην (ἄρχειν δίδωσιν), cum contra Λιβύης τῆς προσχώρου res Apollonio tribuit. De voce, quae est ἄρχειν, non ambigitur: eam designare omnes consentiunt regii praefecti munus: solum regis vicarium ea regio Cleomenem accepit. Sed quae regio? Hic variant auctores. Erat re vera Arabicus pagus, νομὸς Ἀραβικός, qui in ultima Aegypti parte ab oriente sita invenie-

1) Cf. Arr. III 5, 7.

2) Arr. III 5, 2 sqq.: δύο μὲν νομάρχας Αἰγύπτου κατέστησεν Αἰγυπτίους, Δολόασπιν καὶ Πέτισιν... Πετίσιος δὲ ἀπειπαμένου τὴν ἀρχὴν Δολόασπις ἐκδέχεται πᾶσαν.... Λιβύης δὲ τῆς προσχώρου ἄρχειν δίδωσιν Ἀπολλώνιον..., Ἀραβίας δὲ τῆς πρὸς Ἡρώων πόλει Κλεομένην τὸν ἐκ Ναυκράτιος· καὶ τούτῳ παρηγγέλλετο τοὺς μὲν νομάρχας ἐᾶν ἄρχειν τῶν νομῶν τῶν κατὰ σφᾶς καθάπερ ἐκ παλαίου καθειστήκει, αὐτὸν δὲ ἐκλέγειν παρ' αὐτῶν τοὺς φόρους· οἱ δὲ ἀποφέρειν αὐτῷ ἐτάχθησαν. Στρατηγοὺς δὲ... κατέστησεν... Πευκέσταν... καὶ Βάλακρον..., ναύαρχον δὲ.... Πολέμωνα. Cf. Curt. IV 8, 4 sqq.: *Aegypto praefecit Aeschylum ...et Peucesten...; claustra Nili... Polemonem tueri iubet.... Africae... praepositus Apollonius, vectigalibus eiusdem Africae Aegyptique Cleomenes.* De Alexandria cf. infra p. 106.

Digitized by Google

batur, cuius fines neque pro certo noti sunt neque stabiles fuerunt, tamen ipsius regionis pars erat [1]); de eo tamen hoc loco non agitur, unius pagi νομάρχης non factus est noster [2]), cum indigenas magistratus ubique prisco loco et honore relinqueret Alexander. Solebant interpretari eius Aegypti partis, quam Delta vocant, dimidiam fere partem quae ad orientem vergeret [3]). Quo iure quaeso? Totam regionem divisit inter duos praefectos indigenas, postea attribuit uni; num pagos quosdam excepit? Tum Heroonpolis illa iam extra ipsum Delta est, in ultimis Aegypti finibus; male ergo Delta orientale diceretur „Arabia, quae est e regione Heroonpoleos". Id si verum esset, accederet quod verbis ἡ πρόσχωρος Λιβύη altera illius Delta pars designaretur; quod quis credat? Multo meliora Wilckenus sensit [4]), cuius verba iterare haud inutile: „*Man pflegt diese Arabia auf das östliche Delta zu beschränken; ob mit Recht, ist mir zweifelhaft geworden. Ἀραβία nennte man... nicht nur das östliche Delta, sondern auch das ganze Wüstengebiet auf dem östlichen Nilufer in der ganzen Ausdehnung Aegyptens von Norden bis Süden. So wird es auch hier zu verstehen sein, weil sonst dies für den Handel wichtige Gebiet... ganz unberücksichtigt geblieben wäre. Ich möchte daher in Kleomenes den ältesten uns bekannten ἀραβάρχης sehen..... Entsprechend deute ich auch die Λιβύη....*" Quae mihi tamen non ab omni parte probantur: Delta partem si voluisset Arrianus, cur dubia voce Arabiae usus esset, siquidem νομόν certe noluit; rursus, si aliud voluit, nos vocem Delta usurpemus? Porro tota regio, quae ab oriente praeter Nilum extenditur, magni sane pretii videri poterat; sed erat altera multo maioris pretii. Alexander enim, quippe cuius maxime interesset litus omne Maris Medii suae dicionis facere, si ipsam Aegyptum Doloaspi et duobus strategis et uni navarcho mandavit, quid Apollonio illo? Non Aegypti partem, ne unum quidem

1) Cf. Plin. N. H. V 9, 9; Ptol. IV 5.

2) Bouché-Leclercq I 10: „*le nomarque d'Arabie*". Etiamne Schwarzius p. 185 et Nieseus I p. 196 n. 2?

3) Kaerstius p. 390 n. 2; Droysenus I 2^2 p. 292; aliique qui verba faciunt de „nomis Arabicis" numero plurali, quod alio modo interpretari nequeo.

4) p. 193 n. 1; ea repetiit Stähelinius p. 710.

Digitized by Google

Aegyptiacum pagum [1]); sed oram Libyae ab Alexandria fere usque ad incertos terminos — an dicam Cyrenam? — in occidentem vergentem. Minime eum prohibuit etiam terras interiores regno addere, quibus, si praefecturae fines prolatandi cupidus erat Apollonius, facile annumerabatur ea Libya, quam Wilckenus dicit. Sed Alexandrum imprimis de regione Mari Medio adiacenti cogitavisse probabile videtur. Eodem prorsus modo Cleomeni eam regionem tribuisse regem credo, quae inter Iudaeam et Pelusium praeter Mare Medium sita Memphide vel Alexandriae commorantibus vere „e regione Heroonpoleos" erat, neque alio nisi proprio Arabiae nomine significari poterat [2]), tamen ab aliis Arabiis distinguenda erat, Syriaca, Felici, ceteris; imprimis oram maritimam iterum voluit Macedo, neque tamen novum satrapam introrsus quoque sita regere vetuit; Cleomenes, strenuus vir, procul dubio ea interiora quoque sibi vindicavit, scilicet peninsulam Sinaïticam, orasque Heroopolitici itemque Arabici sinus, Aegypto iterum ipsis Nili ripis terminata. Itaque, etiamsi illius magistratus, quem postea arabarcham vocaverunt, iura postulavit, cave eum ea appellatione adornes, quae minora reddat praecipua efficiatque ut pro toto partem accipias. Primum idcirco Cleomenis officium ita definiatur, ut satrapae fuerit imperium in eam regionem, quae inter Iudaeam et Nilum est, interioribus quam latissimis additis.

Secundum his verbis eodem loco Arrianus significavit: *καὶ τούτῳ παρηγγέλλετο* (Alexander) *τοὺς μὲν νομάρχας ἐᾶν ἄρχειν τῶν νομῶν τῶν κατὰ σφᾶς... αὐτὸν δὲ ἐκλέγειν παρ' αὐτῶν τοὺς φόρους· οἱ δὲ ἀποφέρειν αὐτῷ ἐτάχθησαν*; Curtius autem brevius loco laudato: *vectigalibus eiusdem Africae Aegyptique Cleomenes* (praepositus est); qui auctor recte de Arabia nihil profert, in qua Cleomenes satrapa necessario tributa collegerit. Iure enim nunc inter omnes consentaneum est non solum

1) Dummodo Onseos pagum excipias.

2) Eodem sensu apud Arr. III 1, 2 Alexander, cum oram semper legens Gaza Pelusium pervenisset, *Φοινίκην τε καὶ Συρίαν καὶ τῆς Ἀραβίας τὰ πολλὰ* subegisse dicitur. Tres illae regiones, Aegyptus, praefecturae Apollonii et Cleomenis, Alexandro mortuo Ptolemaeo tribuuntur; Arr. *succ.* 5: *Αἰγύπτου καὶ Λιβύης* animadverte Ptolemaeum statim Cyrenam petivisse!) *καὶ ὅσα τῆς Ἀράβων γῆς ξύνορα Αἰγύπτῳ.*

Digitized by Google

Arabiae, etiamsi Aegypti partem voluisset auctor, vectigalia ei commendata esse, sed totius Aegypti, Libya addita, quod Curtius aperte docet [1]). Nomarchae, qui non amoti erant et in suo quisque pago aliquatenus sui iuris erant, quae antea Persarum regi eiusve vicario pendebant, nunc praeter spem deferre iubentur non ad Doloaspim, sed ad Arabiae praefectum, magni profecto momenti officio praeditum, officium dico ditissimae provinciae aerarium tractandi.

Quod autem ad tertium munus pertinet, tradit sane Iustinus (XIII 4, 11) Cleomenem Alexandriam *aedificavisse*, at vide quid hoc sibi velit. Architectus fuit Dinocrates Rhodius nobilis, cui multos socios fuisse patet; is stricto sensu urbem aedificavit, portum exstruxit. Cleomenes quid fecerit, aliunde hauriendum. Curtius nihil certi docet, quandoquidem subiectum sententiae, quae est (IV 8, 5): *ex finitimis urbibus commigrare Alexandream iussis novam urbem magna multitudine implevit*, Alexander habendus est. Cum tamen sciamus omnia vectigalia ad eum confluxisse, eum ex his aedificandae urbis sumptus fecisse probabile videtur [2]). Praeterea tamen apud auctores Graecos nihil legimus [3]), uno Aristotele excepto; is enim (p. 1352 a 28 sqq.) tradit: Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως ἐντειλαμένου αὐτῷ οἰκίσαι πόλιν πρὸς τῷ Φάρῳ καὶ τὸ ἐμπόριον τὸ πρότερον ὂν ἐπὶ τοῦ Κανώβου ἐνταῦθα ποιῆσαι κτλ. Iussus igitur est noster commercium mercaturamque Canobo in novam urbem transferre idemque hanc incolis frequentare. Inde fortasse Curtio eiusve fonti, Cleomenis mentione facta, illa sententia in mentem venit. Nulli viro aptiori id munus tribui poterat; is enim Aegyptum eiusque incolas penitus noverat. Inter primos novae civitatis cives ipse fuit, et dicitur Ἀλεξανδρεύς apud Aristotelem (p. 1252 a 16). [4])

---

1) Falsum illud defenderant Nieseus p. 196 n. 2 et Schwarzius p. 187 n. 3. Melius Kaerstius p. 390, Belochius III 1[1] p. 334, Bouché-Leclercq I p. 13 sq., Wilckenus p. 193, Stähelinius p. 710.

2) Quod recte iam vidit Droysenus I[2] 1 p. 324.

3) Pseudo-Callisthenis et Iuli Valeri ineptias (l. l.) praeterire possumus; e quibus tamen apparet etiam in eiusmodi litteris memoriam servari Alexandriae a Cleomene „aedificatae".

4) Id primus animadvertit Wilckenus p. 195.

Digitized by Google

Nihil est cur credamus Cleomenem iam antea cum Alexandro congressum esse; in ipsa Aegypto, Naucrati fortasse primum inter se commercium habuerunt autumno anni 332[1] [1]). Mense Iulio anni 331[1] rex Macedo Aegypti Phoenices Syriae rebus digestis iam ad Euphratem pervenit, neque amplius sex menses apud Nilum commoratus est, interim ad Hammonem deum itinere confecto. Quo in loco valde admiramur quod inter multos viros, quibus Aegyptus tradebatur, unus invenitur recens amicus regis neque Macedo neque Graecus regionis ad Mare Aegaeum sitae incola, cui tamen summas res, pecunias vectigalia urbem cognominem condendam, rex tribuerit [2]). Hoc apertum: ut is, qui regionem aliquam eiusque opes noverit et incolas eorumque mores expertus sit neque ignoret quantum priora imperia vel profuerint vel nocuerint, ipse novo imperio tenendo aptior videtur, ita noster, cui in Aegypto cum incolis, variis praetoribus regentibus, magnus usus fuerat, idoneus erat qui eam administraret. Quae tamen ratio mihi non sufficit: quidni enim Alexander, sicut Doloaspi illi specie summam rerum, re titulum fere inanem tribuerat, Cleomenis inferiore loco Macedoni cuidam subiecti ingenio usus sit? Neque magis, si coniceres, quod aperte quidem non traditur [3]), verisimile tamen est, ante Alexandri adventum Cleomenem Naucrati mercaturas fecisse, imprimis frumentum Aegyptiacum coëmisse venditavisse, etiam, si casus fieret, argentariam tractavisse atque civitatis patriae inter primores habitum ibique honoribus et magistratibus [4]) functum esse, id quod modo obieci refel-

1) De temporibus ubique cf. Droysenum passim, Belochium III[2] 2 p. 304 sqq., etiam Bouché-Leclercq I p. 15 sqq.

2) Postea Phoenices vectigalia, ut par erat, Macedoni rursus Coerano exigenda permisit: Arr. III 6, 4.

3) Quia Cleomenis nomen cum Alexandria condita coniunctum erat, iniuria eum *architectorem* dicit Iul. Val. I 25. *μηχανικόν* autem Ps.-Call. I 31.

4) Naucratis, Milesiorum colonia, iam ab Amasi rege vera civitas fuisse videtur, quippe quae suas leges haberet (Wilcken, *Chrest.* n. 27, 21—3), suos magistratus quoque (Athen. IV p. 149 d = Hermias F. H. G. II p. 80). Quod autem Arr. III 5, 4 Cleomenem non Naucratitam, sed *ἐκ Ναυκράτιος* vocat (cf. Iul. Val. 25: *Cl. de Neucrato*; contra Ps.-Call. I 31 *Ναυκρατίτης*), id fortasse viri detrectandi causa Ptolemaeus, Arriani fons, praetulit. Id significare eum non iam Naucratiticam civitatem habuisse, Alexandrina accepta, minime credo; nam nihil erat cur hac donatus illam repudiaret.

Digitized by Google

leres [1]). Immo ipsius viri specie morumque dulcedine permotus, eius aspectu et natura delectatus Alexander, ut qui saepissime idoneos adiutores sibi eligere potuerit, quasi ex itinere expugnatus, eum statim voluit, ei cupivit. Quae psychologica, ut aimus, ratio, nisi nova documenta vel argumenta eam redarguent, sola cur tot tantaque recenti ministro mandaverit, explicabit. [2])

Illa igitur, cum Aegypti res Alexander constitueret, Cleomeni commisit, et nunc iam quaerendum esset qua ratione iis officiis functus esset, nisi prius magna exstaret quaestio: multa enim legimus, quae his rebus minime conveniant. Iam ipse Aristoteles — ita breviter Oeconomicorum auctorem semper appello, ut Demosthenem orationis quam dixi scriptorem — initium narrandi de Cleomene his verbis facit (l. l. 15 sq.): Κλεομένης Ἀλεξανδρεὺς Αἰγύπτου σατραπεύων κτλ.; Demosthenes haec habet (§ 7): Κλεομένουσ τοῦ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἄρξαντοσ, ὃσ ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν παρέλαβεν κτλ.; Arrianus autem (VII 23, 8) Alexandrum vituperat quod etiam in futurum tempus veniam peccatorum promisit ἀνδρὶ ἄρχοντι πολλῆσ μὲν χώρασ (Aegyptus, non Arabia designatur) πολλῶν δὲ ἀνθρώπων; quae eodem loco ab Alexandro iubentur [3]), minime vectigalium exactoris sunt; idem auctor in alio libro (*succ.* 5) scripsit: Κλεομένησ ὁ ἐξ Ἀλεξάνδρου τῆσ σατραπείασ ταύτησ (= Aegypti) ἄρχειν τεταγμένοσ (cf. etiam Paus. I 6, 3). Quae rerum repugnantia, etsi a nonnullis tacetur [4]), neminem certe fallere potuit; sed variis modis eam interpretantur. Sunt qui eam statuant omni neglecta explicatione [5]); alii nostrum iniuria satrapam dici, eiusque iura semper eadem remansisse, etsi potestatem auxerit, contendunt [6]); pars etiam Cleomenem

1) De Schwarzii opinione, quae huc pertinet, infra quid sentiam legitur.

2) Cf. infra p. 127.

3) De iis mandatis cf. Plaumannum apud P-W. R-E. VIII p. 295—6 s. v. Hephaestionis; Lumbroso, *Lettere etc.*, Aegyptus I p. 6—7.

4) Schaeferus III² p. 297: (Cleomenes) *den Alexander als Landpfleger in Aegypten eingesetzt hatte*; et Svoronos IV 3 (= I μη'): (Cl.) *den dieser* (Alex.) *dann als Satrap des Landes bestallte*; ii de prioribus locis nihil referunt.

5) Ita Nieseus p. 87 (cf. p. 196 n. 2): *diesem* (Cl.) *fiel nach einiger Zeit, wir wissen nicht aus welcher Ursache, die Leitung der gesamten Verwaltung zu.*

6) Droysenus I 1² p. 324 n. 1 (cf. 2 p. 25 n. 1); Bouché-Leclercq I p. 13 sq.: *cet ingénieux système s'était rapidement détraqué au profit du fonctionnaire*

Digitized by Google

non permissam praefecturam vi occupavisse aestimat [1]); invenitur postremo vir doctus qui defendit Alexandrum ei rerum temporumque necessitatibus cogentibus invitum tribuisse talem potestatem [2]). Nihil certi et aperti in fontibus legitur, siquidem apud Demosthenem (l. l.) vox, quae est *παρέλαβεν*, quippe quae et in bonam et in malam partem dicatur, rem integram relinquit [3]). Tamen si non certa, verisimilia enucleari mihi posse videntur. Qua in re imprimis Arriani locus inspiciendus erit hic (VII 23, 6 sqq.) [4]): *Καὶ Κλεομένει, ἀνδρὶ κακῷ καὶ πολλὰ ἀδικήματα ἀδικήσαντι ἐν Αἰγύπτῳ, ἐπιστέλλει* (Alexander rex) *ἐπιστολήν. Καὶ τιμήν... ἄλλων δὲ πολλῶν ἕνεκα μέμφομαι. Ἔλεγε γὰρ ἡ ἐπιστολὴ κατασκευασθῆναι Ἡφαιστίωνι ἡρῷον.... Ταῦτα μὲν οὐκ ἔχω μέμψασθαι, πλήν γε δὴ ὅτι οὐκ ἐπὶ μεγάλοις μεγάλως διεσπουδάζετο. Ἐκεῖνα δὲ καὶ πάνυ μέμφομαι. Ἤν γὰρ καταλάβω ἐγώ, ἔλεγε τὰ γράμματα, τὰ ἱερὰ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καλῶς κατεσκευασμένα καὶ τὰ ἡρῷα τὰ Ἡφαιστίωνος, εἴ τέ τι πρότερον ἡμάρτηκας, ἀφήσω σε τούτου, καὶ τὸ λοιπόν, ὁπηλίκον ἂν ἁμάρτῃς, οὐδὲν πείσῃ ἐξ ἐμοῦ ἄχαρι. Τοῦτο ἀνδρὶ ἄρχοντι πολλῆς μὲν χώρας, πολλῶν δὲ ἀνθρώπων, ἐκ βασιλέως μεγάλου ἐπεσταλμένον, ἄλλως τε καὶ κακῷ ἀνδρί, οὐκ ἔχω ἐπαινέσαι.* E verbis, quae sunt *εἴ τέ τι πρότερον* et quae sequuntur, auctores, quos quidem legi, omnes [5]) colligunt gravia habuisse regem quae

qui, par les finances, tenait le grand levier du gouvernement. Au bout de deux ou trois ans, Cl. était considéré comme le gouverneur. Nonne eadem ratione Belochius III 1[1] p. 334:... *Leitung der Finanzen, eine Stellung in der er zehn Jahre geblieben ist* (cf. III 1[2] p. 340 n. 1)?

1) Wilckenus p. 193: *hatte sich aber einige Zeit danach — wohl als Alex. im fernen Osten weilte — zum Satrapen gemacht, und ist auch von Alex. nachträglich bestätigt worden.* Eadem isdem fere verbis Stähelinius p. 711.

2) Schwarzium volo, de quo infra p. 124.

3) Fortasse tamen apud virum, qui Cleomenem se maxime exsecrari contendit, aliud verbum expectaremus, si illius imperium minus legitimum fuisset.

4) Falsa de eo loco scripserunt Droysenus p. 335 n. 3 et, ni verborum brevitate fallor, Cavaignacus (*Hist. de l'Ant.* III p. 12 n. 2), qui contendunt Cleomenem sua sponte eos honores reddidisse, Alexandrum certiorem fecisse, ob eam rem veniam accepisse. Minime verum. De satrapae epistula nusquam, de eadem Alexandri ubique agitur. Initio autem § 1 7 vox *ἔλεγε iubendi* vim habet (cf. Kühner-Gerth[3] II 2 p. 6—7). Ab Alexandro iubetur Cleomenes eos honores ab ipso rege inventos (cf. § 8: *πλήν γε δὴ... διεσπουδάζετο*) novo deo reddere.

5) Auctorum, quos laudavi, si quis de ea re aperte scripsit, ita sentit. De solis tributis praeteritis cogitat Lumbroso l. l., minus recte me iudice.

Digitized by Google

praefecto obiceret. Ego minime id verum puto. At ipse Arrianus bis eodem loco eum „improbum virum" dicit additque „qui magna facinora in Aegypto commisit"; porro Demosthenes scribit (§ 7): *ὃσ ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν παρέλαβεν, οὐκ ὀλίγα κακὰ εἰργάσατο τὴν πόλιν τὴν ὑμετέραν*; apud Aristotelem nihil fere nisi minus licita legas; tu tamen talem virum mihi defendes? Nisi alios mihi protuleris fontes, defendam. Quid enim? Ingeniosas quaestus faciendi rationes, nihil praeterea, in Oeconomicis illis exspectare potes, neque argentum conferri potest nisi ab aliis ablatum; tum si mox mecum fortasse conveneris non solum in malam partem res a Cleomene gestas esse accipiendas, eius memoriae Aristoteles damno esse non poterit. Demosthenis autem orationi secundum locum tribuisti. Sed in Graeciae urbibus frumentum pretio ab illo constituto emere coactis, illius famam peiorem fuisse facile intellegitur; ab emptoribus aequum de mercatore iudicium ne exspectaveris; nec de iis, quae Cleomeni negotiatori fortasse obici possunt, Alexandri praefectus vituperandus videtur. Postremus est Arrianus, ut plerumque scriptor gravissimus, ita in his rebus non temere credendus. Eius auctores fuerunt Aristobulus et praecipue rex Ptolemaeus, ut in prooemio ipse affirmat [1]); huius historias, ut viri Cleomeni infensi, de viro inimico et odioso potius deteriora et adversa tradidisse humanae naturae est [2]). Nobis ipsis igitur antiquorum praeiudiciis neglectis proprium et sincerum ferendum erit infra iudicium, Alexandri autem epistula nunc per se ipsa et ex indole regis interpretanda. Alterutrum verum: aut insaniebat Alexander eas litteras scribens, aut sanus erat. Illud qui defendere audeat probetque, eum per me affirmare licet regem, qui omnium generum peccata ab India regressus asperrime punivit [3]), qui cum ipsis suis Macedonibus verbis et reprehensionibus congressus est, uni Cleomeni magnorum scelerum noxio nescio qua

1) Cf. etiam VI 2, 4: *Πτολεμαῖοσ... ᾧ μάλιστα ἐγὼ ἕπομαι.*

2) Recte fere scripsit Bouché-Leclercq I p. 15: *Arrien ne fait que répéter ici ce qui se disait autour de Ptolemée, quand le nouveau satrape mit le pied sur la terre d'Egypte*; neque tamen ea de re meliora de nostro sentit.

3) Cf. Arr. VI 27; 29; 30 sqq. Qui de Cleomenis, quam volunt, culpa praeter ea, quae tractamus, prorsus nihil.

Digitized by Google

de causa pepercisse; pepercisse dico? immo in futurum etiam omni culpa iam tunc liberavisse; dummodo quid faceret? utrum illicitam potentiam exueret, an omnium fidissimum deinceps in regem suum se praeberet? Minime, dummodo — risum teneatis amici — templa Hephaestionisque heroa optime coleret! Mihi crede, ita res non se habent: Cleomeni maiora scelera ab Alexandro obici non poterant neque is est textus sensus ut dicat rex: „maximis tuis facinoribus ignosco dummodo templa recte se habeant, iisque quae admiseris vel maxima ignoscam"; sed potius ita alteram sententiam intellegas: „quae a nonnullis crimini tibi vertuntur, mihi leviora videntur [1]), damno tibi non erunt"; altera autem sententia, quae ad futurum tempus pertinet, scribi minime potuit nisi ad praefectum cui rex maxime confideret, quem nunquam magna venia digna facturum sciret, atque ideo nihil significat nisi haec: „fieri potest ut in posterum errore inductus, quae mihi non probanda videantur, facturus sis; ita tamen tibi persuadeas, quantumcumque fiat damnum, me id tibi non vitio versurum; novi enim quanta fide dignus sis".

Quodsi mihi dare potes Ptolemaeum, Arriani fontem, consulto vel errore Alexandri litteras male interpretatum esse [2]), nihil iam verisimile habet eorum opinio, qui Cleomenem, seu vi et armis seu dolo et corruptione seu nescio quo modo, Aegyptum totam suae dicionis fecisse putant. Immo ita aestimandum eum erga Alexandrum etiam cum in Indiam tenderet, fidum permansisse, cum alii suo commodo faventes libertatem assequerentur suique iuris se facerent. Quin in ipsa sua epistula sibi Macedo minus constaret si viro, qui summum imperium iniuria adeptus exerceret, mandata daret quae tali potestati solum convenirent, idemque scriberet se illum satrapae imperio ornaturum esse, dummodo bene faceret quae illius imperii essent. Alia etiam eiusdem fidei exstant argumenta: Naucrati patriae civitati strenue favebat Cleomenes [3]) tamen Alexandriam

1) Fortasse de civitatibus Graeciae, imprimis de sacerdotibus Aegypti querentibus cogitat rex (cf. infra p. 121).

2) Si alia minus benigna habuissent litterae, ea certe Cleomenis accusator non omisisset.

3) Cf. nummos aereos de quibus in sequentis paginae nota 2.

Digitized by Google

novam aemulam aedificandi finem non fecit [1]) regique ita morem gessit. Porro primum verum nomisma in Aegypto is percussit [2]). Quo signo? Num suo, ut Aegypti tyranni? Immo Alexandri effigiem nomenque ostendunt, nummosque Macedoniae et pondere et alias imitantur; alterum praefecti fidelis documentum.

Regis fidem servavisse videtur [3]), atque, ut tandem post satis longum circuitum rectam viam repetamus, quaerendum utrum sensim sua iura amplificando aliorumque minuendo summum fastigium, specie repudiatum sed re possessum, obtinuerit, an ipsius Alexandri sponte eiusque consilio mutato postea satrapa factus sit. At eadem fere hic valent: regni usurpatio gradatim facta praesentibusque forte minus perspicua, nihilominus iniuria fuisset praesertim Alexandro iudice post longum tempus ex ignotis terris revertente; is enim non quomodo, sed quae effecta essent, animadvertisset. Accedit quod non tanta erant, ut quibusdam visum est [4]), eius officiorum vis et pondus adversus navarchum, cui triginta naves, praetoresque duos, quibus quattuor milia Macedonum praesto essent. Quos sine militibus superare nemo valebat; quod si cum propriis novisque copiis fecisset, Macedonas debellavisset; capitale scelus! Sin cum ipsis Macedonibus contra eorum praefectos, quod per se iam minus verisimile videtur, iis semper obnoxius mansisset neque eos dolo satis aperto mensis mercede defraudare potuisset [5]); tum usurpatori semper maioribus praesidiis opus est, noster autem, ni fontium penuria nos fallit, paucissima habuit. Postea enim, ut Diodorus tradit (XVIII 14, 1), *Πτολεμαῖος μὲν ἀκινδύνως παρέλαβε τὴν Αἴγυπτον ... παραλαβὼν δὲ ὀκτακισχίλια τάλαντα μισθοφόρους ἤθροιζε καὶ δυνάμεις παρεσκευάζετο*; unde probari mihi videtur Cleomene satrapa mercede conductorum in Aegypto numerum fuisse minimum: rem militarem sprevisse videtur. Me iudice facere non possumus quin Alexandrum paulo postquam Memphide

1) Cf. Arist. p. 1352 a 28 sqq. et infra p. 123.

2) Cf. Bouché-Leclercq III 273; Poole, *Catal. of Gr. Coins (Alexandria)* p. 349; ante omnes Svoronos l. l. cum tabulis. Imprimis animadvertas aereum illud nomisma, cuius obversa pars habet A A E (*ξανδροσ*), postica N A T (*κρατισ*). Cf. infra p. 122.

3) Cf. infra p. 114 sq.

4) Cf. supra p. 108 cum nota 6.

5) Cf. infra p. 121.

Digitized by Google

res Aegypti ordinavisset, consilium mutavisse, Cleomenemque verum totius regionis satrapam creavisse putemus. At nusquam ea mutatio legitur. Primo sane obtutu ita res se habet; vide tamen ne fontes minus recte interpreteris. Ex quo enim Alexander ex Aegypto profectus esset, de Cleomene quicquam referre nihil iam ad historicos pertinebat [1]); sed unus locus excipiatur, in quo de nostro agitur per illa tempora, idem rursus Arriani (VII 23, 6 sq.), immo Ptolemaei regis. Qui, etsi eius intererat Cleomenem infamare eiusque legitimam praefecturam tacere, omisit quidem, ut supra vidimus, certa scelera nobiscum communicare, tamen ipse rerum veritatem prodidit imperiumque illud vituperandi gratia commemoravit his verbis: ἄρχοντι πολλῆσ μὲν χώρασ, πολλῶν δὲ ἀνθρώπων. Regis consilii mutati causam vix inveniamus, cum omnia argumenta desint. Liceat tamen coniecturam proferre. Naucratitae munera, quae ad vectigalia exigenda urbemque condendam pertinebant, perdifficilia erant effectu: nomarchae sane tributa pendere iussi erant, opifices autem et incolae ex urbibus vicisque finitimis Alexandriam transferendi erant; sin recusabant illi aut minora solvebant, hi autem se migraturos negabant [2]), militum relictorum praesidio eorumque praetorum auxilio opus ei erat; qui autem procul dubio ei minus favebant et invidia ei adversati sunt. Itaque fieri potest ut Alexander, ut nodum expediret, Cleomenis querimoniis commotus, ipsos Macedonas iusserit Naucratitae parere. [3])

Verum igitur satrapam mox Aegyptus, Libya addita, sicut iam Arabia, nancta est; de Cleomene autem satrapa sermo faciendus. Quod ergo nobis supra (p. 108) proposuimus, nempe ut qua ratione singulis mandatis functus esset, requireremus, id non iam necessarium videtur, sed quaerendum erit mox qualis fuerit regius praefectus.

1) Cf. supra p. 102.

2) Inter nomarchas et Cleomenem non semper bene convenisse, docet Arist. p. 1352 a 16 sqq. (cf. infra p. 118 sq.), non omnes libenter migravisse idem p. 1352 a 28 sqq. (cf. infra p. 123).

3) Eorum duces fortasse ex Aegypto revocat. De Peucesta enim nihil postea traditur, ni fallor; de Balacro fortasse (cf. P-W. R-E. s. v.) Arr. IV 24, 10 agit cum Alexandro in Indiam tendente.

Digitized by Google

Minime ei Alexandri obitus profuit. Macedones enim, quibus tunc rerum arbitrium permissum erat, Perdiccas et Ptolemaeus Eumenes Antigonus ceteri, plura quam sibi ipsis certe importuno Naucratitae daturi non erant: sua commoda quaerebant, illo suum in emolumentum usuri. Optimus auctor, de successorum rebus scribens Arrianus (§ 5; cf. Dexippum l. l.), talia fere, si Photio patriarchae epitomatori credimus, tradidit: Καὶ δὴ Πτολεμαῖος μὲν ὁ Λάγου Αἰγύπτου καὶ Λιβύης καὶ ὅσα τῆς Ἀράβων γῆς ξύνορα Αἰγύπτῳ ἄρχειν ἐπετάχθη, Κλεομένης δὲ ὁ ἐξ Ἀλεξάνδρου τῆς σατραπείας ταύτης ἄρχειν τεταγμένος Πτολεμαίῳ ὕπαρχος εἶναι. Etiam Iustini verba addantur (XIII 4, 10—11): *Prima Ptolomeo Aegyptus et Africae Arabiaeque pars sorte evenit,...; cui ad tractandam provinciam Cleomenes, qui Alexandriam aedificaverat, adiutor datur* [1]). Etsi ipsum vocabulum ὕπαρχος verbumque tractandi minus certa designant, tamen si quid video ceterique viderunt, ea docent Cleomeni idem munus restitutum esse, quod ab initio Alexander dederat, pecuniae publicae et vectigalium curam. Iterum [2]) excipitur noster, praeter quem nullus hyparchus cuiquam addatur, quantum e fontibus apparet. Qua de causa autum factum est ut Macedones, qui vera et absoluta imperia sibi reservare vellent, unum alterius nationis virum praeterire non possent? Cleomeni si quid gravius obici potuisset, si deterius res suas gessisset, si quid tandem causae fuisset cur removeri posset, nunquam Ptolemaeus tales praefecturae condiciones accepisset. Plane igitur statim inde concluderemus nihil fere fuisse quod, praeter originem Naucratiticam, in Cleomene reprehenderetur, nisi Perdiccas quoque his in rebus quaerendus esset [3]): is enim ὑποπτεύσας, ut iterum eodem loco Arrianus decurtatus tradit, Ptolemaeum, eum custodiri voluit Cleomene hyparcho addito; custodia autem iure ei committitur qui fidelis videatur. Perdiccae igitur fidus Cleomenes est visus. Num in se? Potius in Alexandrum. At ille mortuus. Recte igitur iudicemus, si regibus, si Alexandri regio generi, si legitimis successoribus fidelem

1) Diodori locus (XVIII 14, 1) iam saepius laudatus est (cf. supra p. 112).
2) Cf. supra p. 107 sq.
3) Quod optime Stähelinius (p. 712) coniecit.

Digitized by Google

eum aestimemus; rectius etiam, ni fallor, cum Arrhidaeus indignior esset, neque ad id tempus Rhoxane peperisset, si eundem Alexandri studiis rationibus propositis, regnoque ab illo per orbem terrarum condito faventem, avidum etiam pro virili parte ea perficiendi, quorum novus rerum status copiam daret, praedicemus. Ptolemaeum Susis praesentem omittere Perdiccas neque audebat neque fortasse volebat; eundem solum Aegypti imperio ornare lubricum videbatur. Quid melius faceret quam militum duci Graecum versutissimum apponere, ipsius regionis iamdudum peritum, toti denique regno ex animi sententia prospicientem?

Sibi uni quasi custodem additum esse sine ullo dubio aegre tulit novus satrapa, neque dubitare quisquam potuit, quin inter ambos mox certamen foret. Quod factum est; nam, ut Pausaniae (I 6, 3) verbis utar, Ptolemaeus ἐσ Αἴγυπτον διαβὰσ Κλεομένην τε ἀπέκτεινεν, ὃν σατραπεύειν Αἰγύπτου κατέστησεν Ἀλέξανδροσ, Περδίκκᾳ νομίζων εὔνουν καὶ δι' αὐτὸ οὐ πιστὸν αὐτῷ. Quam causam is occidendi tradit, eam non causam sed praetextum duco, ut ex iis, quae modo exposui, patet. Vera causa imprimis dignitatis contentio fuisse videtur, tum quod Cleomenes minus erga Perdiccam quam erga ipsam regiam domum fidus erat, unius omnium gentium imperii fautor, adversarius autem Ptolemaei Aegypti regnum affectantis. Sed aptissime inventum praetextum.

Quando occisus sit, non aperte traditur, tamen reperiri potest. Iam Pausaniae verba docuerunt eius necem haud ita multo post Alexandri mortem factam esse. Anno autem 323° die tertio decimo Iunii mensis Alexander vita excessit; paulo post dividuntur satrapiae; autumno eiusdem anni in Aegyptum pervenit Ptolemaeus; mense Iulio anni 321[1], cum expeditionem contra Ptolemaeum faceret, a militibus suis occisus est Perdiccas. Ptolemaei autem praetextum [1]) Perdicca necato nihil iam valeret, ante bellum eidem indictum nondum quicquam. Quod bellum, etsi iam aliquantum temporis imminere videbatur, tamen ante ultimos menses anni 322i non erupit. Cleo-

1) At fortasse Pausanias erravit vel de suo causam illam sive praetextum invenit. Quod si verum, nihil omnino scimus; num tamen improbabilia tradit?

Digitized by Google

menes igitur, si probabilia quaeris, inter finem anni 322i et Iulium mensem anni sequentis vita defunctus est [1]). Quae rationes cum Demosthenis textu optime conveniunt: foeneris nautici pactio, de qua in ea oratione agitur, facta est mense Metagitnione, Augusto fere, anni prioris [2]), Cleomene etiam tum mercaturam Aegypti moderante. Oratio autem eodem mortuo habetur [3]). Pactio igitur mense Augusto anni 323i convenit, res agitur inter Iulium mensem anni 322i et Iunium anni 321i, accuratius etiam ultimis anni 322i vel potius primis anni 321i, Olympiadis 114ae anno tertio, Philocle Athenis magistratu eponymo.

In fine huius partis liceat, quantum fieri potest, Cleomenis vitae conspectum dare:

saeculi quarti parte priore: Cleomenes nascitur.

332 (autumno)	: in Aegyptum venit Alexander.
332—1 (hieme)	: iter ad Hammonis templum.
331 (initio)	: Alexandriam condit rex resque Aegyptiacas moderatur: Cleomeni tribuitur Arabiae praefectura, Alexandriae cura, totius Aegypti aerarium. Proficiscitur rex.
paulo post	: Aegypti satrapa creatur Cleomenes.
324 (mense Octobri)	: Hephaestio moritur; postea legati ad Hammonem mittuntur de honoribus illi tribuendis et revertuntur.
323 (initio fere)	: scribitur epistula quam dat Arr. VII 23, 6 sqq.
323 (13° Junii)	: obit Alexander.
paulo post	: dividuntur provinciae: Aegypti satrapa Ptolemaeus fit, eius hyparchus Cleomenes.
323 (autumno)	: Ptolemaeus in Aegyptum venit.
322 (aestate)	: Ptolemaei expeditio in Cyrenenses.

1) Talia fere Schaeferus III 2[1] p. 313—4.

2) Cf. § 5: προσελθόντες (rei scilicet) ἡμῖν πέρυσι τοῦ μεταγειτνιῶνος μηνὸς ἔλεγον.

3) Cf. Demosth. § 7. Imprimis tempora verborum animadvertas.

Digitized by Google

322 (autumno) : Alexandri corpore Alexandriam translato, exardet bellum inter Perdiccam et Ptolemaeum sociosque.

322—1 (hieme fere) : necatur Cleomenes.

II.

Iis quae de Cleomenis Naucratitae vita nota videntur expositis, iam quaeramus qua ratione muneribus functus sit, quid novi induxerit, qualem erga Alexandrum Aegyptios Graecos se praebuerit, quibus virtutibus praeditus, quibus etiam vitiis deformatus fuerit. Magnum vere inceptum quodque ex minima parte effici possit, fontibus stillatim manantibus. Quamquam rursus omnia ex auctoribus iterare supervacaneum videtur: ea, de quibus inter scriptores non convenit vel quae aliqua de causa graviora ducenda, praetuli. Praeter ea, quae supra exposui, soli fere nobis Demosthenes Aristotelesque — nomina viris maiora — utiles erunt. Nam falsi Callisthenis figmenta quid pretii habeant?

Antequam ad cetera et maiora deveniamus, Athenaei Dipnosophistarum locus (IX p. 393 c) commemoretur: *τῶν δὲ καλουμένων χεννίων — μικρὸν δ' ἐστὶν ὀρτύγιον — μνημονεύει Κλεομένης ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ γράφων οὕτως· „Φαληρίδας ταριχηρὰς μυρίας, τυλάδας πεντακισχιλίας, χεννία ταριχηρὰ μύρια"*. Quid hoc sibi velit, ignoro [1]). Fortasse agitur de dono regi misso vel de templorum reditibus [2]). Hoc tamen notandum: scribitur *ἐν τῇ ἐπιστολῇ*, unde apparet Athenaeo eiusve fonti unam solam Cleomenis ad regem missam epistulam notam fuisse.

Erga Alexandrum eiusque domum semper fidelem se praebuisse nostrum, eumque regis indole et animo statim captum eius propositis et consiliis assensum esse, ex iis, quae in priore

1) Stählelinius risum fere movet cum scribit (p. 711): *Aus einem* (? cf. supra) *Briefe des Kl. an Alex. citiert Ath. einen Abschnitt, worin eine reiche Fangbeute (!) mehrerer Arten ägyptischer Vögel verzeichnet wird*". In Aegypto nimirum conditas venantur fulicas coturnicesque!

2) An cogitandum de Hephaestionis honoribus ita ut cum epistula Alexandri (Arr. VII 23, 6) haec Cleomenis coniungatur?

Digitized by Google

parte legimus, satis me iudice patuit [1]). Repudianda simul visa sunt, quae nonnulli de Cleomene illiciti regni usurpatore disseruerant; immo cum Alexandro in ultimis terris morante ditissimae et separatae provinciae regimen sine mole assequi multorum exemplis usus potuisset, fidem servare atque cum iussa tum quae commoda utiliaque sibi viderentur, perficere satius habuit. Timore vel libidine vel levitate vel etiam regni imbecillitate minime commotus est rex [2]) ut ei, quod aiunt, parceret; laude dignus erat praefectus fidelis.

Erga ipsos Aegyptios, agricolarum multitudinem eorumque magistratus, quomodo se gessisset, prorsus lateret nisi apud Aristotelem duae res legerentur; quos locos docendi causa totos transcribere liceat. Prior narratio (p. 1352 a 16—23) haec est: Κλεομένης Ἀλεξανδρεὺς Αἰγύπτου σατραπεύων, λιμοῦ γενομένου ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις τόποις σφόδρα, ἐν Αἰγύπτῳ δὲ μετρίως, ἀπέκλεισε τὴν ἐξαγωγὴν τοῦ σίτου. Τῶν δὲ νομαρχῶν φασκόντων οὐ δυνήσεσθαι τοὺς φόρους ἀποδοῦναι τῷ μὴ ἐξάγεσθαι τὸν σῖτον, ἐξαγωγὴν μὲν ἐποίησε, τέλος δὲ πολὺ τῷ σίτῳ ἐπέβαλεν, ὥστε συνέβαινεν αὐτῷ † εἰ μὴ † ἐξαγομένου ὀλίγου πολὺ τέλος λαμβάνειν, αὐτούς τε τοὺς νομάρχας πεπαῦσθαι τῆς προφάσεως. Altera autem ita legitur (ibid. b 14—20): Τοῦ τε σίτου πωλουμένου ἐν τῇ χώρᾳ δεκαδράχμου, καλέσας τοὺς ἐργαζομένους ἠρώτα πόσου βούλονται αὐτῷ ἐργάζεσθαι· οἱ δὲ ἔφασαν ἐλάσσονος ἢ ὅσου τοῖς ἐμπόροις ἐπώλουν. Ὁ δ' ἐκείνους μὲν ἐκέλευσεν αὐτῷ παραδιδόναι ὅσουπερ ἐπώλουν τοῖς ἄλλοις· αὐτὸς δὲ τάξας τριάκοντα καὶ δύο δραχμὰς τοῦ σίτου τὴν τιμὴν οὕτως ἐπώλει. Una ambae quia cohaerent tractandae: frumenti enim exportandi prohibitionem, de qua in altera aperte sermo fit quaeque in altera latet, ut mox demonstrabitur, semel a Cleomene decretam esse veri simile videtur [3]). Qua prohibitione edicta prior exstitit illa cum nomarchis altercatio. Qui pagorum superbi praesides vectigaliumque exactores et collectores antiquitus constituti eoque magis sibi confidentes quod ipsius regis

1) Mirum in modum et apud falsum Callisthenem fidi administri partes habet.

2) Timorem arguit Schwarzius p. 187 (cf. infra p. 124), levitatem Bouché-Leclercq I p. 14 aliique, regni imbecillitatem Droysenus I 2^2, 335 n. 3.

3) Cf. Riezlerum p. 33, Schneiderum p. 110.

Digitized by Google

iussu dignitatem tuebantur [1]), ut in aliis rebus, quod ratio cogit, ita in ea re cum satrapa dissederunt: populi quaestus mercatura prohibita impediri neque ideo tributa pendi posse affirmaverunt. Minime absurdum id videtur, sed quae sequuntur inepta essent — quis enim e nomarchis Cleomenem liberam exportationem callide simulantem probaret, aut quid valeret praetextum sublatum novo praetexto oblato — nisi plura nos secunda narratio doceret apud Aristotelem minus recte separata [2]). Quam sic recte interpretari priore collata mihi videor [3]): frumentum in Aegypto Graecis mercatoribus ab agricolis magno decem drachmarum pretio, quod ceterae [4]) regiones fame premerentur, veniisse; mercaturam ergo etiam tum liberam fuisse necdum satrapam ne exportaretur prohibuisse; contra triginta duarum drachmarum pretium postea solutum esse cum ab uno Cleomene constitui posset exportandi prohibitione promulgata — rectius: ceterorum mercatorum libera aemulatione ingenti portorio impedita; idem utrumque efficit. Quae cum facta essent, subito in ipsa Aegypto emptorum penuria pretium retro abiisse neque mirum igitur si agricolae, Cleomene rogante [5]) quanti sibi vendere vellent, minoris quam mercatoribus soliti essent, professi sint. Cleomenem autem — idque maximi faciendum — ut idem a se pretium solveretur convenisse quod antea a negotiatoribus, eo, quod ipsi offerrent, maius. Ita demum nomarchis vere ademptum praetextum. Magnopere dubitandum esse inde apparet num vera sint quae de Aegypto Cleomene satrapa expilata aiunt eiusque incolis immiti deformique avaritia ad egestatem turpem redactis [6]); libenter credam agricolas

1) Cf. Arriani locum laudatum supra in p. 103 n. 2.

2) Auctorisne id sit vitium an fontium confusio et varietas, quod equidem credo, hic quaerere alienum.

3) Etiam Riezlerum p. 33—4 conferas.

4) Quod in narratiuncula priore fames in Aegypto „mediocris" fuisse dicitur, id ita accipiendum duco ut vera fames non fuerit — ipsi enim agricolae vendere cupiunt — sed ut multos emptores peregrinos frumentum invenerit itaque pretium auctum sit.

5) Quomodo cum agricolis se coniunxerit noster, utrum cum ipsis agrorum maiorum possessoribus an per nomarchas, latet.

6) Cf. Bouché-Leclercq I 14: *pressurer le fellah*; Nieseus I 185 n. 3: *sich auf kosten seiner Untertanen zu bereichern*; Schwarzius p. 188: *egoïstische Aussäugung Aegyptens*; alios.

Digitized by Google

aliquatenus ei cordi fuisse, et si cupidus fuerit, eum certe non temerariae avaritiae obnoxium fuisse.

In Aegyptios, illis si credis, eius imperium asperum non videtur fuisse [1]), dummodo unum incolarum genus excipias. Nam haud multum abest quin affirmare possimus eum imprimis sacerdotibus, etiam templis infensum fuisse. Huius inimicitiae tria documenta traduntur ab Aristotele: in primo (p. 1352 b 20—25) legimus eum sacerdotum synodum [2]) convocavisse, ibi disseruisse nimia in templa et sacerdotes solvi itaque plura delubra claudi multosque antistites et ministros dimitti oportere. Quod ne in semetipsum caderet, sacerdos quisque dicitur proprias sacrasque pecunias ei dedisse. Alterum idem auctor ita fere tradit (p. 1352 a 23 sqq.): Cleomenem per pagum, ubi erat crocodilus deus, is est νομὸς Ἀρσινοΐτης, navigantem unum e servis tali belua abreptum amisisse, tum sibi priorem illatam esse iniuriam sacerdotibus dixisse et optimo iure se bestias infensas venaturum esse, tandem multo argento accepto destitisse ab incepto. Tertium etiam est, de quo mox agam, quod etiam aliis de causis gravissimum sit. Ex tribus illis apparet sane nostrum argento corrumpi potuisse ut proposita omitteret, sed hoc imprimis tenendum: rectissime vidit [3]) regioni toti fanorum onus gravissimum esse eorumque sacerdotum et famulorum multitudinem parasitorum more de populo industrio vivere regionemque exhaurire, itaque fieri non posse ut divitiis floreret et fertilitate frueretur, quantum posset, Aegyptus, nisi illum ordinem redderet debiliorem. Quod his

1) Scribit sane Diod. loco laudato: (Ptol.) τοῖσ μὲν ἐγχωρίοισ φιλανθρώπωσ προσεφέρετο. Cave tamen inde colligas priorem satrapam igitur aliter se gessisse. Eodem iure perseverares Ptolemaeo, quod Cleomenes incolis favisset, idem faciendum fuisse.

2) Tales synodos postea habuerunt Ptolemaei et ab iis nobilissima facta sunt decreta: cf. W. Otto, *Priester und Tempel* I 72 sqq. et famosa monumenta Rosettae et Canobi inventa (Dittenberger *Or. Gr. Inscr.* 56 et 90).

3) Neque is solus, verum etiam eodem auctore teste (p. 1350 b 33 sqq.) Chabrias Atheniensis, qui regi Tacho ut eiusmodi rem faceret persuaserit. Romanis quoque Aegypti dominis idem apertum erat. Sternius (p. 437—8) itemque Riezlerus (p. 34, cf. Schneiderum p. 112) errant, qui unam rem bis varia ratione narrari affirment. Cleomeni minime alieno exemplo opus erat ut videret in Aegypto templa abundare eiusque regionis opes maiore ex parte dis deabusque quam incolis prodesse.

Digitized by Google

locis facit argento exigendo. Quod igitur Aegyptiacas religiones contemnens primam quamque occasionem templa vel speciosa de causa spoliandi arripuit, in ea re ab optimis et strenuis Ptolemaeis haud multum abhorret Naucratita. Ita his inspectis coniecturam, quae ad rem haud futilem pertinet, de qua iam supra [1]), hoc loco liceat proferre. Ἤν καταλάβω, scripsit ad nostrum Alexander, τὰ ἱερὰ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καλῶς κατεσκευασμένα καὶ τὰ ἡρῷα τὰ Ἡφαιστίωνος, εἴ τέ τι πρότερον ἡμάρτηκας, ἀφήσω σε τούτου κτλ.; quomodo accipienda mihi videantur, iam novisti. Haec autem si legis, illorum memor, nonne verisimile tibi quoque videtur regem verba „si quid peccavisti" scribentem imprimis in mente habuisse iniurias quibus templa affecerat? Peccata ea erant praecipue Alexandro iudice, religionis Aegyptiacae strenuo fautore, tamen minus gravia quam ut praefectus alioqui fidus imperio spoliaretur.

Inter Graecos, qui in Aegypto habitabant, erant et milites et mercatores. Illi satrapae praesto erant, quod iterum ab Aristotele probatur (p. 1353 b 1 sqq.) loco non ab omni parte aperto [2]); ceterum de Cleomene militum duce vide quae supra [3]) exposuimus. Illi autem, quibus Aegyptiacum frumentum praecipua merx semper fuerat, etsi non sola, magis nostros animos ad se convertunt sicut tunc Cleomenis cogitationes occupaverunt. Ut duo genera distinguamus, alteri Naucrati praesertim habitantes, coëmendi gratia per Nilum navigabant, alteri inter Aegyptum et civitates Graecas commeabant [4]). Cleomenes autem,

1) Pagina 111.

2) Nisi voci μήν, quod sane confirmare non possum, lunae plenae, id est medii mensis, sensus est, προσπορευομένου τοῦ μηνός cum Sylburgio mutandum in προπορευομένου τ. μ. In fine verba, quae sunt ἀεὶ μηνός, corrupta videntur. Semel ita fecit Cleomenes, quod fortasse quoque aoristi tempus probat, cum in historia de Memnone Rhodio (p. 1351 b 1 sqq.) imperfecta usurpantur. Iterum (cf. supra p. 120 n. 3) has duas res unam esse contendit Sternius p. 438, iterum errans.

3) Cf. p. 112.

4) Praeter terras Ponto adiacentes et ipsam iam aliquatenus Siciliam, Graeciae civitatibus praecipuum horreum tunc erat Aegyptus. Ea re usus, maiorem etiam fructum percipere potuit Cleomenes e penuria frumenti, quae paulo post Alexandrum ex Aegypto profectum, cum nescio qua de causa Scythia minus ferret magisque desideraretur Aegyptiacum frumentum, omnes fere obtinuit. Ceterum de illius aetatis maritima negotiatione conferas Hasebroekii totam dissertationem; qui Belgice sciunt, ii studiose legant H. Bolkesteinii opus cui inscribitur: *Het*

Digitized by Google

qui, ut nemo non novit, negotiationi operam dedit, non fieri potuit quin cum iis implicaretur. Utrum amicum an inimicum erga eos se praebuit? Nonnulla altius repetenda. Iam primum nummi ante Cleomenem in Aegypto non feriebantur; ab eo introducti sunt [1]). Sine nummis ea regio non erat, in qua, ut in ceteris Persarum regni partibus, aurei darici certe, argenteae siclae fortasse circumferrentur; Graeci autem mercatores, qui inter patriam et Naucratim commeabant, ibique merces emebant vendebant, graecis nomismatibus utebantur, neque dubium videtur quin Naucratitis nonnullis profuerit res argentaria. Nunc autem adduntur nummi domestici, alteri aerei ad usus communes, alteri argentei, quibus in maioribus negotiis tractandis uterentur. Quod ad illos attinet, novae urbis Alexandriae talis nondum exstat, neque fortasse exspectandus, nam civitas ea adhuc nascebatur; sed Naucrateos exstat, eius aetate praecipuae cum Memphide urbis, ubi ni fallor ipse habitabat [2]). Ipsis Aegyptiis, qui merces mutabant, minutis nummis opus non erat, sed Naucrati inter Graecos valde utiles fuerunt. De argenteis fortasse aliud conici potest. In plerisque liberis civitatibus valebat solum argentum domesticum [3]), quo alium argentum si opus erat mutare certo collybo soluto iubebantur. Id si noster quoque instituit, argentariis et fortasse, si monopolium fuit, civitati certe profuit; num ideo mercatoribus facilior facta est negotiatio? Sed ut nimis incerta, ea res, quae peregrinis plus quam Aegypti inquilinis nocere potuit, taceatur. Ad aliam minus dubiam pergamus, quam alia de causa supra [4])

Economisch Leven in Griekenlands bloeitijd (Harlemi 1923) imprimis p. 160—208; ex utroque inter cetera disces fabulosa et ficta esse quae per multos annos ceteri de „magna mercatura", ut hodie aimus, scripserunt. Neque magis negotiatores, de quibus hic agitur, „magni" putentur; obstant omnia quae de Dionysodoro et Parmenisco apud Demosthenem leguntur. Quos mediocres mercatores, ut infra legitur, sibi adiunxit et inter se coniunxit Cleomenes pro aemulatione societate eis substituta. Legas etiam Wilckeni dissertationem: *Alexander und die hellenist. Wirtschaft*, Schmollers Jhrb. 1921 p. 349 sqq., ubi pauca quoque de nostro.

1) Cf. supra p. 112; cum perpauci exstent, prudenter argumentandum.

2) Certe Alexandriae habitare non solebat; cf. Arist. p. 1353 b 2: *κατέπλευσεν*. Apud Demosthenem adhuc nusquam dicitur *εἰς Ἀλεξάνδρειαν*, verum *εἰς Αἴγυπτον πλεῖν*.

3) Cf. exempli gratia Riezlerum p. 62 sqq.

4) Cf. p. 120.

Digitized by Google

iam pollicitus sum. Alexandria condenda incolisque ornanda ei a rege mandata erat. Ne igitur ei adversaretur civitas vicina Canobus, cuius portus eo magis frequentabatur, quia eodem atque Naucratis Nili ostio alluebatur, facile intellegitur Cleomenem regis administrum fidelem etiam ex eo emporio incolas transportare voluisse. Sua autem sede remanere maluerunt, ut fere fit, semelque effecerunt, ut pretio soluto domicilium servare sibi liceret. Postea mutato consilio, si consilium fuerat, non vafritia, Cleomenes, cum nimiam argenti summam, cui pendendae minus sufficerent, poposcisset — tantum enim sua interesse ait utrum Alexandriae an Canobi esset portus — eos coegit ut in novam civitatem migrarent [1]). Qui autem erant ii incolae? Aegyptiine? Nonnulli fortasse, certe non omnes. Ab iis enim, sicut a sacerdotibus, argentum datur ἵν' ἐξ᾽ κατὰ χώραν αὐτοῖς τὸ ἐμπόριον. Num credis Canobi solis Aegyptiis, immo cuiquam nisi Graeco mercaturam cum exteris gentibus faciendam commissam fuisse? Οἱ τὰ κτήματα ἔχοντες Graeci nimirum coloni erant, quod etiam, ni fallor, ex iis quae sequuntur patet, ubi legimus: οἱ δὲ ἱερεῖς καὶ οἱ κάτοικοι εἰσενέγκαντες χρήματα ἔδοσαν. Ipsi indigenae incolae hic ut plerumque κάτοικοι non dicuntur, verum inquilini, quibus certa sedes permissa erat [2]). Non igitur, si res poscebat, Graecis pepercit noster [3]). Minime iisdem pepercit cum in magna inopia ne frumentum exportaretur effecit, ut vidimus supra. Quod ei facile erat, quippe qui Nili ostia obtineret. Quin etiam, cum id fecisset, ipse negotiari coepit. Quo facto quis dubitet num maxima exarserit mercatorum ira et indignatio, cum eorum qui in Aegypto negotia tractabant, utpote quorum quaestus impedirentur, tum eorum qui per mare navigabant,

1) Ea tradit Arist. p. 1352 a 28 sqq.

2) Non solum huius vocis usus in papyris graecis conferri potest, de quo cf. Preisigke, *Fachwörter* s. v. eiusque auctores, verum etiam alias, ut te docebit index locupletissimus Dittenbergeranae *Sylloges* editionis tertiae s. v. κατοικέω *b*. Etiam addere velim Strabonem XVII p. 792: (reges Aegyptii) ἐπέστησαν φυλακὴν τῷ τόπῳ τούτῳ κελεύσαντες ἀπείργειν τοὺς προσιόντας· κατοικίαν δ' αὐτοῖς ἔδοσαν τὴν προσαγορευομένην Ῥακῶτιν· Cf. quoque Polyb. V 65, 10.

3) Inimicitiae si fuerunt inter Canobicos et Naucratitas mercatores — quod equidem non credo — fortasse ea de causa illos migrare iussit. His tamen certe prohibitione illa nocuit.

Digitized by Google

quippe quorum libertas et iura imminuerentur. Initio certe acerba controversia orta est inter Cleomenem plerosque negotiatores. Quam controversiam teneamus, nam inventus est vir doctus [1]) qui putaret Cleomenem, principem vel ducem validae mercatorum factionis, illius ordinis ope et praesidio fretum potentiam assecutum et Alexandro saeviente servatum esse. Quasi Alexander mercatoris aut cuiusquam gratia unquam ab incepto desisteret! Quis est qui, cum meminerit quantopere Canobi inquilinos noster irritaverit et acerbaverit, quam fortiter aliorum negotia gerenda vel prohibitione vel portorio impedierit, ad arbitrium nutumque mercatorum eum se accommodasse perseveret. Repugnabant homines isti, repugnabat, si quid video, eorum molle hebesque ingenium; dulcis sane medicina a medico Naucratita non semper adhibebatur. Tamen pervicisse videtur, nam apparet ei multos se adiunxisse initio fortasse vi et necessitate coactos, postea ex animi sententia, coemptores aliosque socios, quorum, ut Demosthenis verbis utar (§ 8) *οἳ μὲν... ἀπέστελλον ἐκ τῆς Αἰγύπτου τὰ χρήματα, οἳ δὲ ἐπέπλεον ταῖς ἐμπορείαις, οἳ δὲ ἐνθάδε μένοντες διετίθεντο τὰ ἀποστελλόμενα* [2]). *Εἶτα πρὸς τὰς καθεστηκυίας τιμὰς ἔπεμπον γράμματα οἱ ἐπιδημοῦντες τοῖς ἀποδημοῦσιν, ἵνα ἐὰν μὲν παρ' ὑμῖν τίμιος ᾖ ὁ σῖτος, δεῦρο αὐτὸν κομίσωσιν, ἐὰν δ' εὐωνότερος γένηται, εἰς ἄλλο τι καταπλεύσωσιν ἐμπόριον.* Cave tamen Cleomenem asperum patronum et principem fuisse credas. Quamvis omnes socios in manu haberet et, si casus daret, graves poenas sumere posset, potius mitis et affabilis fuisse videtur. Haud invenustum argumentum idem rursus Aristoteles servavit (p. 1352 b 4 sqq.): unum ex iis administris ad coëmendum nescio quo emissum, parvo pretio merces invenisse sed in animo habuisse maioris eas Cleomeni inferre; hunc autem ea re audita familiaribus illius convocatis ira simulata exposuisse se illo ut minus apto, quippe qui nimis cara emisset, non amplius usurum; mercatorem mox iis rebus compertis, ut amicis et Cleomeni

1) Schwarzius p. 180 et 185 sqq. Haec opinio si minus recta videtur, etiam omnia improbanda quae inde concludit, patetque Alexandrum neque Cleomenem satrapam creavisse neque ei post reditum ex India pepercisse mercatorum terrore. Cf. supra p. 107 sq. et 109 sq.

2) Addantur socii qui in Aegypto coemebant.

Digitized by Google

gratificaretur, verum pretium tradidisse. En tolerantiae humanitatisque haud illepidae documentum!

Ex his, quae e Demosthene laudavi, iam patuit Cleomenem emptionem et venditionem ad artem et disciplinam quandam redegisse. Qualis autem quantique momenti fuerit ea mercatura, separatae disputationis fere esset inquirere; praecipua tamen quam brevissime exponam [1]). Monet sane Hasebroekius (p. 416): *allzu übertriebene Vorstellungen wird man sich auch von diesen Dingen nicht machen dürfen.* Credo tamen, etiam omni illicita amplificatione omissa, Cleomenis merita in his rebus maxima fuisse. Certe eius vita brevior fuit quam ut omnia elaboraret, neque omnium rerum, quas efficeret, eum sibi conscium fuisse contendo. Comparemus quae antea, cum iis quae tunc fierent. Ante Alexandri regnum Cleomenisque operam, terris Mari Medio adiacentibus in innumerabilia paene divisis regna et civitates, inter quae nonnunquam pax saepius bellum erat, omnes laborabant et premebantur; fortunae enim secundis adversis casibus subiecta mercatura; certis commerciis nondum aperta maria; negotiationes desultoriae, cum raro certis auctoribus, plerumque dubia fama, nonnunquam mera temeritate usi enavigarent [2]). Ea re factum esse ut omnibus noceretur periculaque maiora fierent, facile intellectu: primum agrorum possessoribus rerumque artificibus minime exploratum erat iusto tempore emptores venturos esse aequumve pretium sibi solutum iri; alias plures simul emendi cupidi praesto erant, alias per multos dies aut diutius etiam nullus; ita etiam monopolii, si quod exstabat, ut in Aegypto per multos annos frumenti, lucrum fiebat minus. Mercatoribus sibi ipsis destitutis et cum maximo suo damno separatim negotiantibus, mutua aemulatio vehementer oberat eademque pericula intendebat; cum certi nuntii non essent et desiderarentur angariae publicae privataeve,

1) Praeter auctores supra (p. 121 n. 4) laudatos, imprimis collato Riezlero p. 55 sq.

2) Locus Xenophontis (Oec. XX 27), quem Hasebroekius p. 411 et 416 laudat, non agit de certis nuntiis, quos Cleomenes instituit, sed de incertis, quos in foris et portibus casu audire possunt negotiatores. Omnium mercatorum est maiora pretia praeferre et quaerere; Cleomenes autem rationem invenit, qua ea consequerentur.

Digitized by Google

saepe profecti adhuc parum sciebant an non locum, ubi merx plurimi veniret, reperirent; non solum enim singulis mercibus non unum simul ubique pretium valebat — nam cuique regioni vel paene civitati quoque die suum pretium erat pro usu et opibus — sed etiam eodem loco pretium tempore vehementer mutabatur [1]). Ita ipsis quoque emptoribus detrimento erat talis rerum status, civitatium interdum maxima erat inopia neque tamen quicquam certi erat eam mox minorem fore, ita ut vi et armis piratarum modo nonnunquam sibi cibum quaererent, unde iniuriae inimicitiae bella. [2])

Cleomenis autem consiliis et rationibus non pauca mutari coepta sunt; quin tota mercaturae species alia esset facta, nisi praematura morte periisset. Primum enim pro virili parte mercatores coniunxit, non tamen ita ut una fieret firma et composita societas, cui unum caput, ipse Cleomenes, praeterea obnoxii administri illius nomine negotiantes illiusque arbitrio omnino obtemperantes [3]); sui iuris, si quaeris, omnes remanserunt, sed Cleomenes ut conspirarent et collaborarent effecit, Aegypti portibus et mercibus procul dubio illis interdicendo, qui suas condiciones — quas utinam nossemus! — recusavissent. Aegypto Aegyptiisque proderat id quod et alia, quae ea terra gignit, et frumentum semper optimo pretio veniret. Nuntiorum enim officio et munere notum erat quo loco plurimi aestimaretur, eoque deferebatur [4]) maximo emolumento et minore periculo quorum in navigiis id vectabatur. Qui talia excogitaverit et susceperit et perfecerit, qui minus decem annis mercandi rationes mutaverit, angarias privatas instituerit, cuius

---

1) Demosthene nostro teste (§ 9, 10) in fine anni a. C. n. 323i Athenis, ἐπειδὴ ὁ Σικελικὸς κατάπλους ἐγένετο, minus valebat frumentum quam Rhodi. Teste eodem (XXXIV 39) pretium, quod quinque drachmarum fuerat, factum est quindecim. Talis pretiorum varietas nos per magnum istud bellum oppressit.

2) Cf. Riezlerum p. 55 sq., 68 sq.

3) Minime dubium quin ipsius quoque Cleomenis naves commearint; plura tamen duco fuisse navigia virorum quales erant rei in oratione Demosthenica; qui suas merces transportant, suis navibus vehuntur, suo nomine foenere nautico fruuntur; qualis iterum negotiator de quo Arist. p. 1352 b 4 sqq. (cf. p. 124). Si liceat Latina lingua nostrum in usum abuti, dicam eam non fuisse „magnam" mercaturam, verum „parvam" mercaturam in societatis formam redactam.

4) Cf. Demosth. § 9, 10.

Digitized by Google

opera dives regio suis opibus uti fructumque capere potuerit, is profecto ingeniosus acer strenuus. Quid? Etiam, id quod paucorum est, idoneus erat qui in operas mitteret homines eosque inter se consociaret et erga se ipsum tractabiles et officiosos redderet, docendo id ipsis prodesse; quae sane partim asperioribus consiliis assecutus est, sed partim iterum [1]) in ea re quaerenda ipsius fortis natura et blanda indoles, cuius vi et dulcedine capti statim ei parebant eiusque imperio tenebantur. Quid postremo emptores? Medium pretium iis ita maius factum esse facile quidem intellegitur; quod Graeciae civitates τῶν τῆσ πόλεωσ εὐεργετῶν liberalitate et munificentia corruptae aegre tulerunt, praesertim cum Cleomenes nimia pretia interdum constitueret. Obliviscebantur tamen eae civitates sibi non ab omnibus partibus offici; aliquatenus enim ut omnibus locis idem fere rerum esset pretium, quia satis magna copia, efficiebatur; unde rursus sequitur ut extraordinaria eoque gratiora emolumenta capi non iam potuerint, sed res stabiliores redditae sint. Iniqui lucri manifestus videtur: frumentum decem drachmis emptum, duabus et triginta venditum, argumento sit; unum tamen monere velim, id sine dubio in annis inopia famosis Ponto deficiente factum esse; alias, Ponti Siciliaeque aemulatione coactus, etiam invitus moderatiorem se praebuit, inopia minus premente. In summa Cleomenis rationes et consilia iis temporibus etiam emptoribus, qui pluris frumentum pararent, sed pararent, magis mihi videntur profuisse quam nocuisse.

Antequam concludamus, de Cleomene vectigalium exactore pauca dicamus. Fertilis tributorumque ferax semper fuit Aegyptus atque etiam nostro multa praestitit. Praeter solita et licita, nonnunquam illicita contulit. Honeste minime se gessit erga Canobicos, crocodili sacerdotes, milites [2]). Sed his in rebus etiam consilia quaedam reperire nobis visi sumus [3]). Accedit quod in Alexandriae aedificationem aliaque opera multum argentum ei conferendum erat; gravi ideo onere Aegyptus vexabatur, cuius rei odium, etsi prior culpa erat Alexandri,

1) Cf. supra p. 107 sq.
2) Cf. supra p. 120 sqq.
3) Cf. ibidem.

Digitized by Google

in illius caput recidere debuit. Plura tamen procul dubio mercatura tractanda collegit, et inde ni fallor maior pars provenit illius thesauri octo milium talentorum, quem Aegypto recepta Ptolemaeus simul recepit [1]). Utrum eae propriae Cleomenis opes erant an publicae praefecturae? Minus recte fortasse ita distinguitur, tamen hoc si credas, propius veritatem sis. His enim talentis ut mercennarios milites conduceret adversus Perdiccam, usus est Ptolemaeus, quem fortasse Cleomenis vivi propriam arcam spoliare puduit. Utut haec se habent, Naucratitae avaritiam, cui suum in usum indulserit, haud facile probes.

His omnibus cognitis, quid de viro iudicemus? Non uno huius dissertationis loco vidimus apud scriptores antiquos eius famam pessimam fuisse, sed quibus de causis, iam legimus [2]). Quae autem de eodem apud nostrae aetatis auctores leguntur [3]), demonstrant tempore eius famam non meliorem factam esse. Breviter recenseamus quae fontes nos docuerint. Iudicium enim si instituerimus testesque citaremus, primus omnium ipse procederet Magnus ille talia proclamans: „en fidissimum regis sui ministrum et satrapam aptissimum, quem a nonnullis vituperatum optimo iure retinui". Sequeretur confusa Aegyptiorum turba, primusque agricolarum orator talia testificaretur: „hic ille Cleomenes, qui frumenta aequo pretio emi curavit, qui sua potestate erga nos impotentes et debiles in quaestum non abusus est; ille etiam vidit quomodo patria nostra ad suam felicitatem pervenire posset fructumque convenientem ex commodis suis perciperet; quin id ipse effecisset, nisi improbe necatus esset". Quo testimonio vix dicto, appareret lino et

---

1) Diod. l.l. cf. de sensu Wilckenum, *Griech. Ostraka* I p. 411.

2) Cf. supra p. 110.

3) En spicilegium: Boeckhius I³ 363 b: *der schuftige Kleomenes*; Droysenus II² 104: *das Land... durch Kl. ins tiefste Elend versunken*; Nieseus I 185 n. 3: *hatte sein Amt missbraucht, um sich auf Kosten seiner Untertanen zu bereichern*; Bouché-Leclercq III 273: *réputation de rapacité*; Schwarzius p. 186: *der auch von den schlechtesten Mitteln nicht zurückschreckte, wenn er dadurch seine Macht und seinen Reichtum vergrösserte*; Wilckenus (*Ostr.* I 411): *die unerhörten Schröpfungen des berüchtigten Kl.*; Stähelinius: *sein habsüchtiges und hartes Regiment*; etiam Riezlerus, qui eius mercaturam laudat, facile ei scelera imputat (p. 34).

Digitized by Google

calvitie insignis sacerdos haec aperte accusans: „impius iste templa, immo deos spoliavit, cultu et religione patriam orbare conatus est; deserta delubra antistites errantes nunc videretis, nisi divinus Hammonis filius tandem ex India regressus nefarium furorem cohibuisset. Merito periit vir nobis iniquissimus". „At videte, rei patronus obiceret, ne talis deorum cultus totius regionis fortunis officiat: templis pleraque absumentibus, indigent cetera". Nonnulli etiam Graecae nationis nomina darent; unum e mercatoribus audires profitentem: „in aliam mentem adductos nos credite: reus cum inciperet mercaturam moderari, libertatem impugnare lucrumque imminuere nobis videbatur; tota via erravimus! Illo duce et patrono aurea fere nobis aetas illuxit. Videtisne illum? Ei poena digno, quia pretia maiora imputare voluit, quam quibus ipse emerat, comiter et humane pepercit". Civitatium Graecarum legato eadem fere, quae Demosthenica oratio, referente, causidicus defenderet, licet interdum maioris emissent, Graecis tamen usui fuisse Cleomenis artem et industriam, quippe quae pretia stabilisset, vecturam digessisset.

Mihi quidem iudicium ferre arduum non videtur. Avarus fuisse videtur; certe plura quam par erat in aerarium contulit. Nonne rarissimos Graecos invenires suae utilitatis immemores? Neque asperiora consilia repudiavit neque repugnantibus semper pepercit. Quando, quaeso, mera suavitate magnae res perficiuntur? Utut tamen haec se habent, iniquius adhuc de eo posteritas iudicium tulit, et ipsis rebus cogentibus dissertatio, quam legisti, facta est quasi defensio viri strenui acuti de multis bene meriti.

Toti Graeciae vel potius orbi terrarum gravissimum fuit Alexandri regnum, aliis in melius, aliis fortasse in deterius mutatis; utra plura aut maiora hic non diiudicandum; certe alia facta sunt tempora. Atqui, ut in eiusmodi saeculorum conversionibus nonnunquam inveniuntur viri qui statim rebus immutatis se accommodent, quid novi et utilis et magni tunc demum fieri possit, intellegant, id fortiter aggressi pro virili parte efficiant, ita multis Alexander occasionem et facultatem altius se efferendi dedit. Quibus sine dubio noster annumerandus. Postea Ptolemaeo Lagi impedimento visus est,

Digitized by Google

isque multis in rebus alium se praebuit: templis favit [1]), rei militari operam dedit [2]), mercaturam aliis delegavit [3]), Graeciae civitatibus defensor patronusque esse voluit [4]). Attamen etsi nihil fere praeter nummos aperte designare possumus, Ptolemaeum plura ascivisse ex iis, quae Cleomenes, inter Graecos primus cui in Aegyptios aliquid licuisset, instituerit et induxerit, pro certo habendum. Quae si non profundis in tenebris laterent, manifestum esset quod nunc probabile videtur. Mercatores autem omnia, quae sollers et ingeniosus patronus docuerat, oblitos esse, quis audeat affirmare?

Sed ut eodem revertatur oratio, unde orta est: Cleomenem Naucratitam si cum Alexandro contuleris, multo minor sine dubio tibi videbitur. Rerum Graeciae et orbis universi historia Alexandri mentione omissa conscribi non potest, Cleomene neglecto potest. Tamen minorum quoque vitam mores res gestas perquirere haud inutile est; cum enim soli strenui viri strenuos administros et adiutores reperire sibique servare possint, levibus semper cum levibus usus diuturnus sit, ὡσ αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸσ εἰσ τὸν ὁμοῖον, ex administris et sociis ipsum agnoscas. Quod igitur Cleomenes, vitiis certe deformatus, tamen ingeniosus strenuus fidelis, iuxta Perdiccam Eumenem Ptolemaeum, regios animos, ab Alexandro repertus ipsique additus est, id Naucratitae certe honori est, verum etiam Macedoni aliquantum laudis tribuit.

---

1) Cf. Diod. I 84; Bouché-Leclercq I p. 103 sqq.

2) Cf. Diod. XVIII 14, 1.

3) Cf. Demosth. § 9, 10; supra autem p. 116.

4) Cf. M. L. Fritze: *Die Ersten Ptolemäer und Griechenland*, Diss. Halensis 1917 p. 1 sqq.

Digitized by Google

AD VERG. AEN. V 52.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT.

Iamque dies, nisi fallor, adest quem semper acerbum,
semper honoratum, sic di voluistis, habebo.
Hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exsul
Argolicove mari deprensus et urbe Mycenae,
annua vota tamen sollemnesque ordine pompas
exsequerer strueremque suis altaria donis.

Ita codices, nisi quod prima manus codicis Palatini vs. 52 pro *urbe* praebet *arce* et cod. Romanus pro singulari urbis nomine plurale substituit: *Mycenis*.

Quarta iam saeculi pars prolapsa est, ex quo v. cl. Van der Vliet in editione verba q. s. *deprensus et urbe Mycenae* uncinis includenda curavit, necdum, quod sciam, alter exstitit, qui aut verum horum verborum sensum perspiceret aut aliis substituendis locum emendaret. Nec tamen immerito vir egregius ille nostras in hoc loco offendit; iure enim rogat, si Aeneas in servitute vitam apud Graecos degisset, quomodo fieri potuisset, ut facultates ei praesto essent ad has caerimonias exsequendas. Exstant autem alia quoque textus depravati indicia. Primo quidem semper et ubique — i. e. undecies — Vergilius plurali numero utitur, ubi de Mycenis loquitur; hic tantum n. singularem invenimus. Deinde nequaquam perspicuum est, quid Aeneas hoc loco dicere voluerit. Quamquam alii aliter opinati sunt, equidem non dubito, quin participium illud *deprensus* idem valeat ac *tempestate oppressus*; quod si recte statui, non video, qui continuo sequi possit *et urbe Mycenae*.

Me quidem iudice Aeneas nequaquam casus cogitatione

Digitized by Google

tantummodo fictos enumeravit, sed errores suos indicavit, atque hoc voluit: ego si adhuc vagarer in illis regionibus, ubi tantum temporis tempestatibus actus peregre erravi, tamen patri debitum honorem haberem, — quanto magis nunc ita faciam, cum et amici me receperunt et ipsa ea terra, ubi pater defletus mortuus est. Ita rem se habere ut credam et alia me adducunt et locus qui est V 191 sqq.:

.....Nunc illas promite vires,
nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi
Ionioque mari Maleaeque sequacibus undis.

Hic profecto dubium non est, quin de prioribus erroribus, non de casibus fictis sermo sit. Iam tres regiones nominatim in memoriam revocantur, quarum duae etiam nostro loco occurrunt: Gaetulae Syrtes et mare Ionium sive Argolicum; tertiae autem, Maleae promontorio, cum urbe illa Agamemnonis nihil commune est. Neque eo minus mihi persuasum est, poëtam hoc loco respexisse illum, quippe ubi idem fere enuntiare vellet. Quodsi ita mecum textum restitueris:

Argolicove mari deprensus et *arce Minervae*,

statim apparebit, non solum cod. Palatini primam manum, quam supra laudavi, partem certe rectae lectionis nobis servasse, sed etiam revera duos locos quam maxime inter se convenire, quippe quorum alter Graeciae, alter Italiae promontorium meridionale Syrtibus et mari Aegeo addiderit. Itaque, si me audis, Aeneas his verbis ea spectat, quae l. III 530 sq. narrata sunt, postquam laeto clamore socios Italiam salutasse poëta rettulit:

530 Crebrescunt optatae aurae portusque patescit
iam propior templumque apparet in arce Minervae.

Ergo vernacule ita locum vertere velim: „als ik dezen dag ver van mijn land had moeten doorbrengen aan de Gaetulische Syrten, of (toen ik rondzwierf) door storm overvallen in de Aegeïsche Zee en aan de Zuidpunt van Italië, dan zou ik toch nog....." e. q. s.

Digitized by Google

DONATEA.

SCRIPSIT

L. RANK.

(*Continuantur ex vol.* LII°, *pag.* 404).

Caput Secundum
Quo continentur Observationes in Scholia ad Andriam.

I. A quaestione futili incipiam. Legimus:

(Prol. v. 9) Menander fecit Andriam et Perinthiam.

Annotatur: „Et proprie „fecit": Scribit enim Terentius, qui verba adhibet tantum, facit Menander, qui etiam argumentum componit". Haec perspicua sunt. Sequuntur verba: „Sed saepe ad laudem Terentii „fecit" de eo quod est transtulit. Tribus omnino locis in prologis Terentianis legitur illud fecit pro transtulit. Quorum primus sane „laudem Terentii" praedicare dici potest, dummodo addatur laudis praeconem esse poetae adversarium, (Phorm. prol. v. 4) secundus ad laudem Plauti valet (Adelph. prol. v. 7) tertius denique nos beat laude..... Luscii Lanuvini! Quid hoc? „Ergo non ad vivum resecanda sunt haec atque talia" iure suo fortasse dicat quispiam [1]), „sed istud fecit et pro quavis alia forma τοῦ facere dictum putemus". Accedent sic „ad laudem Terentii": fecisset et faciet ex Andriae prologo (v. 3, v. 26), facit ex prologo Heautontimorumeni (v. 17), sed accedet etiam ad aliorum laudem factas (Eun. prol. v. 33.). Sed quid lucramur hac liberali interpretatione? Non multum proficimus. Nam quoquo nos vertimus cum nostra interpretatione atque nostris computationibus, id constat constabitque: „Terentianum" istud

1) Haec est opinio Karsteni (vide v. cl. annot. ad locum).

Digitized by Google

facere comoediam, pro scribere comoediam [1]) ad communem „laudem" palliatarum scriptorum valere. At sic notulae huius vis mihi quidem est intermortua pretiumque nullum.

Quid? Nonne sanum et sufficiens oppositum τοῦ *proprie* est *ad laudem*? Operae pretium videtur, ni fallor, hic observasse, quam frequentes sint in ipsa atque una fabula Andria observationes istae „Donateae" super vocabulorum vi propria atque figurata. Brevi conspectu breviter dabo omnes:

(ad v. 7): „vetus"... ad laudem, interdum ad vituperationem...

(ad. v. 15): „isti" ad reprehensionem sumitur.

(ad. v. 58): „egregie"..... non est ergo ad laudem positum.

(ad v. 196): „hodie" ad comminationem, non ad tempus...

(ad. v. 436): „virum".... modo ad vituperationem modo ad laudem....

(ad. v. 635): „quis tu es".... ad dignitatem.... „quis mihi es" ad necessitudinem.

(ad. v. 857): „tristis" ad laudem interdum, non ad amaritudinem....

(ad. v. 925): „fabulam"... ad irrisionem narrationis.... [2])

Hisce ex commentariis ad Eunuchum omnino una nova addi potest, una nova etiam ex omnibus annotationibus ad Phormionem, nulla prorsus invenitur in commentariis ad Adelphos et ad Hecyram. Quae cum ita sint, haud nimis temere suspicari ausim et loco nostro „ad laudem" absolute positum τῷ „proprie" opposuisse scholiastam. Restat ergo ut putemus magistrum scripsisse: „sed saepe ad laudem Terentius fecit, de eo quod est transtulit. Si quis est qui gravetur nominativum: „Terentius" sic nude sine verbo positum is conferat velim annotationes: „ergo Terentius εὑρετικῶς" (Ad. 938[1]) „docte Terentius" (Phorm. 735), „figurate Terentius" (Andr. 55[4]). Nunc demum suum sibi sensum, suum sibi pretium quantulumcumque habet observatiuncula.

II. Venio nunc ad verum Andriae prologum. Sed quid prologum dico! Est colloquium, quo „res aguntur, non narrantur",

1) Quod ad ipsum discrimen attinet, vel in Terentianis est futile, quaesitum, dubium; apud Plautum ne fingi quidem potest. (Vide Prol. Cas 33. Prol. Trin. 19).

2) cf. etiam ann. ad Andr. 856. Consulto praetermisi annotationem ad Andr. v. 312, quae levi emendatiuncula corrigenda videtur, quam infra tractabo.

Digitized by Google

est vitae palliatae scena vividissima, quae ab ipso initio devinctum tenet spectatorem, est artis Terentianae specimen luculentissimum. Quali cura, quanto amore depictum est simplex istud προτατικὸν πρόσωπον τοῦ σεμνοῦ μαγείρου! Haud defuit qui iure suo nec non maxima cum cura demonstratum ivit, Terentium nostrum, propriae fortunae propriaeque felicitatis memorem, et sibi et suis depingere voluisse, quid sit dominus bonus, patronus liberalis, quid praestans servus, fidus libertus [1]). Sed propere recurramus ad voculas, syllabas, literas nostras. Nam periculum iam est, ne ipsius boni Sosiae verbis me compellas lector: „exspecto quid velis". Nihil aliud ergo ad tempus volo quam de persona Sosiae et de verbis nonnullis Donati atque Eugraphii ad eam personam pertinentibus pauca disserere. Fuit ergo homo noster servus probus, est nunc libertus domini fide dignissimus. Talis esse debet vir, cui Simo senex intimas suas curas super filii vita moribusque aperire non dubitat. Fuit tamen idem ille, etsi non nisi nomine tenus, unus ex genere isto Davorum, Syrorum, Parmenonum. A limine igitur ille libertus per patronum Simonem commendandus erat, idque disertis verbis, ne cuiquam spectatorum dubium esset, quin tali ministro et iure et tuto secreta sua credere posset herus senex. Tamen, ut diserta, ita modica debuit esse haec servilis post omnia personae commendatio. Qualis spectatoribus illis antiquis semper manserit vel optimorum fidissimorumque servorum conditio atque existimatio, id servi probissimi Getae in Adelphis exemplum lucide monstrat. „Intellegamus" Donatus inquit, „aliter dici non inertem Socratem, aliter non inertem servum" e. q. s. (Don. ad Adelph. v. 480). Atque Eugraphius, „Donatum" suum et hic presse secutus eodem loco ad verba Terentiana: UT CAPTUS SERVORUM EST NON MALUS] annotat: quemadmodum *mali* esse possunt servi. Hic sane haereat quispiam. Quod ne fiat confidenter istud *mali* seclusit Goetzius. Sed ego non minus confidenter et leniore medela verum mihi restituere videor dum lego: quemadmodum ⟨*non*⟩ *mali* esse possunt servi. Sensus enim est hic: vel optimus servus quadamtenus malus est. [2])

1) F. Jacoby: Ein Selbstzeugniss des Terenz. Herm. Vol. XXXXIV (1910).

2) Orationis fere instar est haec brevis et severa notula (ad Phorm. v. 61): *et bene, quia servus nihil de honestate dicit.*

Digitized by Google

Audiamus nunc Eugraphium explicantem, cur Terentius ab ipso initio Simonem Sosiam suum spectatoribus prudenter commendantem inducat: „Primum ne quid turpe dominus adversus filium servo mandare videatur.... obiecta persona servi est, *non illa vulgaris*.... sed cuius animus et integritas fuerit per officia completa liberalis" [1]). Quibus verbis fuse atque odiose, ut subinde loqui solet noster, brevis alicuius observationis Donateae refert sententiam. Legitur autem haec brevis Donati annotatio ad scaenae nostrae v. 8: EGO POSTQUAM] Commendatio personae *quam* servi, ne contra filium levi servo aliquid committi indecore videatur.

Ad haec verba animum attendamus. Breviter Wessnerus annotat ad „personae": sc. Simonis. Sic lucida certe evadit sententia, nam de sola vocula „quam" pro „potius quam" sive „magis quam" posita apud Donatum quis dubitare aut disputare velit? Commendatur ergo spectatoribus.... senex! Quin etiam „potius quam" servus commendatur! Num istius modi observatione contenti esse debemus? Contentum se esse hac sapientia dicit Karstenus in editione sua, aliter se autem olim de loco cogitasse addit. Mihi, ut ingenue fatear, vix ferenda ista doctrina videtur: Commendatur igitur senex, vel potius se ipse spectatoribus commendat, dum dicit se clementem semper ac iustum dominum fuisse. Quis obloquetur? Sed quid hoc? Num inde sequitur, ut clemens ille et iustus dominus simul prudens decorisque et sui et alieni probe sibi conscius cognoscatur. Minime! Nonne patronus clemens et iustus in hac re errare potest, quod liberto suo libertate vix digno indigne aut saltem indecore familiae secreta sua enuntiat? Opinor. Cardo quaestionis hic, ni fallor, versatur in servi, in liberti moribus. Servus, libertus iste est commendandus. Quid multa? Sic olim, opinor, aut sic fere cogitavit Karstenus cum ante *quam* inserebat ⟨tam suae⟩ aut pro *quam* legebat: *tamquam*.

Ipsa hac via, quam ταῖς δευτέραις φροντίσι inductus reliquit Karstenus, equidem cogitatione mea insistere perrexi, donec haec correctio simplex sponte mihi se obtulit: Quid, si Donatus dedit: „Commendatio person*ae* *ne*quam servi", idque per haplo-

1) Eugr. ad. Andr. I, 1, 1 (Wessn. Vol. III p. 7 sq.).

Digitized by Google

graphiam abiit in lectionem traditam? Aptius atque usitatius ἐπίθετον generis servilis vix inveneris. Certa mihi esset emendatio, si definitionem: „persona nequam servi" apud Donatum reperire potuissem. Vel sic sat probabilis mihi visa est correctio postquam haec magistri super eadem re generalis sententia se mihi obtulit in annotationibus ad Eunuchum (ad v. 486): „tristiores enim sunt servi pauperum *et ob hoc ipsum nequiores*". Nec non huc faciunt verba magistri, quae leguntur ad Adelph. v. 209: „... simul etiam *duorum* inter se *nequam hominum* spectanda quaedam vicissim et dolosa captio est", de lenone et servo dicta.

III. Parumper subsistamus in verbis proxime vicinis:

„Quod habui summum pretium persolvi tibi" (v. 39)

dicit patronus et „in memoria habeo" respondet libertus. Annotat Eugraphius: „recte servatum a servo ut „in memoria habeo" diceret neque enim domino referre gratias potest nisi *sola* priorum officiorum restitutio in memoria perseveraret". Mihi re usque perpensa vox: „restitutio" idem valet atque remuneratio. Libertatis praemio priora officia servilia remuneratus est dominus patronus, atque ea remuneratio in memoria fidelis liberti „perseverat". *Sola*ne?

Sat mirum hoc. An *solida*? [1]) Sed me sagaciores viderint.

IV. Vernarum quod fuerit genus, quae conditio, quales mores quis nescit? Profecto probos suos et istud humile et miserum genus habuit, sed et hic ut fit pars maior vicit meliorem. Duorum praesertim vitiorum notis vernulas inustos invenimus. Nam aut abiecte blandi aut proterve dicaces vel adversus ipsos dominos audiunt.

Quid plura: Et probum nostrum Sosiam inter vernularum decora fuisse ante manumissionem, et modestum illum protervis olim iocis conviciisque, si res ferret, herum suum carpsisse, id exquisita et male sana sapientia demonstratum ivit stolidus quidam ardalio, cuius doctrinam nobis nimia religione servatam voluit Eugraphius.

Ita res se habet. Ex coqui verbis:

Si tibi quid feci aut facio, quod placeat Simo (v. 42).
Et id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam,

1) cf. Ann. Eugr. ad Hec. v. 223: itaque *grates inges* debuerant referre.

Digitized by Google

avide arripuit nugator doctus misellam praepositionem *adversum*, qua vocula nisus simplicem versiculum ita (si dis placet) interpretatur, ut grato animo recordetur libertus, quam gratus olim hero suo fuerit, cum subinde petulanter iocos suos verniles adversum eum iactaret. Risu facili bonum Eugraphium legimus post hoc interpretationis fulmen sedate observantem: „sed melior est interpretatio superior (nempe adversum te: apud te).

Haec est res. Sed nunc verba docta demus et emendemus. Tribus verbis vel potius tribus literis te volo candide lector, nam nisi statim mecum in cauda disputationis deprenderis... medelam, frustra fui. Audiamus [1]): „ADVERSUM TE]: apud te intellegendum. quidam enim, quoniam supra dixerat „quod serviebas liberaliter" hoc intellegunt „ut libere quoque diceres quae sentias et propterea voces ex libertate prolatas in convicium aut iniuriam [2]) secundum rationem *veritatis* proferres". Immo secundum rationem *vernilitatis*!

V. Paulo graviora tractemus. Senex filii mores laudat:

(v. 62) Sic vita erat: facile omnes perferre et pati;
Cum quibus erat cunque una, eis sese dedere e. q. s.

Observat Donatus: „talem esse Pamphilum adiuvat argumentum fabulae, *simul et Charinum*. En locutio Donatea κατ' ἐξοχήν: „adiuvat argumentum". Quid significet statim intellegimus nempe: haec res, hoc dictum factumve, hic mos depictus efficit ut iam melius ideoque maiore cum gaudio sequatur et praevideat spectator attentus fabulae argumenti decursionem. Ipsa locutio in se est teres atque rotunda. (Redit integra ad Phorm. v. 98.) Idem valet de loquendi formulis simillimis: pro argumento est (ad Phorm. v. 66), ex argumento est (ad Andr. 849. Phorm. v. 204), e re argumenti fuit (ad Eun. v. 840), ostendit argumentum (ad Adelph. v. 151), quasi ex argumento futuri actus (ad Adelph. v. 252), servire argumento (ad Hec. v. 415) nec non de formula opposita: contra institutum argumenti (ad Adelph. v. 419). Quas si quis omnes suis locis cognoverit, aliter fieri vix poterit, quin ad notulam nostram reversus limis oculis adspiciat languidum atque ineptum istud additamentum: *simul et Charinum*, in quo et „Charinum" obiectum fecit magister τοῦ adiuvat.

1) Wessn. Vol. III, 1 p. 9 sq. 2) Seneca. Dial. I. 1: 6. II. 31. 3.

Digitized by Google

Nimis indulgenter de verbis olim iudicavit Hartmanus cum scriberet: „Mire dicta haec; corrupta tamen non videntur. Hoc enim vult scholiasta: Mite illud et clemens Pamphili ingenium totum fabulae argumentum reddit verisimile; *simul illud proderit Charino*: facile enim inter duos iuvenes rixa oriri potuisset, nisi alter eorum tam mansuetus fuisset" [1]). Profecto non ita iudicasset ingeniosus ille Terentii Donatique amator, si codicum varias lectiones novisset, quas nunc Wessneri curis indefessis novimus omnes. Wessnerus ipse nihil hic mutavit, nihil coniecit, nihil annotavit. Karstenus verba seclusit et damnavit.

Sed in optimo Parisino A pro *simul et* traditur: *si aud d*: i. e. *si audet*, unde, ut iam tribus verbis rem meam absolvam, eliciendum puto equidem: *si audiet*. Iam ni fallor ipse magister nobis exhibet, quod Hartmanus voluit: Adiuvatur argumentum fabulae, si iam nunc cognoscitur mite ingenium Pamphili, qui mox placide rivalis sui querelas accusationesque est auditurus. Temperare mihi non possum, quin scholio ita iam sanato: „talem esse Pamphilum *adiuvat argumentum* fabulae, *si audiet* Charinum" apponam scholion prorsus similiter ut aiunt constructum, quod legitur ad Phorm. v. 98: „haec descriptio paupertatis *adiuvat argumentum*, *ut* et *visere audeant* adulescentes virginem et amet Antipho.

VI. „Perduxere illuc secum, ut una esset meum" (v. 81) cogitat senex animi anxius de filio. Annotat Donatus: „*Invitum* isse Pamphilum his verbis significat; perducuntur enim necessitate coacti. Adhaeret haec mira sententia: „Hoc etiam verbum *iudices* pronuntiare solent". Iam Wessnerus de verbis dubitavit, quae Karstenus suo peculiari magistello reddenda censet. Optimo iure fortasse, sed suum sibi pretium nihilominus vindicare mihi videtur misella sententia. „Quid sibi haec volunt" iam olim rogavit Hartmanus, qui verba defendere studuit loco Ciceronis allato, ut est videre apud ipsum [2]). Decem fere annis post Karstenus in longa illa annotationum disputationumque serie, qua fundamenta iecit nobilis suae editionis Donati sic de nostro loco: „Cur iudices hoc

1) De Ter. et Don. p. 128. 2) De Ter. et Don. p. 129.

Digitized by Google

verbo praesertim usi sint nemo facile dixerit, *nec verum est* [1]). Corrigendum videtur: „⟨apud⟩ iudices pronuntiare solent", nempe ii, qui se ad male faciendum ab aliis perductos h. e. pellectos esse excusant. Cf. Cic. Verr. II 69 fine. Nep. Dion. V 2" [2]). Interim Schoellius miseros *iudices* in exilium ire iussit et pro iis invexit *ludiones*. Hisce delectentur, quos sic iuvat, equidem iudices relegatos in integrum restituere conabor. Audivimus Donatum monentem *invitos* ire qui *perducantur*. Tertium nunc (quis credere posset) Verrinarum locum in partes vocemus: Sic in Verrem invehitur Tullius: „.....sileatur de nocturnis eius bacchationibus ac vigiliis, lenonum, aleatorum, *perductorum* nulla mentio fiat" e. q. s. (in Verr. I cap. 12 § 33). Utilis ad hunc locum exstat annotatio Asconii Pediani, quae sequitur: „Lenones sunt scortorum, *perductores* etiam *invitarum personarum*, et in quibus stupra exercita *legibus vindicantur* [3]). Nonne haec sufficiunt? Opinor. Iam ad Karsteni interrogationem, quam supra exscripsi ita responderi potest: „cur *iudices* praesertim hoc verbo usi sint facile quis dixerit collato loco, qui legitur in Verr. I. 12. 33, cum scholio Asconiano, iamque *iudices* nostri iure suo ad Schoellium clamare possunt: in contextu locum praesta, et a ludionibus nos sequestra!

VII. Ut summa cum diligentia amicorum servulos interrogando de filii moribus rebusque gestis amatoriis anquisiverit utque nullius denique admissi, culpae nullius vestigium reperire potuerit, fuse exponit senex. Prolixam sat annotationem Eugraphii legimus huic loco adscriptam, cuius partem exscribere atque accuratius inspicere iuvat: „Pulchre tamen post interrogationem nihil aliud a servis videtur esse responsum nisi de aliis amatoribus". Recte. Continuo haec verba sequuntur: „ne tamen servorum respondentium calliditas Pamphilum celare videretur, *et ipse* interrogavit, *uti prudens* servus interrogatus de Pamphili nomine facile actus eius posset exponere".

Quid quaeso haec significant? Primum: quid vult sibi sententia: „*et ipse interrogavit*"? An alius hic dudum interrogavit atque interrogare pergit quam ipse senex? Correctione

1) Typis cursivis dedi ego. 2) Mnemos. Vol. XXXII (1904) p. 309 sq.

3) Redit haec doctrina in scholio „Calphurniano" ad Heaut. I, 1. 92, ubi perperam *pro*ductorum nomine gaudet nobile istud genus.

Digitized by Google

lenissima vel potius nulla, sana et optima lectio hic mihi restituenda videtur sic: „*et ipse*"? interrogavit, quibus verbis respici ad Terentianam interrogationem: „eho quid Pamphilus?" vix est cur moneam. Nunc animum attendamus ad *prudentem* istum servulum! Non nimis magnifice de moribus vernarum istorum sentire Simonem nostrum, id legimus, id intellegimus. Simulne tam fatui ingenii omnes illi pueri videntur bono nostro viro, ut iam diligenter inde *prudentem* aliquem eligat, qui respondeat ad directam simplicissimamque percontationem hanc: „eho quid Pamphilus?" Nonne ad eiusmodi percontationes vel stolidissimus respondere cogitur aut: „nescio" aut „nihil" aut „hoc illudve"? Sic nugas egisse Eugraphium credibile videtur? Quid si altera lenissima correctiuncula pro *uti prudens* legamus: *ut imprudens*? Bonus pater nempe spei timorisque plenus sperat fore ut ad inevitabilem suam percontationem: „eho quid Pamphilus?" servulorum unus alterve nimis simplex, incautus, *imprudens* denique prodat, quomodo Pamphilus se gesserit in domo meretricia, ut tandem aut sperare aut timere desinat. Quin audimus Donatum, qui ad poetae verba: „SYMBOLAM DEDIT, CENAVIT" haec annotavit: „*per puerilem simplicitatem* omnia gesta narrata sunt". Nunc mihi res in vado est, sed me prudentiores iudicent. Nam haud spernenda est vis lectionis traditae verbaque quibus medelam adhibere ausus sum et „verti" et „intellegi" possunt!

VIII. (v. 90) „.....comperiebam nil ad Pamphilum
Quicquam attinere".

Sic senex de filii „innocentia" circa res amatorias. Legimus hanc Donati annotationem: „vide si non verba patris sunt et de rebus veneriis *circa filii mentionem* agentis". De scholii parte posteriore iure olim Hartmanus scripsit: „atra caligine obscuriora haec" [1]) Karstenus partem alteram hanc damnavit [2]), de verbis sive corruptis sive obscuris prorsus securus, sicut in tali re solet [3]). Mihi sic mutilatur scholion, quod etsi corruptum tamen integrum Donato vindicare malim, collato scholio proxime praecedenti, quod in modum prorsus eundem bipertito

1) De Ter. et Don. p. 129. 2) Karst. Vol. I p. 246.
3) Vol. II p. 120, ann. 2.

Digitized by Google

profertur: „et vide diligentiae tempus adiectum, quasi non suffecerit unus dies."

Sed causam suam damnandi habuit Karstenus: „Spurca" inquit „a Donato aliena". Haec res mihi omnino in gustu versari videtur. Mihi non statim ob misella verba: „de rebus venereis" spurcum fit scholion. Me subtiliores in hac re iudicent sed non possum non provocare lectorem ad annotationem hanc, quae legitur ad Adelph. v. 749: QUICUM CANTITES].... mire autem „cantites" quasi turpius sit cantare senem cum psaltria quam coire. De huius scholii origine Donatea non dubitavit Karstenus [1]). Cur ergo tam severe de nostro scholio iudicet causam iustam vix video. Redeamus ad notulam: Post „patris verba" equidem de filio, de filii amoribus mentionem aliquam aegre desidero. Saepius in scholiis ad hanc nostram scaenam pertinentibus una prodeunt pater et filius. Quidni et hic? Legamus sobria correctione: *circa filium.*

Praepositionis *circa* frequentissimus est usus apud Donatum. Quadragies quinquagiesve obvia fit vocula sed omnibus locis non nisi cum uno solo accusativo vel rei vel personae coniuncta: „Circa filium" dicit noster et „circa amorem", passim, sed nusquam „circa filii amorem" [2]). Dicat forsitan quispiam: „heus tu! bonine consulis locutionem: mentionem *agere* pro usitatissima loquendi formula: mentionem facere"? Ut ingenue fatear, non gravor equidem istam Latinitatem, quoque iure, dum Livio concedimus locutionem „mentiones agitare", iam moleste feramus in Donato istud: „mentionem agere" id vix intellego.

Quanta cum emphasi omnem libidinis ignominiam a dilecto filio arcet bonus pater: Comperiebam *nil* ad Pamphilum *quicquam* attinere! Vide si non patris verba sunt et de rebus venereis *circa filium* mentionem agentis.

IX. „De moribus filii sui cum pronuntiatum civibus diceret" (sc. Simo noster) „magnum testimonium et *Chremes* ponit, quod „ultro venit", quod „unicam gnatam", quod „cum dote summa" filio promisit uxorem". Sic annotat Eugraphius ad fabulae nostrae v. 99. Sed ego vix dubito, quin scripserit ille:

1) Firmiora etiam in hac re praebet annotatio ad Hec. v. 556, ubi de viro „in coitu valido" sermo fit verbis genuinis Donateis.

2) Unam inveni exceptionem ad Adelph. v. 152: circa aetatis veniam.

Digitized by Google

„magnum testimonium et *Chremem* ponit". Ipse ille bonus socer futurus „ultro veniens cum dote summa" Pamphili morum luculentissimum est testimonium. Leni mea correctiuncula concinnior evadit sententia, sublata mutatione ista sat abrupta subiecti: „cum diceret (Simo)..... Chremes ponit".

X. Ad Donatum redeamus: „Beasti" exclamat fidus libertus meretricis morte audita et de more observat scholiasta: „artificiose, quod gaudium subiecit, ne mors in comoedia *luctus*, ⟨ut⟩ in tragoedia personaret". Sic edidit Wessnerus, vocula m „⟨ut⟩" a Schopeno additam recipiens, spernens eiusdem viri docti correctionem *mortis*. Sed iusto durior sic fit (aut potius remanet) verborum constructio, quae tamen una litera deleta ad optimae Latinitatis normam redibit. Legamus: ne mors *luctu* personaret.

XI. „Funus est pompa exsequiarum, dictum a funalibus: *etenim noctu efferebantur propter sacrorum celebrationem diurnam*". Sic Donatus ad v. 108.

Exstat memorabile edictum Imperatoris Iuliani, promulgatum ut videtur anno 363.[1]). Est edictum de ordinandis funeribus, in quo et alia multa disseruntur et imperantur et haec: *Οὐκοῦν ἡσυχία μὲν ὁ θάνατός ἐστιν, ἡσυχίᾳ δὲ ἡ νὺξ ἁρμόττει. διόπερ οἶμαι πρέπειν ἐν αὐτῇ τὰ περὶ τὰς ταφὰς πραγματεύεσθαι τῶν τελευτησάντων, ἐπεὶ τό γε ἐν ἡμέρᾳ πράττειν τι τοιοῦτο πολλῶν ἕνεκα πκραιτητέον. ἄλλος ἐπ' ἄλλῃ πράξει στρέφεται κατὰ τὴν πόλιν, καὶ μεστὰ πάντα ἐστὶ τῶν μὲν εἰς δικαστήρια πορευομένων..... τῶν δὲ ἐπὶ τὰ ἱερὰ φοιτώντων, ὅπως τὰς ἀγκθὰς ἐλπίδας παρὰ τῶν θεῶν βεβαιώσαιντο. εἶτα οὐκ οἶδα εἴτινες ἀναθέντες ἐν κλίνῃ νεκρὸν διὰ μέσων ὠθοῦνται τῶν ταῦτα σπουδαζόντων. καὶ τὸ πρᾶγμά ἐστι πάντα τρόπον οὐκ ἀνεκτόν. ἀνκπίμπλανται γὰρ οἱ προστυχόντες πολλάκις ἀηδίας, οἱ μὲν ὀσμένοι πονηρὸν τὸ ὀιώνισμα, τοῖς δὲ εἰς ἱερὰ βαδίζουσι οὐ θέμις προσελθεῖν ἐστι πρὶν ἀπολούσασθαι..... καὶ οὔπω τὰ μείζω κατηγόρηκα τοῦ γιγνομένου..... ἱεροὶ περίβολοι καὶ θεῶν ναοὶ ἀνεῴγασι, καὶ πολλάκις θύει τις ἔνδον καὶ σπένδει καὶ εὔχεται, οἱ δὲ παρέρ-*

1) Primus publici iuris fecit hoc edictum Hertleinius in diario, c. t. Hermes. (Vol. VIII, ann. 1874, p. 167 sqq.)

Digitized by Google

χονται παρ' αὐτὸ τὸ ἱερὸν νεκρὸν κομίζοντες, καὶ ἡ τῶν ὀδυρμῶν Ϙωνὴ καὶ δυσΦημία ἄχρι τῶν βωμῶν Φέρεται.

Huius edicti „philosophici" exstat alterum exemplar „iuridicum" in brevius contractum et Latino sermone enuntiatum, unde haec desumam: „secundum illud est, quod efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam et per maximam insistentium densitatem, quod quidem oculos hominum infaustis incestat aspectibus. qui enim dies est bene auspicatus a funere? *aut quo modo ad deos et templa venietur?*"

Floruit, ut novimus omnes, Donatus circa annum 350. Num temerarium videtur suspicari magistrum nostrum oculis usurpasse magni Imperatoris edictum? Οὐδὲν ὁρίζω resque verbaque contulisse contentus. Quin etiam totius rei mentionem vix fecissem, nisi observassem in Wessneri annotationibus ad locum religiose quidem laudatos esse locos Servianos nonnullos locumque quendam Isidori Hispalensis huc pertinentes, sed de Iuliani edicto altum regnare silentium. [1])

XII. Iam adspicit pater puellam istam pulchram, Chrysidis sororem, ipsam illam nimirum unde „illae lacrimae". Sic narrat:

„forte unam adspicio adulescentulam" (v. 118).

Non deest scholiasta ad locum annotans: „et hic duo sunt: aetas et forma, quibus additur pudor, quod meretrix non est". Verum hic *duo* non sunt, nisi ocius ad lemma addatur ⟨FORMĀ⟩ [2]). Post ipsum hoc vocabulum libertus patroni sermonem interrumpit observatione sua: „bona fortasse". Tum pergit senex: „et vultu Sosia, adeo modesto e. q. s.". Hic iam „pudor additur".

1) In Voigtii Enchiridio, c. t.: Römische Privatalterthümer. (Handbuch. d. klass. Altertumswissensch. IV 2, 2^2 p. 322) anno 1893 edito, deest locus noster Donateus, sed in eiusdem libri editione tertia funditus retractata, quam curavit Blümnerus ediditque anno 1911 (l. l. IV 2. 2^3 p. 490) suo loco inter ceteros laudatur. Caute porro de Iuliani edicto (allatis locis: Cod. Theod. IX, 17, 5 et Herm. VIII p. 167 sqq.) monet vir doctus: „Im Cod. Iust. steht das Gesetz nicht, es war also nur vorübergehend gewesen". Quibus verbis cautis haec verba iusto fortasse audaciora addita velim: Iuliani edicti egregiam sat fuisse famam Donati verba: „noctu efferebantur *propter sacrorum celebrationem diurnam*" protestari videntur; quam cito autem huius decreti et auctoritas et memoria evanuerint, id inde efficias, quod iam Servius, Donati discipulus, de exsequiis nocturnis hic illic sermonem faciens praeter antiquam doctrinam etymologiasque Varronianas nil profert.

2) Sufficit: ⟨F.⟩

Digitized by Google

Iustum lemma praebet Eugraphius et hic fortasse e „Donato" suo pleniore, meliore, elegantiore in usum suum hauriens.

XIII. „Funus interim procedit: sequimur" narrat Simo. Hic in commentario procedit ridiculus nugator stilo Donateo hanc suam doctrinam venditans: „et bene procedit, nos sequimur dixit: *quasi post ipsum morituri*" [1]). Sed nisi omnia me fallunt ipsae hae nugae magis etiam si fieri potest fatuae sunt factae τῇ παραδιορθώσει. Immo hoc voluit philosophaster: iure funus sequi solemus, quasi post (i. e. postea, olim, tempore nostro) *ipsi* morituri.

XIV. Mox aut idem aut alius eiusdem farinae philosophus super vita actionibusque scenicis hanc effundit sapientiam (ad v. 132): „tribus rebus inducitur in alicuius rei *gestionem* persona: affectu, facto, dicto" e. q. s. Hoc nimirum, ut lucide apparet ex exemplis e loco Terentiano petitis, vult sapiens iste: In scena conspicimur aut aliquo animi motu affecti aut facientes aliquid aut dicentes aliquid. Quis infitias ire audebit? Scripsit ergo vir bonus si Latine scivit: tribus rebus inducitur (i. e. ante oculos proponitur) in alicuius rei gest*ione* persona e. q. s. Utique est conferenda annotatio ad v. 404: „actio tamen ex his tribus consistit: cogitatione, dicendo, gerendo", quod fugit Wessnerum et Karstenum.

XV. Quanta cum cura depinxit poeta hunc Sosiam. „Paene huiusmodi coquum amasse Terentius videtur" Donati verbis iocans quis dixerit. Tantum abest ut tacitus paene obsequiosusque adstet patroni auditor, ut ab ipso initio proprium suum ostendat χαρακτῆρα. Gravitate vere comica personant eius verba prima: „exspecto quid velis" [2]). Quam penitus mox cum patrono suo omnes omnis narrationis vicissitudines persentiscit, ut cum

1) Recte Karstenus: Haec interpretatio omne tulit punctum. (Mnem. Vol. XXXII (1904) p. 221.)

2) De ipsis illis verbis Jacobius in docta sua disputatiuncula, quam supra laudavi (ad alia sane graviora properans) sic iudicavit: „die Zwischenantwort ist absichtlich so farblos wie möglich gehalten". Sed ego a beato nostro Hartmano verborum σεμνότητα audire didici! Quid „magister" ille „Jacobus" quem e praestantissima Molierii fabula novimus omnes? Inter prima verba, quae comica sua gravitate profert coram domino Harpagone; statim auditur illud: „vous n'avez qu'à parler". Ipsissimum hic apparet ἦθος Terentianum. Quin ipsa Terentii verba hoc loco spectaverit, immo audiverit poeta Gallicus, nullus dubito equidem!

Digitized by Google

illo, ut pro illo sperat, timet, gaudet, irascitur! Quin etiam — atque id ipsum est ad quod nunc propero — impetu suo atque iracundia senem patronum anteït. Corrigi igitur seque corrigere debet ne arrogans evadat optimus iste fastidioso spectatori. Quam eleganter hanc sui correctionem, hunc animi flexum proposuit poeta. Ubi primum summum malum probe comperit Sosia, Chremetem nempe istiusmodi adulescentem, qualis sit Pamphilus, generum praefracte recusare indignatione fervens exclamat: „non tu ibi gnatum.....?" Sed sedate et graviter senex respondet: „ne haec quidem satis vemens causa ad *obiurgandum*, hoc responso eadem verba, quibus paulo supra usus fuerat, repetens et consulto et leni quadam attamen peculiari emphasi, si rem bene sentio, in *obiurgandi* verbo moratus, quasi dicat: „laudo bonum animum tuum, sed heus tu, ne cum nimia tua indignatione extra oleas!" Probe opinor intellexit libertus verba monentis patroni. „Id ne iterum mihi accidat, sciens cavebo" secum cogitavit, atque ut fieri solet, iusto cautior fit. Seni graviter moxque indignanter sic pergenti:

Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias
Vera obiurgandi causa sit, si deneget;
Simul sceleratus Davus, si quid consili
Habet, ut consumat nunc, quom nil obsint doli,
Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia
Facturum, magis id adeo, mihi ut incommodet
Quam ut obsequatur gnato,

pronas adhibet aures Sosia. „Scelerati" istius Davi tam penitus opinor novit indolem atque artes malas quam ipse patronus. Attamen ubi finem loquendi fecit herus, timide paene atque officiose rogat: „Quapropter"? Hic statim senex et irritabilis et irritatus „Rogas"? En humanae vitae color verus, en artifex poeta! Nam artis est, artem celare.

Sed propositum mihi est Donatum curare, non Terentium laudare. Ad scholiastam ergo ocius redeamus, qui ad locum quem priorem laudavi: „non tu ibi gnatum" breviter annotat: „ἀποσιώπησις" mox autem ad cautam interrogationem liberti:

„Qui igitur relictus est obiurgandi locus"? (v. 154)

fusius annotat: „mire „obiurgandi"..... nam supra commotus plus per ἀποσιώπησιν significaverat." Verissime haec sunt obser-

Digitized by Google

vata. Vocula *mire* sexcenties in commentario obvia, (vix opus est ut hoc moneam) sedate potius et mediocriter laudantis, quam impense mirantis est. Vulgo idem valet atque imperativus ille: *nota*. Breve igitur illud dictum „mire obiurgandi" hoc sibi vult: nota, lector verbum sedatum et mediocre „obiurgandi" caute a liberto ex ore patroni repetitum.

Recte profecto etsi asperius fortasse ante multos annos Wessnerus contra Hartmanum, quippe nimium sibi Donati laudatorem, haec scripsit: „Natürlich müssen die alten Scholien... berücksichtigt werden; aber wir dürfen uns doch zutrauen, den Terenz auch ohne diese Hülfe einigermassen zu verstehen" [1]), neque hercle ego is sum, qui contendam nos elegantias Terentianas, quas in hac re exponere studuerim, nisi monuisset scholiasta vix observaturos fuisse. Aliud tamen est scenam aliquam comicam „bene intellegere" aliud lector merus ad singulas dialogorum venustates, duabus tribusve quin etiam una subinde vocula stantes semper animum bene attentum habere. Summum bonum vetus hic magister Terentii lectoribus exstitit. Quanti vero pretii histrionibus, tironibus praesertim in arte sua, esse possit commentator scenicus qualis sit Donatus, id primus fortasse recte sensit recteque enuntiavit Lessingius [2]) ὁ πάνυ, nobisque subinde id recordari et repetere par est.

Redeamus ad locum nostrum, qui nisi omnia me fallunt aptissimam praebet occasionem, ut illustremus Lessingii iudicium. Primum igitur cognoscamus corruptelam, tum medelas oblatas examinemus, ipsi denique quid in hac re possimus experiamur. Nam inter primam ultimamque quas exhibui scholii partes haec legitur pars tertia media:

„tamquam *in incensor* pater in filium videretur.

Pro *in incensor* Rabbovius proposuit *ignoscentior*, quod Wessnerus recepit. Sed Kauerus scripsit: „Bei *ignoscentior* verstehe ich weder den Konjunktiv noch *tamquam*: warum nicht *mitis censor*". Tu nunc candide lector, si iam *melius* intellegas coniunctivum

1) In diario c. t. Berliner philologische Wochenschrift (1896, sp. 653 sq.).

2) In libri qui inscribitur: Hamburgische Dramaturgie parte LXXII[a]: „Aber wer hätte wohl bei einem Grammatiker so feine Kenntnisse gesucht?.... Ich wüsste daher auch kein Werk, aus welchem ein angehender Schauspieler mehr lernen könnte, als diesen Commentar des Donatus über den Terenz".

Digitized by Google

et voculam *tamquam* me profecto aut sagacior aut docilior es, quippe qui in utraque coniectura pariter coniunctivum et adverbium aequi bonique consulam. Sed quominus horum conaminum alteri utri adstipuler graviora hercle impediunt. Quid? Quonam vinculo logico nunc tres scholii partes iunguntur? „Mire *obiurgandi*, tamquam *ignoscentior* (vel *mitis censor*) pater videretur". Sed ex unico hoc verbo *obiurgandi*, bis supra iam a patre indignato usitato minime cognoscimus eum *ignoscentiorem* vel *mitem censorem* factum esse. Si totum versum integrum allegasset Donatus:

Qui igitur relictus est obiurgandi locus,

addita formula sua: *mire*, tum tali ratiocinationi indulgere possis: ex toto versu apparet nimiam Sosiae videri prudentiam clementiamque senis. Sed id non fecit Donatus, et si facere voluisset alio egisset modo, nam moris eius est non integros versus sed singula tantum vocabula singulasve locutiones τῷ *mire* notare. Sed ad graviora pergamus. Quaenam nunc est, obsecro, vis coniunctionis causalis „*nam*", qua vocula tertia scholii pars adiungitur praecedentibus? Quae ratio causalis exstat inter secundam tertiamque scholii partes: „tamquam ignoscentior (mitis censor) pater videretur; *nam* supra commotus plus per ἀποσιώπησιν intulerat"? Prorsus nulla opinor.

Adhuc τριχθὰ διεσχισμένον mihi iacet scholion. Potestne resarciri? Fortasse. Omnino opus est ut in mediam partem corruptam invehatur haec sententia: non amplius, non iterum vult Sosia magis iratus esse aut videri in patroni filium, quam ipse patronus est. Quam sententiam equidem e corruptis verbis elicio hac leni correctione: tamquam *non incensior patre* in filium videretur.

Totum igitur sic exhibeo: „mire obiurgandi, tamquam *non incensior patre* in filium videretur, nam supra commotus plus per ἀποσιώπησιν significaverat". Nunc et histrioni suum sibi pretium habere scholion videri possit. Nam etsi non statim et proprio acumine ductus loci ἦθος persenserit, profecto tamen a vetere magistro monitus, ipsum illud *obiurgandi* verbum et in Sosiae ore leni quadam sed peculiari ἐμφάσει, producta magis quam sublata voce „pronuntiabit actor bonus".

(Continuabuntur).

Digitized by Google

PROPERTIANA (AD LIB. IV).

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

ELEGIA I.

Poeta se cum hospite stare fingit in loco unde totam urbem late patentem prospicere possint.

1 Hoc, quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit;
Atque ubi Navali stant sacra Palatia Phoebo,
Euandri profugae concubuere boves.

Vocabula *collis et herba* si sana sunt, voc. *collis* notionem collectivam habeat necesse est, nam non collem unum, montem Palatinum puta, Propertius significare voluit, sed totius urbis territorium, ut vs. 1 comprobat. Etiamsi nomen quale 'collis' est numero singulari pro plurali ponere liceat, quod dubito, haec manet ineptia, poetam graviter sic affirmare, colles ibi quondam fuisse qui etiamtum cuivis erant conspicui. Paleius difficultatem sensisse videtur, sed interpretatione quaesita locum extricare conatus est: „This *small* site, where now is mighty Rome, before Aeneas came from Phrygia (Troy) was *a grassy hill*", in qua versione vocabula, quae litteris inclinatis reddidi, satis ostendunt, ad qualia remedia interpres decucurrerit.

Immo in prisca locorum condicione memoranda Propertius de colle sive uno seu pluribus, qui etiamtum stabant, mentionem non iniecit, sed tantum externam regionis speciem prorsus iam immutatam significavit, neque aliter fecit Ovid. Fast. VI 405 sq.:

Qua Velabra solent ad Circum ducere pompas,
Nil praeter salices crassaque canna fuit,

Digitized by Google

et Fast. V 93:

hic ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae
et paucae pecudes et casa rara fuit.

Quibus de causis apud nostrum corrigere ne dubita:

Ante Phrygem Aeneam caulis et herba fuit.

Cf. Verg. Aen. XII 413:

puberibus caulem foliis et flore comantem.

Deinde de temporibus antiquissimis haec commemorat:

13 Bucina cogebat priscos ad verba Quirites:
Centum illi in prato saepe senatus erat.

Heinsius iam perspexit, adverbium *saepe* a loco alienissimum esse, cum *prati saepe* (= saepto) corrigendum censuerit, atque sane vix quicquam frigidius dici possit quam centum illos in prato saepe i. e. haud raro senatum fuisse, cum centum iustus tunc ac legitimus esset senatorum numerus (cf. Liv. I 8, 7), neque multum proficimus, si *saepe* ad *in prato* pertinere accipimus, quoniam de alio loco, quo convenirent cum in pratum non congregabantur, mentio fit nulla. Quae cum ita sint, voc. *saepe* h. l. adverbium non esse sed nomen Heinsio credo, non tamen ei credo pro *prato* substituendum esse *prati*.

Haud dubie Propertius curiae magnificentissimae sui temporis opponere voluit locum humilem, quo olim 'pauper senatus', ut Verg. Aen. VIII. 105 loquitur, conveniret. Cf. IV 4, 13:

Murus erant montes; ubi nunc est curia saepta,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus,

non id voluit, ut quodlibet pratum tunc pro curia fuisse diceret, qua de causa eum scripsisse suspicor:

Centum illi in parca saepe senatus erat.

Librarius scilicet, qui quin adverbium *saepe* esset non dubitavit, cum post praepositionem *in* nomen ablativo casu requiri existimaret, *parca* immutavit in substantivum quod lectioni traditae erat quam simillimum.

Licet humilis esset Urbis origo,

31 Hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni,
Quattuor hinc albos Romulus egit equos.

Pro *coloni* unus codex N *soloni* exhibet, quam miram lecti-

Digitized by Google

onem, ab Hosio receptam, locus obscurus apud Dion. Hal. II 37, 2 solus tueri videtur, ubi Λοκόμων venisse dicitur ἐκ Σολωνίου πόλεως. Quae quomodo intellegenda sit me non perspicere ingenue profiteor atque cum ceteris libris mss. et editoribus hic stare malo, qui lectionem *coloni* servant omnes et probabiliter explicant ἔποικοι.

Multis autem scrupulum iniecerunt epitheta *viri* et *coloni* inter se opposita, qui restat etiam recepta lectione Neapolitani. Rothstein recte annotavit: „Die *Luceres* heissen *coloni*, weil sie nach Varros Ansicht etruskische Einwanderer sind", sed minus recte, ut opinor: „*Tities* und *Ramnes* neben *viri*, das in der Weise des Epos die alten Römer als Helden und Krieger charakterisiert"; haec enim interpretatio contemptionem affert Luceribus, id quod poetam minime voluisse puto.

Iusta oppositio, nisi fallor, oreretur, si pro *viri* esset: *atavi*.

Porro haec leguntur:

33 Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi.
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
Hac ubi Fidenas longa erat isse via.

Sic libri mss. omnes *Hac*, „was keinen Sinn giebt", ut Rothstein breviter monuit et Paleius pluribus exposuit, unde ille audacter recensuit *Magna*, *ubi*, Baehrens *Ac tibi*, L. Muellerus *Atque ibi*, Ritschl *Hinc ubi*.

Corrigendum esse credo:

Tunc ubi Fidenas longa erat isse via,

id quod Ritschelium ante me suspicatum esse postea in Rothsteinii Appendice p. 372 cognovi. Hic quidem addit: „*Tunc ubi* genügt für den Gedanken nicht, beruht aber auf der richtigen Erkenntniss, dass *ubi* beibehalten und in zeitlicher Bedeutung verstanden werden muss", sed nos edocere omisit, quare sententiae sic non satisfiat.

39 Huc melius profugos misisti, Troia, penates.
Heu quali vecta est Dardana puppis ave!
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi.

Pro *Heu quali* libri deteriores praebent *En quali*, editores

Digitized by Google

multi *O quali*, Baehrens *Huc quali* recensuit, verum quaevis exclamatio a loco aliena est. Reddendum est poetae:

Aequali vecta est Dardana puppis ave:

Sic sua vis demum versibus sequentibus reddetur: iam tunc omina bene spondebant — ave aequali h. e. haud minus aequa postea vecta est Dardana puppis, cum penates tuos, Troia, Romam misisti.

Cf. IV 6, 20: nec remis aequa favebat avis.

Alibi (III 6, 22) codices praeter Neap. omnes exhibent *Aequalem*, sed optimus ille liber bonam lectionem *Et qualem* servavit, unde Markland *Rivalem* coniecit, e vocabulis duobus unum coaluisse non videns. Versa vice loco nostro latuit criticos, unum vocabulum in duo male esse divisum.

61 Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.

Baehrens: *sua tempora oliva*; Hetzel probante Enkio: *fundat* (vel *pangat*) *sua dicta corona*, verba *hirsuta corona* tamquam ablativum qualitatis iungens cum Ennii nomine; L. Mueller obelum vocabulo *dicta* praefixit.

Ipse quoque quin voc. *dicta* corruptum sit nullus dubito, utpote quod minime accommodatum sit Annalibus Ennii, quos idem noster alibi (III 3, 6—12) tantis laudibus extulit, atque fuit cum emendandum esse putarem *colla* cl. IV 6, 72:

Blanditiaeque fluant per mea colla rosae,

sed postea nata mihi est suspicio, scriptum fuisse: *sua duella*, quae synizesis etiam est ap. Lucret. II 662: equorum duellica proles.

121 Umbria te notis antiqua penatibus edit
(Mentior? an patriae tangitur ora tuae?),
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus aestivis intepet Umber aquis.

Duae causae sunt, quae hunc locum criticis et interpretibus suspectum fecerunt et ad explicandum difficilem. Primo forma *intepet* pro *intepescit* suspicionem movit, deinde vero res ipsa quae de hoc lacu hic traditur. Est apud Plinium (Ep. VIII 8) amoeni loci descriptio, qui § 2: (fons Clitumni) eluctatus quem facit gurgitem lato gremio patescit purus et vitreus, et § 4:

Digitized by Google

rigor aquae certaverit nivibus nec color cedit.

Mirum in modum haec obloquuntur eis quae de eisdem aquis Propertius affirmat. Paleius quidem dicit: „Poetically, perhaps, rather than truly, it is said to be warmed by the summer sun", sed credibile non est, poetam de re insigni, in sua ipsius patria quae obvia erat, tam falsa protulisse.

Difficultatem solvere conati sunt Baehrens scribendo *ut tepet*, L. Mueller *si tepet*, Housman coniciendo *non tepet*; praeterea Baehrens recepit scripturam codd. dett. *uber* pro *Umber*.

Legendum censeo recepta interpunctione quam Hertzberg suasit quaque Marklandi *tenditur* pro *tangitur* supervacuum fit:

Umbria te notis antiqua penatibus edit:
Mentior? an patriae tangitur ora tuae,
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo
Et lacus aestivis integer Umber aquis e. q. s.

Necesse videlicet non est pro *intepet* verbum aliquod substituere ut peculiaris huius lacus natura, quam Plinius tradidit, restituatur. Cf. Tac. H. V, 6, ubi de Iordane flumine: „unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur". Manet igitur lacus Umber integer vel aestivo tempore, h. e. media quoque aestate frigidam servat aquam.

Cf. 5, 59: Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus.

Astrologus Propertio vaticinari pergit:

139 Nam tibi victrices quascumque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas:
Et bene cum fixum mento decusseris uncum,
Nil erit hoc, nostro te premet ausa tuo.

Versum ultimum descripsi qualis traditus est in libris mss., sed, hercle, multum in eo viri docti desudarunt et nunc quidem cum Dom. Calderino *rostro* pro *nostro* et *ansa* pro *ausa* editores recensere solent atque spreta Neapolitani scriptura quae *tuo* est insuper lectionem *suo* e codd. dett. recipiunt. Ergo vulgo sic versum refingunt:

premat
Nil erit hoc, rostro te premet ansa suo.

Sententia hexametri satis est aperta: Cynthia comparatur cum carnifice, qui corpora maleficorum interfectorum unco e carcere trahebat, cf. Ovid. Ib. 161, Iuven. 10, 66, Cic. Phil. I 5.

Digitized by Google

At, rogo, omnino necesse est accipere, hanc imaginem etiam in pentametro esse continuatam? Hoc enim sibi persuaserunt interpretes, cum veriti non sint ad unum omnes Calderini *rostro* et *ansa* probare ac recipere. Deinde rogare velim, quomodo versum ita immutatum tandem interpretentur.

Rothstein illustrat: „Es nützt nichts, dass das unglückliche Opfer versucht sich zu befreien; es kann höchstens den Griff abreissen, die Spitze bleibt doch stecken".

At, vir bone, *ansa* non „Spitze", sed *manubrium* est!

Paleius melius perspexit difficultatem, qui haec:

„*Ansa*, the handle, or knop, of the hook by which a body was dragged ignominiously from the place of execution..... The notion intended probably is, that when the sharp hook would not hold in a lacerated or putrified corpse, some use was made of the other end for pushing, shoving, or thrusting it along, which is the literal sense of *premet*; but this is only a conjectural explanation of a very obscure passage".

Quae omnia certe perspicue et probabiliter disputata sunt, sed iterum rogo, num cui verisimile videatur poetam elegantem qualis noster est rem foedam et fastidium afferentem tam fuse et singillatim exposuisse, horridam comparationem adeo particulatim elaborasse, cum praesertim de Cynthia, docta puella, sermo sit. Numquam id mihi persuadebitur: laudo tantum finem Palei annotationis qui est: „The general sense may be, 'you may get away from her now and then, but she will beat you in the end'".

Quae cum ita sint, Calderini importunum inventum paulisper missum faciamus et hoc primum quaeramus, quis tandem poetam amore perditum ad finem usque pressurus putandus sit. Nempe puella una illa quam deperit! Ergo Cynthia pro subiecto verbi *premet* utique sumenda est. Hanc autem poeta amans ipse furore suo poetico semper auxerat, vires ei fecerat sacro percitus oestro (Cf. IV 7, 50). Agedum, ne longius cum Calderino machinis et tormentis nos involvamus neve carnificinae minutias poeta indignissimas Propertio obtrudamus, sed tandem iam genuinam reponamus lectionem, quam esse aio:

Nil erit hoc: oestro te premet aucta tuo.

Cf. Stat. S. II 7, 3:

Digitized by Google

docto pectora concitatus oestro.

Id. Theb. I 32:

tempus erit cum Pierio tua fortior oestro
facta canam.

Iuvenal. 4, 123:

ut fanaticus oestro percussus.

Nemesian. Cyn. 3:

Aonio iam nunc mihi pectus ab oestro
aestuat.

Elegia II.

Vertumnus fingitur prope statuam suam in Vico Tusco stantem nos edocere de nominis sui origine, deque cultu suo, cuius carminis finis est:

59 Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.
At tibi, Mamurri, formae caelator aenae,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam docilis potuisti fundere in usus.
Unum opus est, operi non datur unus honos.

In verbis *grata — in urbe* suspectum mihi est epitheton neque suspicionem tollit Postgatii interpretatio: „*grata* i. e. my poor appearance was not due to the people's neglect". Legendum esse suspicor:

Ante Numam parca pauper in urbe deus.

Cf. IV 10, 18: Qui tulit a parco frigida castra lare.
et IV 3, 60: Seu voluit tangi parca lucerna mero.
Ceterum cf. supra ad Eleg. I vs. 14 quae a me scripta sunt.

Deinde de vs. 62 pauca in medium proferre liceat.

De Mamurrio Veturio notum est nihil. Varie igitur editores *tellus Osca* explicare sunt conati, quas coniecturas multas et ambiguas enumerare longum est, sed omnes nimirum consentiunt, loci sententiam esse quae vulgo sic exprimitur: sit tibi terra levis. Nemo tamen animadvertit, in hac formula nomen insolite, immo importune esse additum. Equidem nullus dubito quin vitiosa scriptura sit et emendandum:

At tibi, Mamurri, formae caelator aenae,
Tellus artifices ne terat obsto manus.

Digitized by Google

Cf. Verg. G. II 484:

sin, has ne possim naturae accedere partis,
frigidus obstiterit circum praecordia sanguis.

Similiter Propertius posuit *volō* II 10, 9 et *findō* III 9, 35 eodem in versus loco:

Non ego velifera tumidum mare findo carina.

Vertumnus nisi esset deus, conicere posses *oro*, sed nunc *obsto* scriptum esse credo, quod vocabulum insuper facile in *osca* abire potuit: *obsto-osto-osca*.

Elegia III.

In hac mellitissima elegia, quae Nasoni in heroisin concipiendis exemplo fuisse videtur, ut primum et secundum huius libri carmina eius Fastorum prototypa vocari possint, haec sunt:

7 Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Neuricus hostis equo,
Hibernique Getae pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoa discolor Indus aqua.

Lachmann versum ultimum interpretandum censuit: *Eoa aqua*, 'ad aquam Eoam', quae Paleio optima et simplicissima explicatio visa est: 'the sun-burnt swarthy Indian by the eastern sea'. Alii vero versum corruptum duxerunt. Otto *Pastus*, Housman *Tunsus* proposuit, Baehrens *Postus*. Gruteri coni. *eoo — equo*, a nonnullis receptam, propter versus 8 finem alii iure reiecerunt. Unice veram esse puto lectionem Palmeri *Vastus*, quam Baehrens sprevit observans eum male flumen Indum intellexisse. At ipsum flumen intellegendum esse aio. Versa vice Ovidius flumen et hominem posuit Trist. V 3, 24:

Persidaque et lato spatiantem flumine Gangen
et quascumque bibit decolor Indus aquas.

En habes *lato spatiantem flumine* h. e. *vastum G.*

Postgate Class. Phil. VIII a. 1913 p. 331 fuse de loco egit et *tinctus* proponit.

Sequuntur continuo:

11 Haecne marita fides, et parce avia noctes,
Cum rudis urgenti brachia victa dedi?

Ista est codicis N. mutilata lectio, quam scribae et viri docti multimodis in integrum restituere studuerunt. Quoniam

Digitized by Google

nulla coniectura adhuc editoribus omnibus placuit, debita verecundia meam quoque eis proponere velim, quae est:

Haecne marita fides et narce mutua noctis,
Cum rudis urgenti bracchia victa dedi?

45 Romanis utinam patuissent castra puellis!
Essem militiae sarcina fida tuae,
Nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

Sic vel potius *Affricus* libri mss. ad unum omnes.

Coni. Rossberg *Aeris*, Fonteinius *Aeolus*, Lachm. *Arctoo*, Postgate *Acrius* (vel *Aethrius* vel *Aethricus*), Housman *Caelicus*, Mueller *Aetheris*, Eldik *Astricto*, Schneidewinus *Tetricus*.

Itali pro *altas* scripe. *Atlas*.

Editores aut traditam scripturam tuentur, Paleius quidem cruce praefixa, aut suam aut (Rothstein) Eldikii coni. recipiunt.

At veram ac genuinam lectionem esse puto: *Thracius*. Cf. Ov. A. A. II 431:

Nam modo Threicio Borea, modo currimus Euro.

Call. Hymn. Del. 62:

ὁ μὲν πέδον ἠπείροιο
ἥμενος ὑψηλῆς κορυφῆς ἔπι Θρήικος Αἵμου
θοῦρος Ἄρης, Φυλακὴ δὲ σὺν ἔντεσι, τὼ δὲ οἱ ἵππω
ἑπτάμυχον Βορέαο παρὰ σπέος ηὐλίζοντο.

Verg. Aen. X 350:

Tres quoque Threicios Boreae de gente suprema.

Graeci autem Boream Thracem esse dixerunt, quod ad ipsos e Thracia venit.

Sequuntur haec:

49 Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo Poenis te purpura fulgeat ostris
Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Omnia surda tacent e. q. s.

Sic in cod. N. versus exaratus est: *te purpura*.

Prompta videlicet erat obscurae sententiae emendatio *tibi purpura* itaque in ceteris libris legitur.

Digitized by Google

At vero cum vix sit credibile poetam duo pronomina *mihi* — *tibi* casu eodem posuisse atque inscite admodum eo sententiam expressisse, varia temptarunt viri docti. Heinsius pro *tibi* voluit *si*, Palmer *ter*, Leo *tua*, Housman *nunc*. Denique alii eo difficultatem solvere sibi visi sunt quod post *quo* signum interrogandi posuere, quos Baehrens, Rothstein, Hosius secuti sunt.

At, hercle, propter duas causas istud remedium omnino spernendum est: primo lacerata et quasi balbutientis oratio *Nam mihi quo*? Propertio indignissima est habenda, deinde altera vel sic manet absurda dictio, quam nemo adhuc attendisse videtur. Nempe quae tandem est ista absurditas *purpura fulget ostris*? Nonne dicitur sic: *purpura fulget purpurā*? Accedit quod *Nam* non habet quo referatur, quamquam Rothstein id per longas verborum ambages vindicare laboravit.

Totum locum iam consideremus et primum quidem statuamus, quid sit *aperto in coniuge*.

Rothstein explicat: „*aperto in coniuge* vertritt ein abstrakten Begriff. Die offen anerkannte Ehe bildet den Gegensatz zu dem *amor furtivus*, von dem das Wort *coniunx* auch gebraucht wird". Neque aliter Paleius interpretatur: „in the case of an acknowledged and lawful husband".

Hanc notionem a loco nostro alienam esse alii senserunt, unde Burman et Kuinoel *deserta in coniuge* voluerunt. Nam quomodo apta esse potest, cum de furtivis amoribus nulla facta sit mentio? Immo, *aperto in coniuge* esse: in coniuge qui ostenditur, conspicitur, persuasum habeo. Cf. Cic. N D II 20, Verg. Aen. III 275. Hac interpretatione admissa particulam *Nam* bene positam videmus in exclamationis initio: Nam quid nunc refert me exornare et comere, cum tu procul abes?

Quae quidem versus sententia satis perspicua est, sed quin disertius a poeta expressa sit non dubito, cum praesertim post caesuram corruptus sit: lectio cod. optimi *te* sanae rationi — ceterorum scriptura *tibi* elegantiae Propertianae repugnat. Equidem incidi in suspicionem, in Neap. fuisse:

Nam mihi quo Poenis sine te stola fulgeat ostris,

praepositionem *sine* excidisse, deinde posteriores versum emendando complevisse.

Digitized by Google

Elegia IV.

In hoc carmine percensendo, cuius versum primum Hartmanus noster pro *nemus* reponendo *scelus* optime emendavit, ad illam partem te, humanissime lector, revoco, qua Tarpeia de arce in castra Titi Tatii, quem deperit, despiciens et alia queritur et haec:

O utinam ad vestros sedeam captiva penates,
Dum captiva mei conspicer esse Tati.
Romani montes et montibus addita Roma
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.

De loci recensione in codd. nulla est dissensio praeterquam quod pro *reponet* in libris dett. *reportet* invenitur. At de interpretatione editores non item consentiunt. Rothstein postquam ambiguis atque obscuris verbis in commentario locum illustrare conatus est, in Appendice addidit „Ich habe mich bemüht, aus den überlieferten Worten einen angemessenen und poetisch bedeutsamen Sinn zu gewinnen, muss aber zugeben, dass der Ausdruck nicht einfach und klar genug ist, um jeden Zweifel auszuschliessen". Neque Paleio satis constitit, utrum verba *meos amores* ad Tarpeiam an ad Tatium pertineant.

Mihi quidem nulla relinquitur dubitatio quin *meos amores* intellegendum sit: *me amantem*. Quidni? Tarpeia modo Romam cum montibus suis atque ipsa Vesta valere iussit, ergo consilium iam se cepisse aperuit ad hostem amatum transfugiendi: sana ratio exigit ut viam deinde expromat qua ad eum proficisci cogitet. Accedit quod verba *Cui Tatius dextras collocat ipse iubas* sine vi ulla ac venustate, quin etiam ieiune addita essent, si equus ille dominum in castra sua repositurus diceretur. Immo, Tarpeia postquam patriae et deae suae iam valedixit, hoc exclamasse putanda est: Iam castra illa meum erit domicilium, quo equus ille, quem ipse Tatius pectit comitque, me vehat! At, quaeso, exigua mutatione illata mecum legas:

Illa equus ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.

Paulo inferius in eodem soliloquio ipsum Tatium alloquitur:

Digitized by Google

47 Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cape spinosi rorida terga iugi.

Pro absurda scriptura *pugnabitur* alii alia proposuerunt, *pigrabitur* Housman, *potabitur* Rossberg (sic!), *cessabitur* Palmer, sed optimum videtur *purgabitur* (= lustrabitur), quod in libris dett. reperitur et certe sententiam praebet quam locus requirit.

Ceterum quidquid in hexametro legitur, de verborum *Tu cape* notione nulla potest esse dubitatio neque cogitandum est de lectione *Tu cave*, quam a manu secunda in cod. F exaratam Rothsteinium recepisse miror.

Paleius: „But does *tu cape* (or *tu cave*) refer to Tatius, or is she exhorting herself? I rather suspect the latter, even though *te* in 53 is certainly addressed to him" et multa alia addidit incertus utra interpretatio vera sit. Equidem nullus dubito: Tarpeia Titium iam compellare a poeta fingitur neque Palei difficultatem agnosco ubi dicit: „Of course, *cape* or *cave* may be conceived as spoken to Tatius in his absence; but it is a pointless thing to give a special direction where one knows it cannot be heard". Poeta, non rerum scriptor Propertius fuit!

Immo Tarpeia haud dubie Tatium hortatur ut eam partem urbis adoriatur et clam occupet, unde propter loci naturam hostilis impetus minime exspectatur: hoc disticha duo quae sequuntur luculente demonstrant, quibus de itineris periculis eum facit certiorem atque vim magicam Medeae sibi optat qua ei opem ferre possit. Similiter verbum positum est supra vs. 2: antiqui limina capta Iovis.

Porro rogat Tatium (quamvis etiamtum absentem, Palei!)

55 Sic, hospes, pariamne tua regina sub aula?
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.

Ita Hosius e cod. optimo hexametrum recensuit et ceterorum codicum lectiones varias et doctorum coniecturas ad calcem memoravit, quibus addi possunt multae, sed satis esse videtur pro *Sic* reponere *Dic*, id quod Heinsius iam proposuit, cuius *spatiorne tuam r. s. aulam* omnino displicet.

Denique asseverat, se nuptiis suis bellum solvere posse:

59 Commissas acies ego possum solvere: nuptae,
Vos medium palla foedus inite mea.

Digitized by Google

Adde, Hymenaee, modos, tubicen fera murmura conde:
Credite, vestra meus molliet arma torus.

Nonne duriuscule dictum hoc: torus meus arma molliet? Nescio an potius scripserit Propertius: vestra meus molliet arma chorus. Notandum est, in cod. N. esse *thorus* et IV 6, 70 quoque, ubi

Victor et ad placidos exuit arma choros

legitur, libros nonnullos pro *choros* exhibere *toros* vel *thoros*.

73 Urbi festus erat, dixere Parilia patres,
Hic primus coepit moenibus esse dies,
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Cum pagana madent fercula divitiis,
Cumque super raros faeni flammantis acervos
Traicit inmundos ebria turba pedes.

Pro *lusus in urbe* Fonteinius *l. in herba*, Baehrens *l. in arvis*, Postgate *l. et urvi* coni. Mihi venit in mentem: *lusus inermis*. Cf. IV 6, 32: carmen inerme lyrae.

In vs. sq. nescio an vera sit lectio Italorum *deliciis* pro *divitiis*, quod hoc loco importunum videtur. Postgate *lautitiis* Class. Phil. VIII (1913) p. 333 coniecit.

Versum autem ultimum reddidi qualis ab editoribus fere recenseri solet ex Italorum correctione pro codicum communi scriptura *inmundas — dapes*.

Suspicio mihi incidit, fortasse scriptum fuisse:

Cumque super raros faeni flammantis acervos
Transit in inmundas ebria turba dapes.

Denique iam Tarpeia Tatio
87 Prodiderat portaeque fidem patriamque iacentem,
Nubendique petit, quem velit, ipsa diem.

Pro *diem* in codice uno *locum* a manu sec. scriptum est. An forte emendandum est: *modum*?

In versu postremo carminis constituendo multum dissentiunt editores. Libri mss. praebent:

A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus:
O vigil, iniuste praemia sortis habes.

Digitized by Google

In hexametro autem multi pro *Tarpeio* recipiunt Italorum correctionem *Tarpeia*. Aliae coniecturae sunt *Abs te* Schippersii, *Tarpeius* Rossbergii, *A nece Tarpeiae* Bassani, *Tarpeium* Palmerii. In pentametro recensendo hoc tantum discrepant, quod alii *iniuste* — alii *iniustae* posuerunt, sed multa versus vocabula criticis in suspicionem venerunt, veluti *vigil*, pro quo Guyetus *virgo* voluit, et *sortis* praecipue multis corruptum visum est: Burman *iniusti — Martis*, Ribbeck *fontis*, Postgate *fortis* (h. e. strenuae), Baehrens *sordis* (i. e. facti sordidi), Luetjohann., Enk *mortis*.*

Quamquam olim pro *sortis* legendum esse putabam *fraudis*, nunc nescio an Hartmano assentiendum sit, qui nil mutandum esse affirmans sic locum explicat (Mnem. Vol. L a. 1922 p. 279): '*Vigil* enim ipse est Tarpeius, cui mons custodiendus fuerat commissus, haec eius fuerat *sors*, id est „provincia". Huius habebat, et etiam nunc habet *praemium*, idque insigne: eius enim nomen monti inhaeret. Sed ne eo honore glorietur pater, *κῖτιον* suum poeta sic concludit et in breve contrahit: „non tibi, Tarpei, id quod vulgo opinantur homines (et facile opinari possunt), illud montis nomen debetur, sed sceleratae filiae tuae".

Quae si vere disputavit, amicus, qui mortuus vivere mihi non desiit, tam ultimo quam primo huius elegiae versui tulit auxilium.

Elegia V.

Poeta lenam ad puellam nescioquam facit dicentem: si te iuvant res pretiosae, nulla fraude iniuriis nullis te abstineto. Inter illas autem cum margaritis, vestibus purpureis, vasis murrinis ponit etiam

24 Sectaque ab Attalicis putria signa toris.

Interpretes dubitant qualia signa hic dicta sint: alii vestes stragulas significari putant (Tattered fragments of tapestry cut from divans which belonged to Attalus), alii vero de statuis sermonem esse arbitrantur, id quod unice verum mihi videtur. Plane sed Hartmano assentior, cuius verba repeto: „Vidi qui sic interpretaretur ut essent statuae pro fulcris appositae vel suppositae lectis Parthicis, quae quia essent perantiquae magnum

Digitized by Google

haberent pretium. At, o bone, non res hic nobis est cum aliquo sene vafro, subdolo, avaro, rem facere cupiente e mercibus vel aliam ob causam sed propter ipsam antiquitatem raris carisque, sed cum muliercula prae comptu ornatuque cetera omnia contemnente. Illi pedes veteris grabati oblatos tibi finge! Quid sit legendum me nescire fateri non pudet, dummodo ne legatur id quod traditum est".

Legendum est:

Sectaque ab Attalicis patria signa tronis.

Moneo, exaratum esse in libris mss. *thoris* et Slothouwerum ante coniecisse: Pictaque in Att. patria signa toris.

Propertium epitheton *patria* posuisse suspicor respectu necessitudinis quae inter Pergamenos i. e. Troianos et Romanos exsistere credebatur.

59 Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.

Persuasum mihi est reddendum esse poetae:

Utere, ne quid cras libet ab ore lues.

Elegia VI.

Carmen quo Actiaca celebrantur sic incipit:

1 Sacra facit vates: sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta iuvenca focos.

Pro *icta*, quod admodum languet, emendandum censeo: *rite*.

Elegia VII.

55 Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem
Turbaque diversa remigat omnis aqua.
Unda Clytaemestrae stuprum vehit altera, Cressae
Portat mentitae lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera parta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas, e. q. s.

Nescio an vera sit Passeratii coniectura in vs. 55: *Nam geminas sedes*, quae tamen tum demum omnibus numeris perfecta erit, si post *turpem* revocatum erit *est*.

In vs. 57 Hertzbergii manifestam correctionem *Unda* pro *Una*, quod traditum est in libris mss. omnibus, recipiendam

Digitized by Google

esse Hosio credo libenter. Sed non credo, eum vs. 59 Luetiohanni propositum *lapsa* pro codicum lectione corrupta *parta* iure recensuisse, neque magis verum esse Palmeri *rapta*, quod Phillimorius recepit, neque *adacta*, quod de suo scripsit Baehrensius. Ceterum L. Muellerus *lata* coniecit, Postgatius *pulsa* et dant libri deteriores *vecta*.

Emendandum est:

Ecce coronato pars altera parva phaselo,

cl. Verg. Aen. VI 744:

exinde per amplum
mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus

et Stat. Silv. IV 7, 42: perque non multis iter expeditum, nec non quae in huius Bibliothecae Vol. 51 p. 158 sq. ad Stat. S. II 7, 111 a me scripta sunt. Si quis *parca* maluerit, non est quod obloquar, cf. supra ad Eleg. 2 vs. 60.

Elegia VIII.

Hoc carmine iocosissimo Propertius narrat se, ratum Cynthiam Lanuvii degere, cum Phyllide et Teia genio indulsisse, illam vero necopinato redeuntem convivas deprehendisse. In eo autem locus unus est, cuius leporem editores adhuc non perspexisse opinor. Est ubi Cynthia furibunda

57 Phyllidos iratos in vultum conicit ungues,
Territa vicinas Teia clamat aquas.

Quid tandem Teia clamore suo voluisse putanda est?

Paleius locum illustrat his verbis: „experience shows that on any sudden panic people are willing enough to cry out 'fire'! and others to bawl for 'water'! — *vicinas*, the Esquiline hill being 'aquosus', sup. 1". Censuit igitur, Teiam exclamasse aquas e vicinitate apportandas esse ut incendium, quod in terrore subito inconsideratoque sibi finxisset, exstingueretur.

Rothstein de re ita disseruit: „Teia ruft in ihrer Angst die Göttinnen der in der Nähe fliessenden Wasserläufe an; diese Göttinnen behalten ihre göttliche Natur trotz der künstlichen Leitung, s. zu II 32, 15. Man wird annehmen dürfen, dass an verschiedenen Stellen der *Esquiliae aquosae* Statuen von solchen Wassergöttinnen standen", e. q. s. Ergo *clamat* interpretatur = invocat.

Digitized by Google

Denique Itali pro *aquas* coniecerunt: *anus*, Ellis: *(h)amas*. At locum sanum esse existimo, sed adhuc non intellectum. Teia enim, cum Phyllida a Cynthia male mulcari videret, caeco terrore exclamat, vicinas esse aquas, h. e. urinam iam continere se non posse. Accolae vero, clamoribus e somno exciti, de aquarum inundatione, quae in vicinio abundabant, scilicet cogitarunt, unde

59 Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis et insana semita voce sonat.

Haud inepte cf. Val. Max. I 7, 5 (ext.), Liv. 35, 9; 38, 28; 24, 9.

Iam lepos et festivitas exordii huius carminis patebit, quod est:

1 Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris.

Manifesta nempe iam est ratio qua aquositatem Esquiliarum poeta memoravit. Ceterum si pro *agris* mecum reposueris: *aquis*, iocum scurrilem totum restitueris.

Phyllis et Teia omnibus modis me quidem delenire conabantur, sed nihil agebant.

47 Cantabant surdo, nudabant pectora caeco:
Lanuvii ad portas, ei mihi, solus eram.

Verba *nudabant pectora caeco* comprobant, me in II 22, 8, ubi nunc legitur:

Candida non tecto pectore si qua sedet,

pro *Candida* optimo iure reposuisse *Callida*.

Elegia IX.

Hercules boves Geryonis Romam adegerat,

7 Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Iovem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora sonos.

Ita *Incola* editores cum libris nonnullis deterioribus recensere solent pro lectione corrupta codicum meliorum quae est *Insula*; male, ut credo. An credibile est, poetam intulisse Cacum fuisse incolam Romae, postquam modo nos edocuit, eum Herculis fuisse hospitem atque ius hospitale impie violasse?

Digitized by Google

Immo, emenda: *Belua Cacus erat.* Cf. Verg. Aen. VIII, ubi idem dicitur *semihomo* (194), *monstrum* (198), *semifer* (267) et Ov. F. I 551:

Cacus, Aventinae timor atque infamia silvae,
non leve finitimis hospitibusque malum.
dira viro facies, vires pro corpore, corpus
grande (pater monstri Mulciber huius erat.

29 Populus et longis ornabat frondibus aedem,
Multaque cantantes umbra tegebat aves.

Hunc locum attuli quo ostenderem veram esse emendationem *Abdita*, quam pro lectione ineptissima *Attica* II, 20, 6 revocavi (Mnem. LII a. 1924 p. 282 sq.).

Elegia X.

Tertia iam spolia opima a M. Claudio Marcello reportata enarrantur.

39 Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti parma relata ducis
Virdomari. genus hic Rheno iactabat ab ipso,
Mobilis e rectis fundere gaesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab agmine bracis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

Versum 43, de quo resarciendo editores plerosque desperare Paleius auctor est, ipse nil mutans sic dubitanter interpretari conatur: „illi, nempe Claudio, torquis decidit ab gula Virdumari iaculantis ab agmine virgatis braccis, *i. e.* dum braccas indutus iaculatur ab agmine suo".

Rothsteinii absurdam annotationem Enkius (p. 350) iusta vituperatione reprehendit neque repetere hic lubet.

Schraderi coniecturam, qua vocabula tantum non omnia huius versus immutantur:

Illi virgatas maculanti sanguine bracas,

ab Hosio post Baehrensium receptam, Postgatius iure refutavit, qui ipse proposuit: *ut v. iaculans it ab.* Alii temptarunt: *iaculanti ante agmina* (Kraffert), *maculatis sanguine* (Csengeri), *iaculanti ex agmine* (Carutti).

Equidem corruptelam latere credo in vocabulo, quod unum

Digitized by Google

integrum Schraderus reliquit quodque nonnulli formam priscam casus genitivi esse suspicati sunt. Reponendum enim esse puto:

Illico virgatis iaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.

H. e. Dum virgatis braccis indutus ab agmine suo iaculabatur, illico unca torquis decidit ab eius gula a Claudio incisa.

Continuo sequuntur:

45 Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem.

Vix dubito quin corrigendum sit: *dux ferit ipse ducem*, neque ulla iam me tenet dubitatio, quin in eis quae porro leguntur:

47 Seu, quia victa suis umeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis

pro *victa* restituendum sit: *vecta*.

Elegia XI.

In nobilissimo Corneliae epicedio locus unus est, quem in omnibus codicibus ita speciose depravatum esse persuasum mihi habeo ut, quamquam sanam interpretationem nullo modo admittit, paucis modo criticis scrupulum iniecerit. Est ubi Cornelia gentis suae nobilitatem praedicat his verbis:

29 Si cui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna locuntur avos;
Altera maternos exaequat turba Libones,
Et domus est titulis utraque fulta suis.

Ad verbum *exaequat* facile intellegitur *paternis avis* neque opus esse credo coniecturis Heinsii *hisce aequat*, Heynii *materni hos exaequant*, Iacobi *materno se exaequat t. Libone* aliorum, quibus constructio usitatior verbo reddatur, sed vitium gravius versui inhaerere puto, quod nonnulli sensisse, non probabiliter sustulisse mihi videntur.

Rothsteinius, qui nihil non explicare se posse credit, haec disseruit: „Dass die *materni Libones* eben die *altera turba* oder allenfalls ein Teil von ihr sind, soll der Leser herausfinden. Das einfache *se* hätte für den Gedanken genügt, aber der Name sollte in wirksamer Weise genannt werden, und

Digitized by Google

das Unnatürliche der doppelten Bezeichnung desselben Begriffes als Subjekt und Objekt scheut Properz nicht".

Credat Iudaeus Apella! Sensit corruptelam qua locus laborat Peerlkampius, qui pro *turba* legere voluit *virga*, nec non Baehrensius, qui ascripsit: „sed et *turba* suspectum, in quo fortasse *cera* latet".

Iam meam sententiam de hoc versu proferre liceat.

Nonne consentaneum est Corneliam, cum Africam et Numantiam avis paternis gloriam sempiternam attulisse dixit, deinde aperuisse quae orbis terrarum regio avis maternis parem famam paraverit? Quoniam autem notum est, Libones non rebus peregre bello gestis sed re publica administranda, certe in ipsa Italia bene meritos esse de patria, eam intulisse exspectaveris, Romam urbem avos maternos paternis exaequasse. Iamque igitur pro *altera* illa *turba*, quae contemptum potius quam honorificum sonat, nomen Urbis ex ipso Propertio revocabo. Evolvas, quaeso, elegiam primam huius libri, cuius est

vs. 39: Huc melius profugos misisti, Troia, penates,

vs. 47: Arma resurgentis portans victricia Troiae,

vs. 87: Dicam: Troia cades, et Troica Roma resurges,

quibus locis collatis nullus dubito quin scripserit poeta:

Altera maternos exaequat Troia Libones.

Aeschyl. Pers. 483.

Monuit me P. Groeneboom v. cl., versum Aeschyleum addi posse locis similibus apud Fr. Villonum et Propertium obviis, quos supra pg. 84 attuli. Est autem:

ἀμφὶ κρηνάϊον γάνος
δίψει πονοῦντες.

P. H. D.

Digitized by Google

PRAESIDIUM
ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA LIBERTATIS
MDLXXV—MCMXXV

Libertatis amor saevique iniusta tyranni
regula vos quondam rutilantia movit ad arma,
pacifici cives, patriae decoris, Luguduni.
vos decrevistis munire hastilia ferro,
patria signa sequi, belli tolerare tumultus
incursusque pati plagisque opponere plagas —
stabat corde silex stabatque immota voluntas
quam neque dira fames posset nec vincere ferrum —
quosque duces bellatoresque Europa timebat,
vestra manus pepulit, donec prope moenia vectus
cantus arausiaci litui resonavit ab undis.
virtutis tantae monumentum surgit aheno
clarius et duret quod in omnia saecla perenne.
Leida docet: patrios, varia de stirpe creatos,
Palladis una domus studiosos congregat omnes.
o fortunatas cathedras, venerabile tectum!
Scaliger hic princeps artis vindexque sedebat,
doctrinaque gravis Salmasius, egregiumque
magne, tuum, Ludovice, decus volitavit ad astra;
quaque vireta patent spiramine grata marino,
Rhenus et immoritur confertis lassus arenis,
Ruhnkeni, lepores canibus longis agitabas.
hic quoque Plutarchi chartas, Daniele, legebas,
pulveris horrisono cum dissiluit strepitu trabs.
denique magnanimi hic risus sonuere Cobeti,
cui dedit ore loqui mellito Graeca Camena.

Digitized by Google

tempora mutantur; sed adhuc studiosa iuventus,
Groti, te sequitur, te delectatur, Erasme.
Paci vos magnis exaedificare parastis
viribus augustum, non enarrabile verbis,
templum, quod cunctis summa pietate colendum
cordibus in nostris occulte crescat in aevum.
alter at ingenii promebat mitia dona
relligionis amans, humanae mentis amicus,
stultitiae tantum vanae derisor acerbus;
alter prospiciens late prudensque futuri
iura dabat sero non contemnenda nepoti.
hos tu, Leida, colas. his credit patria turba.
quin et quae cupimus, iam nunc venisse videntur
tempora: iam melior nobis fortuna renidet.
non aevum remeare vides quo nulla feroces
bella gerant gentes? modo credite, credite, ne vos
obdurata incredulitas occaecet hebentes
mentibus atque oculis venientiaque aeva retardet.
aurea rursus adest aetas: sub iudice lis est
aequo omnis populique ultro parere volentes
vindicibus nullis vivent sine labe beati.
credite: iam nullos metuent armenta leones
ursaque cum vacca, puero ducente, recumbet.
non galeae, non ensis erunt; sine militis usu
mollia iam peragent sine curis otia gentes.
somnia nos ludunt? at inania somnia vitae
secreta explanant dulci sub imagine. verum
ambitione aliquis si quando pacta revellet,
si scelerata cohors ad bellum trudere gentem
pacificam poterit, priscae meminisse valebis
laudis, Leida, tuae, neque nos patiemur inermes.
sub carbone etenim vivit scintilla, vigetque
libertatis amor: te, Dousa, sequemur ut olim.

GUILIELMUS VOLLGRAFF

Digitized by Google

EMENDATIONES CATULLI.

SCRIPSIT

T. L. AGAR.

Plurimae lectiones infelicissimae et uix defendendae textum Catullianum passim deformant, quales sunt inter alias:

VI, 10 tremulique quassa lecti
argutatio inambulatioque.

Illud *quassa* alii editores 'facta quatiendo' perperam volunt interpretari; alii merito corruptum denuntiant ut doctissimus editor Corporis Poetarum Latinorum, Postgatius, 1894; alii corrigunt aut *cassa* (Froehner) aut *lassa* (Baehrens) inutiliter. Me iudice vera lectio est *uasta*, sensu quodam insolito sed, ut demonstrabo, certissimo. Integrum gravemque testem adhibeo Cic. de Oratore III, 12, 45: ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, ut ille quem dixi, non uaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter; Auct. ad Herennium IV, 12, 18: Compositio est uerborum constructio aequabiliter perpolita. Ea conservabitur, si fugiemus crebras uocalium concursiones, quae uastam atque hiantem orationem reddunt, ut hoc est: baccae aeneae amoenissimae impendebant. Etiam manifestius rem coarguit. Cic. Or. XLV, 153: Quin etiam verba saepe contrahuntur non usus caussa sed aurium. Quomodo enim vester Axilla Ala factus est nisi fuga litterae uastioris? quam litteram etiam e maxillis et taxillis, et paxillo et uexillo consuetudo elegans Latini sermonis evellit.

Codicum error evidenter scribis incautis est imputandus, ductus enim litterarum inter has lectiones — *uasta* et *uassa* — quam minime discrepat.

Digitized by Google

Operae pretium est facere mentionem loci alterius ubi Catullus hoc verbo usus est LXIV, 156; quae Scylla rapax, quae uasta Charybdis. Nonne hic quoque reddidisse uidetur illud Homericum

μ 241 ἀμφὶ δὲ πέτρῃ δεινὸν βεβρύχει

potius quam tritiora illa ὀλοή, δεινή, ut plerumque pro certo habetur?

VIII 9 Nunc iam illa non uolt: tu quoque, impotens, noli,
nec quae fugit sectare, nec miser uiue,
sed obstinata mente perfer, obdura.

Fine uersus 9 *ns*, *noli* ab Auantio suppletum consensu editorum, quoad sciam, acceptum est potius quam Scaligeri supplementum *ns ne sis*, quippe quia uersus septimus praecedens tali lectioni favere uideatur. Res non ita se habet. Subridiculum esset Catullum sese admonere ut idem quod puella ipse faceret: non potuit nolle, nisi puella pro parte sua mutato animo se volentem prius exhiberet. Occasio nolendi prorsus defuit, et occasione data longe aliter se gessisset: sine dubio vehementer gauisus redintegrationem amoris illico fecisset.

Uersus proxime sequentes quos laudavimus demonstrant poetam non talem exitum expectare. Sese hortatur pati, perferre, obdurare, ut in re desperata. Quid igitur scripsit ut sermo congruens esset? Ita, ni fallor, nulla interpunctione:

tu quoque impotens u o t i
nec quae fugit sectare nec miser uiue,

quandoquidem ea quae cupis et postulas attingere non potuisti, desine tandem uano ambitu exerceri et uexari. Haud aliter Flaccus non multis annis postea praecepit sibi: 'fortem hoc animum tolerare jubebo' ex Homero.

Abiiciamus ergo illud ineptissimum *noli*. 'Impotens uoti' usu Ovidiano uindicatur *Met.* VIII, 80 uotiqae mei factura potentem. *id.* 409, *Fast.* III, 269. V. 258.

15 scelesta, † ne te. quae tibi manet uita?

Omissis aliis coniecturis nouam lectionem edere uelim qualemcunque, quae a codicum litteris quam minime uidetur discrepare,

scelesta, i n a n t e quae tibi manet uita?

Digitized by Google

Si quis infrequens atque adeo rarissimum esse uocabulum *inante* obiiciat nisi diuisim 'in ante diem', facile et libenter hoc concedam. Nihilominus tale exemplum, quale Uegetius *de re milit.* I, 1, 20 praebet 'sinistrum pedem inante habere', monstrat in ore populi 'inante' esse peruolgatum. Quodammodo quoque coarguit Propertius II, 2, 4.

Hic dominam exemplum ponat inante meam.

Sic credo legendum esse potius quam 'in arte', superuacaneum et inutile additamentum. Praeterea magis credibile est rariorem locutionem 'inante' in usitatius illud 'in arte' corruptam fuisse quam uice uersa.

Postremo Catullus ipse in altero carmine XLV, 8

hoc ut dixit, Amor sinistra ut ante
dextra sternuit approbationem.

idem *inante* scripsisse uidetur. Hic enim *ut ante* sensu legitur prorsus nullo et infra l. 17 minimo. Utroque loco, ni fallor, tres sternutationes Amoris superuolitantis indicantur tribus locis,

Amor sinistra, i n a n t e ,
dextra sternuit approbationem.

Quae quum ita sint, si ad VIII, 15 rursus respiciamus, vel duo vel nemo dubitabit quin *inante* pariter atque *ante* et locum et tempus exprimere sufficiat.

X, 27 deferri, † 'mane me' inquii puellae;

Huiusce *mane me* duo remedia e coniectura exorta breviter animadvertenda sunt, *minime* (Pontanus) et *meminei* (Munro), imperfecta quidem ambo; illud eo nimis inurbanum est quo *mi anima* (Bergkius) nimis comiter sonat: hoc a codicibus plus iusto discrepat.

Pro re nata haud melius fieri possit quam accipere *male me* (Tucker), uix autem imprecationis sensu, ut ipse monebat et ut saepe in comoediis invenimus, e. g. 'male me dii perdant', sed mitiore sententia (Ter. Andr. 2, 6, 5 hoc male habet uirum.) mihi molestum est, me poenitet, fere ut hodie Galli, sese exprobrantes, effusius autumant 'desolatus sum' (Jé suis désolé).

Alioquin audaciore quadam coniectura usus uelim scribere *uenia me*, i. e. uenia me audi, cuius defensionem bona uenia haec legentium iam nunc praetermitto.

Digitized by Google

XI, 11 Gallicum Rhenum horribilesque ultimosque Britannos.

Sic codices hiatu deflendo, quem critici unus et alter uariis modis tentauerunt. Hauptius *horribile aequor*, quod multis placet, fortasse ingeniosius quam uerius proposuit. Aequoris enim plana superficies cum tali epitheto male congruit, et repetitio aequoris post aequora l. 8, sensu dissimili, etiamsi legitimum uix Catullo dignum prodit. *Horribilem salum* (Munro) mentionem meretur, nam negari non potest quin poetae liceat Ennium sequi qui 'undantem salum' scripsit. Equidem olim excogitabam *sinum* quod verbum referre volui non ad fretum inter Galliam Britanniamque fluens sed ad Flavonem lacum Catulli tempore pene ignotum.

Ast cf. Mommsen. Hist. Rom. English translation, vol. IV p. 302 'Daily', it is said in a Roman writing of May 56 BC. 'the letters and messages from Gaul are announcing names of peoples, cantons and regions hitherto unknown to us'.

Iter Catulli his versibus descriptum super Alpes, secundum Rhenum flumen, recta via ad 'lacus putidaeque paludis voraginem' ducit. Omnis illa regio sine dubio Romae horroris plena esse putabatur.

Attamen in re dubia liceat mihi alteram solutionem submittere perpendendam, quae prope abest a codicum litteris traditis, *horribilē uicē* id est horribilem uicem. (uiam deprecor) Haec lectio sententiam ferat fortunae et sortis miserrimae. Constructio erit similis notissimi illius Ω 735

βίψει χειρὸς ἑλὼν ἀπὸ πύργου λυγρὸν ὄλεθρον.

XII, 8 est enim leporum
† disertus puer ac facetiarum.

Disertus sine dubio recte notatus est. Nempe eloquium et facundia nullo modo ad rem hic ualent, ubi iudicio uiri summa comitate et humanitate praediti opus est. Idcirco ex codice O *dissertus* tradente ueri simile est legendum esse *dissertor* a disserendo. Hance opinionem prorsus confirmare uidetur Cicero de Orat. § 38 artem — bene disserendi et uera ac falsa *diiudicandi* —. In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo uerum inveniatur, sed tantum est, quo modo *iudicetur*.

Digitized by Google

Pollio ut criticus et expositor leporum et facetiarum a Catullo laudatur.

XVII 3 Crura ponticuli assulis stantis in rediuiuis

Sic Lachmannus. *Axulis* vel *axuleis* (Schwabius), dicto Ciceronis 'optimi patronum' neglecto quod supra memoravi (VI, 10), in textu fere ab omnibus nuper receptum est. Codices plurimi *ac sulcis* praebent. Ex hac lectione maximam partem nugatoria quid tanti sequitur? Cicero, Catulli aequalis, assem uice solitae uocis 'axem' probabiliter admittere uellet, at non uice uersa. Rescribere Hor. Sat. I, 1, 43 'uilem redigatur ad *axem*.' esset absurdum et nunc et olim. Haud aliter, si ad sensum et usum spectas, assula vix eadem quae axula esse videtur. Libere concessum sit axem interdum trabem significare; hinc axulam nil nisi exiguam trabem esse oportet. Assula autem plane alium et huic loco aptiorem sensum ferre solet. Uideas, precor, Pareum Lex. Plaut. 'assulae proprie sunt fragmenta in caedendo marmore dissipata, et eadem ratione omnia, quae dum franguntur, in longitudinem magis quam in latitudinem dissiliunt. Confer assulatim Plaut. *Capt.* IV, 2, 52 'assulatim foribus exitium affero', *Men.* V, 2, 106. Nullo in codice legitur axulatim, nec quisquam sua fretus auctoritate tale monstrum textui Plautino inferre hodie audeat.

Nihil potuit neruosius dici quam pontis hanc descriptionem contumeliosam et mordacem: 'the crazy legs of the little bridge that stands on resurrected shingles' (assulis).

XXV, 5 cum † diua mulier aries ostendet oscitantes

Balnearios (Riese) pro *mulier aries* nonnulli uiri doctissimi comprobaverunt: sed uox *munerarios* (Lachmann) proxime abest a lectione codicum et certe praeferenda est, dummodo aliquis concinna modificatio illius 'diua' inveniri possit. Neque Lauerna neque Angerona laboranti loco auxilium tulit. Utraque reiicienda est. Egomet coniicio *cella* (cl fit d et ll facile u) id est conclave in quo balnearii sedere solebant, dum vigilant resque lavantium custodiunt. Tales ministri dona palmis supinis semper accipere sunt parati. Idcirco, ut opinor, Catullus eos iocose munerarios vocat. Munerarius duplici sensu usurpatus

Digitized by Google

est, v. Gloss. Hildebrandi p. 366 munerarius qui semper munera requirit, et Mai. Auct. Class. VII 569 munerarios qui munera fert, qui munus facit, id est officium aliquod.

Hic utroque sensu serui a balneis munerarii non sine sale et lepore possunt appellari.

Ad epigramma Milesium.

Carmen Mileti inventum [1]) incipit his verbis:

εἰμὶ μὲν Ἀπόλλωνος ὕδωρ, ναέτῃσι δὲ δῶρον
δῶκέ με Χρυσολύρης ἐν Σκυθικῷ πολέμῳ,
ἡνίκα δὴ περὶ νηὸν ἐπιβρίσαντος Ἄρηος
αὐτὸς ὁ Λητοΐδης σῶζεν ἑοὺς ἱκέτας.
λεῖπε δὲ μοῦνον ὕδωρ καὶ τείρετο πουλὺς ὅμιλος
ἄρδων, δαΐων βῦσέ θ' ὑπὲκ θανάτου.

Versus prave distinctos corrigas velim hoc modo:

ἡνίκα δὴ περὶ νηὸν ἐπιβρίσαντος Ἄρηος
αὐτὸς ὁ Λητοΐδης σῶζεν ἑοὺς ἱκέτας
(λεῖπε δὲ μοῦνον ὕδωρ καὶ τείρετο πουλὺς ὅμιλος)
ἄρδων, δαΐων βῦσέ θ' ὑπὲκ θανάτου.

Vs. insequenti pro κυναλγέα πηγήν procul dubio legendum est κυανυγέα πηγήν. G. V.

1) Wiegand, Achter vorläufiger Bericht über Ausgrabungen zu Milet und Didyma, p. 22.

Digitized by Google

TACITEA. I. DE CLAUSULA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Tacitum Annales suos ordientem a versu heroo notissimo

urbem Romam a principio reges habuere

imitari voluisse Livii Praefationis initium

facturusne operae pretium sim

verisimile est, cum et titulus *Ab urbe condita* exemplo fuisse videatur inscriptioni *Ab excessu Divi Augusti.* Verum alibi quoque in utriusque rerum scriptoris libris hexametri aut iusti aut dimidiati inveniuntur e. g. Liv. XXII 50, 10

haec ubi dicta dedit stringit gladium cuneoque

facto per medios

Tac. Ann. III 44 compererat modica esse et vulgatis leviora.

Ad quae exempla ab interpretibus commemorata [1]) addo: Ann. IV 1 (cuius pari exiti)o viguit ceciditque

Germ. 18 cum framea gladioque.

Eiusmodi versus sine ullo negotio panxerunt iuvenes Romani, qui ut eloquentiam addiscerent variis exercitationibus partim in oratione soluta partim vincta versantibus occupabantur. Idem diligenter poetas legebant, quo factum est ut prosaici scriptores genus dicendi amplecterentur poeticum. Praecipue Taciti Vergilium Horatium Lucanum [2]) imitati elocutio colorem prae se fert poeticum. Sed de Taciti studiis poetarum

1) Weissenborn Liv. Praef. 1 et Andresen Tac. Ann. I 1.

2) Praeterea secutus est Panegyricum in Pisonem, epos ab Albinovano Pedone conscriptum, praetextam Octaviam; (cf. Lundström Tacitus' Poetiska Källor).

Digitized by Google

multi multa disseruerunt, de clausula vero metrica vel si mavis de eius prosa rhythmica non nisi pauci pauca. Sunt qui prorsus negent Taciti sermonem numeris adstrictum esse! Etiam Norden olim contendit hunc historicum numerosam compositionem plane aspernatum esse eique opposuit Senecam, qui clausularum rhythmum sedulo quaesivisset [1]). Nuper autem summus ille philologus videtur sententiam suam paulum immutasse, nam scripsit [2]): Tacitus hat in der Germania wie in den beiden andern kleinen Schriften die rhythmische Satzklausel, die er späterhin sichtbar mied, noch so oft und mit solcher Absichtlichkeit angewendet, dasz ihre Zerstörung durch Konjektur immer bedenklich ist. Mihi persuasum est et in Historiis et in Annalibus Tacitum persaepe clausula metrica usum quin etiam hic illic eandem fere rationem secutum esse atque Ciceronem. Profecto nihil aliud exspectaveris a scriptore artifice, qui studiose operam dedit, ut narratio sua adaequaret carmina praesertim epica.

Legimus Hist. V 5 Iudaeorum mos absurdus *sordidusque*. Dubium non est quin auctor adiectiva *absurdus* et *sordidus* coniungat particula *que*, ut ditrochaeum i. e. bonam clausulam assequatur.

Eadem ratione duo substantiva copulantur Hist. II 78 ita vocant *montem deumque*;
et duo verba Ann. II 2 *haberi darique*.

Eodem modo optimam clausulam (i. e. cretic. et troch.) scriptor adipiscitur Hist. I 25 callidos auda*cesque cognovit*; ibid. II 89 phalerae tor*quesque splendebant*.

Duos autem creticos acquirit Hist. I 62 mox inter exercitum imperato*remque diversitas*.

Meminimus autem imprimis apud Ciceronem *que* inservire clausulae formandae. Ergo non parva similitudo inter Ciceronem et Tacitum duos quodammodo adversarios repperimus.

Valde memorabili tmesi Tacitus utitur:

---

1) Antike Kunstprosa I p. 332 cum adnot. 2.

Hic a viro clarissimo salva reverentia mea auctoris Aeneidos Lib. VI, operum quibus tituli Die Germanische Urgeschichte in Tacitus' Germania; Die Geburt des Kindes cet., quae maxima cum admiratione legi.

2) Die Germanische Urgeschichte in Tacitus' Germania p. 194.

Digitized by Google

Hist. I 20 et illis vix decumae *super* portiones *erant*.

De hoc unico exemplo interpretes ad unum omnes observant auctorem poetas imitatum esse. Non obloquor, sed addendum mihi videtur insuper duos creticos (*portiones erant*) i. e. gratissimum rhythmum extitisse.

Plerumque Tacitus usurpat pleniores formas *petivi petiveram* cet. Cur? Attendamus:

Hist. III 61 plures abiectis armis veni*am petivere* [1]);

„ IV 19 inferiorem Germani*am petivere* [1]);

Ann. XV 64 famam sociatae.... mor*tis petivisse* [1]);

„ XVI 19 forte illis diebus Campaniam pe*tiverat Caesar*.

Ecce quattuor exempla ubi Tacitus plenioribus formis antelatis egregiam clausulam adeptus est perinde atque Cicero In Catil. IV 7 *oppetiverunt*, In Q. Caecil. 26 Sicu*li petiverunt*, cet.

In uno eodemque capite bis longiores formae adhibitae sunt, ut variatio clausularum nasceretur:

Ann. IV 8 solacia e complexu reipublic*ae petivisse* (cretic. et troch.);

(ibid. paulo infra) ut Germanici liberi.... inducere*ntur petivit* (ditrochaeus quem creticus praecedit).

At contra brevior forma ditrochaeum praebet:

Hist. III 70 penates uxo*ris petisset* (ditrochaeus molosso praecedente);

Ann. XIII 56 dein Cherusc*os petissent* (ditrochaeus cretico praemisso). [2])

Facile perspicitur verbum *anteire* e ditrochaeo constans optime quadrare in clausulam:

Hist. IV 7 quis multos *anteir* et (molossus praemittitur);

Ann. IV 1 comitatum in dolore *anteibant* (creticus praecedit);

„ XIV 11 omnium questus *anteibat* (molossus excipitur ditrochaeo). Cf. p. 184.

Verum etiam egregia clausula interdum oritur:

---

1) Hic si brevior forma praelata esset, clausula heroica extitisset. — Brevitati studens in sequentibus non distinxi inter colorum et sententiarum clausulas.

2) Denique in egregia clausula trochaeus (id quod in Plinii Epistulis plus quam trecenties factum est) solutus est:

Ann. II 68 avia *saltuum petiit*.

Digitized by Google

Hist. II 5 *anteire agmen*;

„ II 101 ne ab aliis apud Vitellium *anteirentur*.

Quid autem discimus ex

Ann. V 3 neque Seianus audebat auctoritati par*entis antire*?

Nempe Tacitum formam contractam usurpasse, ut optimam clausulam acquireret. [1])

Promiscue noster semper variationis studiosus formam vetustam *apisci* et compositum *adipisci* adhibet e. g. Ann. VI 45 dum dominationis apisceretur;

Ann. XII 30 dum adipiscerentur dominationes;

„ IV 16 qui id flamonium apisceretur cet., verum de industria archaismo usus pulcherrimum rhythmum consequitur: Ann. XIV 27 Puteoli ius coloniae et cognomentum a Ne*rone apiscuntur*.

Omnes a nobis supra enumeratae clausulae re vera genuinae clausulae Ciceronianae sunt neque fieri potest quin consulto a Tacito quaesitae sint.

Age legamus nunc Voculae adhortationem Hist. IV 58. Hic invenimus quasi ex oratione quadam Ciceronis profectas hasce bonas clausulas:

pro me securior	armorum et ius hostium est
Classicus sperat	ne loco pellerentur
exsciudi urbes suas	promissis demoventur
longo bello pares	et trahendi artes
exercitusque concurrant	denique aut miles
orbe vulgetur	signum belli Batavus dabit,
catervas supplebitis	contra derexerint
intemerata servari	a Classico ne sinatis.

Sed haud spernendae sunt multae aliae clausulae ibidem deprehensae, quas partim et Cicero adhibet, partim frequenter Plinius usurpat: nam in Epistulis huius ámici Taciti non raro in arsi longae syllabae (troch. et cretic.) solutae sunt. Afferendae autem videntur hae clausulae:

1) Formae trisyllabae *antissent* (Ann. III 69) *antire* (Ann. IV 40) *antibo* (V. 1) ad clausulam non pertinent, at contra in egregia clausula primam longam creticus solutam habet Ann. IV 71 avebat *animus antire* (id quod in Plinii Epistulis nonagies fere factum est).

Digitized by Google

audio mortemque	sacramentum Galliarum ostentat.
virtusque deseruit (Pl.)	exempla deficiunt (Pl.)
quam fides famaque	indignum id quidem
inferetis (Pl.)	agentur excubiae (Pl.)

paenitentiam, (Plinius [1]) plus quam centies optimam clausulam mutatis pedibus (i. e. troch. et cretic.) adhibet; quibus pedibus Cicero non nisi perraro usus est).

Ne videar dispondeos praetermisisse commemoro: *accepistis*, *invasuros*.

Transeamus ad Ann. III 12, quod caput continet hasce clausulas Ciceronianas:

temperamento	administrando
eius laetatus esset	exercitus Piso
iure suscenseo	etiam per externos
veneno interceptus esset	ista et scrutanda sunt
semperque deflebo	coargui possit
causa conexa est	eius anquiritur
maestitiam meam spectet	adversa finguntur.

Attendamus deinde has minus frequentes clausulas aut Ciceronianas aut Plinianas in eodem capite obvias:

diiudicando (Pl.)	officii terminos (Plin. choriamb. et cretic.)
principis ulciscar (Plin. choriamb. et troch.	cuncta proferat (Pl.)
sublevari aut (Pl.)	et curā valet (Pl.)
periclitantem (Pl.)	praestiterimus (Pl.)
modestiā tractentur.	

Hic quoque dispondei apparent: *extinxisset*, (ac)*cusatores* cet.

Sane non omnia capita tam pulchrum rhythmum habent, sed multa utique, velut Hist. I 15—16; IV 65, 72; V 5; Ann. II 71, III 12 cet. Neque ullum caput omnino ἄῤῥυθμον est, ne XIII 22 quidem, in quo multa nomina propria insunt. In plerisque capitibus aliquot saltem bonae clausulae reperiuntur; nimirum ratio quae intercedit inter clausulas invicem, alia est atque in Ciceronis orationibus. Tacitus quidem dispondeo multo crebrius utitur quam Tullius, quin etiam saepe longas

1) Cf. Hofacker de clausulis C. Caecili Plini Secundi (Bonnae 1903) p. 18 sq. et 35.

Digitized by Google

syllabas eo usque continuat, ut nonnulla enuntiata vix unam duasve breves syllabas habeant [1]). Praeterea historicus noster numeros adhibet, quos orator ille non agnoscit. Ceterum maxime memorabile videtur in Taciti scriptis cum periodos tum κῶλα saepissime terminari dactylo et trochaeo (vel spondeo). Hanc clausulam heroam auctor ter tantum usurpavit in Dialogo, quippe cui Ciceronis opera exemplo essent. Multis annis post Dialogum conscriptum ex oratore exstitit historicus, qui in Agricola decem, in Germania duodecim, in Hist. Lib. III sexaginta, in Hist. Lib. IV septuaginta, in Ann. Lib. XV quinquaginta fere exempla clausulae heroae offert. Libet mihi tales clausulas laudare, quae in uno capite (Ann. XV 38) occurrunt: opperiuntur; impediebant; (diur)ni quoque victus; (cari)tate suorum; interiere; (fa)ces iaciebant!

Quattuor exempla clausulae heroae praebet Hist. V 5; tria Ann. VI 21 et 32; duo Ann. XVI 16 cet. [2])

II. Observationes criticae.

Itaque quoniam dubitari iam non potest quin Tacitus plerumque et in maioribus scriptis pulchros numeros assequi studuerit, ad rem criticam magni interest quaerere qualis sit natura clausulae, quod elucebit ex exemplis infra allatis. Ubi fieri potuit, etiam in coniecturis meis, clausulae rationem habui. Incipiamus ab Annalibus.

I 59 coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium *hominum*.

Andresen Novakium secutus delevit *hominum*. Meritissimo. Idem addidit rationem, „tanquam praeceptum ex cap. 61". Nihil vero magis quam bona clausula (fili)*o sacerdotium* (i. e. duo cretici) additamentum respuit. Ceterum qui adiecit *homi-*

1) Facile eiusmodi enuntiata invenias Hist. III 50; 54; Ann. XIV 23, 31, 32, 33 cet.

2) Cicero tres trochaeos in clausula diligenter vitavit, at Tacitus non semper legitimum servavit numerum e. g.

Hist. II 63 impulit ruentem; Ann. II 70 amicitiam ei renuntiabat; Ann. III 28 principe uteremur; XII 63 in quinquennium remissa; Ann. XV 56 imbecillitate cet.

Quattuor trochaei leguntur in fine coli Hist. II 87 a Vespasiano duci*busque partium geruntur*.

Digitized by Google

num indicare voluit hoc sacerdotium (apud aram Ubiorum cf. I 57) non pertinere ad deos, sed ad homines, imprimis ad Augustum.

I 68 igitur orta die *proruunt* fossas e. q. s.

Thomae *prorumpunt* substituere voluit pro tradita lectione *proruunt*, sed egregia clausula mutationem vetat. *Proruunt fossas* significat: deiciunt marginem, ut fossae impleantur.

I 69 non enim simplices eas curas nec adversus externos ⟨*studia*⟩ militum quaeri.

Ita recte Heraeus collocavit *studia*, cum sententia cretico et trochaeo finiatur, at Doederlein malam clausulam acquisivit scribens: militum ⟨*studia*⟩ quaeri.

II 9 flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. eius in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quaesitoque an Caesar venisset, postquam adesse responsum est, ut liceret cum fratre conloqui oravit. erat is in exercitu cognomento Flavus, insignis fide et amisso per vulnus oculo paucis ante annis duce Tiberio tum *permissu* progressus*que* salutatur ab Arminio e. q. s.

Permissu genetivum requirit, ut docent Livii verba V 27, 11 legati ad Camillum in castra atque inde *permissu Camilli* Romam ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur. In ultima Taciti sententia a me descripta dubium vix est quin *que*(q.) corruptum sit ex *C* (= Caesaris), quocirca revoco:

tum *permissu* progressus ⟨*Caesaris*⟩ salutatur e. q. s.

III 66 Bruttedium artibus honestis copiosum et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quaeque iturum festinatio exstimulabat, dum aequalis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes *antere* parat.

Facile codicum lectionem *antere* una littera addita in integrum restituemus: *ante*⟨*i*⟩*re parat*. Nunc orti sunt creticus et trochaeus, cuius arsis soluta est, quali clausula trecenties octogies usus est Plinius. [1])

1) Cf. Hofacker l. l. 35.

Digitized by Google

De voce *anteire* iam egimus p. 179 sq., ubi vidimus Tacitum vulgo formam quattuor, non nisi raro trium syllabarum adhibuisse. Ad exempla ibi allata adiungo:

Hist. I 70 modestos *anteibat*;

„ II 76 Vitellium *anteibat*;

Ann. I 64 quantumque gravioris agminis..... *anteirent*;

„ II 43 claritudine materni generis *anteibat*.

In his igitur exemplis auctor, ut ditrochaeum adipisceretur, quattuor syllabas servavit.

IV 53 At Agrippina pervicax irae et morbo corporis implicata, cum viseret eam Caesar profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: subveniret solitudini, daret maritum; habilem adhuc iuventam sibi, neque aliud probis quam ex matrimonio solacium; esse in civitate, ⟨*qui misericordia*⟩ Germanici coniugem ac liberos eius recipere dignarentur.

Spatium in fine versus vacuum (14 fere litt.) occupant verba a me suppleta, quae et bonum sensum praebent.

XIII 30 at L. Volusius egregia fama concessit, cui tres et nonaginta anni spatium vivendi praecipuaeque opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia *fuerunt*.

Sic edidit Halm, qui *fuerunt* substituit pro *fuit*, codicum scriptura, qua ratione bona clausula (maliti)*ā fuerunt* (ditroch.) nascitur, cum Lipsii coniectura *amicitia fuit* Andreseno probata et nimis longe a tradita lectione recedat et malam clausulam efficiat. Batave verto textum a Halmio emendatum: L. Volusius stierf 't voorwerp van de algemeene hoogachting; drieennegentig jaar was de tijd zijns levens, daarbij bezat hij de grootste rijkdommen, op eerlijke wijze verworven, zonder dat hij zich de ongenade van zooveel boosaardige vorsten op den hals had gehaald.

XIII 41 Artaxatis ignis inmissus deletaque et solo aequata sunt, quia nec teneri poterant sine valido praesidio ob magnitudinem moenium, nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur, vel si integra et

Digitized by Google

incustodita relinquerentur, nulla in re utilitas aut gloria, quod capta essent. adicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta *extra tectis hactenus* sole illustria fuere; quod moenibus cingebatur, repente ita atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur.

Nipperdey certe rectam viam ingressus est delens *extra tectis*, sed *hactenus* quoque corruptum est, nam non habet quo pertineat. Verisimillimum puto Tacitum brevitati studentem scripsisse:

cuncta *extrinsecus* sole inlustria fuere e. q. s. Egregie inter se opponuntur *extrinsecus* et *quod moenibus cingebatur*. Tria illa verba corrupta glossema olent.

XIV 7 At Neroni nuntios patrati facinoris opperienti affertur ictu levi sauciam et hactenus adito discrimine ne auctor dubitaretur. tum pavore exanimis et iamiamque affore obtestans vindictae properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obiciendo: quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus et Seneca *expergens*: quos statim acciverat, incertum an et ante gnaros.

Tacitus putat Burrum et Senecam non ignorasse Neronis consilium matris interficiendae. Quare consentaneum est Agrippina servata eos ab imperatore accitos esse. Illud *expergens*, quod nonnulli mutaverunt in *expedirent*, reliquiae videntur esse vocis *expergefaciens*. Hoc interpretamentum fortasse scriptum super *quos* postea in textum inrepsit.

Post *nisi quid Burrus et Seneca* mente supplemus: *haberent*, vel simile quid.

XV 19 percrebuerat ea tempestate pravus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturisque et provincias inter patres sortiti statim emitterent manu, quos adoptaverant. ⟨*at patresfamiliarum*⟩ magna cum invidia senatum adeunt, ius naturae labores educandi adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis enumerant.

Quod supplevi a loci sententia alienum non est.

Digitized by Google

Pisonis coniuratione patefacta permulti agebantur rei, de quibus noster haec tradit:

XV 58 continua hinc et vincta agmina trahi ac foribus hortorum adiacere. atque ubi dicendam ad causam introissent, *laetatum* erga coniuratos, sed fortuitus sermo et subiti occursus, si convivium, si spectaculum simul inissent, pro crimine accipi.

Restituendum censeo: *non laeta tantum* erga coniuratos i. e. reis ea, quaecumque grata coniuratis fecerant, vitio vertebantur.

XVI 21 trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus et accedentibus causis in Thraseam, quod senatu egressus est, cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque Iuvenalium ludicro parum spectabilem operam praebuerat; eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thrasea Patavi, unde ortus erat, ludis *cetastis* a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat.

Incredibile videtur hic auctorem mentionem fecisse de ludis *cetariis* („Fischerspiele"), quod placuit Nipperdeyo, nam quid cetaria ad Antenorem, quid habitus tragicus ad cetaria?

Omnes difficultates videntur solvi, si legimus: ludis *oeisticis* (*οἰκιστικοῖς*) i. e. ludis in honorem conditoris factis. Eiusmodi ludis, qui erant genus quoddam ludorum scenicorum, fieri non poterat quin Troiae interitus utcumque tractaretur. Has partes qui agebat, necessario veste tragica indutus erat. [1])

Hist. II 29 haec ferociter iactando, postquam inmissis lictoribus Valens coercere seditionem coeptabat, ipsum invadunt, saxa iaciunt, fugientem sequuntur. spolia Galliarum et Viennensium aurum *et* pretia laborum suorum, occultare clamitantes e. q. s.

Pro *et* F. Walter coniecit *suamet*, quod displicet propter sequens *suorum*.

1) Ann. XVI 26 quem (sc. senatum) *perornasset* (sc. Thrasea). *Perornasset* tuentur composita qualia *percolere* (Ann. IV 68), *perrigere* (Ann. IV 24); *perstimulare* (Ann. IV 12); cf. adiectiva *percarus, peramoenus, peridoneus* aliaque in Annalibus obvia. Batave vertimus: (de senaat) waarvan hij het hoogste sieraad was geweest.

Digitized by Google

Equidem malim: *aurum* ⟨*manu*⟩*pretia laborum suorum* motus Senec. Epist. 101, 6 navigationes longas et pererratis litoribus alienis seros in patriam reditus proponimus, militiam et castrensium laborum tarda *manupretia.*

De Batavis cum alia Tacitus narrat tum haec Hist. IV 12 erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque ⟨*qui*⟩ retinens integris turmis Rhenum perrumpere⟨*t*⟩.

Leni medicina locus in integrum restitutus videtur. Bona clausula Ciceroniana: *Rhenum perrumperet* commendat coniecturam meam.

Agric. 9 haud semper errat fama, aliquando et *elegit.*

Ut optima clausula nasceretur (cretic. et troch.), Tacitus scripsit *elegit*, quam lectionem cod. A et B exhibent atque Andresen (1880) Heraeusque (1905) receperunt. At E praebet *eligit*, quod nuper Andresen praetulit iniuria mea quidem sententia.

Dialog. 7 equidem ut de me ipso fatear, non eum diem laetiorem egi, quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepi, quam eos, quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecumque in dicendo facultatis aut apud patres reum prospere defendere aut apud centumviros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere quod *si* non in alio oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit.

Verbum *si* corruptum est. Si meminimus *scilicet* saepe abbreviatum esse ita ut prima littera et punctum exararentur [1]), facile intellegemus *si* et *scilicet* crebro confusa esse, supra quoque non *si* sed *scilicet* a Tacito videtur profectum esse. Alteram sententiam sic verto Batave: dan schijn ik mij te verheffen boven de waardigheid van volkstribuun, praetor en consul, dan iets te bezitten, wat *blijkbaar* niet aan een ander

1) Cf. Lindsay, Notae Latinae, p. 279 (§ 355).

Digitized by Google

zijn oorsprong dankt, niet verleend wordt door keizerlijk schrijven, niet komt met gunst, die men verwerft.

Dialog. 37 similis eloquentiae condicio. nam quo saepius steterit tamquam in acie quoque plures et intulerit ictus et exceperit quoque maiores adversarios acrioresque pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut secura *velint*.

Pro *velint* restituo *velent*, quo facto clausulam Ciceronianam (ditrochaeum molosso praemisso) assequimur. Ultima sic patrio sermone reddo: Het ligt in den aard der menschen om in vergetelheid te hullen, wat in veiligheid verkeert.

III. De Tacito imitatore sui.

Solent Taciti interpretes innumerabiles locutiones laudare, quas historicus ille a Vergilio, Horatio ceterisque poetis, a Livio et Sallustio mutuatus est. Eosdem autem fugisse videtur etiam in maioribus rebus Vergilium Tacito exemplo fuisse. Nonne ἔκφρασις tempestatis naufragiique, quam legimus Ann. II 23—24, ubi calamitas Germanici exercitus depingitur, aliquatenus imitatur descriptionem mali Aeneae classis, unde fere proficiscitur Aeneïs (I 84 sqq.)? [1])

Neque minus aperte noster agens de oppugnatione et incendio

1) Singula quoque comparari possunt nempe:
Ann. II 23 fluctus prospectum adimere
et Aen. I 88—89
eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis;
Ann. II 23 etiam arma praecipitantur
et Aen. II 118—119
adparent rari nantes in gurgite vasto
arma virum tabulaeque et Troia gaza per undas;
Ann. II 23 alvei manantes per latera
et Aen. I 122—123
laxis laterum compagibus omnes
accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.

Digitized by Google

Capitolii aemulatur Troiae excidium cantatum in secundo Aeneïdos. [1])

Quod attinet ad dispositionem materiae, apte idem rerum scriptor et Maro poeta conferri possunt. Uterque saepe in fine libri alicuius mortem primariae narrat personae. Arminius quidem mors legitur in fine Annalium lib. II, Tiberii lib. VI, Messalinae lib. XI, Claudii lib. XIII, denique ultima capita Annalium lib. XIV agunt de miseriis exituque Octaviae. At ultimi versus Aeneidos libri IV. versantur in voluntaria Didonis morte, extremus liber V. docet, quam indigne Palinurus de nave in undas praecipitatus sit, ut periret, Mezentii caedes est argumentum posterioris partis libri X, denique proelium singulare, quo Turnus ab Aenea trucidatus est, enarratum in libro XII. totum carmen epicum claudit.

Rursus a Pallantis sepultura incipit Aeneidos liber XI., historicus autem ille prima capita Annalium libri III. dedit Germanici exequiis depingendis.

Ad dispositionem item pertinet quod nonnumquam Vergilius et Tacitus laeta et tristia pulchre variant. In primo Aeneidos tempestas et Oronti naufragium exponuntur, at in fine eiusdem libri lautum convivium a Didone institutum. Tacitus relato Germanici iucundo itinere antiquitatis studio cognoscendae suscepto expedit turbidum Pisonis adventum Athenas eiusdemque navigationem per Cycladas acceleratam, ut in Syria legi-

1) Similitudinem non possumus negare inter
Hist. III 71 *revolsas* undique statuas, *decora maiorum*
et Aen. II 448—449
auratasque trabes, *veterum decora alta parentum* | *devolvunt*;
Hist. III 71 saxis *tegulis*que Vitellianos *obruebant*
et Aen. II 445—447
Dardanidae contra turres ac *tecta* domorum
culmina convellunt; his se.....
.....parant *defendere telis*;
Hist. III 72 sedem Iovis Optimi Maximi a maioribus pignus imperii conditam, *quam non Porsenna* dedita urbe *neque Galli* capta *temerare* potuissent, furore principum *exscindi*
et Aen. II 196
*capti*que dolis lacrimisque coactis,
quos neque Tydides nec Larissaeus Achilles,
non anni *domuere* decem, non mille carinae.

Digitized by Google

ones corrumperet. Quam praeclare post Lucanum, qui matrem, post alios ingenuos, equites senatoresque, qui propinquos et amicos indicaverant socios Pisonianae coniurationis, laudibus extollit Epicharin libertinam crudelissimis cruciatibus non permotam, ut socios proderet.

Talibus in rebus sive Vergilium noster est secutus, (ut credo), sive artifex ipse lucem umbramque convenienter divisit, omnes utique qui legunt, magna admiratione afficiuntur. Fortasse illa admiratio paulum minuetur, si ostenderimus hunc auctorem frequenter se ipsum esse imitatum vel certa praecepta sibi instituisse, ita ut constans quaedam forma descriptionis existeret. Eadem igitur verba, eaedem locutiones saepius redeunt, quin etiam interdum lector propemodum divinare potest, quae vocabula historico nostro adhibenda sint. [1])

In nulla re promptius quam in pugnis depingendis imitator sui perspicitur. Quod ut legentibus probemus, comparabimus proelium commissum in campo, cui Idistaviso nomen est, inter Germanicum et Arminium (Ann. II 14 sqq.) cum pugna, qua Suetonius Boudiccam devicit (Ann. XIV 36 sq.). Etiam e vita Agricolae huius legati expeditionem in Caledoniam (cap. 26), eiusdemque certamen cum Calgaco sub radicibus montis Graupii conferemus, ad postremum et alia bella a Tacito tractata habent quae componamus. Vel ab ipsa adhortatione incipit similitudo:

Ann. II 15 orationem ducis secutus militum ardor;	Ann. XIV 36 is ardor verba ducis sequebatur.

Non Ostorius ipse dux cohortatus est milites, qui cuncta virtute expugnabilia clamitabant, sed:
Ann. XIV 35 praefecti et tribuni paria disserentes ardorem exercitus intendebant.

Gradationem quandam praebent hi loci:
Agric. 35 et adloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat;
Hist. II 46 non exspectavit militum ardor vocem imperatoris;
Ann. I 49 sequitur ardorem militum Caesar.

1) Primus quod sciam v. d. Roiron probavit Vergilium imitatorem fuisse sui in libro c. t. Etude sur l'imagination auditive de Virgile (Paris Leroux 1908), de quo opere cum alia tum haec P. Jahn scripsit: Diese Abhängigkeit Vergils von sich selbst tritt in Roirons Buche in bisher nicht geahnter Weise hervor.

Digitized by Google

Accidit ut imperatorem adhortantem adiuvarent:
Ann. XIV 30 dein cohortationibus ducis et se ipsi stimulantes.

Pro *ardore militum* aliquoties *alacritas* substituitur e. g.
Agric. 33 excepere orationem alacres, ut barbaris moris e. q. s.;
Hist. V 16 alacrior omnium clamor (sc. post verba Cerealis);
Ann. XV 12 his atque talibus in commune alacres (sc. post verba Corbulonis);
Ann. XII 35 obstupefecit ea alacritas ducem Romanum (i. e. alacritas Britannorum, quos Caratacus adhortatus erat).

Ad cohortationem ipsam auctor transit nonnumquam verbis similibus:
Ann. XIV 36 ne Suetonius quidem in tanto discrimine silebat;
Hist. V 17 nec Civilis silens instruxit aciem;
Ann. II 15 nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari;
Ann. II 46 neque Maroboduus iactantia sui aut probris in hostem abstinebat.

Etiam ea quae duces adhortantur, saepius inter se congruunt e. g.
Ann. II 14 quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae disserit;
Hist. V 17 quae provideri astu ducis oportuerit, providisse.
Hist. V 17 (Civilis suos alloquitur): Rhenum et Germaniae deos in adspectu: quorum numine capesserent pugnam, coniugum parentum patriae memores;
Agric. 32 (Calgacus Britannos adhortatur): omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt: nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria aut alia est.

Iam vero quae faciunt aut dicunt barbarorum duces, ut populares suos ad bellum suscipiendum stimulent, saepe mire conspirant e. g.

Ann. XII 33 itum inde in Siluras, super propriam ferociam Carataci viribus confisos;
Ann. XII 34 Caratacus huc illuc volitans;
Ann. XII 34 illam aciem
Ann. I 59 Arminium super insitam violentiam rapta uxor .... vaecordem agebat.
Ann. I 59 volitabatque per Cheruscos (sc. Arminius).
Ann. II 15 (Arminius ait):

Digitized by Google

testabatur aut recuperandae libertatis aut servitutis aeternae initium fore;

Ann. XII 34 quorum (sc. maiorum) virtute vacui a securibus et tributis intemerata coniugum et liberorum corpora retinerent.

aliud sibi reliquum quam tenere libertatem aut mori ante servitium?

Ann. I 59 Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint; aliis gentibus ignorantia imperi Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa.

Nunc transeundum est ad rationem pugnandi, quo spectant etiam non paucae locutiones in cohortationibus obviae, quae hic enumerandae sunt. Facile iam maiorem imitationem statuemus.

Ann. II 17 validissimos equitum incurrere latus, Stertinium circumgredi tergaque invadere iubet.

Agric. 26 velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium iubet;

Ann. IV 73 circumgredi terga hostium iubet.

Hist. I 79 Romanis miles.... lanceis adsultans;

Ann. XII 35 illi telis adsultantes.

Ann. II 14 denserent ictus;

Agric. 36 miscere ictus.

Ann. II 14 ora mucronibus[1]) quaererent;

Hist. V 18 praelongis hastis ....militem eminus fodiebant[2]);

Ann. II 21 nuda ora foderet;

Agric. 36 ora fodere.

Ann. XIV 36 umbonibus.... stragem caedemque continuarent;

Agric. 36 ferire umbonibus;

Hist. V 18 immensis corporibus;

Hist. II 42 umbonibus niti;

Hist. V 18 praelongis hastis;

Ann. IV 51 pellere umbonibus.

Hist. I 79 neque conti neque gladii, quos praelongos utraque manu regunt.....

Ann. II 21 latos barbarorum artus.

Ann. II 21 praelongas hastas.

Ann. II 14 nec enim inmensa barbarorum scuta, enormis hastas perinde haberi quam pila....

1) Cf. Agric. 36 ut rem ad mucrones ac manus adducerent.

2) Cf. Hist. I 79 inermem Sarmatam..... comminus fodiebat.

Digitized by Google

Haud raro pugnantes deficiunt tela e. g.
Hist. V 18 absumptis quae iaciuntur;
Ann. XIV 37 in propius suggressos hostis tela exhauserat.

Saepissime mentio fit de effugio:

Ann. XII 31 obsaeptis effugiis;	Ann. XIV 37 difficili effugio;
Ann. XII 56 ne vaga effugia forent (de proelio navali a Claudio adornato);	
Ann. II 17 virtus seu fraus effugium dedit;	Hist. I 43 vulnerato Pisoni effugium dedit. [1])

Tacitus etiam cum seditiones, sive eae sunt parvi sive magni momenti, describit sua ipsius verba vel cogitationes totumve rerum ordinem repetit. Conferamus autem brevem tumultum in exercitu Antonii Primi ortum enarratum Hist. III 10 sq. cum graviore seditione post Augusti mortem concitata in Germanici legionibus exposita Ann. I 31 sqq. Praeterea quae auctor tradit de motu coepto apud copias in Pannonia collocatas (Ann. I 16 sqq.) comparanda sunt.

Uterque dux minatur se interfecturum esse:

Ann. I 35 praeceps tribunali desiluit (sc. Germanicus), opposuerunt abeunti arma.... at ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans ferrum a latere diripuit elatumque deferebat in pectus [2]), ni proximi prensam dextram vi attinuissent;	Hist. III 10 opposuit sinum Antonius stricto ferro, aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans.
Ann. I 37 sensit miles in tempus ficta;	Hist. III 10 sensit ludibrium miles.
Ann. I 49 truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris;	Hist. IV 10 hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam inicerent (sc. di) orabat.
Hist. I 26 infecit ea tabes legionem..... mentes;	Hist. III 11 legiones velut tabe infectae.

1) Cf. Liv. XXIII 1, 8 ni naves.. conspectae..... effugium dedissent.
2) Redeunt fere haec verba Ann. IV 50 demisso in pectus ferro.

Digitized by Google

Ann. I 28 intumescente motu;	Hist. III 10 crudescere seditio.
Ann. I 21 ciere nomina singulorum. [1])	Hist. III 10 ut quemque notum.... adspexerat, ad ferendam opem nomine ciens.
Ann. I 23 ceteros latebrae texere;	Hist. III 11 nec tam Primus et Aponianus.... eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum.
Ann. I 21 simul probra in legatum cumulant [2]);	Hist. III 21 ingerebant probra, intentabant ictus;
Ann. I 27 circumsistunt..... simul ingruunt, saxa iaciunt;	Hist. II 29 ipsum invadunt saxa iaciunt;
Hist. III 10 a conviciis ac probris ad tela et manus transibant;	Hist. II 44 non probris non manibus abstinent;
Hist. II 88 ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent;	Hist. II 66 a conviciis ad caedem transiere.
Neque deest piaculum:	
Ann. I 27 maxime infensi Cn. Lentulo;	Hist. III 10 ira militum in Tampium Flavianum incubuit.

Sed ne de pugnis et seditionibus tantum videamur loqui, componemus ea quae docet Tacitus de morte Germanici et Agricolae:

Ann. II 71 flebunt Germanicum etiam ignoti;	Agric. 43 Finis vitae..... extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit.
Ann. II 72 indoluere externae nationes regesque;	
(Primum cives queruntur de Germanici morbo (Ann. II 82), dein de funere sine pompa (ibidem III 5) ergo Tiberius:)	
Ann. III 6 ut premeret vulgi sermones monuit edicto;	Agric. 43 vulgus quoque et hic nihil aliud agens populus..... per fora et per circulos locuti sunt.

1) Haec repetuntur fere Ann. II 81 singulos nomine ciens.

2) Cf. Hist. I 47 adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra quae promiscue iacta haesisse animo eius nemo sensit.

Digitized by Google

Uterque dicebatur veneno extinctus esse:

Ann. III 12 differrique etiam per externos, tamquam veneno interceptus esset (cf. ibid. II 82 neque ob aliud interceptos (sc. Drusum et Germanicum);	Agric. 43 augebat miserationem constans rumor veneno interceptum.

Age alterum exemplum commemoremus! Vitellius paulo post suarum legionum victoriam visit campos Bedriacenses. Quae de hac re narrat Tacitus non dissimilia sunt eis quae legimus Ann. I 61 sq., ubi agitur de Germanico in saltu Teutoburgensi reliquias exercitus Variani sepelientem.

Hist. II 70 iacere corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae;	Ann. I 61 albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta vel aggerata. adiacebant fragmina telorum.....
Hist. II 70 aderant Valens et Caecina monstrabantque pugnae locos.....	Ann. I 61 et cladis eius superstites, pugnam aut vincula elapsi referebant.....
Hist. II 70 hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos;	Ann. I 61 hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas.
Hist. II 70 strues corporum intueri;	Ann. I 61 ossa.... aggerata.
Hist. II 70 erant quos lacrimae et misericordia subiret;	Ann. I 62 maesti simul et infensi condebant (sc. ossa).

Itaque quamquam Germanicus iusta fecit, et Vitellius non exhorrescens tot milia insepultorum civium contemplatus est, tamen duae illae descriptiones ita non inter se differunt, ut summae res congruant verbaque haud pauca prope similia sint. Etiam hic secundum certam normam Tacitus quae enodanda erant composuit. Haec ratio agendi simul effecit, ut multae locutiones, translata verba formulaeque etiam atque etiam redirent e. g.

adolescere: adulta nocte (Hist. III 23); aestate adulta (Ann. II 23); adulto autumno (Ann. XI 31); adolevisse privatas opes (Ann. II, 33); adolescebat lex maiestatis (Ann. II 50); nondum adulta auctoritate (Ann. I 46); adulta seditio (Hist. I 31);

Digitized by Google

potentiae cupido adolevit (Hist. II 38); quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit (Hist. II 73) cet.

facies: eadem freto litori campis facies (Ann. I 70); velut in urbe victa facies (Ann. I 41); diversa omnium civilium armorum facies (Ann. I 49); non una pugnae facies (Hist. II 41); antequam Vesuvius faciem loci verteret (Ann. IV 67); servanda solitudinis facies (Ann. IV 69); aliam fore laetae rei faciem (Ann. XIV 8) cet.

intellegere: at patres, quibus unus metus, si intellegere viderentur (Ann. I 11); ille ignarus doli vel, si intellegere crederetur, vim metuens (Ann. II 42); solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur (Ann. XIV 6) cet.

coniungere: haec quamquam a duobus pro praetoribus plures per annos gesta, coniunxi (Ann. XII 40); quae in alios consules egressa coniunxi (Ann. XIII 9) cet.

sub idem tempus (Ann. II 27; III 29; VI 20; XI 8; XII 56; XIV 17; XV 7 cet.) est formula, qua auctor novum caput incipit.

per idem tempus (Ann. II 68; XII 10; XII 29; XIII 26; XIII 44; XV 46) non minus frequenter usurpatur; interdum non initio capitis (e. g. Ann. II 42).

Haec exempla sine ullo negotio sescentis augere possum, ne tamen longus sim ultimam affero dictionem *vastum silentium*.

Post victoriam ad montem Graupium ab Agricola reportatam regnat apud hostem „vastum ubique silentium" (Agric. 38).

Postquam Vitelliani statuas imperatoris sui deiectas nomenque Vespasïani in signis inscriptum cognoverunt, ex indignatione oritur „vastum primum silentium" (Hist. III 13).

Thraces conantes nocte inter stationes Romanas dilabi modo clamoribus turbidis modo „per vastum silentium" (Ann. IV 50) obsessores faciebant incertos.

Paulum immutat auctor hanc locutionem, ubi de Germanici exequiis cum alia tum haec refert: dies modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies (Ann. III 4).

Altera variatio invenitur:

Hist. III 84 Vitellius capta urbe per aversam Palatii partem in domum uxoris sellula defertur,..... dein mobilitate ingenii..... in Palatium regreditur vastum desertumque.

Digitized by Google

Post tot et tam praeclara exempla concludi licet Tacitum saepissime imitatorem fuisse sui. Sequebatur enim in pugnis et seditionibus depingendis, in locis proelii describendis in statu rerum expediendo in universum generatimque certa praecepta simul usus tamquam verbis conceptis.

IV. De aliquot figuris.

Ne videar asseverans Tacitum persaepe se ipsum esse imitatum tanto auctori obtrectare aio in omnia eius scripta convenire Plinii verba (Ep. II 11, 17): respondit Cornelius Tacitus eloquentissime et, quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς. Re vera summum huius historici ingenium atque sublime genus dicendi maxima iudico admiratione esse digna. Nonnulla igitur exempla libet mihi afferre, quibus artifex in figuris adhibendis prompte cognoscitur. Nam mihi constat, si quis parum attendat figuras rhetoricas in Taciti scriptis obvias, non recte eum de illius elocutione existimare posse, nedum cum voluptate talem rerum scriptorem legat.

Allitterationes [1]) aliquot venustas enumerabo:

Dialog. 30 exundat et exuberat; 31 vim virtutum;
Agric. 41 absens accusatus, absens absolutus est;
„ 42 famam fatumque provocabat;
Germ. 10 avium voces volatusque interrogare;
„ 17 proxima pars pectoris patet;
Hist. II 91 comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans;
„ I 84 virtutis vestrae regimen relinquite;
Ann. I 59 subiectus servitio uxoris uterus;
„ XV 44 per procuratorem Pontium Pilatum.

Itaque apparet permultas allitterationes coniunctas esse cum παρηχήσεσι, quarum fortasse maxime memorabiles sunt:

Ann. XIV 35 viverent viri et servirent;
Hist. I 9 nec vitiis nec viribus miscebantur;
„ I 13 quia Vinio vidua filia.

1) Gudeman in egregia editione Germaniae, quae prodiit apud Weidmannos (1916), observat: Kein lateinischer Prosaschriftsteller vor den archaisierenden Autoren Apuleius und Fronto bedient sich dieses Mittels mit solcher Vorliebe und zwar in allen seinen Werken vom Dialogus an, wie T.

Digitized by Google

Quo magis credo nostrum opera sua recitasse, nam eiusmodi soni eos qui audiunt magis quam qui legunt, movent. Hic auctor sine dubio littera *s* decies repetita [1]) quasi strepitum flammarum voluit reddere (Ann. XV 40): rursus grassatus ignis patulis magis urbis locis (quae verba novum incendicum ingens Romae ortum depingunt).

Auctor, qui verborum similem sonum tanti faciebat, paronomasias non spernebat:

Hist. IV 67 *resipiscere* paulatim civitates fasque et foedera *respicere*;

Hist. I 13 Poppaeam Sabinam..... apud conscium libidinum (sc. Othonem) *deposuerat*..... mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam *seposuit*;

Hist. I 81 cum *timeret* Otho, *timebatur*;

Ann. III 55 etiam tum plebem sociis regna *colere* et *coli* licitum.

His exemplis possis adnumerare:

Hist. I 3 adprobatum est non esse *curae* deis *securitatem* nostram, esse ultionem.

Denique quam acerbo ludibrio dictum est:

Hist. IV 68 Domitiani indomitae libidines!

Quantopere Tacitus studuerit dulcedinem sonorum assequi, docet frequens usus harum figurarum:

Anaphorae e. g.

Hist. I 32 daret malorum paenitentiae, daret bonorum consensui spatium;

Hist. II 48 satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum;

Hist. II 74 esse privatis cogitationibus progressum, esse regressum;

Germ. 46 securi adversus homines, securi adversus deos.

Ἐπιπλοκῆς e. g.

Ann. I 68 sinerent egredi egressosque rursum per umida et impedita circumvenirent.

E Germania (cap. 10) Gudeman affert (pg. 93): paterfami-

1) Cf. Germ. 20 robora parentum liberi referunt; Gudeman adnotat: in der sehr auffälligen Häufung des *r* wird der Sinn tonmalerisch wiedergegeben, ob aber mit Absicht, sei dahingestellt.

Digitized by Google

liae.... ter singulos (sc. illos tres surculos) tollit sublatos secundum impressam ante notam interpretatur.'

'Ισοκώλου e. g.

Hist. I 30 perdere iste sciet, donare nesciet;
„ et ad nos scelerum exitus
bellorum ad vos pertinebunt;
Ann. II 71 inlacrimabunt quondam florentem
et tot bellorum superstitem
muliebri fraude cecidisse;
„ „ „ quae voluerit meminisse
quae mandaverit exsequi;
Ann. IV 57 cum factis promeret, locis occultantem.

Sine ullo negotio post multam exercitationem apud rhetores ingeniosi iuvenes hac figura utebantur, quod dicendum est propter philologos nostrates, qui vehementer mirantur Tacitum tot ἰσόκωλα adhibuisse. Quocirca laudo etiam Auct. ad Herenn. IV 20, 27 (Marx p. 136):

Conpar appellatur, quod habet in se membra orationis, de quibus ante diximus, quae constent ex pari fere numero syllabarum. Hoc non denumeratione nostra fiet — nam id quidem puerile est — sed tantum adferet usus et exercitatio facultatis, ut animi quodam sensu par membrum superiori referre possimus.

'Αντιμεταβολῆς e. g.

Hist. II 37 neque Paulinum..... sperasse corruptissimo saeculo tantam vulgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent.....
Hist. III 33 non aetas protegebat, quominus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur.

Traductionis (διαφορᾶς) e. g.

Dialog. 30 ut omnem omnium artium varietatem complecteretur;
Ann. I 39 legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset;
Hist. IV 64 vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis.

Digitized by Google

Asyndeti cum *allitteratione* coniuncti e. g. [1])

Ann. I 41 orant obsistunt, rediret maneret;

„ II 17 Arminius manu voce vulnere sustentabat pugnam;

„ III 67 non temperante Tiberio quin premeret voce vultu.

Denique praetereundae non sunt duae figurae, quae quamquam ad pulchritudinem soni non pertinent, tamen imprimis aptae sunt ad lectores movendos, nempe primum *antitheton* e. g.

Hist. I 66 is diu sordidus, repente dives mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupiditatibus immoderatus et inopi iuventa senex prodigus;

Ann. XIV 63 huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit.

„ XIV 64 quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse.

deinde *oxymoron* e. g.

Agric. 18 sed ipsa dissimulatione famae famam auxit;

Hist. II 45 sortem civilium armorum misera laetitia detestantes;

„ III 58 Vitellius pudore inriti conatus quae non dabantur remisit;

„ IV 50 servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit;

Ann. II 75 (Agrippina) anxia sui et infelici fecunditate fortunae totiens obnoxia;

„ III 76 sed praefulgebant Cassius atque Brutus, eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.

1) Ceterum Historiae et Annales asyndetis scatent.

Digitized by Google

AD PHORMIONEM TERENTI.

SCRIPSIT

I. S. PHILLIMORE.

I. Si quis Terenti fabulas ad sinceram ueritatem reuocare studet, primo multa ei Fleckeiseni commenta eicienda erunt, per quae toties ille siue in puritatem sermonis siue in numerorum artem peccauit. Qui dum nonnulla correxit, plura ultro corrupit. Ut pauca exempla ponam, haec sunt.

87. nos otiosi operam dabamus Phaedriae *codd.*
operam otiosi nos dabamus Phaedriae *Fleck.*

Satius certe est ut uersus caesura careat quam ut pronomen *nos* e loco debito deturbetur. Aut enim omnino non ponendum erat illud *nos*, aut in principio ponendum. Et tamen per elisionem caesura quaedam efficitur.

113. obsecrat
ut síbi ĕius faciat copiam *codd.*
sibi ut eius faciat *Fleck.*

Cum priorem *ĕius* syllabam correptam multa exempla firment, Fleckeisenus temere et ordinem et emphasin inuertit. Sic enim ordinatis uerbis, ut *sibi* ante *ut* ponatur, sensus efficitur 'sibi et non alii'. Inepte: nam nemini uirginis facienda erat copia.

185. quód cum audiérit, quód ĕius rémedium íracúndiae

Fleck. eius quod: quo facto perit sententia, ablato accentu contra artem ab interrogatiuo et falsa pronuntatione in *eius* ingesto. O ferreas aures!

Simile est quod sequitur.

234. O Geta
monitór! GE. uix tándem! DE. Quíd mihi dícent, aút quam caúsam réperient....

Digitized by Google

Fleckeisenus, contra *míhi quid dícent aút quam* etc. Quo fit ut utrique interrogatiuo desit ictus; res prorsus incredibilis; contra ut alterum habeat, alterum careat, ualde Terentianum est.

439. dĭcam tibi ĭmpingam grandem.

Haec quae omnes exhibent codices, inscite idem damnauit: scilicet fefellit hominem illud TIBI tam pronuntiatione adiuuandum esse (sic poscit sensus) ut prima syllaba *τοῦ impingat* corripi possit. Qualia sunt *quid ĭnterea*, *sed ĭnterim* etc. Sensus est: non filio tuo sed tibi ipsi dicam impingam.

483. Quid quod idem illud

nam *per eius* unam, ut audio, aut uiuam aut moriar sententiam temere in

nam *eius per* unam

mutauit?

515. DOR. Obtundis A
Obtunde// G
Obtunde BcDEFP } ANT. Haud longumst id quod orat; exoret sine.

Sic codd. teste Umpfenbach. *Obtundes* Fleckeisenus. Praestabat *obtundisne*.

529. Iterum in metrum peccantem deprendes. Nam cum sic uersus ex Calliopii recensione legeretur

Nam hic me huiusmodi esse scibat: égo hŭnc esse aliter credidi.

Fleckeisenus inscite turbatis pronominibus sic corrupit:

Nam hic me scibat huiusmodi esse: ego hunc esse aliter credidi.

Nec satis habuit hucusque in poetam grassari nisi simul caesuram perderet et contra artem *hūnc* produceret. Nam demonstrauimus eam inesse uim in uoce q. e. *ego* ut ad instar interrogatiuorum illud subiectum *hunc* corripiat.

557. Quántum opúst tíbi ărgenti, loquere.

Ferri potest haec correptio, quamuis duriuscula sit atque Plautinum referat stylum, et quod seruus loquitur et quod uocem acuit homo aliquando ad Phaedriam conuersus. Sensus enim est: Antiphoni iam consultum est, tu quantum tibi quaeris? At Fleckeisenus affectata uerborum inuersione

Quantum tibi opust loquere argenti?

648. ut ăd pauca redeam ac mittam illius ineptias,
haec denique eius fuit postrema oratio.

Sustulit ille *τὸ ac*, elegantiae peruicax corruptor; nam cui

Digitized by Google

non liquet apodosin a uerbis *haec denique* incipere? cui non displicet asyndeton inter duas protaseos clausulas?

723. datum esse dotis. DE. Quid *tua*, *malum*, ĭd refert?
CHR. Magni, Demipho.

Sic codd. recte, siquidem particulae expletiuae (qualia sunt *pol*, *malum*) quia uehementius pronuntiari ac paene erumpi solent, subiectae syllabae aliquantum temporis detrahunt. Ac sic uox q. e. *tua* sedem in sententia debitam habet. Contra Fleckeisenus emphasin uerborem interuertit.

Quid, malum, *id* tua refert?

At apparet non *id* sed *tua* acuendum esse.

738. SOPHR. Quodsi eum nunc reperire possum, nihil est
quod uerear. CHR. East ipsa.

Stat uersus sic; stat, sicui magis arridet Calliopiana lectio *ea ipsast*; uel, si catalexin mauis, bene exibit octonarius in *east*. Quid Fleckeisenus?

Quodsi eum nunc reperire possum, *est nil* quod uerear.
CHR. Ipsa east.

Monstri hercle simile, quod sollemnem locutionem *nil est* ita inuertit ut *est* in primo loco clausulae positum tamen non acuatur.

Hunc quoque uersum perdidit dum ita refingit

794. ut possis cum illa, mulier ne te adulescens defetiget.

Quod sic demum tolerari poterat si *mulier* pro uocatiuo accipias. At ille *τὲ mulier*, quod minimam emphasin habet, in primam sedem clausulae protrahit. Sane satius fuerat sic

ut póssis cumílla, ne ádulescéns te múlier défetíget.

806. neque intelleges? DE. Si tu nil narras? CH. Perdis!
NA. Miror *quíd hŏc* siet.

Quid magis comicum ac Terentianum quam illud *quíd hŏc*? Quid minus credibile quam ut hoc falsarius excogitarit et, quamuis sensus non haereret, ultro in textum interpolauerit? Nec tamen Fleckeisenum puduit *quid hoc siet* in *quid siet* mutare.

911. † nam qui erit rumor populi inquit id si feceris †

Versus male traditus non procedit, inter *populi* et *inquit* hians. Ergo quaeritur quod potissimum uerbum eici debeat. Fleckeisenus quidem *populi* damnauit; sed damnaturum oportuerat causam ostendere cur hoc ingesturus fuisset interpolator.

Digitized by Google

Nulla ostendi potest. Immo ut meridie lucet, ita manifestum est τὸ *inquit* glossatoris esse elucidare uolentis, unde incipiat oratio Phormionis: quod, ut solet, male ingestum exclusit ipsam uocem quae ad sententiam expediendam desideratur: uidelicet, *nunc*. Sic enim omnia corrigas

nam qúi erit rúmor pópuli *núnc* si id féceris?
olím cum honéste pótuit, túm non ést data;
nunc uíduam extrúdi túrpest.

1048. et praeter spem. NAU. Tu tuom nomen dic quod est?
PH. *Min*'? Phormio.

Ecce omnia plena comici ἰδιωτισμοῦ. Tamen Fleckeisenus hic quoque sategit ut temere immutaret

tu tuom nomen dic mihi quid sit. Phormio.

Longe melius codices.

II. Sed haec hactenus.

de illo iam finem faciam dicundi mihi.

Neque haec notassem si non illa lues latius serpens posteros quoque editores infecisset. Nunc ad alia transeamus, sicui forte uacat regulam Terentianae artis parum etiamnunc intellectam inspicere. Disseruimus nuper [1]) de *breuibus*, ut uulgo dicitur, *breuiantibus*, et in eo docuimus inde colorem cuiusque personae apud Terentium intellegi posse quod magis minusue iambos ex uno aliquo uocabulo effectos corripiant. Perpauci in Phormione fabula leguntur senarii qui primum pedem habeant iambum quem una pars orationis efficiat: quorum uersuum si accuratior facta erit censura, manifestius constabit poetam non temere sed certis legibus hoc sibi iuris dedisse. Ut enim uocabulum in prima sede uersus positum correptionem (quae dicitur) iambicam, quae fiebat e consuetudine uolgaris sermonis, effugiat, necesse erit aut in eo uersu παρατραγῳδίας colorem agnosci, aut ipsum illud uerbum cum aliquo alio ὑφ' ἕν coire, ita ut accentus mutetur.

παρατραγῳδίαν habere uidetur quod Antipho profert

687—8. ut tequidem di deaeque omnes superi inferi
mălis exemplis perdant

1) Classical Quarterly vol. XVIII. 2.

Digitized by Google

execrandi formulam. Itaque grauior ac lentior paullo pronuntiatio prohibet ne iambus ille in pyrrichium abeat.

Nec quisquam tam crassis auribus extiterit quin illud quoque Phormionis tragicum sonare fateatur.

903—4. heus, quantaquanta haec mea paupertas est, tamen
ădhūc curaui unum hoc quidem, ut mi esset fides

Dubites autem an eodem referri possint Getae uerba:

621. Quor non, inquam, Phormio,
uĭdēs inter nos sic haec potius cum bona
Suadet certe uersus qui sequitur
ut componamus gratia quam cum mala

namque haec plus quam comicum sonant.

Quid eiusdem uerba cum conseruo colloquentis in protasi fabulae?

76. sĕnī fidelis dum sum, scapulas perdidi.

Sufficit, ut puto, eadem ratio; nisi forte, quod prima manus in Bembino codice scripserat

SENIS FIDELIS DUM SUM

inde sententiam figurasse Terentium ad hunc modum statuas

SENIO FIDELIS DUM SUM

ac postea illud *senio* in *senis* abiisse, errore librarii. Nam in Eun. 302 *senium* legitur pro eo q. e. *senem*; ac Cicero quoque (*de Orat.* 3, 154) tamquam nouatum citat illud 'senius desertus'.

At non sic expedias quae sequuntur.

261. DE. Ipsum gestio
dărĭ mi ín conspéctum, núnc sŭă culpa út sciát.

Bis hic peccatur: nam ut *dărĭ* pro pyrrichio, utique in initio uersus recte se habere possit, tamen pronomen κατ' ἐγκλισιν subiectum omnino syllabam producit: quod genus est

258. bonās-me absente hic confecistis nuptias

Nec minus contra artem positum est *sŭă culpa*: trecenties enim apud nostrum leguntur ὑφ' ἕν *mĕă-caúsa*, *tŭă-cúlpa* etc. Sed utrique uitio leuissima mutatione medeberis

darī-mi in conspectum, ut sŭă culpa nunc sciat

aut

darī-mi in conspectum ut sua nunc culpa sciat

per tmesin.

Digitized by Google

439. Cum autem de illo

dicām tibi ĭmpingam . .

supra disseruerim, restat ut moneam eadem ratione syllabam subiectam corripi, antecedentem produci. Nempe hoc dicit Phormio, 'ut modo gnato tuo sic nunc TIBI ipsi litem intentabo'. Quod ut bene pronuntietur, histrio post *dicam* paullisper moratur: atque haec adeo mora uetat syllabam corripi. Rem demonstrat notissima apud Terentium locutio *quid ēst?* semper producta, *quid ĕst quod?* semper correpta.

Itaque, quod ad hanc fabulam attinet, constat ratio: missos enim facio uersus 915 et 958, cum in illo non *satis* sed *satine* legi praestet et per codicum fidem liceat, hunc uero alias (loc. cit.) corrupte traditam arguerim.

III. Postremo accedant alia quaedam quae non sub una aliqua artis regula sed singillatim tractanda sunt.

425. DEM. Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.

PH. (Iratus est).... † Tute idem melius feceris †

Quam nihil egerint interpretes in hisce expediendis, facile patebit (ne longus sim) ex commentorum usque a Donato ambagibus. Nam quod Demipho statim subicit

Itane es paratus facere me aduorsum omnia?

scias Phormionem aliquid se facere, et quidem satis improbe, esse minitatum. At uero tradita uerba nihil minarum habent, sed tantum (ut omnino Latine intellegi possint) maledicta, sc. ut ipse senex domo se excutiat. Igitur nostro iure ineptias poeta indignas non poetae sed librario dormitanti imputemus, remedium autem sic quaerere instituamus: si Antiphonem cum uxore Demipho abiudicauerit, quid maxime Phormio porro facere minaturus sit. Illud quoque quaerentibus auxilio est quod Donatus ad loc. scripsit: *artificiose loquitur Phormio ut adimat suspicionem seni consensionis et conuenientiae inter parasitum et filium.* Quae adeo non cadunt in Phormionis uerba per librarios tradita, ut prorsus incredibile sit ea Donatum ante oculos habuisse. Ergo, quantum coniectura assequor, nihil aliud minatur parasitus nisi sese Antiphoni eiecto patrocinaturum. Hoc autem non multis mutatis litterulis efficitur si sic textum restituas

PH. (Iratust.)..... Tute *uindicem me eius* feceris.

Digitized by Google

499. *adeon te esse incogitantem atque impudentem Phaedria sine modo* sic A; ceteri *sine modo* omittunt.

Cum in metrum cogendus sit uersus diffluens, necesse est ut aut *Phaedria* aut *sine modo* recidatur. Verum illud *sine modo*, quod solus exhibet Bembinus, mihi quidem minime interpolatum sapit: contra, si Phaedria cum lenonem precatur

Adeone ingenio esse duro te atque inexorabili
ut neque misericordia neque precibus molliri queas,

nomen hominis tacet, aptius et concinnius illa παρῳδεῖ Dorio si et ipse hic nomen Phaedriae tacet. Et quidem loco bene conuenit illud *sine modo*. Quid enim sibi uelit haec locutio, docet uel huius fabulae u. 420 uel Eunuchi 65, uel Donati (ad Eun. 739) commentum: '*sine modo*', inquit, '*comminantis est*'. Fac igitur hanc sinceram esse lectionem: cui potissimum personae ea uerba tribuere oportet? Nec Getae, nec Antiphoni qui astant, nedum Phaedriae — unde enim misello ut lenoni comminetur? — sed uni unice conueniunt Dorioni deridenti adulescentulum et deterrenti ne quid contra hiscere audeat. Sic igitur distingue

adeon te esse incogitantem atque impudentem — sine modo! — ut phaleratis e. g. s.

Nempe Phaedria audito illo durissimo uerbo *impudentem* iam iam reclamaturus est; reclamare incipientem Dorio confutat; est autem tamquam dicat 'Nondum dixi, tace! Sine me cetera eloqui'! Similia sunt in Hecyra (744—5) ubi Laches Bacchidem iam iam responsuram tacere cogit: ecce duo uersus (quorum prior iambice alter trochaice scanditur)

LA. *Sine dícam*! — uxórem príu' quam hanc dúxit, nóstrum amórem pértuli
— *Máne*! — nondum étiam díxi quód te uólui.....

558. GE. *Triginta*! *Hui*! *percarast*, *Phaedria*. PH. *Istaec uero uilis est.*

Ad haec Donatus: '*ista uero uilis est*' *amatorie*. Restat tamen scrupulus: nonne enim illud siue *ista* siue *istaec* plus fastidii habet quam ut in amasia amator hoc uerbo utatur? Nonne sic potius oportebat 'Illa uero'....? Tum nonne id ipsum 'uilis', quamuis magno, per se turpe sonat? Equidem facilius credi-

Digitized by Google

derim Getae esse ea uerba non Phaedriae, sed per leuissimam mutationem corrigenda:

Triginta? Hui! percarast, Phaedria. Istac uero uilius!

Quae locutio quid significet, ex alio Terenti loco patet (*Adelph.* 981), auctore Suetonio, quem Charisius (Keil, G. L., i, 200) laudat. 'Rex', inquit, 'qui uocabat ad cenam, si sibi ea res exhibenda indicaretur quam exhibere non posset, respondit '*isto uilius erit hominis cena*'. Hoc est: isto carendum est, ac tanto minoris cena constabit. Quo uerbo postquam Geta lepide amantem lusit, tristem confestim consolatus addit *Age, age, inuentas reddam.*

Ad inscriptionem Tegeaeam.

I. G. V, 2, 159, 16 sqq.: εἰ δέ κα μὲ νόθοι ζῶντι, ΤΟΙΣ ἄσιστα ΠΟΘΙΚΕΣ ἀνελόσθο. Novam viam horum verborum explanandorum nuper monstravit K. Meister apud Ziebarthium Syll.[3] 1213 corrigendo: τοῖς ἄσιστα ποθίκει. Sed veteris inscriptionis locum difficiliorem per coniecturam emendare periculosum est. Nonne praestabit scribere: τοῖς ἄσιστα ποθικές sc. ἐστι, i. e. οἷς ἄγχιστα προσήκει? Adiectivum ποθικής huc usque ignotum erat, sed iuxta verbum ποθίκω non minus bene exstitisse potest, quam προσεχής iuxta προσέχω.

G. V.

Digitized by Google

AD MINUCII FELICIS OCT. 22, 9.

SCRIPSIT

I. G. P. BORLEFFS.

Minucius Felix in Octavio (cap. 22, 8 sqq. ed. Waltzing, Lps. 1912) gentilium ritus percensens et deridens in Gallos quoque Cybelae cultores et Bellonarios invehitur hisce usus verbis (22, 9): 'Quid? *qui sanguine suo libat et vulneribus suis supplicat*, non profanus melius esset quam sic religiosus'? Iam olim viderunt auctorem verba ea quae inclinatis impressa sunt litteris, transtulisse e Senecae de Superstitione libro cuius fragmentum (34 Haase) nobis servavit Augustinus in libro VI quem de Civitate Dei composuit [1]), ubi haec legimus: 'se ipsi in templis contrucidant, *vulneribus suis ac sanguine supplicant*'. Recte quidem Seneca et facete; sed in Minucii verbis illa 'sanguine suo *libat*' minus placent; nam libandi verbum cum accusativo, non cum ablativo semper fere poni satis constat [2]); exempla dabunt Verg. Aen. III 303; III 354; IV 207; Liv. 39, 43, 4; al.; ita Tertullianus quoque de Gallo illo sacrificante pro salute Imperatoris iam mortui dixit haec (Apol. 25, 5):

1) VI 10 (I p. 268, 9 Domb.).

2) V. lexica. Perraro tamen cum ablativo construitur: Plin. Nat. Hist. XIV 88: 'Romulum *lacte*, non *vino*, libasse indicio sunt sacra ab eo instituta, quae hodie custodiunt morem'. — Aliquanto diversi sunt loci quales Verg. Aen. V 77 sq.: 'hic duo rite *mero* libans carchesia *Baccho* / fundit humi, duo *lacte novo*, duo *sanguine sacro*', ubi Iahnius: *mero Baccho* gehört als Abl. materiae zu *carchesia*'; Apul. Metamm. IV 22 (91, 9): *poculis aureis* memoriae defunctorum commilitonum *vino mero libant*', ubi verbum primo loco cum ablativo 'poc. aur.' coniunctum est; ibidem VIII 12 (186, 23): 'at ego sepulchro mei Tlepolemi *tuo* luminum *cruore libabo*', sed pro Helmii coniectura 'sepulchro' codices Florentini ambo habent 'sepulchrum', quod haud scio an retinendum coll. Verg. Aen. XII 174: 'paterisque altaria libant'.

Digitized by Google

'*sanguinem impurum* lacertos quoque castrando *libabat*'. Numquid igitur apud Minucium pro 'sanguine suo' reponendum nobis erit 'sanguin*em* su*um*'? Minime, sed una litterula immutata mecum rescribe: 'qui sanguine suo *litat*'; verbum enim litandi cum ablativo construi vel ex his locis apparet: Verg. Aen. II 118 sq.: 'sanguine quaerendi reditus *anima*que *litandum* | *Argolica*'; Tert. ad Nat. I 15 (85, 5): 'nos *infanticidio* litamus' [1]). Praeterea veteres amant coniungere verbum litandi cum substantivo 'sanguine'; vide Flor. I 39, 2 (III 4, 2): 'nihil interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit in captivos saevientibus: *litare* diis *sanguine humano*' [2]); Apul. Metamm. III 8 (57, 27 Helm.): 'de latronis huius *sanguine* legibus vestris et disciplinae publicae *litate*' [3]). Minucium autem revera scripsisse 'litat' per t litteram, cum ex superioribus veri simile videtur, tum prope certum fit, si Lactantii locum spectamus, qui ut saepe Octavio dialogo usus est, sic nostrum locum imitatus est cum dicit (Div. Inst. I 21, 16): 'ab isto genere sacrorum non minoris insaniae iudicanda sunt publica illa sacra quorum alia sunt Matris, in quibus homines *suis* ipsi *virilibus litant* — amputato enim sexu nec viros se nec feminas faciunt — alia Virtutis quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno sed suo *cruore sacrificant*'. Quibus Lactantii verbis qui et ipse verbo litandi usus est, coniectura nostra plane confirmatur. [4])

---

1) Ut 'libare' cum ablat., sic 'litare' rarissime cum accus. ponitur: Tert. de pat. 10 (15, 24): 'Quem autem *honorem* litabimus domino deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus'? cf. Pascal. ad Verg. Aen. IV 50.

2) Cf. eiusdem Flori II 26 (IV 12, 15): 'ut caesorum *extis* ducum et *litarent* et vescerentur'.

3) Cf. etiam Tert. adv. Valent. 2 (178, 23): 'deinde infantes testimonium Christi *sanguine litarerunt* (Hoppe, Syntax u. Stil des T. p. 188)'; Kroymanno si fidem habemus, locus corruptus est.

4) Ut dixerunt veteres 'sanguine litare', sic 'sanguine parentare' usurpaverunt: Liv. 24, 21, 2: 'tumultuatum in Leontinis apud milites fuerat vociferatumque ferociter *parentandum* regi *sanguine* coniuratorum esse'. Petron. 81, 6: 'noxio *sanguine parentabo* iniuriae meae'. Cf. Apul. Metamm. VIII 12 (186, 24): 'ego sepulchrum mei Tlepolemi tuo luminum *cruore libabo* et sanctis manibus eius istis *oculis parentabo*'.

Digitized by Google

DE REBUS BYZANTIORUM.

([Arist.] Oec. II p. 1346 b 13—26)

SCRIPSIT

B. A. VAN GRONINGEN.

Oeconomicorum Aristotelis quae feruntur libri secundi auctor ignotus in altera eius scripti parte breviter enarravit quibus modis civitates et tyranni et satrapae et mercennariorum duces in inopia argentum contulissent. Ex his rebus, ni fallor, admodum paucae scriptoribus Graeciae rerum neglegendae sunt ut inanes vel falsae. Contra perutile facturum esse opus puto, quicumque corrigendo interpretando aestimando huic libello operam studiumque navabit. Itaque ex iis narrationibus unam nunc breviter tractaturus, cum viri docti, qui paucissimi de ea scripserunt, rem acu vix tetigisse mihi videantur [1]), spero fore ut rectam interpretandi viam iniisse videar et simul plurium oculos in illud opusculum convertam.

Textus, quem in editione critica Teubneriana anno 1887 accurate edidit Susemihlius, omni mutatione omissa, hic est: *Βυζάντιοι δὲ δεηθέντες χρημάτων τὰ τεμένη τὰ δημόσια ἀπέδοντο, τὰ μὲν καρπιμα χρόνον τινά, τὰ δὲ ἄκαρπα ἀεννάως, τά τε θιασωτικὰ καὶ τὰ πατριωτικὰ ὡσαύτως, καὶ ὅσα ἐν χωρίοις*

1) Praeter veteres Oeconomicorum commentatores, e quibus nomino I. G. Schneiderum (Lipsiae 1815) et Goettlingium (Ienae 1830), quarum editionum nobis usus vix erit, de ea re quam agimus scripserunt breviter Boeckhius (*Die Staath. d. Ath.*[3] I p. 697 et passim) et C. Riezlerus (*Finanzen u. Monopole im alten Griechenland*, Berolini 1907 p. 13—4 et passim), fusius P. Schneiderus (*Das zweite Buch d. ps.-Arist. Oekon.*, Bambergae 1907 p. 43 sqq.). Infra Schneiderum sine praenomine laudans, hunc semper volo. Quae praeterea apud varios obiter invenias dicta, suo loco commemorabuntur.

Digitized by Google

ad talia devenisse, ut textum explicaret, erroris vel corruptionis suspicionem movet. Tertium id est: apud auctorem, qui ad res suas exponendas paucissimis semper verbis utitur, post τούσ τε τόπουσ τοὺσ ἀγορκίουσ offenderet inutilis accessio, quae est ἐν οἷσ ἐπώλει τίσ τι, si recta esset illa interpretatio. Ultimum etiam gravius videtur. Nam si thiasotae patriotaeque, quod agris communibus spoliati essent, tot et tanta invicem accepissent, quot et quanta illi contendunt, non solum alia in ipso urbis gremio sita praedia, verum etiam multa vectigalia conducenda data [1]) vel pignori concessa [2]), nonne maxime suum commodum quaerens sibi nocuisset res publica? Praeterea vix intellegeret quisquam, qua ratione inter varias societates talia munera divisa essent.

Tales in scopulos ne incidamus, aliter nobis interpretandum censeo. Iam textus ipse interpunctionibus paululum mutatis et una vocula γάρ deleta proficiet; ita legas:... ὡσαύτωσ· καὶ ὅσα ἐν χωρίοισ ἰδιωτικοῖσ ἦν, ὠνοῦντο [γὰρ] [3]) πολλοῦ ὢν ἦν καὶ τὸ ἄλλο κτῆμα. Ita his verbis exprimitur civitati quae decrevisset profuisse: ceteri fundi empti sunt, qui autem privatis claudebantur, magni, cum horum possessores illis adiectis sua vellent continuare.

Quomodo autem thiasotis loca adempta compensanda erant? Argento, nisi defuisset. Nunc autem aliis locis oblatis [4]); nil praeterea. Nam animadvertas illa non ita magna et multa fuisse, quam putavisse videntur viri docti: multa enim si veniissent, pretium ideo statim minus factum esset, cum contra sciamus nonnulla magni empta esse; etiam in ea re iudicanda noli mente praeterire id quod solis civibus res, quae non moveantur, emere licet [5]). Deinde animadvertas auctorem non

1) Ita Boeckhius.

2) Ita ex parte Riezlerus Schneiderusque.

3) Nisi etiam in aliis corruptus esset textus, coniceres illud γάρ, usitatissimo compendio coartatum, ortum esse e dittographia primae litterae vocabuli πολλοῦ.

4) Ἕτερα χωρία τὰ δημόσια sanum non videtur. De coniecturis Susemihli et Riezleri statim agam. Fortasse τά delendum, sed ni fallor praestat ⟨καὶ αὖ⟩τὰ δημόσια, sensu obvio.

5) Cf. infra p. 218. Ceterum de rerum, quae non moventur, possessione cf. Guiraud, *La propriété foncière en Grèce*, p. 146, et ipsum nostrum de Byzantiis loquentem p. 1347 a 1 sqq.

Digitized by Google

sine causa addidisse: *πρὸσ τὸ γυμνάσιον καὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸν λιμένα*, aperteque designavisse loca in urbe ipsa itaque melius sita quam illa ruralia, quorum ergo pretium maius esset; minus ampla fortasse recipiunt societates, sed potiora. Quare post *λιμένα* interpungendum: in iis, quae sequuntur, de thiasis sermo non iam fit. Hic novae interpretationis cardo. Rectene nunc omnia se habent hoc loco? Mihi quidem id videtur, dum sciamus quod verbum in ea sententia re supplendum vel mente audiendum sit. Camerarius ille, veteris versionis auctor, *tradendi* verbum usurpavit, nimirum ut ex angustiis se expediret, Susemihlius olim proposuerat *⟨ἔδον⟩το*, Riezlerus probante Schneidero „*ἔδωκαν oder noch wahrscheinlicher ὑπέθεντο*" (p. 13); Boeckhius iam post *ἀλοπωλίαν* illud *ἔδωκαν*, quod idem hic valeret, inseruerat. Nullum probo: quid enim civitati in summa inopia prodesset altera vendere, si altera et meliora restitueret? Immo sibi prospiciens foro gymnasio portui vicina socios *emere* iubet. Itaque mente audienda vox *ἀπέδοντο*, quae initio legitur, et sententia, quae est *καὶ ὅσα... ἄλλο κτῆμα*, quasi in parenthesi orationi intericitur. At sic civitas, quae propria thiasorum bona ipsa venum dedit, nunc ab iisdem nova emi vult, quae tamen danda fuisse videntur? Certe. Nam primum pecuniae inopia ad asperiora consilia allicit, tum meliora accipiunt socii; fertilia autem suo tempore iis reddentur; etiam concedam nova non tanti, quanti alias constabant, sed minoris fortasse veniisse. Quae igitur revera facta sunt? Res profecto ingeniosae, tamen simplices: pretio quodam soluto urbanis possessionibus thiasotae, nonnulli quidem libenter, plures certe vi coacti, mutaverunt veteres ruri sitas [1]); civitati profuit quod agrestium rerum pretium addito urbanarum pretio maius erat quam id quod acceptura fuisset, si statim has vendidisset solas.

Quae si vera sunt, cetera protinus faciliora, quia thiasis patrisque nihil iam cum publicanorum societatibus commune

1) Nostra in patria nuper talis agrorum partium mutatio publice decreta est, lege promulgata quae dicitur „*Wet op de Railverkaveling*": ceteris ferme paribus inter ambas ea est discrepantia quod apud Byzantios aerarii explendi causa pro mutatione solvebatur, sed nostris civibus ea, ni fallor, sine ullo impendio ipsorumque in usum fit.

Digitized by Google

ad talia devenisse, ut textum explicaret, erroris vel corruptionis suspicionem movet. Tertium id est: apud auctorem, qui ad res suas exponendas paucissimis semper verbis utitur, post τούσ τε τόπουσ τοὺσ ἀγορείουσ offenderet inutilis accessio, quae est ἐν οἷσ ἐπώλει τίσ τι, si recta esset illa interpretatio. Ultimum etiam gravius videtur. Nam si thiasotae patriotaeque, quod agris communibus spoliati essent, tot et tanta invicem accepissent, quot et quanta illi contendunt, non solum alia in ipso urbis gremio sita praedia, verum etiam multa vectigalia conducenda data [1]) vel pignori concessa [2]), nonne maxime suum commodum quaerens sibi nocuisset res publica? Praeterea vix intellegeret quisquam, qua ratione inter varias societates talia munera divisa essent.

Tales in scopulos ne incidamus, aliter nobis interpretandum censeo. Iam textus ipse interpunctionibus paululum mutatis et una vocula γάρ deleta proficiet; ita legas:... ὡσαύτωσ· καὶ ὅσα ἐν χωρίοισ ἰδιωτικοῖσ ἦν, ὠνοῦντο [γὰρ] [3]) πολλοῦ ἂν ἦν καὶ τὸ ἄλλο κτῆμα. Ita his verbis exprimitur civitati quae decrevisset profuisse: ceteri fundi empti sunt, qui autem privatis claudebantur, magni, cum horum possessores illis adiectis sua vellent continuare.

Quomodo autem thiasotis loca adempta compensanda erant? Argento, nisi defuisset. Nunc autem aliis locis oblatis [4]); nil praeterea. Nam animadvertas illa non ita magna et multa fuisse, quam putavisse videntur viri docti: multa enim si veniissent, pretium ideo statim minus factum esset, cum contra sciamus nonnulla magni empta esse; etiam in ea re iudicanda noli mente praeterire id quod solis civibus res, quae non moveantur, emere licet [5]). Deinde animadvertas auctorem non

1) Ita Boeckhius.

2) Ita ex parte Riezlerus Schneiderusque.

3) Nisi etiam in aliis corruptus esset textus, coniceres illud γάρ, usitatissimo compendio coartatum, ortum esse e dittographia primae litterae vocabuli πολλοῦ.

4) Ἕτερα χωρία τὰ δημόσια sanum non videtur. De coniecturis Susemihli et Riezleri statim agam. Fortasse τά delendum, sed ni fallor praestat <καὶ αὐ>τὰ δημόσια, sensu obvio.

5) Cf. infra p. 218. Ceterum de rerum, quae non moventur, possessione cf. Guiraud, *La propriété foncière en Grèce*, p. 146, et ipsum nostrum de Byzantiis loquentem p. 1347 a 1 sqq.

Digitized by Google

sine causa addidisse: *πρὸς τὸ γυμνάσιον καὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸν λιμένα*, aperteque designavisse loca in urbe ipsa itaque melius sita quam illa ruralia, quorum ergo pretium maius esset; minus ampla fortasse recipiunt societates, sed potiora. Quare post *λιμένα* interpungendum: in iis, quae sequuntur, de thiasis sermo non iam fit. Hic novae interpretationis cardo. Rectene nunc omnia se habent hoc loco? Mihi quidem id videtur, dum sciamus quod verbum in ea sententia re supplendum vel mente audiendum sit. Camerarius ille, veteris versionis auctor, *tradendi* verbum usurpavit, nimirum ut ex angustiis se expediret, Susemihlius olim proposuerat ⟨ἔδον⟩το, Riezlerus probante Schneidero „ἔδωκαν *oder noch wahrscheinlicher* ὑπέθεντο" (p. 13); Boeckhius iam post *ἀλοπωλίαν* illud ἔδωκαν, quod idem hic valeret, inseruerat. Nullum probo: quid enim civitati in summa inopia prodesset altera vendere, si altera et meliora restitueret? Immo sibi prospiciens foro gymnasio portui vicina socios *emere* iubet. Itaque mente audienda vox *ἀπέδοντο*, quae initio legitur, et sententia, quae est *καὶ ὅσα ... ἄλλο κτῆμα*, quasi in parenthesi orationi intericitur. At sic civitas, quae propria thiasorum bona ipsa venum dedit, nunc ab iisdem nova emi vult, quae tamen danda fuisse videntur? Certe. Nam primum pecuniae inopia ad asperiora consilia allicit, tum meliora accipiunt socii; fertilia autem suo tempore iis reddentur; etiam concedam nova non tanti, quanti alias constabant, sed minoris fortasse veniisse. Quae igitur revera facta sunt? Res profecto ingeniosae, tamen simplices: pretio quodam soluto urbanis possessionibus thiasotae, nonnulli quidem libenter, plures certe vi coacti, mutaverunt veteres ruri sitas [1]); civitati profuit quod agrestium rerum pretium addito urbanarum pretio maius erat quam id quod acceptura fuisset, si statim has vendidisset solas.

Quae si vera sunt, cetera protinus faciliora, quia thiasis patrisque nihil iam cum publicanorum societatibus commune

1) Nostra in patria nuper talis agrorum partium mutatio publice decreta est, lege promulgata quae dicitur *„Wet op de Ruilverkaveling"*: ceteris ferme paribus inter ambas ea est discrepantia quod apud Byzantios aerarii explendi causa pro mutatione solvebatur, sed nostris civibus ea, ni fallor, sine ullo impendio ipsorumque in usum fit.

Digitized by Google

est. Civitatis intererat quam maximi aut vendere aut locare cum alia tum illa loca in quibus tabernas habebant negotiatores. Maximi autem emit aut conducit non societas aliqua, cui iterum vendendum locandumve erit, verum ipse mercator, neque in re tam simplici necessarii sunt publicani. Rursus igitur idem illud mente supple ἀπέδοντο et accipe: a negotiatoribus, ut suo loco iis liceret in foris viis vicis negotia tractare, pecunia exacta est [1]). Ita verba ἐν οἷσ ἐπώλει τίσ τι minus supervacanea videantur. Thiasotis autem cum his omnibus nihil, neque igitur cum ceteris; nam ut hucusque semper illud ἀπέδοντο audivimus, ita etiam faciendum in iis quae postea leguntur; itaque τὴν τῆσ θαλάττησ ἁλιείαν ἀπέδοντο, τοῖσ ἁλιεῦσι nimirum, itemque τὴν τῶν ἁλῶν ἁλοπωλίαν τοῖσ ἁλοπώλαισ. Illi quoque pendere iubentur ut artificia exerceant.

Ultimum locum inter Byzantiorum decreta habet argentarium monopolium institutum, de quo satis dilucide ipse textus; ea autem quae antea leguntur, certe interprete vel correctore indigent. Quae libri manu scripti tradunt, apud Susemihlium legas, item varias emendationes [2]) non iam refellendas. Nobis igitur tota res ab initio repetenda. Probabile duco vocem, quae est δέ, non esse delendam; quod si faciendum esset, magis exspectarem τούσ τ' ἐργαζομένουσ θαυματοποιοὺσ..... ἀποτελεῖν ἔταξαν. Nunc autem sine dubio lacuna exstat, quam Susemihlius significavit. Quae quomodo explenda? Urbani mercatores piscatores salinatores summam quandam pecuniae pendere iubentur ut artificium quisque suum exerceant; praeterea autem nihil, eique qui singulis diebus singulas drachmas meretur, idem quasi χειρωνάξιον imponitur atque alteri qui duodenas. De hariolis verum et thaumaturgis semper tertiam accepti partem exigit aerarium. Quod stipendium si illi priori additum esset, legeretur ἀλλὰ καὶ τρίτον κτλ. Nunc autem, cum legatur particula δέ, in lacuna scriptum fuisse duco istis viris non idem atque ceteris esse impositum; quod breviter

1) Quo modo vide infra p. 217.

2) Omnes emendationes, Boeckhii, qui delet δέ additque ἔδωκαν (l. l.), Riezleri, qui addit τὰ τέλη ὑπέθεντο (p. 13—4), Marcquardti, qui proponit τό τ' ἐργαζόμενον (*Röm. Staatsverw.* II² p. 200 n. 4) repugnant iis quae supra exposuimus. Qui τοὺσ τόπουσ inseruerant, eos iam alia de causa redarguit Riezlerus (l. l.).

Digitized by Google

his verbis — sensum, non vocabula defendo — exprimi potest: *τῶν τοιουτοτρόπων ⟨τὴν ἐργασίαν οὐκ ἀπέδοντο⟩* (vel si mavis *οὐχ οὕτως*), *τὸ τρίτον δὲ μέρος κτλ.*

His omnibus expeditis, restant pauca quae scrupulum iniciant. Sed nunc sola interpretatione opus erit. Ne lectorem moremur, commentarii ratione quaedam adiciamus.

Τεμένη. Recte monet Boeckhius I p. 697 *b*: *τεμένη δημόσια sind Staatsgüter, welche nicht mit Tempeln vereinigt waren; sonst wären sie ἱερά*; neque venalia fuissent. Idem praedicandum de patrarum thiasorumque bonis: sacra ipsa, in quibus altaria signa sacella, non veniisse, sed cetera quae societatum erant [1]); quae cum hereditatibus vel donationibus potius crescant quam minuantur, apparet ea non ita multa magnaque fuisse [2]), si recte infra conicimus haec Byzantiorum decreta saeculo sexto exeunte facta esse. Ea autem bona omnia veneunt, pars in perpetuum, pars in tempus.

Ἀπέδοντο, quod verbum usque ad *ἀλοπωλίαν* ubique supplendum, etsi ab origine vim habet *possessione aliqua cedendi*, plerumque significat: *vendere in perpetuum*. Hic autem [3]) nonnunquam *locandi*, sive potius *in tempus pretio semel soluto utendum fruendum dandi* notionem affert: in perpetuum certe bona sterilia veneunt cum civitatis tum thiasorum patrarumque, fertilia in tempus conceduntur. Quod autem ad loca forensia attinet, ambiguum utrum plena facta sit eorum possessio an ea post possessoris mortem rursus rei publicae concedenda fuerint; quod decernere non ausim. Contra si rogas annuumne stipendium an totam semel mercedem solvere iussi sint, hoc illo videtur multo probabilius, nam inopia non annuis stipibus, sed una statim facta solutione tollitur, tum etiam pro fertilibus agris, ut legimus, semel, non quotannis, solvitur. De ceteris mox agam.

Πατριωτικὰ καὶ θιασωτικά: ita designantur *θιάσων* et *πατρῶν* bona. Viri docti [4]), qui patras hoc loco *phratrias* vel

1) De societatum bonis cf. Guiraud *o. l.* p. 382 sqq.; Ziebarth, *Das Griech. Vereinswesen* p. 158 sqq.; Poland, *Gesch. d. Griech. Vereinswesens* p. 457 sqq., 487 sq. 2) Cf. supra p. 214, et mox infra. 3) Cf. supra p. 212, n. 1.
4) Imprimis sequendus Schneiderus (p. 45—6), qui alios laudat. Eius argumenta iterans tempus profunderem.

Digitized by Google

potius tres illas Doricas *phylas* significare volunt, me iudice vere sentiunt; inter ipsius civitatis publica bona earumque phylarum, civitatis quasi tribuum, bona vix quicquam interest, quo fit ut ea omnia sine ullo discrimine venire potuerint in usum aerarii. Quales autem fuerint eae societates, quas thiasorum voce auctor designat, nusquam aperte dictum video. Cum societates eas dicunt, vel etiam societates dis colendis addictas [1]), id leve est: innumera in Graecia erant collegia, neque tamen eiusmodi, quibus cultus deesset. Accuratius definiri possunt. Iam primum bona iis sunt, quae immobilia dicimus; itaque civium sunt societates, nam peregrinis et inquilinis ius terras possidendi nec in aliis Graeciae civitatibus nec Byzantii [2]) erat. Privatae autem societates, quantum scimus [3]), sui iuris erant: cum iis reipublicae nihil erat. Num probabile hic a civitate bona esse adempta, quae privatarum societatum essent? Collatis praeterea *patris* illis, quid veri similius quam de liberis et privatis mercatorum nautarum artificum ceterorum eiusmodi collegiis etiam hoc loco sermonem minime fieri, verum de publicis civium coetibus, de singularum patrarum partibus, sicut Athenis quoque „*diese Thiasoi nur Abteilungen der Phratriën (sind), wie sie zu Verwaltungszwecken notwendig erschienen?* [4]) Ita facilius intellegas thiasorum agros in usum publicum occupatos esse.

Ἁλιεία et ἁλοπωλία. Duo maiora negotia „venduntur". Thiasis certe non veneunt, immo ipsis piscatoribus salinatoribusque. Qua ratione? Hic variant: sunt qui putent [5]) antea salis et piscium fuisse monopolium publicum; alius [6]) sine argumentis obloquitur; tertius [7]) rem integram relinquit. Quae sane difficilis est. Nam si monopolium antea fuit, nunc autem

1) Boeckhius l. l.: *die Gesellschaften*; Riezlerus p. 13: *die Kultvereine*; Schneiderus p. 44 sqq.: *Kultgesellschaften*.

2) Cf. supra in calce paginae 214. Quae Schneiderus (p. 44) ex opere Ziebarthi (p. 193) repetit, hic aliena.

3) Cf. imprimis Ziebarthium p. 166 sqq.

4) Cf. Polandium p. 19.

5) I. G. Schneiderus ille senior coniecerat ἁλῶν μονοπωλίαν. Monopolium defendunt ipse Boeckhius I p. 372 *c*, item Schneiderus alter.

6) Millerus s. v. *Byzantium* in P-W. R-E. III 1118 sq.

7) Riezlerus p. 14.

Digitized by Google

ius publicum vendendi [1]) privatis conceditur, id vere aerario prodest, optimeque conferre possumus hanc venditionem monopolii cum illa agrorum fertilium. Contra liberum si fuit commercium, minime absurdum est ita interpretari ut artifices illi semel quasi *χειρωνάξιον* solverint; quod si verum, conferas, quae de locis tabernarum didicerimus: sicut horum locorum, ita illarum mercium possessionem subito sibi vindicat civitas venditque quae hucusque libera erant. Quod tamen in re tam dubia hanc interpretationem praeferre audeo, id duabus de causis fit: primum verus ille Aristoteles [2]) monopolia novit quidem, sed quae adversis temporibus tantum decreta sint, quod huic narrato minus convenit; tum tota res, de qua agimus, priscis temporibus ascribenda esse videtur, in quibus monopolia vix aut ne vix quidem defendere possumus. Si quaeris igitur, liberum fuisse commercium ante haec decreta promulgata censeo.

Τῶν ἐργαζομένων θαυματοποιῶν κτλ. Participium usurpatum nonnullos offendit [3]); iniuria, nam *ἐργάζεσθαι* ii soli dicuntur thaumaturgi, harioli, sortilegi, qui lucri causa operentur; quibus opponantur, ut par est, templorum publicorum sacerdotes haruspices augures, quibus nihil pendendum erat. De tertiae tributo conferas Schneiderum p. 49. Qua autem de causa isti viri excipiuntur? Cum huc et illuc semper vagentur et saepius certa patria indigeant, neque *τόπον* in urbe conducturi neque annuum vel unicum vectigal soluturi sunt; itaque necessitate coactus, decernit populus ut statim tertiam cuiusque accepti partem in aerarium deferant.

Omnia ut appareant, iuvat totius narrati latinam paraphrasin, ut aiunt, addere. Pecuniae inopia adducti Byzantii varia decreverunt: bona ruri sita, cum totius rei publicae, tum earum civitatis partium, quae *πάτραι* et *θίασοι* dicebantur, bona publica, ut uno vocabulo omnia complectar, sterilia in aeternum

1) Utrum vendiderit res publica per servos publicos an per liberos ministros, qui certum annuumque aut singulis capturis accommodatum stipendium mererentur, non refert.

2) Cf. Pol. p. 1259 a 20 sqq.: *Ἔστι δὲ... χρηματιστικόν, ἐάν τις δύνηται μονοπωλίαν αὑτῷ κατασκευάζειν. Διὸ καὶ τῶν πόλεων ἔνιαι τοῦτον ποιοῦνται τὸν πόρον, ὅταν ἀπορῶσι χρημάτων.*

3) Cf. supra p. 216, n. 2.

Digitized by Google

vendiderunt, fertilia in certum tempus utenda dederunt, ita tamen ut totum pretium statim solveretur. Recte in ea re egerunt, nam magni eos agros emerunt eorum vicini. Cum autem civium tribus et societates nonnullis praediis spoliatae essent, invicem iis concessum est, ut publica quaedam in ipsa urbe sita commodo pretio sibi pararent; quod factum est, nam haec prioribus praeferenda visa sunt. Postea de mercatoribus, usque ad hoc tempus nulla re impeditis, actum est: qui in foris viisque locum aliquem occupaverant, ii pecuniam solvere iussi sunt, ut in posterum idem sibi liceret; qui autem piscibus capiendis et sali effodiendo, gravissimis negotiis, operam dabant, non iam artificium mercaturamque exercere potuerunt, nisi in aerarium stipendium intulerant; ab iis autem, qui divinationibus miraculisque quaestum facientes neque in eadem sede diu remanentes, tali modo ut pensitarent adduci non potuerunt, quotidie tertiam acceptorum exigebant. Postremo rem argentariam uni mensae tribuerunt, collybosque civitati prodesse voluerunt.

Unde haec omnia hauserit noster, incertum [1]); alia tamen restat quaestio iam ab aliis quoque sive tractata sive argumentis omissis decreta, quaestio de temporibus, quam enucleare, illos ex parte secutus, temptabo. Sententiarum magna diversitas. Primus in dissertatione utili [2]) certam temporum regulam ab auctore esse observatam in iis quidem rebus, quarum tempus definiri possit, iure exposuit Wilckenus: eum enim a Cypselo Corinthi tyranno incipere finemque facere in Alexandri Magni aequalibus tractandis. Cum igitur Byzantiorum res, quas volumus [3]), post Cypselum Lygdamumque principes, verum ante Pisistrati filium Hippiam Athenis regnantem legantur, temporum ordo flagitare id videtur, ut in altera sexti a. C. n. saeculi parte factae sint. Quod quidem nonnulli affirmant, sed non defendunt [4]). Alii contra minime fieri potuisse affirmant

1) Riezlerus (p. 15) coniecit: *eine Stadtchronik oder wahrscheinlicher die Politie der Byz. des Aristoteles.*

2) U. Wilcken, *Zu den pseudo-arist. Oeconomica.* Hermes 36 (1901) p. 187 sqq.

3) Quae sequuntur aliis temporibus adsignanda, potissimum ulterioribus.

4) Boeckhius tacet, sed fortasse (cf. p. 697) de priscis temporibus cogitat; Wilckenus p. 190 n. 3: *es scheint mir nicht ausgeschlossen dass (sic)... ins 6 Jahrh. zu setzen sind;* Riezlerus p. 15: *es besteht kein Grund, das... abzuweisen.*

Digitized by Google

ut id temporis talia iam decreta essent, et sua quisque ratione evadere temptant: hic de anno a. C. n. 281°, cum Gallorum fierent incursiones, cogitat [1]), quod nemo credidit vel crediderit; ille rationem viamque secutus, qua in civitate, cuius historia optime nota esset, tractanda uti possemus, et hic quoque de tyranno agi ratus [2]), Pausaniae, qui per annos 478—471 Byzantium tenuerit, suffragatur; sed ita quoque temporum ratio evertitur, neque est quicquam cur tyrannum quaeramus; tertius confusionem defendit [3]): auctorem neglegentia primum Hippiam praeteriisse, resque Byzantiorum, ante annum 430 omnino factas [4]), tractavisse; postea errore animadverso Hippiae decreta addidisse. Sed tali coniectura tunc demum utendum, cum maxima fit necessitas. Quod sane nonnulli de priscis illis temporibus cogitare dubitaverunt, id vix cuiquam crimini dari potest; et nos, nisi aliter textus interpretandus visus esset, essemus gravati. At nunc multo simpliciores res sunt factae; quae re vera a Byzantiis decreta sunt, minime intricata sunt, sed sexto saeculo exeunti convenire possunt. Sed potius positiva quae dicunt argumenta colligamus. Haec inveni: in ipsa urbe liberi restabant campi, quos thiasotis vendidit civitas; cum autem postea Byzantium et dives et magnum et incolis frequens oppidum factum esset, liberas areas etiam tum intra moenia fuisse, quae venire possent, minus probabile; potius credam ea aetate, de qua noster, neque urbem frequentem fuisse neque tecta continua. Iterum rei publicae nascenti convenit, quod omnes mercaturae omniaque artificia fere libera erant; ne pro tabernarum quidem locis solvebatur; ea tributa et vectigalia, quae prima semper exiguntur, hic instituta sunt; adde quod ea ne hic quidem in perpetuum: quae postea facienda, integra relinquebantur. Maioris etiam momenti aliud: tribus rebus ante Christum natum crevit et floruit Byzantium: minime

---

1) Millerus *l. l.* Sed nihil, quod post Alexandrum sit factum, exponit noster.

2) Schneiderus p. 51 sq.: *nun lassen sich diese... Massregeln... nur aus einer bedeutenden Finanznot erklären; wann könnte in Byzanz eine solche eingetreten sein?* et quae sequuntur. Quam pauca de Byzantio noverimus docet H. Merle, *Die Gesch. d. Städte Byzanz u. Kalchedon* 1916.

3) E. v. Stern, *Zur Wertung d. ps.-Arist. 2ten Oekonomik*, Hermes 1923 p. 393 sqq.

4) Hoc anno, quae in textu sequuntur, Potidaeae facta esse videntur.

Digitized by Google

salis, magis piscium, maxime frumenti negotiationibus; sed frumenti commercio ante quintum fere saeculum medium Bosporanae coloniae vix operam dederunt [1]), postea autem maxime; de quo cum hic nihil prorsus legamus, cum praeterea nihil facilius quam inde quaestum facere seu transitorio a nautis exigendo [2]), seu navibus onerariis deducendis in portum [3]), tempore, quod vult auctor, mihi nondum videtur Pontici frumenti exportatio ullius momenti fuisse. Gravius eo id argumentum fit, quod, ni fallimur [4]), quae de Byzantiis apud nostrum leguntur, omnia (usque ad p. 1347 a 3) ex uno fonte manant; atqui tertia χρημάτων ἀπορία navibus frumento onustis deducendis tollitur. En temporum rerumque ordinem optime servatum!

Quandoquidem igitur de sexto saeculo agit auctor, graviora fiunt quae narravit; nam rarissime evenit ut de civitate Graeca tam accurata disceremus, quae huic aetati tribuenda essent.

1) Cf. Merleum p. 66 sq.

2) Quod equidem postea factum, cf. Merleum p. 22 sqq., 56.

3) Cf. ipsum nostrum vs. 29 sqq.

4) Quomodo enim de una urbe Byzantio in fontibus diversis tot inveniret noster? Cf. etiam Riezlerum p. 15, Schneiderum p. 54.

Ad Apulei Metam. l. VI c. I.

„Parietes omnes argenteo caelamine conteguntur, bestiis et id genus pecudibus occurrentibus ob os introeuntium". Pro *id genus* scribendum esse conicio *omne genus*. Cf. Diod. XVII, 115, 3: κατὰ δὲ τὴν τρίτην περιφορὰν κατεσκεύαστο ζῴων παντοδαπῶν πλῆθος κυνηγουμένων.

G. V.

Digitized by Google

AD LEGEM XII TABULARUM.

SCRIPSIT

J. VAN BINSBERGEN.

Paucos ante annos in libello trimestri iuridico qui inscribitur *Themis* [1]) copiosius quaestionem tractavi utrum lex duodecim tabularum genuina sit necne. Demonstrasse mihi visus sum iis quae de XII tabularum historia nobis tradita sint, in universum fidem habendam esse. Constare mihi persuasum est nucleum legis nobis superesse et textum qui invenitur apud Bruns (*Fontes iur. Rom. ant.*) maximam partem non esse impugnandum. Nulli autem et ipsi Romani dubitaverunt quin decemviri duce Appio Claudio legem hanc pertulerint quae usque ad Iustiniani tempora cunabula fuit iuris Romani; ut Livii verbis utar, „fons omnis publici privatique iuris".

Fugit tamen me Sironem Solazzi [2]) iam anno 1903 de XII tabularum fide et auctoritate egisse. Quae tamen argumenta attulit Solazzi me non moverunt ut a pristina et multorum testimoniis comprobata opinione recederem. Dubitat Solazzi num Annalibus Maximis fides habenda sit et aeque dubitat de fatis legis decemviralis ante incendium Gallicum. Cicero *de Rep.* 1. 25 commemorat tempus vetustissimi solis defectus computatum esse ad illam eclipsin quinti diei Iunii a° 351 u. c. i. e. 403 a. C. n. eumque diem in Annalibus Maximis esse annotatum; antiquiores solis defectus autem non esse notatos.

Hic tamen rogare velim cur res gestae ante annum 400 a. C. n.

1) *Themis*, 1920, pars IV.

2) *La questione dell' autenticità delle dodici Tavole*, Urbino 1903.

Digitized by Google

non possint esse restitutae. Vivebant certo certius a° 390 a. C. n. homines grandiores natu aequales rerum gestarum a° 450 a. C. n.

Quod attinet ad ea quae fragmentis nostrae legis continentur Solazzi refert institutiones iuridicas recentioris aetatis in XII tabulis occurrere; v. c. vetitum esse homines mortuos in urbe sepeliri teste Servio ad Aeneid. XI, 206 anno 494 u. c. i. e. a° 260 a. C. n.

Plura talia exempla Solazzi affert, sed videntur mihi minus esse ad rem; verisimillimum est has esse interpolationes.

Si autem Solazzi recte vidit — at mihi saltem non persuasit — lex XII tab. anno 400 a. C. n. adscribenda esset. Quod si verum sit, parum nos hac in re profecisse unusquisque mihi facile concedat.

ΣΕΛΑΣ.

Loco Ps. Callisthenis (I, 12) ad natales Alexandri Magni pertinente quem nuper vulgavit W. Kroll (*Hermes*, LIX, 1924, p. 476) leguntur haec: *ταύτῃ τῇ ὥρᾳ ὁ γεννώμενος* Βυβλιάδων *γυναικῶν σέλας λαβὼν διεγείρει κοπετὸν περὶ αὐτοῦ*. Adnotat Krollius: „an *σέβας*? at etiam *λαβών* suspectum". Sed verba tradita recte se habere videntur. *Σέλας* enim dicitur *fax* et Hom. *Hymn. in Cer.* vs. 52 et aliis locis, de quibus vide *Bull. de corr. hell.*, XLVIII, 1924, p. 120, 4.

G. V.

Digitized by Google

PERIODICAL ROOM
GENERAL LIBRARY
UNIV. OF MICH.
AUG 14 1925

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM TERTIUM. PARS III.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1925.

Digitized by Google

INDEX

Pag.

Observatiunculae de iure Romano (continuantur ex pag. 52), scripsit J. C. NABER . . . . . 225—267

Ad Aeschyli Choephor. vs. 783 sqq., G. V. 267

De Epistula Alexandri ad Aristotelem Observatiunculae, scripsit F. MÜLLER Jac. f. . . . . 268—272

Emendationes Catulli (continuantur ex pag. 176) scripsit T. L. AGAR . . . . . 273—282

De Ovidii Metamorphosesi A C. Bulleo in Linguam Germanicam versis, scripsit K. H. E. DE JONG . . . . . 283—285

Iocus Puerilis in Cyri Institutione Ignoratus, scripsit I. BERLAGE . . . . . 286—288

De Vocibus τυκτός, τετυγμένος, ποιητός, οἰκουμένη, aliis, scripsit I. BERLAGE . . . . . 289—298

Ad Grattium Notulae, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . . 299—306

Ad Nemesiani Cynegetica, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . 307—308

De Plauti Cistellaria, scripsit J. W. BIERMA . . . . . 309—319

Ausoniana, scripsit C. BRAKMAN . . . . . 320—340

Ἄσκος — πέλεκυς, scripsit J. D. Meerwaldt 340

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex pag. 52).

CXXI.

De concurrentibus actionibus.

Pars tertia (ultima).

Δώσει τις δίκην.
Bατρ. 554.

Ne hoc quidem interest, utrum inter easdem personas concurrant actiones an inter alias atque alias; proinde confunditur furtiva condictio, quae competat ex eodem facto [1]) in solidum pluribus [2]) in pluresve [3]); idem fiet in actionibus quod metus

1) Cf. l. 77 (76) § 1 (i. f.) D. 47. 2.

2) L. 18 D. 13. 1. Non mutat, quod in proposito concurrere potius videantur condictio furtiva et indebiti (l. 81 (80) § 7 D. 47. 2). Vel magis enim consumant interse necesse est duae condictiones furtivae, si modo (quod videtur Ernesto, *die Konkurrenz* I p. 388—399) possint concurrere. — Negat Savigny, *Obl.-R.* I p. 198, creditores umquam, nisi sint unius obligationis participes, in eandem rem concurrere. Qua de re cf. Windscheid (1891) § 298[1]; Last, *Anspruchkonkurrenz* (1908) p. 112[1]; Girard, *Manuel* (1924) p. 788[1]. Quamquam sufficit l. 18 cit. (D. 13. 1) etiam adversus Guilielmum Martens, *Ueber Concurrenz* etc. p. 3 („*bei der Concurrenz finden wir ueberall nur einen Klaeger*"). Est praeterea exemplum creditorum in eandem rem concurrentium apud Paulum l. 27 pr. D. 2. 14 (Savigny, *Obl.-R.* I p. 174), etiamsi maxime genuina non sit clausula: *idemque in duobus reis stipulandi dicendum est* (cf. Rotondi, *alcune riforme* etc. (1913) p. 59—61). Plane, quam laudat Ascoli (*Studi e docum* XI (1890) p. 150) l. 6 D. 13. 6, ea videtur etiam Julio Binder, qui de hoc iuris articulo pinguem composuit tractatum (*die Korrealobligationen* p. 443/7), potius ad poenalem *contra furem* actionem pertinere.

3) c. 1 C. 4. 8.

Digitized by Google

causa [1]), doli mali [2]), aquae pluviae, quatenus placet ex hac causa *unum cum uno* in solidum *agere posse* [3]), legatorum adversus eos, qui omissa causa testamenti possideant hereditatem [4]), in factum adversus eos, qui dolo fecerint, quominus quis vadimonium sisteret [5]), et item adversus mulierem, quae ventris nomine in possessionem venerit, et eius mulieris parentem de possessione ad alium translata, *si et patris et filiae factum arguetur* [6]), nec minus adversus mensores [7]) quosque, quum tutores non essent, dolo malo auctores factos constiterit [8]), interdictis quoque velut unde vi [9]), quod vi aut clam [10]) de opere restituendo [11]) et item ex contractu actionibus velut ex stipulatu [12]), depositi [13]), tutelae [14]), rationibus distrahendis [15]), commodati [16]), locati [17]), mandati directa [18]) vel contraria [19]) et

---

1) L. 14 § 15, l. 15, l. 16 pr., § 1 D. 4. 2.

2) L. 17 pr. D. 4. 3.

3) L. 11 § 1 D. 39. 3 (Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 442; Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 84; Levy, *die Konkurrenz* I p. 273).

4) L. 11 (ia. l. 12 § 1) D. 29. 4. Cf. l. 3 eod.

5) L. 1 § 4 D. 2. 10. Appellatur ibi *poena* veniens ex delicto rei persecutio. Qua de re cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 465[79], et ex diverso Levy, *die Konkurrenz* I p. 501[1].

6) L. 2 § 1 D. 25. 5.

7) L. 3 pr. D. 11. 6.

8) L. 7 § 4, l. 8 D. 27. 6.

9) L. 1 § 13 D. 43. 16.

10) L. 6 (cf. l. 15 § 2) D. 43. 24 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 295/6).

11) Hoc potest etiam ex accidentibus contingere. Nam, si dominus operis restituerit vel, quia non restitueret, damnatus sit, liberabitur is quoque, qui cuiusve servus fecerit, et ex diverso, si dominus servi, quia noxae non dederet, damnatus sit, liberatur operis dominus (l. 7 § 1 D. 43. 24).

12) Cf. l. 25 § 10 D. 10. 2; l. 2 § 2 D. 45. 1.

13) L. 1 § 43, l. 22 D. 16. 3; l. 15 (i. f.) D. 27. 3; Binder, *Korrealobl.* p. 97—109.

14) L. 1 § 43 D. 16. 3; l. 15 D. 27. 3 (quam quidem transfert Eisele, *Archiv* etc. 77 p. 456) ad rationibus distrahendis actionem); cf. l. 1 § 11 D. eod. (27. 3). — *Iudicio* consumi negatur l. 18 § 1 D. 26. 7 (cf. Binder, *Korrealoblig.* p. 349; Levy, *die Konkurrenz* I p. 221/2).

15) L. 55 § 1 D. 26. 7. Rationibus distrahendis actionem, licet in duplum sit, in hac iuris parte rei persequendae gratia comparatas actiones imitari, docui supra (p. 27).

16) L. 5 § 15 D. 13. 6; l. 15 (i. f.) D. 27. 3; Binder, *Korrealobl.* p. 97—109.

17) L. 5 § 15 D. 13. 6 (Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 212 not. 1). Par causa est venditi actionis: l. 47 D. 19. 2 (Levy, op. cit. I p. 217).

18) L. 60 § 2 D. 17. 1; l. 15 (i. f.) D. 27. 3.

19) L. 52 § 3 D. 46. 1. Cf. l. 41 § 1 eod.; l. 59 § 3 D. 17. 1; l. 5 § 1 D. 15. 4; c. 23 C. 8. 40 (41), atque de beneficio divisionis: c. 3 C. 4. 18; l. 7 D. 27. 7 (Costa, *Papiniano* IV cap. 2 § 7; Levy, *die Konkurrenz* I p. 196 not. 4).

Digitized by Google

in actione ex testamento [1]), quum *duae personae* petere possunt, *unius tamen rei legatum inter eas vertitur* [2]), veluti, quum marito in dotem legatur, habebit enim mulier quoque [3]) legati petitionem [4]), vel, quum servus, cui generaliter servus legatus sit, post diem legati cedentem manumittitur, nam competet actio, si Iuliano [5]) fides est, quum ipsi tum patrono [6]). Sunt et aliae species, in quibus idem legatum duo petere possint [7]), sed plerumque ita, ut alteruter [8]) vel uterque [9]) contentus esse debeat, modo defendatur [10]) vel liberetur [11]), quemadmodum hodierno die putat Jhering [12]) eum, cui cum debitore convenerit, ut locum eius subeat, post adsensum creditoris èt a creditore conveniri posse ut solvat, èt a debitore, ut se liberet. Potest apud Transrhenanos tunc ita ius fuisse, sed nova lege (*B. G.-B.* § 415. 3), simul atque creditori actio quaeratur, cessare videtur debitoris actio. Exercitoria quoque vel institoria vel de peculio cum pluribus in solidum ubi competit actio, qui solvit, etiam ceteros *aere alieno liberare videtur* [13]), quamobrem post damnationem [14]) locus erit communi dividundo vel pro socio iudicio [15]). Ex diverso, *si ex una causa duobus* actio

---

1) L. 11 § 21 D. 32 (Cuiac. Obs. XIV 26).

2) L. 10 D. 33. 5.

3) Quodsi Gaium (l. 69 § 2 D. 30) sequimur: mulier sola (cf. Jhering, *Jahrb. f. d. Dogm.* 24 (1886) p. 154).

4) L. 48 § 1 D. 23. 3 (quam sollerter emendat Jhering, *Jahrb.* cit. 24 (1886) p. 152 not. 1); l. 71 § 3 D. 35. 1 (*quoniam ambo legati petitionem habuerunt, salvam habebit non soluta pecunia viro mulier actionem*). Cf. Jhering, *Jahrb.* cit. 24 (1886) p. 162.

5) L. 10 D. 33. 5.

6) Sin Ulpianum (l. 5 § 7 D. 36. 2) sequimur: soli patrono. Ex abundanti textus habet: *si purum legatum fuerit.* Quis enim hoc curat *post diem legati cedentem*? Cf. l. 26 D. 28. 7: .... *condicione expleta pro eo est, quasi pure .... relictum sit.* Ceterum Iulianus quoque l. 10 cit. (D. 33. 5) cogitavit purum legatum (Cuiac. Obs. XXIII 14).

7) L. 49 § 5, § 7 D. 30; l. 3 § 4, § 5 (cf. l. 4) D. 34. 3.

8) L. 3 § 5 (cf. l. 4) D. 34. 3.

9) L. 49 § 5, § 7 D. 30.

10) L. 4 D. 34. 3.

11) L. 3 § 4 D. 34. 3.

12) *Jahrb. f. d. Dogm.* XXIV (1886) p. 144.

13) L. 25 D. 10. 3; l. 27 § 8 D. 15. 1.

14) L. 15 D. 10. 3. Cf. l. 27 (28) i. f. D. 3. 5.

15) L. 8 § 4, l. 9, l. 15, l. 25 D. 10. 3; l. 3 (ia. l. 1 § 25) D. 14, 1; l. 13 § 2 D. 14. 3; l. 27 § 8 D. 15. 1.

Digitized by Google

competit [1]) et pari iure veniunt, *occupantis meliorem condicionem esse debere* manifestum est, *nam utrisque condemnari* [2]) *dominum.... iniquum est* [3]). Et parvi refert [4]) in hac quoque specie, ubi cum pluribus res est pluribusve, sintne actiones ὁμώνυμοι an ἑτερώνυμοι, quas quis vel fortius dixerit concurrere [5]), quamobrem interse consumunt actio principalis [6]) et cum sponsore ex stipulatione iudicatum solvi vel pro praede litis et vindiciarum *ob rem non defensam* [7]), actio quoque iudicati et ex eadem stipulatione ex clausula ob rem iudicatam [8]) et, ubi concurrunt legatorum actio et ex dictione dotis [9]) vel rei uxoriae [10]), licet altera actio marito competat, altera uxori; multo magis, ubi utraque mulieri competit, veluti, quod maritus dotem ei relegavit: idem erit, si extraneo eumque rogavit mulieri restituere [11]). Similiter, quum adversus mandatorem contraria, adversus reum ex numeratione actio est, reus utique solvendo mandatorem liberat, mandatore solvente ad id tantum non liberatur reus, ut possint actiones mandatori praestari [12]). Est similis causa actionis principalis et adversus tutorem vel curatorem, qui debitorem non convenerit [13]). Ne tum quidem fallit regula, quum *quis creditorem missum in possessionem rei servandae causa non admiserit*, deinde ex edicto [venditor [14])] *praestiterit creditori*, *quanti eius interfuerit*, nam

1) L. 3 § 10 D. 15. 3. 2) Cum effectu utique.

3) L. 4 D. 15. 3. Cf. Tuhr, Actio de in rem verso (1895) p. 211, p. 291/2.

4) Parvi referre, perspexit Levy, *die Konkurrenz* I p. 12/3.

5) Quia non obstat, quod in homonymis obstat: nusquam eas concurrere posse legi.

6) Ita recte interpretatur Cuiacius (Paris. VI (1) 412 C/D) *iudici(um) pri(us)* de quo sermo fit l. 14 § 1 D. 46. 7. Sed fuit nimirum *iudici(um) (sponsionis)*.

7) Ergo, si sponsores conveniuntur, *non est iniquum cavere, dominum (sponsionis) iudicio absolvi* (l. 14 § 1 D. 46. 7). Quodsi reus defendit, sponsor, *cum quo actum fuit, absolvi debet* (l. 4 eod.), si nondum est condemnatus (l. 5 pr. eod.).

8) L. 38 § 2 D. 46. 3. Cf. l. 8 § 3 D. 46. 2; Paul. V 9 § 3.

9) L. 29 D. 23. 3; l. 84 § 6 D. 30.

10) L. 1 § 9—§ 11, l. 7 pr., § 1 D. 33. 4.

11) L. 1 § 12 D. 33. 4 (cf. Helssig, z. *Lehre von der Konkurrenz* p. 20 not. 41).

12) Diximus supra (52, 254). 13) Id quoque supra (52, 255) diximus.

14) Vox desperata. Reponunt Graeculi: *emptor*, Lenel: *bonorum emptor*, Cuiacius (Obs. XII 23): *debitor* et mox pro *debitor*: *debito*. Fuitne: *si, qui[s] creditorem* etc. *non admiserit, sive (ma)nd(a)tor*? Cf. de permutatione elementorum A et I Studemund, Apogr. p. XXVII (etsi fatendum est ex I saepius factum A quam versa vice), de figura *si — sive*: Kalb, *Juristenlatein* (1888) p. 43.

Digitized by Google

debitor hoc facto liberatur, etsi *quaesitum est* [1]). Sed ibi regula fallit, ubi permittitur legatario de tabulis exhibendis interdicto aestimationem consecuto legatum, heredi autem hereditatem petere, si non ab eodem quis petat [2]), et, ubi post actum cum eo, qui dolo possidere desierit, mox adversus possidentem institui permittitur hereditatis petitio [3]), est enim utraque actio rei persequendae causa comparata, licet illa ex delicto veniat [4]), quocirca, prior quum sit instituta cum possidente actio, altera intercidit [5]). Huic proximum est, quod, qui a fraudatore sciens dotem accepit, si creditoribus restituit eam, quia *desinit dotem habere*, iudicio rei uxoriae absolvitur [6]), enimvero *si, priusquam creditores cum eo experirentur, reddiderit* divortio facto *dotem* uxori, *nihilominus eum* creditoribus *teneri, Labeo ait* [7]). **12.** Fit nonnumquam, ut contribuantur actiones, quae sint contrariae velut redhibitoria et aestimatoria; docet enim Iulianus [8]) *es(se) in potestate emptoris intra sex menses redhibitoria agere mallet, an ea quae datur quant(o) minoris (is) homo, quum veniret, fuerit.* [nam posterior actio redhibitionem continet, si tale vitium in homine est, ut eum ob id actor empturus non fuerit] *Quare vere dicetur, eum qui alterutra earum egerit, si altera postea agat, rei iudicatae (vel in iudicium deductae) exceptione summoveri.* Non suo loco posita esse, quae inclusi, etiamsi

---

1) L. 51 § 1 D. 42. 1.

2) L. 3 § 15 D. 43. 5.

3) L. 13 § 14 D. 5. 3; l. 95 § 9 D. 46. 3. Cf. quoque l. 7 D. 6. 1 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 26) atque Baudry, *Traité* etc. XXVIII (1905) p. 711 (*Prescription* n° 894).

4) L. 52 D. 6. 1. Cf. Windscheid (1891) § 193[8], § 359[2].

5) L. 13 § 14 D. 5. 3; l. 95 § 9 D. 46. 3. Quodsi nondum actum et possessor paratus est iudicio (Leinweber, *die* her. petitio (1899) p. 44: hereditatis) pati, exemplo noxalis iudicii (l. 24 (i. f.), l. 25 D. 9. 4) absolvendus est, qui possidere desiit, *nisi petentis interest* (l. 13 § 14 cit.) *alium adversarium non hab(ere)* (cf. l. 1 pr., l. 3 § 4 D. 4. 7). Variis modis hic errant Francke, *Commentar* etc. (1864) p. 182; Merkel, *Konkurs* etc. p. 91.

6) Atqui l. 10 § 14 D. 42. 8 negatur esse de dote, quae in fraudem creditorum constituta sit, rei uxoriae actionem.

7) L. 25 § 1 D. 42. 8.

8) L. 25 § 1 D. 44. 2. — Discrepat l. 48 § 2 D. 21. 1 vitio, opinor, Triboniani. Pomponium scripsisse reor: *non (proder)it.* Eodem fere rem deducit Levy, *die Konkurrenz* I p. 142/3.

Digitized by Google

alioquin vera sint [1]), observavit Eisele [2]), non tamen cancellavit [3]); itaque docet ex accidenti has actiones interse consumere [4]), quum tale sit vitium, ut in utraque actione redhibitioni locus sit; ceterum altera electa alteram tolli quidem, non vero permisceri [5]), quandoquidem contrariae actiones non permisceantur [6]). Quomodo igitur altera electa tollitur altera? quid enim praeterea sit permisceri, non perspicio. Dicendum potius est, non posse simul institui contrarias actiones [7]), nihil autem obstare, quominus invicem consumant [8]). Quod iam Tribonianus non intellexit, quamobrem inseruit [9]), quae nos

---

1) L. 43 § 6 D. 21. 1. Renuit nihilominus Biondi, *Studi sulle* actiones arbitr. I (1913) p. 142.

2) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 330[9].

3) Cancellat Biondi, *Studi* cit. I p. 141. Quem vetat quidem Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 30[2], sed docet ipse (p. 142) subesse lituram: *„welche .... Begründu(ng) Iulian in der jetzt durch den Mittelsatz verdeckten Lücke gegeben haben mag, ist nicht mehr zu ermitteln.*

4) Idem putabant Krüger, *prozess. Consumption* (1864) p. 102; Windscheid (1891) § 130[2].

5) Hoc mutuatus est a Friderico Carolo, *System* V § 235 (p. 257); disputat in contrariam partem Levy, *die Konkurrenz* I p. 30/2, disputaverat Hartmann, *Archiv* etc. 50 (1867) p. 122. Artem nesciendi hic intempestive profitetur Bethmann-Hollweg, *Civilprozess* § 103 (p. 507) not. 84 (i. f.). Cf. praeterea Merkel, *Konkurs* etc. p. 134/5; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 27[66], 72[181]; Wrzeszinski, *Konkurrenz der Ansprüche*, Diss. Frib. 1902 p. 12. — Idem suo Marte temptat Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 987/8, in actione tutelae et rationibus distrahendis.

6) Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 329/30. — Eandem ob causam seponit l. 10 D. 27. 9 (ibid. p. 369/70).

7) Contrarias actiones coniungi non licere certatim docent Azo (Summa Cod. III 8), Tancredus (II 20 § 1), Durantis (tit. de incid. quaest. § 4), Voet (ad Pand. II 13 § 14), Glück IV p. 18. Laudant superiores (Azo, Tancredus, Durantis) c. 1 § 1 C. 4. 36 (forsitan recte, si *etiam* ibi est = simul); c. 1 C. 6. 2 (non recte). Eodem pertinere putat Helssig, *zur Konkurrenz* p. 37[94]: l. 76 § 8 D. 31 (cf. Cuiac. Paris. VII 1307). Cf. tamen l. 1 § 4 D. 43. 3 (quacum non bene convenit l. 1 § 1 D. 19. 5), quocirca probat Cuiacius (Paris IV (Q) 674 A; IX 649 D) opinionem Bartoli atque Baldi: *actiones contrarias recte (simul) institui sub alternatione*, quasi vero non hoc solum agatur: Wetzell, *System* (1861) § 63 (p. 682/3). — Reo quidem sine dubio permittitur. ut coniungat exceptiones, *quamvis diversae sint* (l. 8 D. 44. 1), quod absurdum videtur Jano Cornelio Post, *De leer van den bewijslast*, Diss. Leid. 1893 p. 88/9.

8) Convenit interpretatio c. 1 C. 6. 2, ubi ex mente rescribentis verus oritur concursus (*neque enim aequitas patitur* etc.); conveniret etiam c. 4 C. 4. 54, si genuina essent: *non vindicationem rei eligere sed.*

9) L. 25 § 1 D. 44. 2.

Digitized by Google

inclusimus. Quodnisi eiusmodi actiones interse consumerent, nihil vetaret, quod visum Tancredo [1]), utrumque peti, modo ne simul [2]). Possunt autem ex eodem facto contrariae actiones existere non modo eius ratione habita, quod petatur, sed etiam causae, quamobrem petatur; veluti, si quis ignorans statuliberum emerit iussum decem dare et duplam stipulatus sit, quum is iam antea venditori decem dedisset, debet eligere, utrum ex empto decem petat, an, quod servum habere non liceat, ex stipulatu venditorem condemnet [3]). Debet denique auctore Ulpiano is, cuius res a tutore vel curatore contra Senatus consultum distracta est, eligere, utrum potius rem suam esse ab emptore petat, an tutelae vel utili negotiorum gestorum actione venditorem conveniat; quamobrem, *si eo nomine apud iudicem tutelae vel utilis actionis aestimatio facta est* [eaque soluta], *vindicatio praedii ex aequitate inhibebitur* [4]). Hactenus Ulpianus: placuit Diocletiano tunc habiturum hunc actorem cum tutore curatoreve suo actionem, quum prius ratam habendo venditionem rei vindicationem inutilem sibi fecerit [5]) eius exemplo, cuius rem negotiorum gestor vendidit [6]). Quod interpolationibus, ut videtur, porrectum est ad quamlibet rei alienae venditionem [7]) exemplo manumissionis [8]), proinde eodem loco causa esse coepit, ubi futura esset post rei interitum vel usucapionem [9]), qua de re dubitabat Zimmer-

1) II 20 § 1: *eligat, quam voluerit, et prius illam tractet.*

2) Rectissime docet Hartmann, *Archiv* etc. 50 (1867) p. 122, nisi obstet exceptio rei in iudicium deductae, nihil prohibere, quo minus post litis contestationem transeat quis ab actione redhibitoria ad aestimatoriam versaque vice. Idem igitur eveniet post perceptionem, nisi perceptione interse consumant. Putat quidem Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 330: *„dass das Recht beide kumulativ gar nicht geben kann, sondern nur die Wahl zwischen ihnen"*. Atqui restat tertium (*„beide successiv"*).

3) L. 3 (ia. l. 2 § 7) D. 44. 4 (Birkmeyer, *Exceptionen im* b. f. iudicium (1874) p. 245).

4) L. 10 D. 27. 9 (emblema sustulit Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 370).

5) C. 6 pr. C. 5. 51 (*quando venditionem confirmare voluistis*).

6) C. 19 C. 2. 18 (19); c. 20 C. 3, 36; cf. c. 9 C. 2. 18 (19),

7) C. 3 § 1 C. 3. 32 (cancello: *de ea venditione consensisti vel alio modo*); c. 15 § 2 eod. (cancello: *erit sane — ratio habeatur*).

8) C. 1 C. 7. 10.

9) L. ult. D. 3. 5; l. 23 D. 12. 1; c. 1 C. 4. 51; c. 1 C. 4. 52; c. 2 C. 8. 29 (30); c. 3 § 1 (vv. *vel alio modo proprietatem eius amisisti*) C. 3. 32.

Digitized by Google

mann [1]). Facit autem vel sic difficultatem [2]) l. 12 § 1 D. 20. 5, quia nec vendidit, ibi qui convenitur, nec exigitur nominatim, ut dominus venditionem confirmet vel vindicationem saltem ut remittat, et porrigitur *post evictionem* similis actio emptori. **13.** Ergo nonnumquam contrariae actiones miscentur, sed multo saepius evenit, ut contribuantur actiones inaequales velut ipsae aediliciae, quae quidem ambae *poenales... ex contractu* audiunt [3]), sed habet sola redhibitoria praestationem dupli [4]). Idem usu venit in de rationibus distrahendis dupli et tutelae simpli actionibus, idem in calumniae iudicio decimae partis et contrario quintae [5]). Inaequales praeterea contribuuntur actio legis Aquiliae, quae habet incrementum, et ex contractu simpli et arborum furtim caesarum dupli et de succisis vicenum quinum assium. Eiusdem generis sunt quod iussu et de peculio et tributoria [6]); actio noxalis et sine noxae deditione [7]) ex eodem facto; sortis et poenae promissae, quum possit poena utilitatem vel utilitas poenam excedere [8]); Pauli denique sequentibus doctrinam furti et vi bonorum raptorum, quum illa sit dupli, haec quadrupli. Accedit species, si quis *ex ea actione, quae infitiando crescit*, delato iureiurando dari sibi oportere iuraverit; erit enim auctore Paulo [9]) actori electio, utrum ex iureiu-

1) *Aechte und unaechte* neg. gestio (1873) p. 55.

2) Cf. Dernburg. *Pfandrecht* II p. 195/6; Zimmermann, op. cit. p. 51/2; Ferrini, *Bullett. dell' istit. di dir. rom.* VII (1894) p. 110/1; Segrè, *Studi per Scial.* I (1904) p. 279[2]. 3) L. 23 § 4 D. 21. 1.

4) L. 45 (cf. l. 23 § 8, l. 31 pr.) D. 21. 1 (Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 1295/6).

5) Gai. IV § 179.

6) L. 9 § 1 D. 14. 4 (cf. § 5*a* Inst. IV 7: *eligere debet*); l. 5 § 1 D. 14. 4; l. 4 § 5 D. 14. 5 (Merkel, *Konkurs* etc. p. 124 not. 20). Diversa causa est l. 1 § 2 D. 15. 3 (cf. Erman, *Mélanges Appleton* p. 236 not. 1). — Tributoriam et de peculio actionem interse consumere negat, altera electa alteram tolli fatetur Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 1163/4. Qua de re cf. Mandry, *Familiengüterrecht* II p. 448/9.

7) Cf. l. 4 § 3, l. 7 § 1, l. 17 pr., l. 26 § 2 D. 9. 4. Add. l. 9 D. 9. 4; l. 5 D. 47. 6 (si familia furtum fecit).

8) Hoc cessat, ubi poena nihil esse creditur nisi utilitatis aestimatio iudici legem datura. Cf. Baudry-Lacantinerie, *Traité* etc. XII (1906) p 525 (*Oblig.* n[0] 490); XIII (1907) p. 469 (*Oblig.* n[0] 1349), ad *Cod. civ.* art. 1152 (= Pothier, *Oblig.* n[0] 169 i. f.).

9) L. 30 pr. D. 12. 2. — Novationem potius statuere videtur Ulpianus l. 9 § 3 eod., quem sequitur Binder, *Korrealobligationen* (1899) p. 206/7, Pauli testimonio, ut videtur, neglecto.

Digitized by Google

rando simplum persequatur, an principali actione etiamnunc duplum. In talibus igitur et, quum altera actio rei persecutionem tantum, altera èt poenam èt rei persecutionem continet, quales sunt [1]) actio vi bonorum raptorum [2]) et servi corrupti [3]), quorundam error versatur, qui negant interpolationibus remotis actiones umquam interse minuere, licet in altera plus sit [4]). Quin videtur Ernesto [5]) *νήφοντι*, opinor, contra naturam esse actionis, ut ullo genere *minu(a)tur* [6]). Prudentius alii sedulo quidem conquirendas existimant interpolationum singulas species, nec tamen propterea dubitant, quin interse minuant interdum actiones, sive iudicio sive satisfactione alterius utrius nomine interveniente [7]). Qua pro sententia facit inprimis auc-

1) Negat quidem Levy, *Ztschr. der Sav.-St.* 37 (1916) p. 337 summa, iure genuino ullas fuisse actiones ex rei persecutione et poena mixtas. Fuisse concedit poenales, quibus rei persecutio tantum contineretur (quas appellavit Savigny *„einseitige Strafklagen"*) easque appellari potuisse *mixtas*. Ulterius concedit (*Konkurrenz* I p. 491) fuisse iure genuino actiones poenales, quibus inesset (dissimulandi causa addit: *„ununterscheidbar"*) rei persecutio et alterum tantum vel (II (1) p. 15), ut in lege Aquilia, aliud incrementum. Quod quid aliud est, nisi manus dare? Tales enim actiones semper appellavimus *mixtas*.

2) § 19 Inst. IV 6; pr. Inst. IV 2. Dissentire videtur Ulpianus l. 2 § 10 D. 47. 8, quum neget legem Aquiliam *contributa(m)*, id est, contribuendam esse huic edicto. Dissensio utique fuit (Gai. IV § 8). Cf. Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 429—434. Alioquin, in dominum quae datur actio de eo, quod ex furto servi ad eum pervenerit, numquam, me iudice, Ulpiano videri potuit *noxae* aliquid decerpere. Quocirca adsentior Ernesto (p. 438) l. 4 D. 13. 1 damnanti: *in residuum noxae servum dominus dedere potest*.

3) Paul. l. 14 § 5 D. 11. 3, quam interpolatam negat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 33[3]. Non est contraria Ulp. l. 11 § 2 eod.: *hoc amplius et condictionis nomine tenebitur* (Damnat haec Levy op. cit. II (1) p. 34). Sunt enim *diversa maleficia furis et eius, qui deteriorem servum facit*, proinde nihil commune condictioni furtivae ipsius servi nomine cum illa altera actione. Quod vidit Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 173. Similiter esse mixtam actionem de rationibus distrahendis voluit, qui interpolavit l. 2 § 2 D. 27. 3 (Levy, *die Konkurrenz* I p. 144), ipsam denique Aquiliam, qui composuerunt § 19 (*sed et legis* rell., Inst. IV 6 (cf. Pernice, *Sachbeschädigungen* (1867) p. 119 sqq.; Waldemar Peters, *die Klagenkonkurrenz* (1902) p. 14).

4) Praeivit in eam sententiam Pernice, Lab. II (1) p. 270/5. Secuti sunt Ferrini, *Pandette* p. 250/1 (§ 206), *Dir. pen.* (1899) p. 237/8; Lusignani, *Consum. proc. dell' actio de pec.* (1899) p. 14. — Excipit Pernice (p. 272) speciem, ubi rei uxoriae actio post concurrentem actionem instituitur (l. 1 § 12 D. 33. 4).

5) *Die Konkurrenz* I p. 334.

6) De hac severitate postea (op. cit. II (1) p. 11/2, 36, 141/2) remisit.

7) Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 388/92. Cf. Alibrandi, *del concorso* etc. § 60.

Digitized by Google

toritas Pauli [1]): ubi concurrat legis Aquiliae et commodati actio, *post commodati an Aquiliae remaneat in eo* (= id), *quod in repetitione triginta dierum amplius est, dubita(ri)*; nam, nisi posset ipso iure superesse actio in id quod amplius est, prorsus vana esset et sine causa dubitatio. Quod quia perspexit Siber, ideo damnat [2]) verba: *in eo quod in repetitione triginta dierum amplius est*, Levy [3]) praecipue: *dubitatur*, etiam superiora [4]) Beseler [5]). Nihilominus temerarium fuerit aut contra Georgium Iulium Ribbentrop [6]) litem dare, quum censeat lite adversus unum sponsorem vel fidepromissorem contestata obligationem principalem pro parte dumtaxat consumi, aut interpolatum dicere Trebatium [7]): *si* [furtim] *arbores* [8]) *caesae* [9]) *sint, et ex lege Aquilia et ex duodecim Tabularum* [10])*.... ita (actionem) dandam* [11]), *ut iudex in posteriore actione deducat id, quod ex prima consecutus sit, et reliquo condemnet.* Etsi

1) L. 34 § 2 D. 44. 7.

2) *Die Passivlegitimation* (1907) p. 193/4. — Ad clausulam: *sed verius est remanere, quia simplo accedit et simplo subducto locum non habet*, cf. Savigny, *System* V § 233 (p. 229/31); Martens, *Ueber Concurrenz* p. 48/9; Francke, *Commentar* etc. p. 347/8; Merkel, *Konkurs* etc. p. 33/6; Alibrandi, *del concorso* § 57; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 35/6; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 345/9, 355; Girard, *Manuel* (1924) p. 696[2]; Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 992[2]; Wrzeszinski, *die Konkurrenz*, Diss. Frib. 1902 § 13; Lewinsohn, *Beitr. zur Aktionenkonk.*, Diss. Heidelb. 1910 p. 79—83; Levy, *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 62. Sed videtur mihi interpolator vocabulum *remanere* eo sensu adhibuisse, qui frequentabatur medio aevo (= *cessare*). Exempla dabit Ducange, quibus possunt addi Glanv. II 3 § 10 (*remanebit duellum*); II 6 § 3 (*remanebit assisa*); IV 9 § 3 (*remanebit placitum*).

3) *Die Konkurrenz* II (1) p. 63.

4) Post *ruperis* omnia.

5) *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 370.

6) *Correal-Obligationen* (1831) p. 109.

7) L. 1 D. 47. 7.

8) *Furtim* cancellandum esse vidit Pernice, Lab. II 2 (1900) p. 60[3]. Hoc modo resolvitur quum intentio Ottonis Karlowa, tum depulsio alterius Ottonis, *das* edictum (1907) p. 326[9]. (Alio rem deduxit Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 176/7: respondisse Labeonem de actione legitima vicenum quinum assium, Trebatium de praetoria actione arborum furtim caesarum).

9) *Caesae* retineri potest. Cf. l. 11 D. 47. 7; l. 5 pr. eod. (ubi legendum: *(Succidere) est non solum (caedere)* etc.).

10) Huius genitivi exempla collegimus ad cap. LXXVII.

11) Temere adnotabat Lenel, *l'édit* II p. 61[1]: „*expression... impropre, quand on parle d'une action civile*". Quod nunc omisit. Cf. Krüger, *Ztschr. der Sav.-St.* XVI p. 3/4.

Digitized by Google

movet Fridolinum [1]) praeter subiecti grammatici iteratam commutationem (*deducat — consecutus sit — condemnet*) medii subiecti ab omnibus, quae praecesserant, absentia („*formell entdeckt man die Hand der Compilatoren an dem Subjectswechsel,.... sowie daran, dass von dem Subject, das zu* consecutus sit *zu denken ist, noch gar nicht die Rede war*"). Me vero multo magis in contrarium movet, quod inter praetoris officium *(ita (actionem) dandam)* et iudicis *(ut iudex deducat)* accurate sic distinguere multo magis Trebatio quam Triboniano conveniat [2]). Quod ne Fridolinum quidem latuit, sed esse negat verisimile, datam esse in hac specie formulam cum deductione, qua de re disputandi locus infra (§ 15) dabitur commodior. In scaenam interim redeat Paulus. Qui quid ait [3])? *Si ex eodem facto duae competant actiones*, quae scilicet invicem contribuendae sint [4]), *postea iudicis* [5]), id est, eius, qui in posteriore lite iudicet [6]), *potius* [7]) *partes esse, ut, quo plus sit in reliqua* [8])

1) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 378[40].

2) Putat quidem Alibrandi, *del concorso* etc. § 62, eum esse sensum eorum, quae exscripsimus, ut iudex deducat suo arbitrio, Pernice autem, Lab. II (1878) p. 139[152], eum sensum, quem vult Alibrandi, esse posse, licet diversum potius ipse probet. Nos ne posse quidem concedimus.

3) L. 41 § 1 D. 44. 7.

4) Etiam artius constringit sententiam Merkel, *Konkurs* etc. p. 87/8 (= Martens, *Ueber Concurrenz* etc. p. 80).

5) Emendat Mommsen *indicantis*. Utrumlibet placebit, tenendum est, magistratum haud ita raro *iudicem* appellari (veluti Collat. II 2 § 1; l. 11 D. 1. 18; l. 41 D. 4. 4; l. 26 § 4 D. 4. 6; l. 1, l. 33 D. 5. 1; l. 4 § 1 D. 11. 1; l. 1 D. 12. 2; l. 34 D. 24. 3, quamquam damnat *iudicem* Lenel (in Palingenesia) his fere locis: l. 1, l. 33 D. 5. 1; l. 4 § 1 D. 11. 1; l. 1 D. 12. 2) et *iudicare* dici apud Paulum II 14 § 5 (in. V 26 § 4), nam l. 11 pr. D. 2. 1; l. 34 § 5 D. 12. 2 interpolatae videntur Ottoni (in Palingenesia) et sunt interpolatae, ex diverso l. 3 § 6 D. 22. 5; l. 3 D. 48. 11 genuinae quidem sed mediae sicut l. 2 § 4 (i. f.) D. 43. 8. Cf. praeterea Brisson v. *iudex* § 1; Eisele, *Abhandl.* (1889) p. 179 (sed etiam *Ztschr. der Sav.-St.* XIII (1892) p. 141 = Demelius, *Schiedseid* (1887) p. 27 not. 6); Wlassak, *Prozessges.* II (1891) p. 53.

6) Ita vertendum esse vidit Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 387, demonstravit Merkel, *Konkurs* etc. p. 21/2. Diversum putat Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 274[1], cui quodammodo testimonium dicit Gaius IV § 84 (*postea apud iudicem*), sed illis l. 43 D. 17. 2 et res ipsa.

7) *Potius* damnat Mommsen. Cf. Pernice, Lab. II (1878) p. 129[119]; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 387; Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 274 not. 1 (i. f.).

8) *Reliquam* actionem interpretatur Alibrandi, *del concorso* etc. § 69: „*quella che si lascia da parte*", ceteri (velut Merkel, *Konkurs* etc. p. 21), ut mihi vide-

Digitized by Google

actione, id actor ferat [1]. idque, ne Tribonianum agamus reum [2], statim transfert ad vi bonorum raptorum et furti actionem [3]: *si ante actum sit vi bonorum raptorum, deneganda est furti; si ante furti actum est, non est illa deneganda, ut tamen id quod amplius in ea est consequatur*, quibus caudam quidem decidit Ferrini [4], non tamen propterea vincit [5], ad sententiam Pauli post furti actionem integram superesse vi bonorum raptorum. Etenim docet Paulus [6] post furti actionem ita superesse vi bonorum raptorum, si *in duplum* actum sit; ergo, si verum vidisset Ferrini, raptor idemque fur manifestus semel conveniri posset de quadruplo, raptor idemque fur nec manifestus de duplo et quadruplo. Quod absurdum. Idem auctor, quum *rerum subtractarum nomine servi corrupti actio competat*, manere docet reum obligatum *etiam rebus redditis* [7]. Manebit igitur haec actio, et manebit *rerum subtractarum nomine* [8] post condictionem, sed dabitur in simplum [9], ne bis idem exigatur, sicuti

---

tur, recte: „*die (vorher) nicht geltend gemachte*". Pendet quaestio ex interpretatione vocis *postea*. Quae si significaret: post litem contestatam, (ut apud Gaium IV § 84) vinceret Alibrandi, etsi nollet Huschke, *Ztschr. f. Civilr. u. Prozess* 1846 p. 180/1.

1) Ad ea quae sequuntur: *si tantundem aut minus id consequatur*, cf. Savigny, *System* V § 233 (p. 224); Merkel, *Konkurs* etc. p. 22; Helssig, *z. Lehre von der Konkurrenz* p. 46[115]; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 388 („*wenn man auch das sinnlose* id *in* nihil *corrigirt, immerhin... absolut überflüssig*"); Mommsen, *Strafrecht* (1899) p. 889[7].

2) Reum agit Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 388 („ut quo *bis zum Schluss dürfte interpolirt sein*"). Cf. Alibrandi, *del concorso* etc. § 69 (ia. 68); Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 274; Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 208[4].

3) L. 1 D. 47. 8 (Paling. Paul. 367). Cf. l. 89 (88) D. 47. 2.

4) *Dir. penale* (1902) p. 139[4] (cf. Eisele, *Archiv* 79 (1892) p. 393/4: „*....auch in dieser Stelle ist das Subjekt zu* consequatur *vorher noch nicht vorgekommen*"). Similiter, *Dir. pen.* (1899) p. 236[1], caudam decidit l. 89 (88) D. 47. 2.

5) Ne vincere quidem cupit adstipulator eius Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 200.

6) L. 89 (88) D. 47. 2. Nostro quidem loco (l. 1 D. 47. 8) sic loquitur quasi cum raptore furti actio semper sit dupli (*qui rem rapuit et furti nec manifesti tenetur,.... et vi bonorum raptorum....*). Sed cf. l. 53 (52 § 30), l. 81 (80) § 3 D. 47. 2 et in adnotatione (ad l. 1 cit.) Mommsen, qui non satisfecit Ernesto, *die Konkurrenz* II (1) p. 196[2].

7) L. 12 D. 11. 3 (Paling. Paul. 306). Cf. Ulp. l. 11 § 2 eod. (— *minuit*).

8) Ne alioquin valde ieiuna existat sententia.

9) Ne minui quidem opinio est Fabri (in Rationalibus). Mecum facit Accursius. Ex diverso putat Levy, *Konkurrenz* II (1) p. 36, post rerum subtractarum repe-

Digitized by Google

datur *in simplum* adversus coniugem *favore nuptiarum* [1]). Ergo hoc saltem exemplo confirmatur opinio Friderici Caroli [2]), actionem mixtam ex poena et persecutione rei [3]) non tolli condictione, sed dumtaxat minui [4]). Est ex eodem genere, quod, si plures sint, qui, quum tutores non essent, dolo malo auctores extiterint, et ab uno *nihil aut non totum servatum sit* [5]), *in reliquos non denegandam* [6]) *in id quod deest Sabinus scribit* [7]), et, quod similiter, quum plures metum adhibuerint nec quisquam restituat, si ab uno condemnato quadruplum non totum exactum sit, *da(ndam)* censet Paulus [8]) *adversus ceteros actio(nem), quod minus ab illo exactum sit.* Alibi [9]), enim, quod huic auctori refertur acceptum: quum ex duobus dominis alter noxae dediderit, alter detracta noxae deditione quasi conscius conveniatur, ita dandam actionem, ut *computato pretio hominis noxae dediti*, damnum sarciat, id iam supra (p. 35) Triboniano restituimus. Restituimus autem propter eius textus proprium vitium, non, quod eiusmodi actionis forma per se improbanda sit; denegat enim post noxae dationem Ulpianus [10]) doli actionem *in id quod excedit* non, velut absurdam, sed velut rei propositae minus accommodatam. Quamquam ibi quoque Pernice [11]) reum agit Tribonianum. Quem certius est Paulo subdidisse actionem *in id quod amplius ex lege Aquilia*

---

titionem manere ipsius servi nomine actionem servi corrupti, idque dicere voluisse Paulum, sed exceptione doli mali posita rerum subtractarum aestimationem omitti tantoque minoris condemnari (Levy).

1) L. 17 D. 11. 3, quam laudat ipse Faber.

2) *System* V § 233 (p. 223 not. *b*. Laudat frustra l. 2 § 26 D. 47. 8.

3) Actio servi corrupti ad sententiam Pauli est mixta: l. 14 § 5 D. 11. 3, quam negat interpolatam Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 33^3.

4) Non obstat Papin. l. 6 pr. D. 48. 5 (cf. Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 342/3), quia nec docet Papinianus post legis Aquiliae actionem integram superesse servi corrupti (cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 47) et potest eam habuisse pro poenali tantum. Haud magis obstat l. 2 § 10 D. 47. 8 (cf. Gai. IV § 8).

5) Post conventionem iudicio. Id enim est, quod dubitationem adfert.

6) *Dandam* reponit Krüger (ad ipsum locum).

7) L. 8 (cf. l. 7 § 4) D. 27. 6.

8) L. 15 D. 4. 2. Cf. Pernice, Lab. II (1878) p. 139^{152}.

9) L. 17 pr. D. 9. 4.

10) L. 7 § 6 D. 4. 3.

11) Lab. II 1 (1895) p. 210^1 (damnat *quamvis* rell.).

Digitized by Google

competit [1]) et decepisse Ioannem Merkel [2]). De Paulo dictum est, dictum de Sabino [3]). Ceterorum porro iurisconsultorum sententiae hae sunt. Eum, qui a socio poenam stipulatus *eam* ipsam *consecutus sit*, *postea pro socio agendo hoc minus acc(epturum) poena ei in sortem imputata*, est Ulpiani [4]) doctrina, quam Iuliano diversae sententiae, ut videtur, auctori subdiderunt nihilominus Compilatores [5]). Videtur quoque plerisque Pomponio [6]) ea mens esse, ut post condictionem residui damni detur actio; alioquin dicendum fore huic placere, condictio et legis Aquiliae actio ne contribuantur omnino [7]), quod ipsum ideo non sit credibile [8]), quod propterea scribat agi posse, *quia alterius aestimationis est legis Aquiliae actio, alterius condictio* [9]). Quos refutat eiusdem Pomponii ratio multiplicandae iniuriarum actionis: *quod sua cuiusque iniuria propriam aestimationem haberet* [10]). Ipsi quidem Ulpiano [11]), *(si) forte quis dixerit, agendo (quem) e lege Aquilia hoc minus consecuturum, qua(ntu)m ex causa commodati consecutus est*, sententia *videtur habere*

1) L. 34 pr. D. 44. 7.

2) *Konkurs* etc. p. 18/9. Fraudem aperuit in Rationalibus Faber (ad l. 9 D. 12. 3), deinde Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 341/4. Cf. Alibrandi, *del concorso* etc. § 67 (i. f.); Levy. *die Konkurrenz* II (1) p. 189.

3) Apud Paulum.

4) L. 42 D. 17. 2. Ibi quidem Tribonianum personare, opinio est Hugonis Krueger, *Beitr. zur* exc. doli I (1892) p. 205/8, et Petri Bonfante, *Istit.* (ed. 4) p. 129 (not.). Qui praeterea, ut nos supra (52, 273, 5) caudam decidit l. 41 eod.

5) L. 28 D. 19. 1. Addiderunt: *nisi in id quod pluris eius interfuerit id fieri*, quibus putat Lenel (in Palingenesia) notam Iuliani ad Urseium contineri. Verum viderunt Hugo Krueger, *Beitr. zur* exc. doli I (1892) p. 208; Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 273. Adsentiendum praeterea est Hugoni Krueger, *Grünhut's Ztschr.* XXIV (1897) p. 413/4, docenti pervenisse interpolationem ad priora: *si consecutus fuerit, quantum poenae nomine stipulatus esset.*

6) L. 2 § 3 D. 47. 1.

7) Ita sentit Helssig, *zur Konkurrenz* p. 59[150], et item Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 28, sed alio digressurus.

8) Cf. Merkel, *Konkurs* etc. p. 32/3 (= Savigny, *System* V § 231 (p. 207) not. *d*).

9) Restituere quidem haec Triboniano studet Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 364/5, qui non persuasit Ernesto, *die Konkurrenz* II (1) p. 29.

10) L. 18 § 2 D. 47. 10. Non hunc textum sed Ulpiani l. 5 § 1 D. 9. 2 refutandi causa adducit Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 29, ideo, quod Ulpiani putat esse vv. *quia alterius — alterius condictio*, non Pomponii (ibid. not. 3).

11) L. 7 § 1 D. 13. 6.

Digitized by Google

rationem. Quae scripsisse quidem potest Tribonianus, sed, quominus ipse dictaverit Ulpianus, certe non obstat, quod lege Aquilia superfluum damnum exigendum docet [1]), quum sit quodammodo [2]) certus auctor Paulus [3]), de hoc iure *dubitatu(m)*, vel, quod alibi [4]) superflui damni rationem Ulpianus in aliena sententia referenda non habet [5]) in ea praesertim specie, in qua propter noxae dedendi facultatem actiones quodammodo exaequatas se inveniant [6]). **14.** Atqui huc non refero [7]) eiusdem Ulpiani de condictione furtiva et pro socio actione responsum [8]): *(si) ex causa furtiva condixero, cessabit pro socio actio, nisi si pluris mea intersit* [9]), quia non potest pluris interesse, venit enim in ipsam furtivam condictionem quidquid mea interest [10]). Etsi prima quidem fronte obstare videntur verba [11]): *quamvis.... condictione hominem, poenam autem furti actione consecutus sit, tamen et quod interest debebit consequi actione servi corrupti* [12]), sed videntur haec potius interpolata esse [13]). Illic autem aut damnanda est clausula *nisi si pluris mea intersit* [14])

---

1) Hoc argumento pugnat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 58, et perspicue minus Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 386, fidenter minus Alibrandi, *del concorso* etc. § 56.

2) Quid enim plane certum in Pandectis, quod extrinsecus non confirmetur?

3) L. 34 § 2 D. 44. 7. 4) L. 27 § 11 D. 9. 2 (= Collat. XII 7 § 9).

5) Hoc argumento inprimis pugnat Alibrandi § 56 cit.

6) Cf. Jhering, *Jahrb. f. d. Dogm.* 24 (1886) p. 132 ima (ad l. 14 pr. D. 9. 4). Eius in mentem venit Josepho Finestres (Hermog. I p. 619, 44). Etsi negat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 72, ad mentem Proculi noxae deditionem in locati iudicio locum habituram. Quod si verum esset, denegavisset hic locati iudicium, ut Sabinus.

7) Referunt Savigny, *System* V § 233 (p. 225); Merkel, *Konkurs* etc. p. 18, 50/1, 91. 8) L. 47 pr. D. 17. 2.

9) Adnotat Merkel (p. 51): „*dies Interesse mochte in Beziehung auf die im* bonae fidei iudicium *zuzuerkennenden Verzugszinsen, vielleicht auch hinsichtlich des den Sachwerth nicht erhöhenden* lucrum cessans *begründet sein*". Cf. praeterea Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 993 lin. 1—11.

10) L. 3 D. 13. 1, quam laudat Eisele, *Ztschr. der Sav.-St.* XIII (1892) p. 151 ima.

11) L. 11 § 2 D. 11. 3. 12) Cf. Savigny, *System* V § 234 (p. 241) not. *q*; Merkel, *Konkurs* etc. p. 50, 58; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 54.

13) Cf. Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 173; Levy *die Konkurrenz* II (1) p. 34/5.

14) Damnat clausulam Eisele l.l. (*Ztschr. der Sav.-St.* XIII) et *Archiv* etc. 79 (1892) p. 393, et item Hugo Krüger, *Beitr. zur* exc. doli I (1892) p. 208[149], Levy denique, *die Konkurrenz* II (1) p. 111.

Digitized by Google

aut accipienda de pluribus speciebus, ut superesse intelligatur pro socio actio, si propter alias species mea intersit [1]). Possunt enim actiones generales *veluti pro socio* [2]), *negotiorum gestorum*, *tutelae* [3]) quoad speciem dumtaxat perimi [4]). Qua ratione post communi dividundo actionem supererit pro socio iudicium, *quoniam.... et nominum rationem habet* [5]). Pergitur ibi: *sed si postea pro socio agatur, hoc minus ex ea actione consequitur, qua(ntu)m ex prima actione consecutus est.* Quae aut restituenda sunt Triboniano [6]) aut hoc significant: easdem species non venire iterum [7]). Eiusdem est generis, quod post actionem in factum, in quam *damnum hoc solum.... deduc(atur)*, *quod dolo non etiam quod culpa factum sit*, de damno culpa dato *adhuc.... poterit lege Aquilia agi* [8]). Hoc non traditur de actione depositi [9]), potest utique statim ab initio cum depositario lege Aquilia ob damnum agi [10]), quo casu culpae rationem reddet [11]), licet dominus deposuerit [12]); idem fiet, si in rem

1) Eo rem deducit Alibrandi, *del concorso* etc. § 33.

2) Pro socio iudicium generale esse negat H. Peters, *Ztschr. der Sav.-St.* 32 (1911) p. 285, qui de his actionibus spissum composuit tractatum (ibid. p. 179—307). Qua de re cf. l. 65 § 15 D. 17. 2. Ergo vetat Iustinianus c. 1 § 1*d* C. 7. 40 de singulis causis actionis pro socio post tricennium intendi actionem. Alioquin supervacanea foret constitutio. Etsi aliter se expediunt Cuiacius (Paris IX 1091 B/C); Savigny (*System* V p. 279); Unterholzner (*Verjährungslehre* I (1828) p. 66).

3) L. 38 pr. D. 17. 2. Cf. l. 37 pr. D. 26. 7.

4) L. 1 § 21 D. 27. 3 (retentis, quae delent Boufante, *Istituzioni* (4 ed.) p. 129 (not.); Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 147/50: *quod ad speciem istam*). Eius rei rationem non habuit Ascoli, *Studi e docum.* XI (1890) p. 142/3; *Bull. dell' istit. di dir. rom.* IV (1891) p. 299 ima. 5) L. 43 D. 17. 2.

6) Restituit quodammodo Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 393, et item Levy, *die Konk.* II (1) p. 141/2.

7) Keller, *Litiscontestation* p. 242[3]; Krüger, *Consumption* p. 104[17]; Merkel, *Konkurs* etc. p. 56; Martens, *Ueber Concurrenz* p. 42; Lewinsohn, *Beitr. zur Aktionenkonkurrenz*, Diss. Heidelb. 1910 p. 67. Ergo nihil obstat l. 38 § 1 eod., ubi fingitur nulla superesse species.

8) L. 13 pr. D. 40. 12 (Merkel, *Konkurs* etc. p. 77; Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 224).

9) Bona occasio erat l. 18 § 1 D. 13. 6.

10) L. 42 D. 9. 2; l. 18 § 1 D. 13. 6.

11) Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 230 (ia. p. 189): „*diese Koexistenz entsprach dem römischen.... Recht*".

12) Quodsi alius deposuerit, nulla causa, quidni dominus ius suum persequatur.

Digitized by Google

agatur, quod valde iniustum videtur Sibero [1]) non sine causa. Sed non propterea iuris Romani historia reformanda est. **15.** Sequitur, quibus modis mutua peremptio exsecutioni mandetur [2]) in iure iudiciove. Et quidem, ubi lite consumitur, aut non superest actio [3]) aut obicitur denuo agenti *exceptio* [4]) rei iudicatae [5]) vel in iudicium deductae [6]), *si ambigitur*. Quodsi nihil ambigitur, actionem praetor denegat [7]). Sin perceptione consumitur, *vel officio iudicis vel doli exceptione* [8]) elidetur actio [9]).

---

1) Op. cit. p. 212/3, 218/9.

2) Savigny, *System* V § 236 (p. 259—263): „*durch welche Rechtsformen*"; Merkel, *Konkurs* etc. § 3: „*prozessualische Vermittelung*". Ulterius quaerit Helssig, *zur Lehre von der Konkurrenz* (1887) p. 28—37, quo temporis ordine singulae exsecutiones introductae sint.

3) L. 42 § 1 D. 47. 2.

4) L. 6 § 4 D. 4. 9. Cf. l. 51 § 4 D. 21. 2. Quando sit obicienda exceptio, non traditur. Credunt Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 358; Karlowa, *Rechtsgesch.* II p. 988 lin. 20—24; Segrè, *Studi per Fadda* VI (1906) p. 371/3; Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 75/6; Biondi, Iudicia bonae fidei I (1920) p. 39, quum actio instituta consumpta sit ipso iure, etiam alteram actionem ipso iure perisse. Sed verius est, quum posterior actio in factum concepta sit, obiciendam semper exceptionem (Thon, *Ztschr. für Rechtsgesch.* III (1863) p. 242, 259 sqq.), licet prior actio ipso iure sublata sit (cf. Krüger, *Consumption* etc. p. 27, p. 37), quia factum, quod quaeritur, *rerum manet* (Gai. IV § 126).

5) L. 3, l. 7 § 4, § 5, l. 25 § 1 D. 44. 2; l. 3 D. 47. 8.

6) Datur interdum ante iudicium exceptio, si quis *paratus sit defendere* (l. 24 (i. f.), l. 25 D. 9. 4). Quod exemplo Cuiacii (Obs. XXII c. 29 i. f.) et Rudolphi Schlesinger, *Ztschr. f. Rechtsgesch.* VIII (1869) p. 211[15], perperam transfert Levy, *die Konkurrenz* I (1918) p. 325/6, ad l. 39 § 2 D. 9. 4.

7) Cf. l. 9 pr. D. 12. 2. — Actionis denegationem nihil esse aliud quam praetoriam absolutionem, demonstare conatus sum cap. harum observ. LXXXIV. Ex diverso putat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 11, esse quandam iurisdictionis denegationem (*Justizverweigerung*), quo nihil absurdius dixit umquam.

8) L. 3 § 5 D. 4. 9; cf. l. 11 D. 9. 4. Sunt quidem l. 3 § 5 cit. ipsa verba *vel officio iudicis vel doli exceptione* interpolata, quia (dissentiat licet Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 88) conservantibus *forti* (quorum non est Beseler, *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 366) utraque actio stricti iuris est, nec minus l. 11 cit., quidquid excedit *summovebitur*.

9) Ex diverso docet Levy, *die Konkurrenz* I (1918) § 10 (p. 121/2): ubi neque iudicio consumatur neque solutione, ibi consumi officio iudicis vel ius dicentis, quam appellat „*praetorische oder judiziale Konsumption*". Quod perinde est, acsi quis referret inter adquirendi genera rei venditae et traditae, obligandi pigneratitiam, solvendi pacti exceptionem. Cuius erroris quoddam quasi semen posuit Lewinsohn, *Beitr. zur Aktionenkonkurrenz*, Diss. Heidelb. 1910 p. 85 (*Ergebnisse*. 2) iis. p. 65/6, 83/5. Plane, quia diserte negat Levy, *die Konkur-*

Digitized by Google

Nam, si vel bonae fidei est [1]) vel arbitraria [2]) vel in bonum et aequum concepta [3]), *ipso iure* [4]), id est, nullo praetoris interventu [5]) actio *extinguitur* [6]); sin stricti iuris est [7]), *manebit* [8]), nisi praetor succurrat actionem denegando [9]) aut, si ambigitur,

---

renz II (1) p. 9/10 in illa sua „*praetorische oder judiziale Konsumption*" rationem haberi solutionis, sed tantummodo litis contestationis, apparet neque novum genus esse neque, quo putat ipse (op. cit. II (1) p. 1), ad bonum et aequum quidquam pertinere, quippe cui nihil magis est contrarium quam consumptio lite (l. 32 pr. D. 15. 1).

1) Velut empti (l. 28 D. 19. 1) vel rei uxoriae (l. 1 § 12 D. 33. 4) vel commodati (l. 72 (71) pr. D. 47. 2), quum bonae fidei est (Biondi, Iud. bon. fid. I (1920) p. 8/9). Etsi negat Segrè, *Studi per Fadda* VI p. 381/2, posse l. 72 (71) pr. cit. huc pertinere propterea, quod commodati actio non utique sit bonae fidei. Concedit enim (p. 334/9) formulam in ius conceptam habuisse verba *ex fide bona*. Quod fortiter denegat Levy, *Ztschr. der Sav.-St.* 36 (1915) p. 1—6, sed putat propterea minus referre, quod iudex plenam potestatem nanciscatur verbis *eumque (rem) reddi tum non esse* (p. 75/6), quasi infuerint ea formulae in ius conceptae.

2) Velut rei vindicatio (l. 9 § 1 D. 47. 2; l. 86 § 1 D. 30). De arbitrariis actionibus plenius dicetur post paulo.

3) Velut iniuriarum (l. 34 pr. D. 44. 7).

4) L. 28 cit. (D. 19. 1); l. 86 § 1 cit. (D. 30), quum verum non sit, quod contendit Levy (*die Konkurrenz* II (1) p. 138 ima): in proposita specie (l. 86 § 1 D. 30; l. 66 § 5 D. 31) vindicationem non nasci. Nascitur enim, antequam codicilli aperiantur.

5) Savigny, *System* V § 236 (p. 261) post notam *d*; Birkmeyer, *Exceptionen* (1874) p. 248; Merkel, *Konkurs* etc. (1877) p. 19; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 369; Levy, *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 107/8; Beseler, *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 369.

6) L. 72 (71) pr. D. 47. 2.

7) Velut furti (l. 72 (71) pr. D. 47. 2) vel legis Aquiliae (l. 34 pr. D. 44. 7; l. 43 D. 19. 2) vel condictio furtiva (l. 9 § 1 D. 47. 2) vel ex stipulatu actio (l. 28 D. 19. 1).

8) L. 9 § 1 cit. (D. 47. 2). Manebit autem non effectu sed iure, quod fefellit Fabrum Antonium, Coniect. XVI 12 § 12 sq. (ad hanc ipsam legem); Fridolinum, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 438 (ad l. 3 pr. D. 11. 6), p. 455 (ad l. 7 § 4, l. 8 D. 27. 6): „*wenn der eine bezahlt, warum dann nicht* alter liberabitur? *Warum ist von* denegatio actionis *die Rede*?" Recte rem exponit Savigny, *System* V § 236 (p. 260/1), ex diverso docet Merkel, *Konkurs* etc. p. 100/1: quum unum corpus vertatur („*bei physischer Identität*"), ne stricti iuris quidem mansuram. Quo eodem vel simili axiomate niti videtur opinio Rudolphi Helssig, *z. Lehre von der Klagenkonkurrenz* (1887) p. 29[74] (ad l. 28 D. 19. 1).

9) L. 3 pr. D. 11. 6 (eiciunt Ascoli, Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 438: *si satisfecit*); l. 3 pr. D. 47. 6; l. 1 D. 47. 8. Cf. l. 6 pr. D. 48. 5 (Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 342/3); l. 8 D. 27. 6; l. 12 § 2 D. 23. 4. — Actionis denegationem nihil esse aliud quam praetoriam absolutionem, demonstrare

Digitized by Google

exceptione [1]) vel doli [2]) vel ad exemplum doli, id est, non propter rem iudicatam vel in iudicium deductam [3]) in factum [4]) data [5]). Est sane etiam in bonae fidei iudiciis [6]) exceptio *tuti(or)* [7]) litiganti [8]), proinde consilium, ut quis utatur, respondenti *tutius* [9]), etsi res mira videtur mox solidam actio-

---

conatus sum cap. harum observat. LXXXIV. Ex diverso putat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 11, esse quandam iurisdictionis denegationem („*Justizverweigerung*"), quo nihil absurdius dixit umquam.

1) L. 72 (71) pr. D. 47. 2; l. 84 § 2 D. 30; l. 29 D. 23. 3. Ad l. 26 pr. D. 9. 4 dictum est supra (p. 33).

2) L. 3 § 5 D. 4. 9; l. 28 D. 19. 1; l. 84 § 6 D. 30 (recte delet Kann, *Klagenmehrheit* (1901) p. 32: *conuenire enim — contenti sint*). Cf. Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 88/9 (ad l. 3 § 5 cit.); p. 103/4 (ad l. 72 (71) pr. D. 47. 2); p. 113 (ad l. 14 § 2 D. 13. 1); p. 120 (ad l. 4 § 7 D. 44. 4); p. 128 (ad l. 28 D. 19. 1); p. 137 (ad l. 84 § 2 D. 30); p. 155 (ad l. 5 § 1 D. 3. 6); p. 160/1 (ad l. 14 § 13. D. 4. 2); p. 180 (ad l. 47 D. 9. 2).

3) Nil *dolo facit*, qui contra ius strictum nititur. Proinde, etiamsi genuina sit l. 2 § 5 D. 44. 4, quod in disceptationem venire coepit (Haymann, *Ztschr. der Sav.-St.* 38 (1917) p. 220[1]; Biondi, Iud. bon. fid. I (1920) p. 44/6) tamen rei iudicatae vel in iudicium deductae exceptionem neque, sicuti ceteras in factum exceptiones, exceptione doli contineri neque inesse putem bonae fidei iudiciis, quod defendit Biondi, Iud. bon. fid. I p. 38/9, testimoniis, ut recte notat Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 151[4], ad alterum concurrendi genus pertinentibus vel ne hoc quidem (Gai. IV § 131*a*).

4) L. 14 § 13 D. 4. 2 (Merkel, *Konkurs* etc. p. 18 circa notam 6); l. 20 pr. (i. f.) D. 11. 1 (cf. Steph. sch. 1 (i. f.) ad Bas. 42. 4. 40), modo illic (*exceptione in factum opposita*), hic (*nisi quasi defensor* rell.) praeter duo verba *vel heredis* (Paling. Paul. 1283) clausula genuina sit.

5) Concedit Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 158/9, exceptionem *in factum* huius fragmenti esse genuinam et (p. 159/60) vicem non sustinere exceptionis rei indicatae vel in iudicium deductae, sed (p. 160/1) ne doli quidem exceptionis. Ex diverso Guarneri, *Bull. dell' istit. di dir. rom.* XXXII (1922) p. 264[2], cum clausula (*exceptione in factum opposita*) ipsam damnat exceptionem atque praeterea, ne sic agendo nihil egerit, ex l. 34 § 1 D. 44. 7 vv. *aut ipso iure aut per exceptionem*, quorum hactenus quieta fuit possessio.

6) Ita interpretatur Savigny, *System* V § 236 (p. 262) not. *f*. Ad condictionem porrigendam cautionem putat Merkel, *Konkurs* etc. p. 20, et miratur; ad solam condictionem pertinere censet Helssig, *z. Lehre von der Konkurrenz* p. 34[88], cui praeivit Huschke, *Ztschr. für Civilr. u. Prozess* 1846 p. 199.

7) L. 34 § 1 D. 44. 7.

8) Ita interpretatur Martens, *Ueber Concurrenz* etc. p. 55, et item Thon, *Ztschr. für Rechtsgesch.* II (1863) p. 251 ima. Eodem redit prior utique sententia Fridolini, *materielle Grundlage* (1871) p. 39[9], quam hactenus non cancellat, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 358/9.

9) Ita Merkel, *Konkurs* etc. p. 20 (interesse putat).

Digitized by Google

nem, nedum exceptionem, ex hac causa daturo [1]) Cuiacio [2]), atque praeterea Hilario [3]), Segraeo [4]), Ernesto [5]), Gerhardo [6]), quin potius insitiva, — non item Sibero [7]) et mihi [8]). Eadem causa est eorum, in quibus *arbitrium* [9]) *absolutionem adfert* [10]), quocirca adversus hereditatis petitionem quae *(non) desideratur* [11]), tamen *proficí(e)t nobis doli exceptio* [12]). Quod porrigendum videtur ad ceteras actiones arbitrarias [13]), quocirca metus

1) Paris. VII 753 C (ad l. 50 D. 18. 1).

2) Paris. VII 392 A: *si id non est insitivum,.... argumento huius loci.... dicam tutius esse compensationem inducere per exceptionem; immo et, cum negotium aliquod ipso iure nullum est, tutius esse id rescindere petita actione restitutoria, quo more.... utimur.* Inversa oratio, quam Graeci εἰρωνείαν vocant, fefellit Carolum Birkmeyer, *Exceptionen* (1874) p. 252[29], qui ipsum nodum perspexit (ante notam 28): „exceptio *(kann) nicht zulässig werden,.... nachdem.... die* actio *annullirt (ist)*", eumque solvere nititur (p. 248—252).

3) *Del concorso* etc. § 31. 4) *Studi per Fadda* VI p. 375/7.

5) *Die Konkurrenz* II (1) p. 104/5.

6) *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 370. Cf. denique Audibert, *Nouv. rev. histor.* 28 (1904) p. 296[2], qui hunc locum (l. 34 § 1 D. 44. 7) omittit.

7) *Die Passivlegitimation* (1907) p. 51[2]. Rem quidem stricte concludit: *„offerabar nur in sehr zweifelhaften Fällen"*.

8) Ergo me iudice nec denegabitur et tenebit *exceptio superfluae* (Gai. IV § 107). Quam in rem non utar testimonio Libanii, *ὑπόθ.* 39 (32) § 7 (4), quo remittit Cuiacius Paris. IV (Q) 675 C/D. Nam est propria causa praescriptionis fori.

9) I. e., quam hodie appellant clausulam arbitrariam: *nisi arbitratu tuo ea res restituetur* (vel *exhibebitur*). Quamquam *arbitratu tuo* cancellat Levy, *Ztschr. der Sav.-St.* 36 (1915) p. 9, cui quodammodo testimonium dicit Cicero, Accus. IV 12 § 31 (*neque is fundus Q. Catulo restituetur*), sed molesta est, etsi dissimulat (p. 40), Ulpiani l. 73 D. 50. 16.

10) L. 14 § 5 D. 4. 2. Damnant haec scilicet Biondi, *Studi sulle* actiones arbitrariae I (1913) p. 53; Schulz, *Ztschr.* cit. 43 (1922) p. 250, sed de re constat (Gai. IV § 114 = Theoph. Paraphr. IV 193).

11) L. 38, l. 58 D. 5. 3. Est quidem l. 38 cit. quodammodo suspecta, sed l. 58 cit. qui quaerit illidere dentem, offendet solido, ut Betti, *Sulla opposizione dell'* exceptio (1913) p. 19[1]. Accedit l. 50 § 1 D. 5. 3, quia *ratione doli exceptio(is)* aliud significant nihil nisi: ad exemplum doli exceptionis (l. 67 § 3, l. 69 § 3 D. 31), quamobrem hunc testem non tam frustra laudat quam contra se Biondi, Iud. bon. fid. I (1920) p. 248/9.

12) L. 39 § 1 D. 5. 3. Ergo ad propositam quaestionem non multum refert, utrum sinas detrahas l. 34 § 1 D. 44. 7 clausulam *quod est tutius*.

13) Porrigunt Martens, op. cit. p. 56; Merkel, op cit. p. 17; Birkmeyer, op. cit. p. 253 not. 29 i. f. (omnes ad l. 14 § 13 D. 4. 2). De rei vindicatione strenue negant Riccobono, *Archivio giur.* 58 (1897) p. 91; Levy, *Ztschr.* cit. 36 (1915) p. 58[1], posse arbitrium absolutionem adferre. Fateor equidem l. 28 (ia. l. 30) D. 6. 1 *officio iudicis* interpolatum esse (esse vidit Pernice, Lab. II 1

Digitized by Google

causa et doli actiones quamvis sint arbitrariae proinde doli exceptio supervacanea, tamen l. 14 § 13 D. 4. 2 intelligi non est necesse, quam iubent Krüger [1]), Alibrandi [2]), Eisele [3]), Puchta [4]), Wetzell [5]), Hugo Krueger [6]): ad exemplum rei iudicatae vel in iudicium deductae vel ipsam rei iudicatae vel in iudicium deductae exceptionem. Plane adversus bonae fidei iudicium in exceptione doli mali nullum est praesidium: ergo necessario danda erit in factum [7]). Quod de arbitrario iudicio metus causa vel doli mali dici non potest, attamen ibi quoque porrigi videmus [8]) in factum exceptionem pro doli mali exceptione. Debet utique, testimonium sit modo genuinum, si formula arbitraria agetur, actori permitti, ut restituat, quod ex priore actione consecutus sit, ne perdat arbitrii commodum [9]), quod consistit iureiurando in litem [10]). Potest autem — pace dixerim Gerhardi [11]) — praetor vel iudex bonae fidei iudicii [12])

(1895) p. 236 infra lineam) nec minus l. 48 eod. aut *exceptione doli posita* aut *per officium iudicis* (Betti, *Sulla opposizione dell' exceptio* (1913) p. 19 not. 1). Damno quoque l. 11 D. 9. 4 clausulam *vel officio iudicis consequetur ut indemnis maneat* (Seckel, *Handlexicon* (1907) p. 183 II). Sed restant alia veluti l. 86 § 1 D. 30, qua demonstratur arbitrium absolutionem adferre, quum non sit (l. 85 eod.) opposita exceptio, inprimis autem Gai. IV § 114 (= Theoph. IV 193). Facit denique fiduciam ipse Levy, cui stat sententia (*die Konkurrenz* II (1) p. 173, 174) in toto hoc concurrendi genere („*nach Konkurrenzrecht*") adeo arbitrium adferre absolutionem, ut (p. 89, p. 161) ne locus quidem sit exceptioni.

1) *Consumption* p. 102/3. 2) *Del concorso* etc. § 31.

3) *Abhandl.* (1889) p. 52; *Archiv* etc. 79 (1892) p. 359.

4) *Institutionen* § 172 not. *f.* 5) *System* (1861) § 14[40].

6) *Beitr. zur* exc. doli I (1892) p. 21/3.

7) Birkmeyer, *Exceptionen* (1874) p. 139[18]. Sic tollitur argumentum Segraei, *Studi per Fadda* VI p. 384; Rudolphi Helssig, *zur Konkurrenz* p. 34[88].

8) L. 14 § 13 cit. (D. 4. 2). Aenigma ex parte solvit Beseler, *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 366. Num recte, dubito.

9) L. 9 § 1 D. 47. 2. *Stultum* hoc videtur Antonio Fabro (Coniect. XVI 12 § 14), proinde Triboniano restituendum. Aliis rationibus id efficere cupit Siber, *die Passivlegitimation* p. 143. Ex diverso nihil incorruptius videtur Ernesto, *Ztschr. der Sav.-St.* 42 (1921) p. 489; *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 93/4. Rursus Fabri totus est Beseler, *Ztschr.* cit. 44 (1924) p. 371.

10) Ex diverso consistere putat Helssig, op. cit. p. 33[82], corporali possessionis translatione, cui Pomponii temporibus nondum erat locus.

11) *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 365: „*diese Lösung ist unklassisch*".

12) Ad sola arbitraria pertinere putat H. Peters, *Ztschr.* cit. 32 (1911) p. 292/7, interpolationibus utique remotis (veluti l. 25 § 5 D. 19. 2: *qui ex locato iudicat*). It obviam Levy, *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 38.

Digitized by Google

non tantum, quum *postea* iudicat [1]), sed etiam, quum prior venit, vim officii exercere cogendo actorem metu denegationis vel absolutionis *ceteras actiones* iam nunc *(re)mittat* [2]), sive adversus unum reum competunt [3]) sive adversus plures [4]). Quodsi competant pluribus [5]), succedet cautio *defens(um) iri* [6]), quae tamen est supervacanea, quum uni solvendo alteri satisfit, veluti, quum marito solvitur dos, quae debeatur ipsi ex dictione, mulieri ex legati causa, vel ex legati causa utrique [7]). *Mulier* enim *post eum agens exceptione repelletur* [8]) non, quod in utraque actione idem est, sed, quia petit quod habet [9]).

1) L. 41 § 1 D. 44. 7.

2) L. 25 § 5 D. 19. 2. Recte observat Martens, *Ueber Concurrenz* etc. p. 61, hoc modo meliorem fieri eius causam, quocum agatur, quia statim liberatur, antequam solvat, actoris praeterea deteriorem perdituri, quanto plus sit in reliqua actione (l. 7 § 1 D. 13. 6).

3) L. 36 § 2 D. 5. 3; l. 13 D. 6. 1; l. 7 § 1 D. 13. 6; l. 25 § 5 D. 19. 2; l. 3 D. 44. 4; l. 9 pr. D. 46. 2 (quod tractavimus cap. XLIII); l. 9 § 1 D. 47. 2; cf. l. 10 § 1 D. 2. 14; l. 12 § 2 D. 23. 4. Fit similiter ex edicto de alterutro: c. 7 pr. (i. f.) C. Th. 4. 4 (Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 149). — Restituit quidem l. 7 § 1 cit. (D. 13. 6) a copula *nam et si* Triboniano Fridolinus, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 386 (cf. Beseler, *Ztschr.* cit. 44 (1924) p. 368); l, 9 § 1 cit. (D. 47. 2) post *manebit* omnia Faber, Coniect. XVI 12 § 14 (cf. Beseler, l. l. p. 371); exigitur praeterea l. 36 § 2 cit. (D. 5. 3) ex abundanti cautio *se non acturum*, quia competitura est exceptio rei iudicatae vel in iudicium deductae (l. 3, l. 7 § 4, § 5 D. 44. 2), quocirca docet (non recte) Helssig, *zur Konkurrenz* p. 11[26], in proposita specie remissionem eius exceptionis vicem sustinere.

4) L. 14 § 1 D. 46. 7 (verba *quia omissa — defendere* suspecta sunt mihi). Ad l. 4 eod. cf. Gai. IV § 114.

5) Sua causa est l. 14 pr. D. 9. 4 (Jhering, *Jahrb. f. d. Dogm.* 24 (1886) p. 132/3). Cf. l. 20 D. 9. 4; l. 2 § 3 (i. f.) D. 47. 1; Pernice, *Sachbesch.* (1867) p. 143[17]; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 374.

6) L. 11 § 21 D. 32 (Cuiac. Observ. XIV 26); l. 1 § 9, § 10 D. 33. 4; l. 29 D. 23. 3; l. 4 (ia. l. 3 § 5) D. 34. 3; Helssig, *zur Konkurrenz* p. 67[164]. Semel (l. 71 § 3 D. 35. 1; Jhering, *Jahrb.* cit. 24 (1886) p. 159/60) fit cautio „mulieri pecuniam reddi", ut mihi quidem videtur ex interpolatione, sed secundum Cuiacium accedit (Paris. IV (Q) 480 B: *hoc casu.... cir.... [heredi] potius cavere debet mulieri pecuniam reddi,..... cum, si stipularetur heres, inutilis esset stipulatio quasi alteri facta.... Proinde isto casu heredi.... caretur de indemnitate [mulieris], mulieri autem de implendo modo legato iniecto*).

7) Utramque speciem docte exposuit Jhering, *Jahrb.* cit. 24 (1886) p. 148—164. Cf. Binder, *Korrealobligationen* p. 462/9.

8) L. 29 D. 23. 3.

9) Quorsum igitur *exceptione* opus est? Non placet responsio Rudolphi Jhering (*Jahrb.* cit. XXIV p. 150) aut Julio Binder (*Korrealoblig.* p. 466 ante notam 61) aut mihi. Sed fit similiter l. 31 pr. D. 5. 3 (Windsch. (1891) § 343*a* not. 2).

Digitized by Google

Tantundem, si pecuniam *dotis fieri (no)lit* [1]). Cui simile est, quod post diem legati cedentem manumissi, cui legatum erat, *(patrono) vindicante optio extinguitur* [2]). In hereditatis quidem petitione, quia liberum est singulas actiones vel includere vel excludere, etiamsi quis exigat [3]) a petitore cautionem *se non acturum lege Aquilia*, vel sic tamen non caventi nec denegabitur de universitate actio nec adversarius non condemnabitur, sed *omissa* nunc *eius rei aestimatione* post erit integra damni actio [4]), quod translatum videmus ad rei vindicationem [5]), proinde in hoc utroque iudicio impune non remittitur [6]); erit autem vel sic consultum reo, quia minuetur aestimatio. In reliquis causis aut remissione actionis aut doli mali exceptione [7]) consequetur reus, *ut altera* utra *actione* actor *contentus esse debeat* [8]). Quid, si actiones sunt eiusmodi, ut interse minuant, non vero consumant? Modo sit bonae fidei iudicium, quod *postea* redditur, deducet iudex, quantum ex priore actione solutum sit [9]). Alioquin, si posterius iudicium strictum est,

---

1) L. 71 § 3 D. 35. 1. 2) L. 10 D. 33. 5.

3) Nam possunt non genuina esse verba *ut caveat se non acturum lege Aquilia.*

4) L. 36 § 2 D. 5. 3. 5) L. 13, l. 14 D. 6. 1.

6) Merkel, *Konkurs* etc. p. 26: *„da unterblieb mangels Verzichtes einfach die Einrechnung*; ibid. p. 80.

7) Video, cur l. 3 § 5 D. 4. 9 de solo remitti iubentis officio interpretentur Helssig, op. cit. not. 183 (p. 74); Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 383; Levy denique, *die Konkurrenz* II (1) p. 89. Minus intelligo, cur l. 43 D. 19. 2, cui tunc nondum caudam (*idque officio iudicis continetur, apud quem ex locato agetur*) Beseler (*Ztschr. der Sav.*-St. 44 (1924) p. 369) deciderat, eodem modo interpretetur Merkel, *Konkurs* etc. p. 24. Multo plus peccat Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 270/1: *„das* (= das einzige) *Mittel, die zweite Klage.... auszuschliessen ist die* remissio actionis".

8) L. 50 D. 17. 2 (Paling. Paul. 1736). Cf. Alibrandi, *del concorso* etc. § 70; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 377, Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 271[4]; Levy, *die Konkurrenz* II 1 (1922) p. 50; Beseler, *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 369. — Restat, ubi iubeatur *alterutra actione contentus esse* actor l. 18 D. 9. 2.

9) L. 1 § 12 D. 33. 4 (Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 272); l. 42 D. 17. 2. Faciunt mecum Alibrandi, *del concorso* etc. § 58; Helssig, *zur Lehre von der Konkurrenz* p. 29[74]; Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 394[16] (sed laudat hic uterque l. 43 D. 17. 2; l. 28 D. 19. 1, Alibrandi (§ 32, § 33, quo remittit) quum l. 43 cit. tum alia ad rem non pertinentia). Renuunt Merkel, *Konkurs* etc. p. 19—22 (p. 21: *„auch* l. 41 § 1 D. 44 7 *macht (jene) Annahme.... nicht unumgänglich*"); Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 272/5 (nisi hic excipit rei uxoriae actionem propter l. 1 § 12 cit.).

Digitized by Google

non potest exceptio efficere, *ut iudex in posteriore (actione) deducat id, quod ex prima (quis) consecutus sit, et reliquo condemnet*, quia, nisi compensandae sint invicem ex rescripto divi Marci, de quo fuit observatiuncula XXIX, petitiones mutuae, damnationem minuere posse non videtur exceptio [1]). Non mutat, quod scribit Iulianus [2]): *(si) priore iudicio*, quo quis scilicet egisset quasi de servo vulnerato, *aestimatione facta, postea mortuo* [3]) *servo de occiso agere dominus instituerit, exceptione doli mali opposita compelletur, ut ex utroque iudicio nihil amplius consequatur, quam consequi deberet, si initio de homine occiso egisset.* Apparet enim, hinc recisa esse ea, quibus significabatur, quid dominus facere *compellatur* in eum finem, ut ex utroque iudicio nihil consequatur amplius, quam consequeretur, si initio de homine occiso egisset. Videtur autem Ioanni Merkel [4]) dominus compellendus, ut minus intendat, quod esset cogitabile, si certae pecuniae esset legis Aquiliae actio [5]). Quod quia aliter habet, ad hoc omnino compellendus est actor, ut restituat aestimationem, quam priore iudicio exegerit [6]), sicuti fieri videmus [7]), ubi post condictionem furtivam res vindicatur. Potest igitur etiam stricto iudicio *exceptione doli mali opposita* deminutionis ratio haberi vel sic, ut iubeat iudex actorem restituere accepta [8]), vel sic, ut permittat reo tanto

---

1) Vidit hoc ad propositam materiem pertinere Merkel, *Konkurs* etc. § 3. — Quidni obstet sententiae l. 22 pr. D. 44. 1, diximus cap. XXIX.

2) L. 47 D. 9. 2. 3) L. 46 eod.: *ex eo vulnere.*

4) *Konkurs* etc. p. 16. — Eodem modo errat Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 393/4, circa vi bonorum raptorum actionem (cf. Lenel, *das* edictum p. (318) 381). Cf. denique Pernice, Lab. II 2 (1900) p. 60[3]: „*25 As .... lassen sich leicht abziehen*". Addendum erat: si certa petetur pecunia (Alibrandi, *del concorso* etc. § 58).

5) Cf. l. 27 § 5 D. 2. 14, qua de dictum cap. XXIX.

6) Ita sentit Dernburg, *Compensation* (1868) p. 181 not. 1 (i. f.). Sed putat Levy (*die Konkurrenz* II (1) p. 116) hoc esse nimium („*zu weitgehend*"; Alibrandi, *del concorso* etc. § 60 (i. f.): „*non .... conveniente per l'attore*"), proinde (p. 181 not. 4) semper reo permittendum minus solvere, ut l. 14 § 2 D. 13. 1.

7) L. 9 § 1 D. 47. 2 (modo testimonium genuinum sit).

8) L. 47 cit. (D. 9. 2). Cf. l. 2 § 7 D. 44. 4 (ubi pro *deduxerit* reponenti *restituerit* non contradixerim, quia duplae stipulatio plerumque incerta est (Gradenwitz, *Einführung* etc. I p. 66, etsi contrarium docet Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 299: „*der Kläger verlangt .... einen bestimmten Geldbetrag*").

Digitized by Google

minus offerre [1]), absoluturus scilicet, nisi vel in priore specie actor restituat, vel posteriore, si reus offerat [2]). Quodnisi iudex existimandus est per exceptionem doli mali talem potestatem nactus esse, poterit tamen praetor sub eadem lege vel denegare vel dare ipsam doli mali exceptionem [3]). Ergo restituenda non idcirco est Triboniano l. 41 § 1 D. 44. 7, quod non possit iudex stricti iudicii deminutionis rationem habere, quocirca debeat actor minus intendere [4]). Potest plane condemnationem minuere praetor, sive post simpli vel dupli actionem quadrupli agendum est ita, *ut non exced(atur) quadruplum* [5]), accommodando, quum idem sit, quod multiplicabitur [6]), tripli vel dupli actionem [7]) — etsi hic quoque doli sufficit exceptio [8]), *(ut) id quod amplius in* posteriore actione *est* actor *consequatur* [9]) — sive omnibus actionibus genere deductionis vel taxationis. Taxationis exempla supersunt apud Paulum, quae pro parte latuerunt. Docet hic, sive plures metum adhibuerint nec quisquam restituat, si ab uno quadruplum non totum exactum sit, *da(ndam) adversus ceteros actio(nem), quod minus ab illo*

1) L. 14 § 2 D. 13. 1.

2) Totum hoc ius egregie exposuit Dernburg, *Compensation* (1868) p. 180—184. Etsi renuit Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 305 (ad l. 15 D. 44. 4) hoc argumento, quod iudicis interlocutioni („*Zwischenbescheid*") locus non sit praeterquam in iudiciis arbitrariis (ibid. p. 288 (ante notam 3); II 2 (1900) p. 89 not. 2 i. f.). Sed, quia in ceteris, etiam strictis post oppositam doli mali exceptionem, iudiciis permittit iudici, ut iussionem („*Ansinnen*") interponat (II 1 (1895) p. 287/8), quod ab interlocutione nihil distat (II 2 (1900) p. 21 not. 2), apparet de vocabulis contentionem esse.

3) Vidit hoc Alibrandi, *del concorso* etc. § 60 (in. § 58).

4) Ita ratiocinatur Eisele, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 388 (VII).

5) L. 89 (88) D. 47. 2.

6) Hoc prudenter verbis Alfredi Pernice excipit Kann, *Klagenmehrheit* (1901) p. 55 not. 68, sed imprudenter negat in furti actione et vi bonorum raptorum idem multiplicari neglecto l. 50 pr. D. 47. 2.

7) Fieri posse non demonstrat Ulpianus l. 5 § 1 D. 3. 6, quia ipsa verba *(an vero in triplum danda sit)* interpolata esse concedendum est Ernesto, *die Konkurrenz* II (1) p. 152. Restat l. 17 D. 11. 3, ubi servi corrupti actio, quae alioquin dupli est, *favore nuptiarum* datur *in simplum*.

8) Eo fere redit disputatio Ernesti, *die Konkurrenz* II (1) p. 200/1.

9) L. 1 D. 47. 8. Ergo potest recte habere interpretatio Fridolini, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 393: „*dies besagt,.... dass der Kläger die* actio.... *auf das Vierfache anstellt, aber nur das* amplius.... *erreicht*" (non recte addit: „*d. h. zugesprochen erhält*").

Digitized by Google

exactum sit [1]), sive plures, quum tutores non essent, auctoritatem interposuerint, et ab uno *non totum servatum sit*, *in reliquos non denegandam in id quod deest*, itaque censuisse refert Sabinum [2]). Est simile, quod post noxae deditionem doli mali actionem Ulpianus [3]) *in id quod excedit* denegat, non ut absurdam, sed ut propositae speciei minus accommodatam. Deductionis denique in mentem venit Trebatio [4]), de arboribus succisis post legem Aquiliam vel post actionem de succisis legis Aquiliae actionem *ita* censenti *dandam*, *ut iudex in posteriore deducat id quod ex prima* actor [5]) *consecutus sit et reliquo condemnet*. Etsi videtur testimonium suspectum Fridolino [6]) propterea, credo, quod in hac iuris parte formula cum deductione alibi nusquam compareat [7]). Itaque latuit eum vicinum genus, quod manifestavit Solazzi [8]): emptorem servi cum venditore ex ante gesto de peculio agere posse, *dandam* tamen *esse* ei *actionem deducto eo*, *quod apud* ipsum *peculii servus habebit* [9]). Quocirca potuit Trebatius quoque in specie proposita de formula cum deductione cogitare. **16.** Novissime videndum, possitne, actiones ne consumant minuantve interse, eorum efficere voluntas qui legando vel contrahendo eas constituunt? Et quidem, ubi mutua peremptio aequitate nititur, ne bis idem exigatur, quod *bona fides non patitur* [10]), nullus labor; quia enim *nihil magis bonae fidei congruit*, *quam id praestari quod inter contrahentes actum est* [11]), cum causa cessabit effectus, si

---

1) L. 15 D. 4. 2 (Pernice, Lab. II (1878) p. 139 not. 152).

2) L. 8 D. 27. 6. Cf. Ascoli, *Studi e documenti* XI p. 166; Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 245/6 (sed etiam p. 246 not. 3).

3) L. 7 § 6 D. 4. 3. Damnat quidem clausulam (*quamris* rell.) Pernice, Lab. II 1 (1895) p. 210[1].

4) L. 1 D. 47. 7 (Merkel, *Konkurs* etc. p. 19/20).

5) Supplendum censet Bremer.

6) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 378[40]: „*es ist nicht einzusehen, wie dem* iudex .... *es möglich gewesen sein soll ein* deducere *vorzunehmen, man müsste denn eine* formula cum deductione *statuieren*".

7) Alibrandi, *del concorso* etc. § 58: „*ma queste non si facevano che in casi determinati e non sembra che in questi fosse compreso il nostro*". Cf. ibid. § 60; Levy, *die Konkurrenz* II (1) p. 212[3].

8) *Studi per Fadda* I p. 347—361.

9) L. 27 § 6, l. 47 § 4 D. 15. 1. Cf. l. 38 § 3 eod.

10) L. 57 D. 50. 17.

11) L. 11 § 1 D. 19. 1.

Digitized by Google

nominatim convenerit, ut utraque actio tota exerceatur, verbi gratia, si *id actum proba(bi)tur, ut.... et (sors) et (poena) debeatur* [1]). Vel magis legantis voluntas effectura est, ut idem legatum saepius peti possit, modo tale sit, ut possit a testatore ampliari, quod tunc demum *constitutio(ne) principis* [2]) fieri prohibetur, quum, qui *corpus* legaverit, eidem ab eodem idem corpus denuo legare velit [3]). In ceteris igitur speciebus, ubi, quum debemus una petitione contenti esse, propterea debemus, *quia defunctus semel ad (n)os legatum pervenire voluit* [4]), poterit utraque petitio exerceri, modo constiterit hoc testatorem voluisse. Idem erit, si debitum utiliter legavit, nam propterea sufficiet, quum sufficiet, una solutio, *quoniam non hoc voluit* testator, *ut bis debitum* heres *praestet* [5]); ergo, *si* legatarius *docere possit, eam testantis voluntatem fuisse, ut onerare heredes duplici praestatione* debiti *vellet*, diversum erit [6]). Sed quid dicendum, ubi non bona fides mutuam actionum peremptionem inducit, sed ius strictum, quo vetamur de eadem re saepius litigare? Constat Iustiniani temporibus in causa fideiussorum pactum receptum fuisse et *in usu quotidiano*, ne litis contestatione cum uno facta alter liberaretur [7]). Sed quaeritur, utrum melioris iurisprudentiae temporibus eiusmodi conventio valitura [8])

1) Ratam esse legem demonstrat Papinianus l. 115 § 2 D. 45. 1. Rata similiter est lex, ut èt poenam quis petat vel data repetat (c. 17 C. 2. 4) èt exceptione nihilominus utatur: l. 16 D. 2. 15; cf. l. 122 § 6 D. 45. 1.

2) L. 66 pr. D. 31.

3) Ergo hoc modo non potest quis *onerare heredem*: l. 66 pr. cit. (D. 31); *ampliа(re) testator legatum*: l. 42 § 1 D. 7. 1; *amplius quam semel* res *peti*: l. 34 § 1 D. 30. Valde videtur errare Glück XLVI (Arndts) p. 289 (summa), qui doceat testatoris voluntati hic quoque obtemperandum. (Idem peccat Schulz, *Ztschr. der Sav.-St.* 38 (1917) p. 153/4).

4) L. 85, l. 86 § 1 D. 30.

5) L. 1 § 9 D. 33. 4.

6) L. 16 D. 33. 4 (Schirmer, *Ztschr. der Sav.-St.* XII (1891) p. 33. Interpolatam contenderat Gradenwitz, *Interpolationen* (1887) p. 185/6); l. 29 D. 23. 3 (interpolatam non tantum contendit, sed etiam manifeste docet idem, ibid. p. 187). Cf. in re simili l. 12 D. 22. 3; l. 9 D. 34. 4; nam l. 34 § 3, § 6 D. 30 interpolatae sunt.

7) C. 28 § 1, § 3 C. 8. 40 (41). Alio rem deducit Savigny, *Obligationenrecht* I § 19 (p. 182) not. *c*.

8) Iurene ipso an tuitione praetoris, nihil moror.

Digitized by Google

fuerit. Quod verisimile videtur Bernhardo Windscheid [1]), veri dissimile Kellero [2]) Pauloque Krueger [3]). Quam sententiam ut quis recte defendat, debet inprimis statuere, ut statuit Hruza [4]), regulam ad ius publicum pertinere, quia solum *ius publicum privatorum pactis mutari non potest* [5]). Quo rem deducit Bekker, quum doceat [6]): nemini permitti, ut de eadem re bis magistratui molestus sit („*der Magistrat darf nicht zwei Male mit derselben Sache behelligt werden*"). Illud plane dicere non sufficit: pertinere regulam ad *ius solemne*, rursus ius solemne partem esse publici [7]), quocirca ne *ex solemni* quidem *iure privatorum conventione quidquam immutandum est* [8]), ideo, quia non ad ius solemne, sed ad *ius merum* [9]) regula pertinet. Quid enim cum agendi modo commune habet novatio etiam iudicii accepti? Quatenus autem potest in contrahendo convenire, ne aut perceptione aut lite actiones interse consumant, eatenus posse etiam in dissolvendo, quod excogitavit Merkel [10]), fateamur verum esse, necesse est. **17.** In summa sciendum est: ut *solutio prior(is)..... per(i)mat alteram actionem*, etiam evenire posse propter concursum causarum lucrativarum [11]), quamobrem docet Merkel [12]) *adfinitatem* quandam intercedere concursui causarum lucrativarum cum concurrentium actionum peremptione mutua, qua de re docte disputat Helssig [13]). Posse simi-

1) *Lehrbuch* (1891) § 295[8] (ad l. 42 § 3 D. 12. 2). Laudarem Ernestum Hruza, *krit. VjS.* 42 (1900) p. 189/90 (cf. Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 416/7), nisi hic fortiter negaret lite consumi, id est, eandem rem verti, quum possit pacto praecaveri. Consequens est: ubi eadem res vertatur, praecaveri pacto non posse. 2) *Litiskontestation* p. 562/3.

3) *Process. Consumption* (1864) p. 207: „*ein derartiges* pactum *war der Zeit der klassischen Juristen noch ganz fremd*".

4) *Krit. VjS.* 42 (1900) p. 189. 5) L. 38 D. 2. 14.

6) *Consumption* (1853) p. 5. Probat sententiam Bethmann-Hollweg, *Civilproz.* § 103[5] (II p. 485).

7) Ita ratiocinantem introducit Eisele, *Archiv* etc. 77 (1891) p. 416 ima.

8) L. 27 D. 50. 17, quam purgavimus cap. harum observ. XVIII.

9) Cf. l. 36 D. 26. 7. Sic hodie distinguitur „*formelles*", „*materielles*" *Recht*: „*adjective*", „*substantive*" *law*; „*procédure*", „*droit théorique*".

10) *Konkurs* etc. p. 101 ima. 11) L. 66 § 2 (in. § 1) D. 31.

12) *Konkurs* etc. p. 10.

13) *Zur Konkurrenz* p. 1—7, p. 78/9. Non sapienter scribit post Fridolinum, *Archiv* etc. 79 (1892) p. 370/1, Binder, *die Korrealobligationen* (1899) p. 43: „*man wird nicht in Abrede stellen können, dass hier ein Fall von Solidarität*

Digitized by Google

liter non ex eodem facto actiones concurrentes interse consumere propter eorum, qui ius constituunt, auctoritatem [1]), posse denique secundum contrahentium legantiumve voluntatem, ut superius (52, 274) exposuimus, tenendum est. **18.** Quia praeterea concurrunt actiones non tantum, quae nominibus, sed etiam — diximus supra (52, 258) — signis („*rechtliche Gesichtspunkte*") quae discrepent, quibus, quum nomina deficiant, actiones distinguuntur [2]), ideo rectissime docet Eisele [3]), etiam hodie et inter easdem personas actiones concurrere, licet veteribus nominibus uti nemo cogatur. Etsi negat Garsonnet [4]), sed statim se refellit ipse [5]). Itaque hodie quoque, *quotiens lex obligationem intro-*

(Last, op. cit. (1908) p. 99: Anspruchkonkurrenz) *gegeben ist*". Potest enim, ubi concurrunt causae lucrativae, bis exigi, nisi priore solutione ipsa species ad creditorem pervenerit (§ 6 Inst. II 20). Fieri praeterea potest, ut altera utra causa actionem non pepererit veluti contracta donatio re, fieri denique, ut ex priore causa solutio alterius causae natalem praeverterit. Quae omnia neglexit etiam Hispanorum decus Finestres, Hermog. I p. 641. 100.

1) L. 68 (67) § 2 D. 47. 2: *etiamsi duo furta fecisset, non amplius quam semel cum eo agi posset.*

2) Atqui negat Siber, *die Passivlegitimation* (1907) p. 219/58, hoc sufficere, proinde, quia nominibus interesse desiit, postulat, hodie ut re intersit. Etiam Berndt, *der röm.* conc. action., Diss. Wratisl. 1913 p. 62, hodie concurrere actiones tunc negat, quum re et effectu nihil intersit, possit licet sic vel sic causa constitui, quam appellat ipse (p. 55, 68, 84) „*blosse Begründungskonkurrenz*", ab eo laudatus (p. 55) Helssig „*Gesetzeskonkurrenz*". Disputaverat in contrariam partem W. Peters, *Klagenkonkurrenz* (1902) p. 61.

3) *Archiv* etc. 79 (1892) p. 401/2.

4) *Traité de procéd.* I (1882) § 116[10].

5) Ibid. (§ 116) post notam 20, plenius etiam § 143. Cf. praeterea Baudry-Lacantinerie, *Traité de droit civil* XIV (1908) n° 1872. 2; XV (1908) n° 2893; XXVIII (1905) n° 574; Merkel, *Konkurs* etc. § 15 (maxime p. 137: „*weniger, als möglich, vollständige Begründung des Klaganspruchs ist daher heutzutage als das den Konkurs von Klagen* erzeugende (rectius dixisset: *aufdeckende) Element anzusehen*"); id. *krit. Vierteljahrsschr.* 30 (1888) p. 196/7; W. Peters, *Klagenconcurrenz* (1902) § 9 (maxime p. 42/3), § 13; Wrzeszinski, *die Konkurrenz*, Diss. Frib. 1902, § 15—19, § 22—24; Siber, *die Passivlegitimation* (1907) § 26, § 27 (licet hic exigat (p. 227): „*Verschiedenheit der Subjekte, der .... Leistungspflicht, der zulässigen Einwendungen (oder) des Entstehungsgrundes*"); Fritsch, *Welche Zwecke* etc. Diss. Wratislav. 1908 p. 42 („*Erbschafts- und Einzelklage*"); Berndt, *der röm.* conc. actionum, Diss. Wratislav. 1913 p. 49—89 (exigit quidem hic (p. 62), ut re et effectu intersit); Batavorum denique ipsa lumina: Faure, *Procesrecht* I (1879) § 32; Diephuis, *Ned. B. R.* XI (1888) p. 71 (§ 28); Land, *Verklaring* IV (1907) p. 305[2]; Molengraaff, *Leiddraad* (1905/12)

Digitized by Google

ducit, nisi si nominatim caverit, ut sola ea actione utamur, etiam veteres eo nomine actiones competere [1]), verum manet, quod cautum ex abundanti anno praeterito (1924), quum daretur nova actio propter damna ab *αὐτοκινήτοις* vehiculis oriunda; ex diverso, quum operariorum pericula lege redempta sunt (1901), non ex abundanti, ut pristinae actiones cessarent praeterquam eorum, quorum in dies singulos quaternos florenos merces excederet. Videndum igitur, quis effectus rei futurus sit. Et quidem in prima concurrendi figura, quum publicae actiones ex uno facto plures nascantur, fere communis est persuasio, re iudicata alteram per alteram totam tolli [2]), re nondum iudicata alteram cum altera in pari summa vel numero contribui [3]); de secunda figura similiter constare videtur nequc publicam per privatam neque privatam per publicam actionem *posse consumi* [4]). Tertia et quarta figura non facile possunt hodie existere, quia sunt rarissimae nunc privatae poenales actiones vel mixtae, id est, quibus extorquebitur, quod non absit vel non totum absit; sunt tamen, velut adversus eum, per quem corpori libero nocitum erit, et iniuriarum actio secundum quosdam [5]), atque praeterea in eum, qui mercenario suo aut in opere dolo vel culpa causam praestiterit doloris vel deformitatis vel maculae [6]) aut solutionem mercedis distulerit [7]).

---

p. 250; Noyon, *Wkbl. v. Privaatr.* 45 (1914) p. 304; Meijers, ibid. 43 (1912) p. 611; 44 (1913) p. 177/80; 47 (1916) p. 618; id., *Arbeidsovereenkomst* (1912) p. 175/6 (ad art. 1638 X).

1) L. 41 pr. D. 44. 7.

2) Carrara, *Programma* I (1877) § 578; Simons, *Leerboek* I (1910) § 241 (p. 248 ante notam 3); Lilienthal, *Strafprozessrecht* § 34 (*Birkmeyer's Enzyklop.* (1904) p. 1291). Rationem sic reddit Beling, *Strafprozessr.* § 6 II (*Holtzendorff's Enzyclop.* II (1904) p. 339): *„der Prozess ergreift die That unter jedem denkbaren juristischen Gesichtspunkt"*.

3) Geib, *Lehrbuch des deutschen Strafrechts* II (1862) p. 129, quo remittit Berner, *Lehrbuch* (1884) p. 310[1] (§ 162).

4) Carrara, *Programma* I (1877) § 565, § 569, § 573 = c. un. C. 9. 31 = c. un. C. Th. 9. 20. Videtur quidem vir illuster in ea opinione esse, quasi omnis privata actio rem persequatur (§ 542). Peccabat similiter Groenewegen (ad R. C. 9. 47), quem propterea notat Voet (ad Pand. XLVII 1 § 3).

5) Land, *Verklaring* IV (1907) p. 330 (ad art. 1406), p. 331 not. 1 (ad art. 1408). Cf. Stobbe, *Handbuch* III (1878) § 200 not. 45 (i. f.).

6) *B. W.* art. 1638 X ia. 1637 W.

7) *B. W.* art. 1638 Q. In persona nautarum succedit *W. v. K.* art. 448.

Digitized by Google

Et possunt concurrere vel cum sui similibus vel cum actionibus, quibus rem dumtaxat persequimur, velut, qui mercenario suo deformitatis causam praestiterit et solutionem mercedis distulerit, *ex uno facto*, quia contractus et omne factum incidens unius facti vice funguntur, in duas vel tres [1]) incidet poenales actiones manente nihilominus de mercede promissa ipsa ex contractu actione [2]). Quodsi quis dixerit non esse poenales actiones sed adiectiones poenales ad actionem ex contractu de mercede, erit vel sic interdum concursus poenalium actionum cum sui similibus et cum actionibus, quibus rem persequimur. Erit enim ipsa ex hoc contractu actio poenalis facta certis ex causis et concurret modo cum poenali actione adversus eum, per quem corpori libero nocitum erit [3]), modo cum generali actione damni vel, si inciderit [4]) mandatum vel depositum, cum mandati depositive actione, quae omnes tres rem persequuntur. In talibus igitur videntur omnes poenae exigi posse nec referre, utrum actus diversi sint, an unus actus velut eius, per quem in ipso opere mercenarii corpori, quo cum mercenario ipse contraxisset, nocitum erit [5]), quocirca non adsentior viro clarissimo Meijers [6]) has actiones totas, ut videtur, contribuenti. Quid enim potest unitas actus amplius efficere quam, ut unum factum sit? Atqui etiam de uno facto omnes poenae debentur iure utique privato, nam iure publico atrocitas vindictae singulis contentos esse coegit [7]). Quamquam, fateor, aliter sentit Voet [8]), cuius apud hanc gentem magna

1) Tertia esse potest ex art. 1407 (adversus eum, per quem libero corpori nocitum erit).

2) *B. W.* art. 1637 A.

3) *B. W.* art. 1407 cit.

4) Quodsi non inciderit, sed ab initio mixtam contractus causam habuerit, erit una actio, cui lex datur art. 1637 C.

5) Non potest harum actionum utra ad alteram referri quasi species ad genus suum, quia altera prospicit tantum corpori, altera dumtaxat mercenario ipsius et in opere, sed non tantum corpori eius.

6) *De arbeidsovereenkomst* (1912) p. 175/6 (ad art. 1638 X).

7) Huius discriminis memor si fuisset, Levy generaliter non contendisset (*die Konkurrenz* II (1) p. 185, 187, 192, 200, 230, 237/8) fieri non posse, quin viderint Ulpianus Paulus ceterique eius aevi iurisconsulti singulis factis singulas poenas sufficere.

8) Ad Pand. XLIV 7 § 20. Hunccine Meijers secutus sit, an propositis actionibus numquam poenam contineri putaverit, nescio.

Digitized by Google

esse debet, sicut est, auctoritas. De eo quidem dubitari non oportet, quin actio, quae tota poenalis sit, non tollat rei persequendae causa comparatam actionem vel mixtam vel harum utra illam, ex diverso mixta actio consumat rei persequendae causa comparatam, haec illam minuat. Non potest enim ex uno facto amplius semel competere rei persecutio, quia iterata poena fit [1]). Quamobrem quinta figura, quae consistit concursu rei persequendae gratia comparatarum actionum expeditum habet tractatum: ut una solutione utraque actio extinguatur, nisi in contrarium convenerit [2]), vel nisi in altera actione plus sit in altera minus et sit solutum minus. Quod potest evenire, si in alteram actionem veritas venit in alteram quantitas, veluti quum de fide rupta mercenarius agit cum operarum suarum conductore versaque vice; potest enim actor vel utilitatem petere vel quantitatem (*B. W.* art. 1639 T), et minuetur altera actio per alteram (art. 1639 S). Fit similiter, quum operarius, cuius corpori nocitum erit, èt habet actionem periculi redempti et pristinam damni, minuetur enim, non tota consumetur, actio damni, si pinguior est, per actionem novam [3]). Diversum est, sicuti diximus, ubi concurrunt actio sortis et poenae promissae, quia utilitas hodie semper tanti aestimatur, quantum poenae nomine promissum sit. In quarta quidem figura potest interdum dubitatio intervenire, sitne poena an ex re et poena mixtum, veluti, quod propter dilationem mercedis solvendae debetur, utrum tantum poena sit, an in se habeat usurarum, quas potuit actor capere, repraesentationem. Et iudicatum est inesse, proinde altero utro contentum esse debere [4]).

(Continuabuntur).

Addenda et emendanda.

52, 251[7]. Add.: Beseler, *Ztschr. der Sav.-St.* 44 (1924) p. 365: „*zu* iudicata *hinzuzudenken* inve iudicium deducta".

1) Dixit Savigny, *System* V § 234 (p. 249).

2) Atqui vetatur operarum conductori poenam mercenarius promittere ea lege, ut et sortem et poenam debeat (*B. W.* art. 1637 V).

3) *Ongevallenwet* 1901 art. 87. 2. Erit in hac specie consumptio μονομερής.

4) Kist, *Handelsrecht* V (1889) p. 187 lin. 1—4.

Digitized by Google

52, 266[6]. L. l. 13 § 15 (pro 5) D. 19. 1.
52, 274[2]. L. D. 46. 1 (pro 6. 1).
53, 15[4]. L. D. 15. 1 (pro 5. 1).
53, 31[3]. Add.: et ex diverso Guarneri, Miscell. I (1924) p. 70/3, quorum neglexit ille § 3 (= Gai. III § 222), § 4 Inst. IV 4, hic l. 15 § 35 D. 47. 10, quam me quidem iudice non recte (*relinqui non debuit* = perperam relicta est) interpretatur designatus iam collega Van Meurs, *Tdschr. voor rechtsgesch.* IV p. 283/4, controversiae tollendae causa, quae in eo consistit, quod secundum Gaium dominus tantum habet suo nomine actionem ex edicto de servo verberato, sed secundum Ulpianum aut suo nomine, *si quis sic fecit iniuriam servo, ut domino faceret*, aut verberati servi nomine ex edicto. Quacum altera specie optime congruit Pedii decisio nec Triboniano quidquam opus.
53, 36[14]. Add.: Damnat quidem Beseler, *Ztschr.* cit. 44 (1924) p. 370: *et poena quidem furti non confunditur.*
53, 38[4]. Add.: Ipsam quaestionem de medio tollit Beseler, *Ztschr.* cit. 44 p. 371, cancellando *et si furti actum est* rell.
53, 38[12]. Add.: Conservat eam Beseler, *Ztschr.* cit. 44 p. 371.
53, 40[7]. Add.: Quae exscripsi, omnia damnat Beseler, *Ztschr.* cit. 44, p. 370.
53, 41[6]. Add.: Beseler, *Ztschr.* cit. 44 p. 371.
53, 49[6]. Ins. post D. 23. 4: (cf. Beseler, *Ztschr.* cit. 44 p. 365/6, 370).
53, 243[4]. L. Bas. 42. 4. 20 (pro 40).

ELENCHUS FONTIUM.

(Numeri sunt paginarum et notarum, qui praecedunt lineolam: voluminis LII, quos praecedit ipsa: vol. LIII).

I. Auctores Graeci.

Basilius.
epist. 21 (373) — 19[2]
Demosth.
or. XXI § 28 — 20[9]
Diod. Sic.
XXIX 24 — 19[3]
Libanius.
ὑπόθ. 39 § 7 (32 § 4) — 244[8]
Plutarchus.
vit. Cat. mai. 15 — 19[3]

Digitized by Google

II. Inscriptiones Graecae.

BCH.
XXXVII p. 211 — 49[7]
Jahreshefte.
XIV p. 168/9 — 20[7]
Klio.
XVI p. 170 — 49[7]

III. Papyri Graeci.

Amh. 27 vid. Pap. *Lat.*
Tebt. 286 — 51[9]

IV. Auctores Latini.

Amm. Marcell.
XXVI 6 § 7 — 19[2]
Cicero.
Accus.
IV 12 § 31 — 244[9]
Invent. (de)
II 40 § 116 — 42[10]
II 41 § 120 — 42[10]
II 49 § 145, § 146 259[1] —
Horatius.
Sat. I 1, 105 — 31[9]
Livius.
XXXVIII c. 51 — 19[5]
XXXVIII c. 56. c. 59 — 19[6]
Suetonius.
Tit. c. 8 — 18[7]

V. Inscriptiones Latinae.

Lex repetundar.
74 — 18[8]

VI. Papyri Latini.

Amh. 27 — 21[8]

VII. Ius Romanum.

Gaius.
I 53 — 19[9]
I 54; 164 — 44[7]
II 79 275[3] —
II 194 — 44[2]
II 199 — 43[3], 45[5], 45[12]
II 205 — 45[4], 45[6], 45[7]
III 11; 12 — 44[7]
III 124 — 22[9]
III 177 267[9] —
III 213 — 22[2]
III 222 — 25[7]
IV 4 264[3] —
IV 8 — 233[2], 237[4]
IV 11 268[1] —
IV 44 — 44[7]
IV 84 — 235[6], 235[8] (236)
IV 107 — 244[8]
IV 114 — 41[1], 244[10], 244[13] (245) 246[4].
IV 122 262[3] —
IV 126 — 241[4]
IV 131*a* — 243[3]
IV 175; 177 — 25[17], 26[4]
IV 179 — 23[9], 232[5]
Ulpianus.
Reg.
XXIV 14 — 42[10]
XXIV 30 263[7] —
Paulus.
II 14 § 5 — 235[5]
II 17 § 8 266[8] —
II 31 § 13 — 37[1]
II 31 § 17 — 31[4]
II 31 § 34 — 38[4], 40[8]
V 9 § 3 — 228[8]
V 26 § 4 — 235[5]
V 27 — 19[3]
Vat. fragm.
77 — 45[13]
83 — 43[7]
84 — 45[14]
85 — 43[7]
286 — 47[1]
Collatio.
II 2 § 1 — 235[5]
XII 7 § 2 — 20[7]
XII 7 § 9 251[7], 253[2] — 239[4]
Cod. Theod.
II 9, 2 — 49[6]
IV 4, 2 — 21[7]
IV 4, 7 pr. — 246[3]
IX 17, 2 — 18[1]
IX 17, 4 — 17[9]
IX 19, 4 pr. — 22[1]
IX 20 (R.) — 20[12] (21)
IX 20, 1 — 20[9], 20[10], 20[12], 254[4]
IX 27, 5 — 19[1]
IX 28, 1 — 19[7], 19[8]

Digitized by Google

Edictum Theodorici.
108 260[4] —
115 — 19[2]
118 260[4] —
Institutiones.
II 1, 29 — 39[4]
» 1, 34 — 35
» 20, 6 263[2], 263[6], 263[10] — 252[13] (253).
» 20, 9 266[4] —
III 26, 8. 265[8] —
IV 1, 19 — 37[1], 40[8], 50[10]
» 2 pr. — 233[2]
» 3, 11 — 22[2], 22[3]
» 4, 3; 4 — 257
» 4, 10 — 21[10]
» 6, 14 264[3] —
» 6, 19 — 233[2], 233[3]
» 7, 5*a* — 232[6]
» 9, 1 256[6] — 24[5]
» 18, 9 — 19[8]
Digesta.
I 6, 1 § 2 — 19[9]
» 18, 11 — 235[5]
II 1, 7 § 5; 8 — 28[2]
» 1, 9 — 11[2], 26[9], 27[4], 28[7], 29, 35[10].
» 1, 11 pr. — 235[5]
» 7, 5 § 3 — 28[2]
» 10, 1 § 4 — 15[5], 31[11], 226[5]
» 14, 10 § 1 — 49[6], 246[3]
» 14, 27 pr. — 225[2]
» 14, 27 § 5 — 248[5]
» 14, 38 — 252[5]
» 15, 16 — 49[7], 251[1]
III 5, 27 (28) — 227[14]
» 5, 48 (49) — 231[9]
» 6, 5 § 1 — 38[11], 243[2], 249[7]
» 6, 7 pr. — 10[3], 38[11]
IV 2, 9 § 6 275[4] — 39[8], 50[11]
» 2, 14 § 3 — 39[10]
» 2, 14 § 5 — 244[10]
» 2, 14 § 9 — 39[8]
» 2, 14 § 13 259[9] — 13[9], 39[7], 50[12], 243[4], 244[13], 245, 245[8].
» 2, 14 § 15 — 15[6], 226[1]
» 2, 15 — 226[1], 237[8], 250[1]
» 2, 16 pr. — 226[1]
Digesta.
IV 2, 16 § 1 254[4] — 226[1]
» 2, 21 § 2 — 51[5]
» 3, 7 § 5 — 43[8]
» 3, 7 § 6 259[9] — 237[10], 250[3]
» 3, 7 § 8 259[9] —
» 3, 17 pr. — 15[6], 226[2]
» 4, 41 — 235[5]
» 6, 26 § 4 — 235[5]
» 7, 1 pr.; 3 § 4 — 229[5]
» 8, 11 § 2 — 22[9]
» 9, 3 § 5 — 38[5], 241[8], 243[2], 247[7].
» 9, 4 pr. — 38[5]
» 9, 6 § 4 251, 253[2] — 10[4], 32[2], 38[10], 241[4].
V 1, 1 — 235[5]
» 1, 24 § 2 275[2] —
» 1, 33 — 235[5]
» 1, 38 — 46[4]
» 3, 7 § 2 — 32[8]
» 3, 13 § 14 253[4] — 229[3], 229[5]
» 3, 20 § 4 — 47[7], 47[8]
» 3, 25 § 17 — 36[13]
» 3, 31 pr. — 246[9]
» 3, 36 § 2 — 16[4], 16[6], 16[8], 47[6], 246[3], 247[4].
» 3, 38 — 244[11]
» 3, 39 § 1 — 244[12]
» 3, 50 § 1; 58 — 244[11]
VI 1, 7 253[4] — 229[3]
» 1, 9 275[2] —
» 1, 13 — 16[4], 47[5], 246[3], 247[5]
» 1, 14 — 47[5], 247[5]
» 1, 15 pr. — 37[3]
» 1, 28; 30 — 244[13]
» 1, 48 — 244[13] (245).
» 1, 52 — 229[4]
» 1, 70 — 41[3]
VII 1, 27 pr. 263[7] —
» 1, 42 § 1 267[7] — 251[3]
IX 1, 1 § 10 — 24[7]
» 2, 1 pr. — 18[8]
» 2, 5 § 1 258[14], 269[5], 271[1] — 238[10]
» 2, 5 § 3 268[13] —
» 2, 7 § 8 — 27[5]
» 2, 11 § 2 — 27[2], 31[12]

Digitized by Google

Digesta.
IX 2, 18 — 13[5], 27[5], 247[8]
» 2, 23 § 8 — 27[2]
» 2, 23 § 9 — 20[7], 22[14]
» 2, 27 pr. 270[3] —
» 2, 27 § 11 251[7], 253[2] — 27[5], 239[4]
» 2, 30 § 1 265[8] —
» 2, 32 pr. — 11[2]
» 2, 32 § 1 270[4], 270[8] —
» 2, 41 § 1 271[5] —
» 2, 42 — 240[10]
» 2, 46 271[2] — 47[10], 248[3]
» 2, 47 271[2] — 47[10], 243[2], 248[2], 248[8].
» 2, 48 255[8], 270[5] —
» 3, 1 pr. — 31[13], 33[14]
» 3, 1 § 10; 2; 3 — 31[12]
» 3, 4 — 15[4], 31[14]
» 3, 5 § 6 — 33[14]
» 4, 2 § 1 — 33[13], 33[14]
» 4, 4 § 2 — 33[12], 34[12]
» 4, 4 § 3 252, 254[4] — 34[1], 232[7]
» 4, 5 pr. — 28[2], 30[7]
» 4, 7 § 1 — 35[4], 232[7]
» 4, 9 253[7] — 30[8], 35[8], 36[1], 36[8], 232[7].
» 4, 11 — 241[8], 244[13] (245).
» 4, 14 pr. — 239[6], 246[5]
» 4, 17 pr. — 34[13], 36[2], 232[7], 237[9].
» 4, 20 — 246[5]
» 4, 22 § 4 — 32[12]
» 4, 24 — 32[12], 33[3], 229[5], 241[6]
» 4, 25 — 33[3], 229[5], 241[6]
» 4, 26 pr. 253[4] — 33[3], 33[7], 243[1]
» 4, 26 § 1 — 13[7], 33[1]
» 4, 26 § 2 — 32[12], 33[1], 232[7]
» 4, 26 § 3 — 33[4], 33[6]
» 4, 26 § 4 — 32[12]
» 4, 31 — 35[10], 35[11]
» 4, 39 pr. — 32[12], 33[1]
» 4. 39 § 2 — 241[6].
X 2, 20 § 8 274[11] —
» 2, 25 § 10 — 226[12]
» 3, 8 § 4; 9 — 227[15]
» 3, 15 — 227[14], 227[15]
» 3, 25 — 227[13], 227[15]
XI 1, 4 § 1 — 235[5]

Digesta.
XI 1, 8 — 33[4]
» 1, 20 pr. — 32[10], 32[13], 33[1], 33[4], 36[12], 243[4].
» 3, 1 § 1 — 31[4]
» 3, 10; 11 pr. — 24[3]
» 3, 11 § 2 270[3] — 24[2], 24[3], 233[3], 236[7], 239[11].
» 3, 12 — 236[7]
» 3, 13 pr., § 1 — 47[9]
» 3, 14 § 2 — 28[10], 33[2], 33[6]
» 3, 14 § 5 — 233[3], 237[3]
» 3, 16 — 24[3]
» 3, 17 — 237[1], 249[7]
» 6, 3 pr. — 15[6], 226[7], 242[8], 242[9]
XII 1, 9 pr. — § 3 — 48[8]
» 1, 23 — 231[9]
» 1, 42 pr. 254[8] —
» 2, 1 — 235[5]
» 2, 9 pr. — 241[7]
» 2, 9 § 3 — 232[9]
» 2, 27; 28 § 1 — 16
» 2, 28 § 4 — 13[8], 16, 48[6]
» 2, 28 § 6 268[1], 268[2], 268[4], 268[5] — 39[1]
» 2, 30 pr. — 232[9]
» 2, 34 § 5 — 235[5]
» 2, 35 § 1 — 16, 16[13]
» 2, 42 § 3 252, 253[2], 257[4] — 252[1]
» 3, 9 — 238[2]
» 4, 14 — 37[1]
» 5, 9 pr., § 1 — 48[11]
» 7, 2 — 48[12]
XIII 1, 3 — 239[10]
» 1, 4 260[4] — 233[2]
» 1, 7 § 1 — 37[1]
» 1, 10 pr. 275[3] —
» 1, 10 § 2 — 41[4]
» 1, 12 pr., § 1 — 41[4]
» 1, 14 § 2 269[4] — 243[2], 248[6], 249[1]
» 1, 16 — 48[9]
» 1, 18 — 13[10] (14), 225[2]
» 5, 18 § 3 251[6], 256[9], 257[5], 272[2], — 15[4], 17[1], 49[5]
» 6, 5 § 15 — 15[6], 226[16], 226[17]
» 6, 6 — 31[4], 225[2]

Digitized by Google

Digesta.
XIII 6, 7 § 1 — 16[4], 27[5], 32[5], 238[11], 246[2], 246[3]
» 6, 13 § 1 — 48[13]
» 6, 18 § 1 — 13[10] (14), 27[5], 40[5], 240[9], 240[10]
» 7, 1 § 2 — 20[7]
» 7, 16 § 1 — 20[7]
» 7, 22 § 1 — 39[8]
» 7, 36 pr. — 20[7]
XIV 1, 1 § 17 — 32[11]
» 1, 1 § 24 252[2] — 17[3], 32[11]
» 1, 1 § 25; 3 — 227[15]
» 3, 11 § 8; 12 269[2] —
» 3, 13 § 2 — 227[15]
» 4, 5 § 1; 9 § 1 — 13[7], 232[6]
» 5, 4 § 5 — 232[6]
XV 1, 19 pr. 253[5] —
» 1, 27 § 6 — 250[9]
» 1, 27 § 8 — 227[13], 227[15]
» 1, 32 pr. 255[12] — 14[5], 15[4], 15[8], 241[9] (242)
» 1, 38 § 3; 47 § 4 — 250[9]
» 1, 50 § 2 — 17[5]
» 3, 1 § 2 — 13[11] (14), 14, 15[6], 232[6]
» 3, 3 § 1 — 12[3]
» 3, 3 § 10 — 12[3], 228[1]
» 3, 4 — 228[3]
» 3, 18 — 12[3]
» 4, 5 § 1 — 226[19]
XVI 3, 1 § 13 268[6], 268[7] —
» 3, 1 § 43 — 15[3], 15[4], 226[13], 226[14]
» 3, 13 § 1 — 48[9]
» 3, 22 — 226[13]
XVII 1, 4 265[8] —
» 1, 8 pr. 268[6], 268[7] —
» 1, 27 § 5 254[13] —
» 1, 28 255[1] — 32[5]
» 1, 59 § 3 — 226[19]
» 1, 60 pr. 252, 252[6] —
» 1, 60 § 2 — 226[18]
» 2, 38 pr. — 240[3]
» 2, 38 § 1 275[6] — 13[10], 48[2], 240[7]
» 2, 41 272[3], 273[5], 273[7] — 49[6], 238[4]

Digesta.
XVII 2, 42 272[3], 273[5], 273[7] — 49[6], 238[4], 247[9]
» 2, 43 — 235[6], 240[5], 247[9]
» 2, 45 — 37[1], 48[9]
» 2, 46 — 37[1]
» 2, 47 pr. — 48[7], 48[9], 239[8]
» 2, 47 § 1; 48 — 27[5]
» 2, 50 — 13[5], 27[5], 28[1], 247[8]
» 2, 65 § 15 — 240[2]
» 2, 71 pr. 272[6], 272[9], 272[10] —
XVIII 1, 50 — 49[1], 244[1]
» 1, 72 pr. 26[710] —
» 3, 8 — 42[5]
» 5, 2; 7 pr., § 1 26[710] —
XIX 1, 5 pr. 273[9] — 49[4]
» 1, 10 262[2], 262[3], 262[7], 267[3], 26[710] — 26[8]
» 1, 11 § 1 — 250[11]
» 1, 11 § 6 — 48[10]
» 1, 13 § 15 266[8] —
» 1, 28 272[3], 273[6] — 49[6], 238[5], 242[1], 242[4], 242[7], 242[8], 243[2], 247[9].
» 2, 13 § 4 26[813] —
» 2, 25 § 5 26[81], 26[82], 26[83], 26[84], 26[85] — 16[4], 38[12], 39[3], 245[12], 246[2], 246[3]
» 2, 30 § 2 — 27[5]
» 2, 35 § 1 — 15[3], 48[3]
» 2, 42 — 37[1]
» 2, 43 26[813] — 13[5], 27[5], 242[7], 247[7]
» 2, 47 — 226[17]
» 4, 1 § 2 275[2] —
» 5, 1 pr. — 49[2]
» 5, 1 § 1 — 230[7]
» 5, 2 258[9] — 49[2]
» 5, 3 — 49[2]
» 5, 14 § 1 271[7], 271[9] — 20[7]
XX 1, 13 § 4 — 49[14]
» 1, 16 § 5 27[33] —
» 5, 12 § 1 — 23[2]
» 6, 5 § 3 — 16
» 6, 8 § 19 — 49[13]
XXI 1, 23 § 4 — 23[23]
» 1, 23 § 8; 31 pr. — 23[24]
» 1, 43 § 6 — 23[01]
» 1, 45 — 23[24]

Digitized by Google

Digesta.

XXI 1, 48 § 2 — 229[8]
» 2, 9 266[8] —
» 2, 17; 18 — 49[6]
» 2, 29 pr.; 41 § 1 266[8] —
» 2, 51 § 4 — 241[4]
» 2, 66 pr. — 49[11]
XXII 3, 12 267[11] — 251[6]
» 3, 18 pr. — 20[2]
» 5, 3 § 6 — 235[5]
XXIII 3, 29 — 12[4], 228[9], 243[1], 246[6], 246[8], 251[6]
» 3, 48 § 1 — 227[4]
» 4, 12 § 2 — 49[6], 242[9], 246[3]
XXIV 3, 34 — 235[5]
XXV 2, 6 § 5 — 41[8]
» 2, 17 § 2 — 41[9]
» 2, 17 § 3; 18 259[6] — 42[1]
» 2, 21 § 5 — 41[12]
» 2, 24 — 41[7], 41[9], 41[10]
» 2, 25 — 41[8], 41[9], 41[11]
» 2, 26 — 41[9]
» 5, 2 § 1 — 226[6]
XXVI 7, 18 § 1 — 226[14]
» 7, 25 255[6] —
» 7, 36 — 252[9]
» 7, 37 pr. — 240[3]
» 7, 39 § 15 255[5] — 11[12], 15[1]
» 7, 55 § 1 — 27[1], 27[7], 28[8], 41[1], 226[15].
XXVII 3, 1 § 11 — 226[14]
» 3, 1 § 21 269[6] — 27[7], 240[4]
» 3, 1 § 22 255[8] — 37[1]
» 3, 2 § 1 — 14, 27[7]
» 3, 2 § 2 — 28[1], 39[6], 233[3]
» 3, 5 — 48[11]
» 3, 15 — 15[6], 226[13], 226[14], 226[16], 226[18]
» 3, 23 — 11[12], 15[1]
» 6, 7 § 4 — 15[4], 226[8], 237[7], 242[8].
» 6, 8 — 226[8], 237[7], 242[8], 242[9], 250[2].
» 7, 7 — 226[19]
» 9, 3 § 2 — 41[4]
» 9, 10 — 15[6], 15[7], 230[6], 231[4]
XXIX 4, 3; 11; 12 § 1 — 226[4]
XXX 8 § 1 — 15[6], 17[3]

Digesta.

XXX 8 § 2 — 44[10]
» 12 pr. 263[7] —
» 33 — 45[3], 45[11]
» 34 § 1 267[7] — 251[3]
» 34 § 2 263[2] —
» 34 § 3 264[3], 267[11] — 251[6]
» 34 § 4, § 5 267[11] —
» 34 § 6 267[11] — 251[6]
» 34 § 7 265[7], 265[8] —
» 34 § 8 262[10], 264[5] —
» 37 pr. — 43[2]
» 38 pr. — 43[3], 44[10]
» 39 § 2 — 42[5]
» 44 § 1; 45 pr. 264[2] —
» 49 § 5, § 7 — 227[7], 227[9]
» 53 § 2 262[8], 263[1], 267[4], 267[5] — 42[3]
» 69 § 2 — 227[3]
» 77 — 46[11]
» 81 § 4 — 42[2]
» 81 § 6 264[2] — 43[3], 44[10]
» 82 pr. 263[7], 263[8], 264[10] —
» 82 § 2 265[10], 266[4] —
» 82 § 3 266[5] —
» 82 § 6 266[8] —
» 84 § 2 251[5], 273[11] — 47[2], 243[1], 243[2]
» 84 § 5 266[1], 266[8] —
» 84 § 6 — 12[4], 13[5], 228[9], 243[2]
» 84 § 13 — 43[1], 43[3], 44[4], 46[9]
» 85 — 42[5], 45[8], 244[13] (245), 251[4]
» 86 § 1 251[5] — 42[5], 46[1], 242[2], 242[4], 244[13] (245), 251[4]
» 108 § 2 — 42[9]
» 108 § 4 262[5], 262[9], 262[10], 262[11], 264[3], 264[4], 267[1] —
» 108 § 5 262[6], 262[9], 262[10], 263[1], 264[5], 264[6], 267[2] —
» 108 § 6 265[7] —
XXXI 4 — 44[10]
» 5 § 1 274[12] —
» 6 — 44[10]
» 8 § 1 274[12] —
» 8 § 2 — 43[2]
» 23 — 44[10]
» 53 pr. 274[11] —

Digitized by Google

Digesta.
XXXI 55 pr. 263[7] —
» 59 262[8] —
» 63 — 44[1]
» 66 pr. 267[7] — 42[8], 251[2], 251[3]
» 66 § 1 260[7], 263[3] — 252[11]
» 66 § 2 — 252[11]
» 66 § 5 — 42[5], 42[7], 242[4]
» 67 § 3; 69 § 3 — 244[11]
» 73 265[7], 265[9], 265[11] —
» 76 § 8 — 40[3], 44[5], 230[7]
» 87 pr. 263[6], 264[3], 265[5], 265[6] —
» 88 § 7 265[5], 265[6], 267[6] —
XXXII 11 § 21 — 227[1], 246[6]
» 21 § 1 263[10], 265[5], 265[6], 266[9] —
» 32 — 42[5]
» 37 § 3 — 46[10]
» 40 § 1 — 42[5]
» 93 § 1 273[11] —
XXXIII 4, 1 § 9 — 12[5], 228[10], 246[6] 251[5]
» 4, 1 § 10 — 12[6], 228[10], 246[6]
» 4, 1 § 11 — 12[6], 228[10]
» 4, 1 § 12 — 228[11], 233[4], 242[1], 247[9]
» 4, 2 pr. 274[8], 274[9] —
» 4, 7 pr., § 1 — 12[6], 228[10]
» 4, 16 — 251[6]
» 5, 10 — 227[2], 227[5], 227[6], 247[2]
» 5, 11 263[7] —
XXXIV 3, 3 § 4 — 227[7], 227[11]
» 3, 3 § 5 — 227[7], 227[8], 246[6]
» 3, 4 — 227[7], 227[8], 227[10], 246[6]
» 3, 5 § 2 263[7] —
» 3, 28 § 13, § 14 273[11] —
» 4, 3 § 1 — 43[2]
» 4, 9 267[11] — 251[6]
XXXV 1, 23 — 44[10]
» 1, 67 — 43[2]
» 1, 71 § 3 — 227[4], 246[6], 247[1]
» 1, 72 § 4 — 43[2]
» 1, 77 § 2 263[7] —

Digesta.
XXXVI 1, 80 (78) § 10 263[7] —
» 2, 5 § 7 — 227[6]
» 2, 6 § 1 274[11] —
XXXVIII 2, 26 263[7] —
XXXIX 2, 18 § 15 275[5] — 33[8], 50[14], 50[16]
» 3, 11 § 1 — 15[6], 28[9], 28[10], 226[3]
» 4, 1 § 4 259[2] — 23[11]
» 4, 3 § 3 — 11[2]
» 4, 5 § 1 — 31[10]
» 4, 6 — 17[10], 18[5], 31[10]
» 4, 9 § 5 — 12[9], 20[7]
» 5, 33 pr. 268[6] —
XL 5, 22 274[12] —
» 5, 45 pr. — 46[11]
» 12, 13 pr. 253[2] — 240[8]
» 12, 20 § 4; 21 pr.; 22 § 6 — 37[2]
» 14, 6 — 20[2]
XLI 1, 7 § 10 — 39[4]
» 2, 12 § 1 — 15[2], 51[6]
XLII 1, 51 § 1 — 40[4], 229[1]
» 8, 10 § 14 254[5] — 229[6]
» 8, 25 § 1 254[6] — 229[7]
XLIII 1, 5 252 —
» 3, 1 § 4 — 230[7]
» 5, 3 § 6 — 20[1]
» 5, 3 § 15 — 229[2]
» 8, 2 § 4 — 235[5]
» 8, 2 § 41 — 29[1]
» 16, 1 § 13 — 15[6], 226[9]
» 16, 1 § 41 — 51[5]
» 16, 3 § 1 — 51[1]
» 16, 6 — 51[5]
» 16, 18 § 1 — 51[6]
» 17, 3 § 11 — 51[5]
» 24, 5 § 11 — 35[6]
» 24, 6 — 226[10]
» 24, 7 § 1 251[8] (252), 252 — 35[7], 226[11]
» 24, 7 § 5 268[4] —
» 24, 13 pr. 268[2], 268[4] — 27[5]
» 24, 13 § 3, § 4, § 7 268[4] —
» 24, 15 § 2 — 29[4], 226[10]
» 24, 15 § 12 — 47[12]
» 29, 3 pr. — 19[14], 20[6]
XLIV 1, 8 — 230[7]

Digitized by Google

Digesta.
XLIV 1, 22 pr. — 248[1]
» 2, 3 — 14[8], 16[8], 241[5], 246[3]
» 2, 5 — 48[6]
» 2, 6 257[1] —
» 2, 7 § 4 — 14[8], 16[8]. 241[5], 246[3]
» 2, 7 § 5 — 14[8], 16[8], 47[8], 241[5], 246[3]
» 2, 9 § 1 273[3] —
» 2, 13 — 25[18], 26[3]
» 2, 14 § 2 262[4] —
» 2, 14 § 3 — 15[2], 51[2]
» 2, 21 § 4 — 17[4]
» 2, 25 § 1 — 14[9], 229[8], 230[9], 241[5]
» 2, 31 — 15[1]
» 4, 2 § 5 — 243[3]
» 4, 2 § 7 — 231[3], 248[8]
» 4, 3 — 16[4], 231[3], 246[3]
» 4, 4 § 7 273[1] — 49[6], 243[2]
» 4, 15 — 249[2]
» 7, 17 263[10], 265[5], 265[6] —
» 7, 18 262[5], 262[7] —
» 7, 19 264[7], 266[8] —
» 7, 32 267[12], 267[14] — 23[3], 24[8]
» 7, 34 pr. 253[3], 258[5], 258[12], 270[11], 271[1] — 13[8], 13[9], 14, 15[7], 37[5], 37[10], 238[1], 242[3], 242[7]
XLIV 7, 34 § 1 268[11] — 13[11] (14), 48[7], 48[9], 243[5], 243[7], 244[6], 244[12]
XLIV 7, 34 § 2 268[12], — 27[5], 28[1], 36[14], 40[7], 47[3], 48[7], 48[9], 234[1], 239[3]
XLIV 7, 35 pr. — 51[1]
» 7, 41 pr. 259[1], 259[8], — 18[8], 254[1]
» 7, 41 § 1 258[5], 258[7] — 235[3], 246[1], 247[9], 249
» 7, 44 § 6 272[6], 272[7] — 50[3]
» 7, 53 pr. 269[7] — 13[6], 23[7]
» 7, 60 256[6] — 24[5], 25, 25
XLV 1, 2 § 2 — 226[12]
» 1, 16 pr. 266[7] —
» 1, 18 267[9], 274[3] — 50[6]
» 1, 25 267[9] —
» 1, 56 § 7 264[7], 264[8] —
» 1, 58 267[11] —
» 1, 83 § 6 263[10], 265[4], 265[6] —

Digesta.
XLV 1, 98 pr. 265[3] —
» 1, 115 § 2 272[8], 272[11] — 49[7], 251[1]
» 1, 116 254[9] —
» 1, 122 § 6 — 49[7], 251[1]
XLVI 1, 5 262[2] —
» 1, 13 254[13], 255[1] — 32[5]
» 1, 36 — 32[5]
» 1, 41 § 1 — 226[19]
» 1, 43 274[2] —
» 1, 52 § 3 251[7], 253[2] — 12[8], 15[6], 226[19]
» 1, 71 pr. 254[13] — 15[1]
» 2, 8 § 3 — 228[8]
» 2, 8 § 5 274[1], 274[2] — 50[8]
» 2, 9 pr. — 16[4], 50[5], 246[3]
» 2, 9 § 2 267[11] —
» 2, 16 — 50[7]
» 2, 28 274[4], 274[6] — 17[3], 50[4]
» 3, 21 254[10] —
» 3, 38 § 2 251[5] — 17[4], 228[8]
» 3, 61 264[4] —
» 3, 76 — 32[5]
» 3, 81 § 1 268[10] —
» 3, 84 — 17[4]
» 3, 95 § 9 253[4] — 229[3], 229[5]
» 3, 95 § 10 255[1], 255[3] — 11[11], 12[2], 32[5]
» 7, 4 — 228[7], 246[4]
» 7, 5 pr. — 228[7]
» 7, 14 § 1 — 228[8], 228[7], 246[4]
XLVII 1, 2 (tota) 270[3] —
» 1, 2 § 3 269[4], 270[1] — 11[9], 238[6], 246[5]
» 1, 3 — 21[11], 22[10]
» 2, 9 pr. 270[6] —
» 2, 9 § 1 251[5] — 16[4], 40[8], 41[6], 50[10], 242[2], 242[7], 242[8], 245[9], 246[3], 248[7]
» 2, 12 § 2 — 31[4]
» 2, 14 § 16 — 38[4]
» 2, 27 § 3 271[3] —
» 2, 28 269[3], 270[1], 271[4] —
» 2, 42 § 1 — 33[3], 33[9], 36[7], 241[3]
» 2, 46 § 1, § 4, § 5 — 31[3], 31[4]
» 2, 46 § 9 270[6] —

Digitized by Google

Digesta.
XLVII 2, 50 pr. — 249[6]
» 2, 52 § 12 — 20[5]
» 2, 53 (52 § 30) — 236[6]
» 2, 54 (53) § 1 — 38[3]
» 2, 55 (54) § 3 — 37[1], 40[8], 50[10]
» 2, 57 (56) pr. 270[6] —
» 2, 57 (56) § 1 — 22[8]
» 2, 57 (56) § 5 271[10] —
» 2, 68 (67) § 2 260[7], 270[6], 271[2], — 11[8], 253[1]
» 2, 71 (70) — 31[4]
» 2, 72 (71) pr. — 38[3], 242[1], 242[6], 242[7], 243[1], 243[2]
» 2, 75 (74) — 31[3], 31[4]
» 2, 77 (76) § 1 270[2] — 225[1]
» 2, 81 (80) § 3 — 236[6]
» 2, 81 (80) § 7 — 225[2]
» 2, 83 (82) § 1 — 31[4]
» 2, 84 (83) § 1 271[10] —
» 2, 88 (87) — 31[3]
» 2, 89 (88) 254[7] — 23[10], 24[1], 236[3], 236[4], 236[6], 249[5]
» 2, 93 (92) — 21[11], 22[10]
» 3, 2 — 39[4]
» 4, 1 § 16, § 17 — 37[1]
» 4, 1 § 19 — 25[16], 27[1]
» 5 (R.) — 38[6]
» 5, 1 § 3 — 10[4], 32[1]
» 6, 1 pr. — 35[11]
» 6, 1 § 1 — 35[9], 35[10]
» 6, 1 § 2 — 11[2]
» 6, 1 § 3 — 35[10]
» 6, 2 — 37[1]
» 6, 3 pr. 254[1] — 35[10], 36[10], 36[12], 242[9]
» 6, 3 § 1 254[1] — 36[11]
» 6, 5 253[8], — 36[3], 232[7]
» 7, 1 268[1], 268[2] — 18[8], 39[1], 39[3], 234[7], 250[4]
» 7, 5 pr. — 234[9]
» 7, 5 § 1 — 39[1]
» 7, 6 pr. — 27[1], 31[8]
» 7, 6 § 1 — 27[1], 31[7]
» 7, 8 § 2 268[5], 270[3] —
» 7, 9 268[5] — 13[5], 38[12]

Digesta.
XLVII 7, 11 251[8] (252), 268[1], 268[2], 268[4], — 18[8], 27[5], 39[1], 39[3], 47[11], 234[9]
XLVII 8, 1 254[7] — 23[10], 24[1], 236[3], 236[6], 242[9], 249[9]
» 8, 2 § 1 — 12[9], 21[3]
» 8, 2 § 10 258[2] — 23[11], 233[2], 237[4]
» 8, 2 § 26 267[13] — 237[2]
» 8, 3 — 33[3], 33[6], 33[9], 241[5]
» 10, 1 § 9 — 11[4], 11[7], 28[5]
» 10, 6 — 12[9], 19[12], 21[1]
» 10, 7 § 1 — 37[13]
» 10, 7 § 5 270[8], 271[10] —
» 10, 15 § 26 259[5] —
» 10, 15 § 35 — 257
» 10, 15 § 46 256[6] — 37[3], 37[6], 37[13]
» 10, 15 § 49 — 31[6]
» 10, 16 — 31[5]
» 10, 17 § 2 — 37[12], 37[13]
» 10, 17 § 21 — 11[7], 31[1]
» 10, 18 § 2 269[5] — 11[9], 28[5], 238[10]
» 10, 25 270[3] — 37[4]
» 10, 34 — 11[3]
» 10, 41 — 11[7], 28[5]
» 11, 5 — 20[7]
» 12, 3 § 9 — 28[6]
» 19, 3 — 21[5]
» 23, 3 pr. 261[5] —
XLVIII 1, 4 — 19[12]
» 2, 5 — 21[6]
» 2, 11 § 2 — 17[8]
» 2, 14 — 18[7]
» 2, 15 — 21[3]
» 3, 4 — 20[7]
» 5, 6 pr. — 24[2], 37[6], 237[4], 242[9]
» 5, 12 (11) § 3 — 20[10]
» 10, 25 — 20[7]
» 11, 3 — 235[5]
» 13, 3 — 19[1]
» 13, 8 § 1 (6 § 2) — 19[10]
» 13, 11 (9) pr. — 19[1]
» 13, 15 (13) — 18[12], 19[11]
» 15, 6 pr. — 20[5]

Digitized by Google

Digesta.
XLVIII 18, 5 — 18[6]
» 19, 11 § 2 270[7] —
» 19, 38 pr. — 19[10]
XLIX 14, 46 § 9 — 18[1]
» 15, 12 § 18 265[11] —
L 16, 73 — 244[9]
» 16, 178 pr.; 222 — 22[9]
» 17, 27 — 252[8]
» 17, 43 § 1 256[6] — 13[4], 40[2]
» 17, 57 255[7] — 250[10]
» 17, 80 259[1] —
» 17, 130 256[6] — 24[5]
Codex.
II 3, 14 272[6] —
» 4, 17 — 49[7], 251[1]
» 4, 40 — 49[6]
» 18 (19), 9; 19 — 231[6]
III 32, 3 § 1 — 231[7], 231[9]
» 32, 15 § 2 — 231[7]
» 36, 3 — 21[5]
» 36, 20 — 231[6]
» 41, 3 — 21[6]
» 41, 4 260[4] —
» 41, 5 — 37[1], 40[8], 50[10]
IV 7, 3 — 20[7], 20[12] (21)
» 8, 1 270[2] — 15[6], 27[1], 225[3]
» 10, 10; 14 — 49[9]
» 18, 3 — 226[19]
» 20, 13 § 1 — 20[8]
» 28, 2 267[9] —
» 34, 3 — 38[8]
» 36, 1 § 1 — 230[7]
» 51, 1 — 231[9]
» 52, 1 — 231[9]
» 54, 2 — 49[1]
» 54, 4 — 230[8]
V 13, 1 § 3*a* 274[9], 274[10] —
» 21, 2 — 41[11]
» 21, 3 — 41[7]
» 51, 6 pr. — 231[5]
VI 2, 1 — 38[7], 48[7], 48[9], 230[7], 230[8]
» 2, 4 270[3] —
» 2, 12 — 37[2], 40[8], 50[10]
» 2, 13 — 37[1], 40[8]
» 2, 14 — 37[1]
» 2, 18 — 23[3]
» 2, 19 — 37[1]

Codex.
VI 37, 3 — 46[5]
» 47, 4 — 46[3]
VII 10, 1 — 231[8]
VII 40, 1 § 1*d* — 240[2]
VIII 29 (30), 2 — 231[9]
» 40 (41), 23 253[1] — 15[6], 226[19]
» 40 (41), 28 pr. 252[4] —
» 40 (41), 28 § 1 252[4] — 251[7]
» 40 (41), 28 § 3 — 251[7]
» 54 (55), 3 — 47[1]
IX 2, 9 — 17[9]
» 2, 11 — 18[6]
» 13, 1 — 18[6]
» 19, 4 § 2 — 17[9]
» 20, 1 — 20[6], 20[12] (21)
» 20, 2 — 21[12]
» 20, 12 272[1] — 20[5]
» 21, 1 § 1 — 20[4]
» 22, 16 — 20[8]
» 22, 23 pr. — 22[1]
» 22, 24 — 21[7]
» 28, 1 — 19[7], 19[8]
» 31, 1 — 20[9], 20[12], 21[2], 22[14], 38[4], 254[4]
» 32, 1 — 21[5]
» 33, 5 — 38[9]
» 35, 2 — 11[5]
» 35, 8 — 37[12], 37[13]
» 47 (R.) — 254[4]

VIII. Ius Graeco-Romanum.

Theophilus.
IV 76 — 20[7]
IV 193 — 244[10], 244[13] (245)
Basilica.
12. 1. 45 (sch. 3) — 37[1]
42. 4. 20 (sch. 1) — 243[4]
52. 1. 59 — 25[12]
53. 8. 14 — 20[7]
60, 33. 22 (sch. 3) — 18[6]
60, 62, 1 — 20[12] (21)

IX. Ius Romanum medii aevi.

Petrus.
Except. III 1 — 37[1]
» III 2 — 24[1]
App. I 11 — 24[1]

Digitized by Google

X. Ius Germanicum.		*Glanvilla.*	
		II 3 § 10	
Liber Pap.		II 6 § 3	— 234[2]
Liutpr. 130 (131)	259[7] —	IV 9 § 3	
		IV 11	— 51[8]

Ad Aeschyli Choephor. vs. 783 sqq.

Huius carminis exordium quod traditum est hoc modo:

νῦν παρκιτουμέν' ἐμοί, πάτερ
Ζεῦ θεῶν 'Ολυμπίων,
δὸς τύχας τυχεῖν δέ μου
κυρίως τὰ σώφροσυνευ
μαιομένοις ἰδεῖν.
διαδικᾶσαι πᾶν ἔπος
ἔλακον . . .

variis virorum doctorum emendationibus usus, collatis Soph. Trach. vs. 296 sq.:

ὅμως δ' ἔνεστι τοῖσιν εὖ σκοπουμένοις
τερβεῖν τὸν εὖ πράσσοντα, μὴ σφαλῇ ποτε,

ita distinguere posse mihi visus sum:

νῦν παρκιτουμένᾳ μοι, πάτερ
Ζεῦ θεῶν 'Ολυμπίων,
δὸς τύχας [1]), τυχεῖν δέ μοι
κυρίως τὰ σώφροσιν. εὖ
μαιομένοις ἰδεῖν
διὰ δίκας πᾶν ἔπος
ἔλακον . . .

i. e. νῦν παρκιτουμένη μοι, ὦ Ζεῦ, δὸς εὐτυχίαν, κυρίως δὲ δὸς ἐμοὶ τυχεῖν ἐκεῖνα ἃ τοῖς σώφροσι τυγχάνει [2]). τοῖς εὖ σκοπεῖν βουλομένοις δικαίως πάντα εἰπεῖν δοκῶ . . .

G. V.

1) τύχαν?

2) i. e. τὰ ἀρκοῦντα; cf. Eur. *Phoen.* 554.

Digitized by Google

DE EPISTULA ALEXANDRI AD ARISTOTELEM OBSERVATIUNCULAE.

SCRIPSIT

F. MULLER JAC. F.

Singularis momenti habemus Epistulam Alexandri ad Aristotelem, qua magistro, quaecumque in regionibus longinquis viderat, vividis coloribus depingere conatur. Veritatis, quae dicitur historica, inibi nihil fere aut non sane multum; praeter fictiones, quae ex Ps. Callisthene (III 17) ultimo auctore originem ducunt, permulta nova atque inaudita in versionibus demum Latinis inveniuntur, quae in auctoribus Graecis frustra quaeras. [1])

A materia, quam exhibet fons omnium atque auctor Ps. Callisthenes, inter omnes minime recedit Iulius Valerius: libri III capita 14—28 ampliore stilo multoque fusius eadem fere narrant, quae Ps. Callisthenes (III, 17) [2]).

Multa vero addiderunt „Epistulae" duae, quae neglectis ceteris narratiunculis unum idemque argumentum tradunt, descriptionem ad Aristotelem de itinere suo et de situ Indiae missam. Ex quibus alteram novissime edidit B. Kübler, Iulii Valerii textui, anno 1888 emendato, appendicis vicem additam (p. 190 sqq.), alteram nuperrime publici iuris fecit Fr. Pfister in libello, cui nomen „Kleine Texte zum Alexanderroman" (1910), p. 21 sqq.

1) Vide A. Ausfeld, Der Griechische Alexanderroman (1907) p. 27 sq.
2) V. Ausfeld l. l. 177 sqq.

Digitized by Google

Utriusque epistulae argumentum inter se comparantibus protinus plane et prorsus idem esse apparet. Quod vero ad linguam stilumque attinet, maxime altera ab altera differt. Prior enim ad Latinitatem exquisitam propius accedit, adiumenta ab arte rhetorica petita non spernit, immo paucissimis verbis plurima amplexa priscam litterarum Latinam gloriam tamquam redivivam suscitat. Longe aliter in posteriore epistula res se habet: nulla omnino ibi iam est ars dicendi; verborum tenor laxus, stilus elumbis atque enervis; etenim verbis ditissima narratio rebus indiget, nempe languido necnon exili stilo perscripta. Duo, quod sit minimum, inter utramque epistulam praeteriisse saecula, iam propter istam linguae indolem adeo mutatam atque ad eam linguam, cui brevitatis causa nos quoque „vulgaris" nomen indimus, pronius vergentem, veri nobis videtur esse simillimum.

Quod, credo, viros doctos movit, ut epistulam posteriorem neque ex priore esse derivatam neque inde quicquam hausisse perhiberent. Atqui Epistulam secundam etiam alios auctores, fortasse graecos, adhibuisse, interim non erat cur negaremus. Namque initio, ubi prior haec verba habet: *mense Maio rege Persarum Dario apud Gangem(!) amnem superato* posterior fert quod unice rectum est *postiquam vicimus Darium regem Persarum apud flumen, qui dicebatur Grannius*. Propius tamen rem inspiciamus. Nam Pfister in editione haec adnotat: „*Grannius = Granicus; -nius* auf Rasur cod." (sc. Bambergensis). In codice igitur unico posterioris epistolae verae scripturae aut tres tantum litterae *Gan-* aut quattuor *Gran-* supersunt. Hanc rem editor in incerto reliquit neque nos hodie litem dirimere valemus. Si argumentum ex editoris silentio de *r* littera nihil referentis petentes idcirco *Gran-* in textu vetusto fuisse credimus, cur mutaverit librarius ultimas litteras, equidem non video. Restat, ut genuinam scripturam *Gan-* exhibuisse putemus. Unde statim nomen *Gangem* etiam in altera Epistula prius fuisse scriptum omnibus manifestum est.

Ita locus unicus, aptissimus qui videbatur ad demonstrandum Epistulam secundam ex alio fonte fluxisse, vim suam atque momentum prorsus perdidit.

At longe etiam aliter res est comparata. Digito monstrare

Digitized by Google

possumus auctorem posterioris priorem Epistulam optime cognitam narrationis praecipuum habuisse fontem. Quod simulac demonstratum erit, iniuria haec scripsisse videbitur v. d. Fr. Pfister in editione (f. IX) „Beide Fassungen (stehen) in keinem gegenseitigem Abhangigkeitsverhältnis".

Duos locos tantum inter se comparemus. In posteriore epistula haec habes (p. 29, 48 fister). *Quid facit Alexander, ego nescio, quia pastor sum de uno milite Macedonico.* At de pastore ubique altissimum silentium, qui re vera de caelo delapsus est; nusquam eius mentionem fecerat auctor. Priorem consulas epistulam: statim omnia sunt explicata (p. 203, 14 Kü): *„respondi ei uno id proposito ignorare me, quid faceret Alexander, cum essem gregarius ex Macedonico exercitu miles.* Vocabulum igitur *gregarii militis* ignorans quid significet posterioris Latinitatis auctor aut aliter, sensu scilicet eo, quem in Italia saltem servavit vox *gregarii*, nempe *pastoris* (cf. Meyer-Lübke Etym. Wtb. d. rom. Spr. N° 3859) aut derivationis rationem pressius sequens sponte a *gregis* vocabulo (in linguis romanis et superstite et saepius usitato v. Meyer-Lübke l.l. 3865) deduxit sensuque *pastoris* ipse donavit. Quod quoniam per linguae tantum latinae vocabula ita explanari potest neque de historia Alexandri alter praeter nostrum testis ullus, Latinus ille quidem, quantum hodie scimus, exstat, eisdem vocabulis idem depingens, fieri nullo modo potest quin epistula posterior aut solam aut inter auctores alios etiam hanc epistolam priorem adhibuerit.

Eandem demonstrandi vim alter mihi locus habere videtur. Experimento doctis nonne suspicionem quandam nobis movebit Epistula posterior haec narrans (p. 30, 9 Pf.): ... *et volebamus iam comedere, et ecce subito veniebat fugiendo pastor et illi qui ligna trqhebant, nuntiantes nobis* eqs. Rursus eundem pastorem, qui cur sit nusquam apparet! Solutionem denuo affert Epistula prioris aetatis (p. 205, 17 Kü.) *coeperamus velle soporari sub pura nocte hora diei undecima, cum subito pabulatores lignatoresque exanimati omnes advenerunt, simul nuntiantes* eqs. Recentior auctor, cuius in verborum copia nec pabulandi nec lignandi vocabula adessent, aut per ambages („*ligna trahebant*") aut per errorem se expedivisse videtur, dum *pabulatorum*

Digitized by Google

notionem planam ignorans propter vocabulorum affinitatem rursus ibi *pastorem* quendam indagasse se credit. Sunt autem eodem loco alia pravae interpretationis indicia. Namque, nisi forte omnia me fallunt, etiam temporis indicatio recentior „*hora diei undecima*", ut a scopo ille longius aberraret, effecit: nequaquam tempus nocturnum, verum crepusculum atque cenae iam instantis horam inde colligens scripsit: *volebamus iam comedere*. Accedit quod *soporandi* verbum non intellexit [1]) iamiam ignotum; unde satis amplum divinandi et errandi ei patebat spatium.

Tertius isque hodie ultimus restat locus. In epistula antiquiore haec legis (p. 204, 6 Kü.) *et ad Herculis Liberique trophaea me deduxit in orientis ultimis oris* (sc. Porus); *aurea utraque deorum constituerat simulacra. Quae an solida essent, ego scire cupiens* (nimirum ut ea si re vera solida comperisset secum auferret!), *omnia iussi perforari, et id ipsum* (ling. vulg. = „plane, secundum spem") *cum vidissem solida esse, simili metallo complevi* (sc. locum perforatum) *et Herculem Liberumque deiectis simulacris* (h. i. de crepidine sua, nempe quae inde asportaret!) *victimis complacavi.*

Haec et mutavit posterioris epistulae auctor, propterea quod locum non satis intellexit, et fine dempto paene expressis verbis prorsus alteram verbis significationem obtrusit, tamquam Alexander id solum egerit, ut statuas, quas perforatas non solidas invenisset, ex fusilibus redderet solidas, quo gratior foret utrique deo. Haec habet (p. 29, 22 Pf.): *deinde portavit me* (sc. Porus), *ubi erant statuae de auro, quas ibi posuerat Liber pater et Hercules* [2]), *qui fuerant dii apud paganos. Cumque voluissem scire, si fusiles essent, ipse statuae, omnes eas*

1) Haud scio an ei, obscura sonorum similitudine ducto, obversatum sit verbum illud romanum, quod in lingua gallica hodierna exstat: *souper* et *soupe*. De qua conferenda est disputatio v. cl. Meyer—Lübke (Rom. et. Wtb. 8464: prov. *sopar* „zu Abend essen"). Linguae vulgaris *suppa* iam in Oribasi editionibus exstat posterioribus (saec. V aut VI p. C., plane eiusdem aetatis cuius etiam epistula nostra est!). Omnium fons et origo est vox germanica ags. *soppian* „weeken", ndl. *soppen*, (v. Fick Vgl. Wtb. d. idg. Spr.[4] III p. 445, J. Brüch Einfl. d. germ. Spr. auf das Vulgärlat. 64).

2) Exempli verba *utraque deorum* iam non intellegens interpretatus est quasi *uterque deorum*.

Digitized by Google

perforare feci, cumque invenissem, quia fusiles essent, feci implere ipsa pertusa [1]) *de auro. Abiens inde* eqs.

Maximam demonstrandi vim habent loci, quibus epistula posterior aut omnibus numeris similis est priori aut vocabula insolita pauca tantummodo mutavit aliis ex usu cotidiano desumptis. Cuius rei disertissimum exemplum affero hocce: *nam et flatus Euri ceciderat et frigus ingens vespertino tempore accrescebat* (p. 208, 4 Kü.) ∾ *nam et flatus venti ceciderat et magnum frigus accrescebat* (p. 31, 21 Pf.).

Quattuor iam loci quasi una atque diserta voce monent, siquidem posterioris Epistulae argumentum et contextus, nisi assumpta priore Epistula tamquam fuerit fons praecipuus unde fluxerit posterior, nullo modo explicari potuit, recentioris Epistulae auctorem Epistulam priorem adhibuisse et consuluisse.

---

1) Quasi vero foramen illud propterea effecerit ut eo uteretur tamquam via, qua metalli massa liquefacti in simulacri partem interiorem penetraret!

Digitized by Google

EMENDATIONES CATULLI.

SCRIPSIT

T. L. AGAR.

(Continuantur ex pag. 176.)

I, 8 quare habe tibi quidquid hoc libelli
qualecumque, quod, o patrona uirgo,
plus uno maneat perenne saeclo.

Duo peruolgata uerba in huius loci initio 'habe tibi' operae pretium est curiosius animaduertere. Haec locutio est sollennis et antiqua formula transferendi bona in alterius possessionem, e. g. in uxore repudianda, Cic. Phil. II. 28 illam mimam suas res sibi habere iussit, et in alia re Cic. Verr. IV, 19 clamare coeperunt, sibi ut habeat haereditatem. Itaque hic libellus Catulli fit possessiuncula quam Cornelius fideliter et, ne longius dicam, ut patronus clientem, tutari atque adeo patrocinari debet.

Tali nexu inter libellum et annalium scriptorem, quem maxima laude cumulauit, rite constituto mirum est ut poeta proximo uersu Corneli prorsus oblivisci uideatur, et unam Musarum, ut putatur, nullo nomine distinctam, 'patronam uirginem' uocet. Difficillimum est credere: nonnulli editores et critici, Bergkius, Munro, Schmidtius recusant, quos hactenus sequor. Emendationes autem adhuc editae quarum mentionem facere supersedeo uix placent, quia nullam probabilem originem traditae lectionis 'uirgo' ostendunt. Quare ausim nouam quandam solutionem proferre legendo:

qualecumque, tua ut, patrone, uirga
plus uno maneat perenne saeclo.

Quam proxime absit 'uirga' a tradita uoce, 'uirgo', cuiusuis est uidere.

Digitized by Google

Notum est et facile potest euinci uirgam esse indicem potestatis et legitimae auctoritatis. Seruius distincte et explicate scribit ad Aen. IV, 242: „uirga insigne potestatis est. nam ideo ea magistratus utuntur: dicta quod ui regat. Hac et uates plerumque utuntur. Et hodie tam athletarum quam gladiatorum certamina uirga dirimuntur; et praefecti gentium, cum fiunt, uirgam accipiunt et gestant". Uniuerse Ouidius, Trist. V, 6, 31

ceditur et caecis et quos praetexta uerendos
uirgaque cum uerbis imperiosa facit.

Vergilius singillatim et proprie Aen. VII, 190

aurea percussum uirga uersumque uenenis
fecit auem Circe sparsitque coloribus alas.

Neque uero sine ratione intenta, ut ita dicam, Catullus hoc uerbo fortasse usus est, quippe qui auctoritatem quandam ludimagistro propriam Cornelio alludens attribuit. Cur non liceat suspicari Cornelium historicum olim studia iuvenis Catulli et aliorum gubernasse et epitomen universae historiae suis pupillis tribus chartis scripsisse? Etenim tres libri, etiamsi chartas libros significare sinamus, non potuissent comprendere argumentum maius et amplius quam cuncti illi libri CXLII T. Livi, quorum haud paucos, diu desideratos, nunc demum repertos esse in Italia nuper incredulí audiuimus.

Utcumque erit, 'uirga' a litteris traditae uocis 'uirgo' proxime abest, dumque idoneam sententiam plus uno modo praebet, poeticum lucrum qualecumque videtur secum afferre.

III, 6 nam mellitus erat suamque norat
ipsam tam bene quam puella matrem;

Miror Ellisium in commentario suo illud 'ipsam', in medio suspensum iungere cum terminali 'matrem' potius quam cum praecedente 'suam' uoluisse. Sic pro solito 'tam bene quam ipsam matrem' uerborum ordo nouus et inusitatus exit. Num Catullus pro hac uice suo metro uictus recessit? Minime. Nulla metrica difficultas vel pessimo poetae hic oritur. Re uera plerique editores maluerunt 'suam' et 'ipsam inter se connectere aestimantes 'suam ipsam" perinde ut 'suam eram' esse, quae ratio scrupulum Ellisio iuste iniecit, et certe legitimum est quaerere quidni poeta 'suam eram' simpliciter scripserit. Ductus

Digitized by Google

litterarum ita legere uolentibus plane obstat. Concedo, sed ulterius audi. Hanc opinionem usque eo tenebam donec legerem in pag. 2 Mnemosynes LII (1924) haec verissima de Properti Eleg. VI, 9

Siccine eam incomptis vidisti fiere capillis?

„Pronomen *eam* ferendam non arbitror ante pron. illius in us. sq. quo iterum Cynthia denotatur, atque hercle parum reverenter Propertius ita amicam suam huius servo indicaret. Corrige quaeso

Siccine (h)eram incomptis vidisti fiere capillis?"

Haec emendatio palmaria cuiuis patefaciet quo modo in Catull. III, 7 retrogressus ab *eram* ad *ipsam* per medium *eam* factus sit. Quisnam deinde hoc loco mutare *eam* in *ipsam* haesitasset? Si non, causa ad finem perducta est, neque uerbum amplius addo.

IX, 1 Verani, omnibus e meis amicis
antistans mihi milibus trecentis,

Sic codices: sed doctissimus Baehrens, non sine aliorum consensu, prep. *e* in exclamationem *o* conuertit. Perperam, ut opinor. Nam contemplemur quid haec compellatio sibi velit. Catullus uix dicere instituit Veranium pluris esse quam omnes suos permultos amicos, quod exit cum o legitur, sed potius eum unum e numero suorum amicorum instar esse multorum (litt. CCC). *πρὸς ταῦτα τοῦ παραδεδομένου* E *ἀνθεκτέον ἐστι.*

X, 24 hic illa, ut decuit cinaediorem,
'quaeso' inquit 'mihi, mi Catulle, paulum
istos: commodum enim: uolo ad Sarapim
deferri.' 'mane † me' inquii puellae;

Ita Postgatius. Proponam cum defensione quam potero brevissima hancce loci redintegrationem:

'quaeso' inquit 'mihi, mi Catulle, paulum
da istos commodo, nam uolo ad Sarapim
deferri.' 'uenia', inquii puellae;

Hae coniecturae in eo praecipue nituntur quod solitae lectiones haud idonee in colloquium quadrare uidentur. Primum animaduertamus illud 'mane me', prauum sensu, metro prauius:

Digitized by Google

subrusticum, ne dicam rude et uernaculum, sonat; Catullus autem, sua iactatione illaqueatus, nihilominus, ut semper, uir uenustior est (cf. III, 2). Quum antea (p. 173 huius voluminis) de hoc uersu scribebam, huic lectioni et aliis quibusdam 'male me' dixi esse praeferendum, neque iam nunc aliter sentio; sed hoc '*male me*', quamvis per se tolerabile sit, non ad amussim placet. Profecto '*me*', supra obelisco notatus, in dubio est et a multis editoribus prorsus, ut insiticius, est eliminatus. Mentionem igitur feci nouae coniecturae 'uenia (me)' in pleno 'uenia me audi'. Certe primo aspectu 'uenia' nimis a 'mane' distare uideatur. Attamen accuratius eas res scrutanti deprauatio litterae *u* in *m* uel casu uel culpa evenisse poterat. Deinde uix dubium est quin 'menia' in 'mane' aut simile quippiam exiturus fuerit. Quoad sensum, '*uenia*', 'by leave', 'tua permissione', concinne et urbane dictum est pro 'uenia me audi', (cf. Cic. N. D. 1, 21, 19 bona uenia me audies, Ter. Ph. 2, 3, 32, Cic. Diuin. 1, 15, 25.) Exemplum 'bona' omissi praebet Cens. de die nat. 4 Plato illa uenia ceterorum philosophorum sanctissimus.

'Da' ante 'istos' non omnino opus esse fateor, neque pro explorato habere potis est utrum euanuerit ante an post, quam 'commodo' in 'commoda' mutatum est; equidem defectionem huius uocabuli effectum esse potius quam causam iudicare inclino. Elisionem patiuntur uoces unius syllabae passim apud Catullum ut in l. 33 infra, sexies in initio uersus, et plus quam uicies in aliis locis, quoad ipse obseruaui.

Restat ut indicem quare 'commodo' hic legere praestiterit. Puella hilarula, malitiae festiuae indulgens, rogat ut hi serui summa celeritate sibi mittantur. 'Da istos mihi', ait, 'statim', 'illico', ut Americana dictio pronunciat 'right away'. Bene ea scit Catullum ex sua re dare non posse. Quae quum ita sunt, quisnam aliquod aliud uerbum hic uidere uelit? Confer, sodes, Plaut. Mil. IV, 4, 6 ecce autem commodo aperitur foris.

Denique illud '*nam*' traditione praefultum, pro quo '*enim*' saepius suppositum est, ita potest integrum seruari, quae res in textu constituendo fortasse parui sed tamen aliquantuli est momenti. Haec praefatus doctis et uenustis res iudicandas relinquo.

Digitized by Google

XXI, 10 nunc ipsum id doleo quod esurire
† me me puer et sitire discet.

Hoc aenigma *me me* tres syllabas celat et, ni fallor, cum in fronte tum in tergo amputatum est. Si ponas litteram unam *i* abante, non procul est quin in conspectu appareat '*immerens*' per multos dies tenuiter obscuratum.

XXIX, 6 et ille nunc superbus et superfluens
perambulabit omnium cubilia
ut albulus columbus aut Adoneus?

Ille uersus octauus leui quodam uitio laborare uidetur. Quid sibi uolt columbi et Adonei oppositio? Nihil omnino. Nulla explicatio in promptu est. Editores plerumque Adoneum et Adonim *συνώνυμα* esse probare contenti sunt. Vera lectio, ut opinor, sine unius litterae mutatione ita currere debet:

ut albulus columbus autadoneus.

'Shall he strut about like a white dove of Venus, a very Adonis'?

Catullus, in litteris Graecis uersatus, pro hac uice Graeca appellatione usus est. Apud Graecos, ut notum est, *Αὐτοθαίς*, *Αὐτομέδων*, *Αὐτόλυκος* et sim. omnibus saeclis audiebantur, et alia composita eiusmodi hoc tempore Romae irrepebant, cf. Cic. pro Rosc. 133 authepsa.

Ellisius in notis laudat Aristaen. 1, 8 *ἔστιν αὐτὸς περιπόθητος Ἄδωνις* fortuito, ut puto, meam coniecturam quodammodo stabilitans.

Suspicari cuivis licet Catullum, arrogantiam Mamurrae lepide stringentem, etiam allusisse ad uocem adulterinam 'autidoneus', *αὐτάρκης*: sed huic merae suspicioni non assentio, quippe quia autadoneus, ad normam usumque linguae formatus, ipse per se hic satis est.

17 paterna prima lancinata sunt bona
secunda praeda Pontica, inde tertia
Hibera quam scit amnis aurifer Tagus.

Codices omnes duobus exceptis, O b (Ellis), 'quam sit' habent, quae lectio sustentare atque tueri 'quam scit' in uniuersum putatur. Hoc, ut opinor, propius inspici debet. 'Scit praedam'

Digitized by Google

sententiam mancam et imperfectam praebet. Confer e contrario Verg. Aen. XI 259. Magnam spem habeo me ueram lectionem inuenisse quae nulla obscuritate laborat et aeque cum traditis litteris congruit.

Hibera quam ambit amnis aurifer Tagus.

Similem elisionem relativi videas II 2 quem in sinu tenere, XXXIX, 20 ut quo iste uester. Melius exemplum λιπογραφίας uix usquam potest inueniri. Paene ausus essem dicere neminem non illud 'scit' reiecturum esse, sed illius presbyteri 'mumpsimus' praeferentis opportune memineram.

23 eone nomine, urbis opulentissimi,
socer generque perdidistis omnia?

'Opulentissimi' quod codices praebent a fide abhorret et ab omnibus ultro abiudicatum e textu euanuit. Perlongum et ineptum hoc uocabulum deminuendum opus est. Bona uenia legentium enumerare alias uarias coniecturas abstineo.

Facilis lectio in promptu est atque eadem aptissima

urbis o lentissimi.

Syllabam unam 'pu' manifeste superfluam sustuli. Sententia est: Vosne, quibus ipsa nostra urbs Roma flocci stetit, qui nihil curatis utrum cives floreant rebusque secundis fruantur necne, rempublicam socordes propter Mamurram perdidistis? Neque Caesar neque Pompeius, ait poeta, boni publici studiosum se praestitit.

'Lentus' cum genitiuo hoc sensu inuenitur Stat. Silu. III, 176,

Dum lentus coepti terra cunctaris Ibera.

Quo modo traditio tam mira et illaudabilis generata sit, in promptu est ponere. Criticus antiquior, ante oculos 'olentissimi' habens, ita aut similiter scriberet „indecorum est et contra metrum; confidenter 'o⟨pu⟩lentissimi' restituo", et suam perspicacitatem ualde et fatue admiraretur.

XXXI, 13 gaudete uosque, o liquidae lacus undae:

Vera lectio est incerta, *uos quoque* codices omnes sinceri (Ellis.) *lydiae* et *lidiae* MSS. Coniecturae sunt 'liquidae', 'limpidae', 'lucidae', 'lariae', 'libuae' cum „uosque o" praecedente; 'uuidae' cum „uos quoque".

Digitized by Google

'Lydiae' reiciendum est quippe e fabulis duabus inter se contrariis de gente Lydia ridicule contaminatum. Ceterae illae emendationes, epitheta ornantia, fortasse inseruiant, nisi quid aptius alicunde accesserit. Paucissimis uerbis nouam hanc lectionem aduocare uelim:

gaudete uos quoque, ultimae lacus undae:

Poeta sibi uolt κυμάτων γέλασμα extendi usque ad extremum litus huiusce magni lacus Benaci, qui nonnunquam, ut Vergilio teste utar, fluctibus et fremitu marino solet assurgere.

XXXVI, 9 Et haec pessima se puella uidit
iocose lepide uouere diuis.
nunc, o caerulco creata ponto, —

Enarrare uarias enodationes huius loci abstineo. Si quisquam credere locutionem 'uidit se uouere' germanam recteque traditam esse contentus sit, esto. Contra licet 'uouisse' desiderare. Praeterea, ni fallor, praua interpunctio sententiam corrumpit occultatque. Nonne melius est leniter locum reficere ita scribendo?

Et haec pessima si puella uidit
iocose lepide uouenda diuis,
nunc, o caeruleo creata ponto, —

Si puella consulto et scienter statuit haec scripta Volusi esse omnium pessima ideoque dis uouenda et ustulanda, nunc, O Venus, uotum eius fac acceptum et redditum.

XXXVIII, 2 malest me hercule et laboriose

Metri uitium multa remedia euocavit, quibus aliud addere periclitabor,

malest, (me) hercle, male et laboriose.

'Male' ter repetitum scribae alicui superuacaneum uisum est, cui uel duo uel nemo hodie consentiat.

XL, 1 quaenam te mala mens, miselle Rauide,
agit praecipitem in meos iambos?

Dubitare non possum quin haec uerba metro iubente ordinanda ita sint:

quaenam mens mala. Rauide o miselle
te agit praecipitem in meos iambos?

Digitized by Google

Elisionem monosyllabi supra (X, 26) satis uindicauimus. Adde, sodes, LV, 4—5 te in circo, te in omnibus libellis
te in templo summi Iouis sacrato.

LI, 6 eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi

* * * * *

Ad hiatum supplendum 'uocis in ore' protulit Heysius: 'gutture uocis' Westphalius: 'in fauce loquellae' Doeringius. Omnia haec supplementa redundantiam quandam exhibent ingratam. Nemo non a primis annis scit unde uox emittatur. Nonne praestat sequi Vergilium qui scripsit Aen. VI, 493 inceptus clamor frustratur hiantes, sic legendo:

uocis hianti

ut saltem conatus loquendi re uera fieri compareat.

LV, 9 *a uel te sic* ipse flagitabam:

In re desperata proponere uelim 'dum auertunt sese ipse' aut (omisso 'dum') 'auertentes se ipse', 'I kept making personal appeal (ipse), as they continued to turn away'.

LXI, 46 quis deus magis – ⏑ ⏑̲
est petendus amantibus

'Amatis' codices perperam. An 'omnibus'? Epitheton ornans hic non opus est. Illud solum refert Hymenaci cultum usque quaque per humanum genus extendi.

LXII, 39 ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,
ignotus pecori, nullo contusus aratro, —

'Contusus' in plerisque codicibus legitur. Conuolsus T, quae lectio Vossio, Lachmanno, Postgatio et aliis arrisisse uidetur. Concusus d, e quo equidem auguror uerum esse 'concussus', maxime fretus uersu illo Propertiano (I, VII, 15)

te quoque si certo puer hic concusserit arcu.

Quam facile contusus abhinc exoriri possit, cuiusvis est nouisse. Aeque notum est S uice SS saepissime inueniri, e. g. XII, 9.

LXIV, 16 illa atque haud alia uiderunt luce marinas

'Illa atque alia' lectioni immodulatae et fatuae traditio fauet.

Digitized by Google

Bergkius 'haud' ratione inseruit, 'illa atque haud alia', cui multi suffragantur. Recentius 'illa (quaque alia?)' Munro et Postgatius adoptauerunt. Mihi autem uix uidetur uerissimile tali ad populum prouocatione Catullum hic usum esse. Fortasse propius a uero Lachmannus aberat, cum 'illa, si qua alia' proposuit. Catullus Graecis litteris imbutus commune illud *εἴ τις καὶ ἄλλος*, ab Homerica aetate usque ad Alexandrinam usitatum hic reddidit, cf. Il. B, 80 *εἴ τις* — *ἄλλος*, E 897 *εἰ δέ τευ ἄλλου* etc.

23 heroes, saluete, deum gens, o bona matrum
progenies, saluete iterum
Liceat terminare sententiam nouo uocabulo ita,
iterumque iterumque uocanti
quippe enim illud 'iterum' bis repetitum melius cum 'uocanti' quam cum 'saluete' coniungi uidetur. Praeterea uo- citius post 'que' periret quam prima syllaba riualis uerbi 'bonarum'. Certius concludi de ea re locus non admittit.

108 illa procul radicitus exturbata
prona cadit lateque cum eius obuia frangens
Fortasse haud procul a traditis litteris legendum sit
late, quaecumque eii obuia, frangens
Eii vel ei legitur Plaut. Curculis IV, 3, 12 et Lucret. II, 1136.

LXV, 21 quod miserae oblitae molli sub ueste locatum
Leuissima correctio hic desideratur. Si quis alius, Cic. ad fam. 12, 12 'Bassus misere noluit mihi legionem tradere' extra dubium posuisse uidetur ueram lectionem esse: —
misere oblitae
Puella 'per infortunium', 'infeliciter', obliuiosa facta est.

LXVII, 12 uerum † isti populi ianua † qui te facit
Legendum est, ut opinor,
uerbum est id populi, 'ianua quippe facit'.
Cf. Plaut. Truc. IV, 4, 32 uerum est uerbum, quod memoratur: ubi amici, ibidem opus. Necnon et pro *quippe* forsitan *quicque* rectius esset. Nil mali, ut aiunt, ianua non facit.

Digitized by Google

32 Brixia † chineae supposita speculae

In hoc uersu uitium, adhuc inextricabile, quam maximam offensionem legentibus diu praebuit. Spem bonam habeo fore ut hoc arcanum tandem reuelatum explicare possim.

Itaque non dubium esse affirmo, quin Catullus, bene gnarus Brixiae et regionis circumiacentis, ita re uera scripserit:

Brixia, quae Euganeae suppositast speculae —.

Haec urbs iuxta montes Euganĕos secundum septentrionale latus porrectos sita est, quorum in summo quodam culmine specula cum uigiliis ad incursiones barbarorum praemonendas staret.

Nemo prorsus 'st' excidisse ante 'sp' admirabitur. De elisione monosyllabi semel atque iterum dixi, cf. XXIX, 17 supra.

LXVIII B 78 qui † tuum domitum ferre iugum docuit.

Ita codex V. Illico leui manu emendandum esse oportet:

qui tuum erum domitum.

Prolepsis defendit 'domitum' contra coniecturam 'indomitum'. Ellisius 'dominum domitum' nimia mutatione traditi textus legere uoluit.

117 et qui principio nobis terram dedit † aufert

Aliae uoces potius quam 'aufert' in hoc uersu false traditae sunt. Similiter ac feci in nota mea antecedente hic quoque reponere uelim

et qui principio nobis ter eram dat et aufert

Manifeste 'ter eram' facillima 'terram' fiat, et duo illa historice praesentia tempora res gestas satis describere uidentur.

LXIX, 3 non si illam rarae labefactes munere uestis

Ita doctissimus editor Corporis Poetarum Latinorum, Auantium sequutus, legere uoluit. 'Nos illa mare' traditum est in codice V. Neque 'carae' (Ellis.) neque 'Coae' (Baehr.) magis loco huic congruere mihi uidetur. Ductus litterarum (m pro mu) potissime suadet 'non si illam uariae'

'Rarae' illae Coae uestes solis meretricibus, quarum hic οὐδεὶς λόγος, usui forent.

Digitized by Google

DE OVIDII METAMORPHOSESI A C. BULLEO IN LINGUAM GERMANICAM VERSIS.

SCRIPSIT

K. H. E. DE JONG.

Metamorphoses Ovidii quibus haud facile fabulas invenias lepidiores, ut in nostram sic et in Germanicam linguam plus semel esse conversas non est quod miremur. Qui Homerum reddidit, Vergilium, Horatium, alios, nempe I. H. Vosz, et Ovidii opus amplissimum Germanice transferre conatus est versibus hexametris iisque perpolitis nec non verba poetae latini pressius secutus, ut e. g. versus illi de Iove Phaethontem fulmine percutiente, II, 312 sq. testantur

pariterque animaque rotisque
expulit et saevos compescuit ignibus ignes

sic conversi

aus dem Leben zugleich und den Rädern
Schmettert' er ihn und dämpfte mit schrecklicher Flamme die Flammen.

Sed, quod dolemus, haud negari potest interpretationen I. H. Vossii ad verbum quidem expressam saepius paulo duriorem esse ac parum lucidam, cf. e. g. illud II, 319—322

At Phaethon, rutilos flamma populante capillos
volvitur in praeceps longoque per aëra tractu
fertur ut interdum de coelo stella sereno
etsi non cecidit, potuit cecidisse videri

sic redditum:

Phaethon nun, von der Glut die geröteten Haare verwüstet
Taumelte häuptlings hinab und in langem Zuge die Luft durch
Flieget er, sowie zuweilen ein Stern vom heiteren Himmel
Wenn auch nicht er entfällt, doch gleich dem entfallenden scheinet.

Itaque recentioribus temporibus C. Bulle [1]) hexametrum ver-

1) Ovids Verwandlungen, in Stanzen übersetzt (1898).

Digitized by Google

sum non bene quadrare ad Germanicam linguam ratus, metamorphoses maluit vertere strophis ex octo versibus constantibus quorum sex priores duo homoeoteleuta habent ter inter se connexa, septimus ac octavus item extremis syllabis consonant (ottave rime). Difficile sane inceptum sed quod egregie ad finem perduxit. E. g. non dubium videtur quin versus modo allatos festive ac breviter sic verterit:

Wie oft ein Stern vom Firmament zu fallen
Den Schein erweckt — doch freilich ist's nur Schein —
So fliegt der Knab' herab und lodernd wallen,
Ein Feuerstreif, die Locken hinterdrein.

Nec non et versus lepidos de re quadam lubrica, X, 238—242, quos in interpretatione sua I. H. Vosz omisit, sc.

Sunt tamen obscenae Venerem Propoetides ausae
esse negare deam. pro quo sua numinis ira
corpora cum forma primae vulgasse feruntur;
utque pudor cessit, sanguisque induruit oris
in rigidum parvo silicem discrimine versae

sic venustissime convertit:

Und dennoch wagten dreist
Die Propötiden es, sie zu verachten
Und büszten drum, wie's in der Sage heiszt
Dadurch, dasz sie zuerst gemein sich machten.
Kein Fünckchen Scham entflammte ihren Geist,
Trieb Blut in ihr Gesicht; kaum war, als endlich
Zu Stein sie wurden, die Verwandlung kenntlich.

Iuvat et illa laudare, apud I. H. Vossium item non obvia, XV, 221—231

Editus in lucem iacuit sine viribus infans:
mox quadrupes rituque tulit sua membra ferarum:
paulatimque tremens et nondum poplite firmo
constitit, adiutis aliquo conamine nervis.
inde valens veloxque fuit, spatiumque iuventae
transit, et emeritis medii quoque temporis annis
labitur occiduae per iter declive senectae.
subruit haec aevi demoliturque prioris
robora fletque Milon senior cum spectat inanes
illos, qui fuerant solidorum mole tororum

Digitized by Google

Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.

Quae sic vertit Bulle:

Nun lag der Säugling da, schwach und gebrechlich;
Bald kroch auf Vieren er nach Tieresart;
Dann lernt er stehn, doch weil das Knie noch schwächlich
Ward er durch Stützen vor dem Fall bewahrt.
So ward er stark und flink, durchmasz gemächlich
Der Jugend Bahn, der mittlern Jahre Fahrt
Und glitt zuletzt dann, auf abschüss'gen Wegen
Hinfäll'gen Alters, seinem Grab entgegen.

Die Flucht der Jahre raubt der Jugend Kraft
Und untergräbt sie. Milon sah mit Thränen,
Wie ihm am Leibe machtlos und erschlafft
Die Arme hingen, die voreinst gleich denen
Des Hercules so sehnig sich gestrafft.

Sed parum feliciter munere functus est Bulle in versibus sequentibus, quibus pulchriores vix exstant, nempe

Flet quoque ut in speculo rugas adspexit aniles
Tyndaris et secum cur sit bis rapta requirit

sic vertendis

Auch Helena weint ob der grauen Strähnen
Die ihr im Spiegel wies ihr runzlig Haupt:
Wer glaubte, dasz man zweimal sie geraubt?

Possis et alias eiusmodi afferre mendas, sed nolumus rebus immorari parvulis. Quod maximum est, possis forsan contendere, Bulleum paulo graviori narrationis tenore levem illam ac ludibundam Ovidii elegantiam non plane reddidisse nec non melius facturum fuisse, si, severo homoeoteleutorum connexu misso, liberiorem ac uberiorem stropham praetulisset, in qua Germanicus Ovidius, Wielandium dico, notissimum suum de Oberone carmen conscripsit. Sed non sumus ingrati; fatemur Bulleo nos debere quod nunc tandem Ovidius et Germanico indutus vestitu placeat. Quin ut ingenue quid sentiam, proferam, haud scio an nemo in versibus antiquis vertendis maiorem adeptus sit quam Bulle perfectionem.

Digitized by Google

IOCUS PUERILIS IN CYRI INSTITUTIONE IGNORATUS.

SCRIPSIT

I. BERLAGE.

In festiva Xenophontis narratione de Cyri pueri commoratione apud avum Astyagem obtinet locus, qui meo iudicio a commentatoribus vulgo non intellectus est. Is est, quo avo roganti, si ei copia detur, quomodo Sacae, ministro a potionibus, imperaturus sit, respondet: Cyrop. I. 3. 11 *στὰς ἄν*, inquit, *ὥσπερ οὗτος ἐπὶ τῇ εἰσόδῳ, ἔπειτα ὁπότε βούλοιτο παριέναι ἐπ' ἄριστον, λέγοιμ' ἂν ὅτι οὔπω δυνατὸν τῷ ἀρίστῳ ἐντυχεῖν· σπουδάζει γὰρ πρός τινας· εἶθ' ὁπότε ἥκοι ἐπὶ τὸ δεῖπνον, λέγοιμ' ἂν ὅτι λοῦται· εἰ δὲ πάνυ σπουδάζοι φαγεῖν, εἴποιμ' ἂν ὅτι παρὰ ταῖς γυναιξίν ἐστιν· ἕως παρατείναιμι τοῦτον, ὥσπερ οὗτος ἐμὲ παρατείνει ἀπὸ σοῦ κωλύων.*

Hic commentatores et interpretes: Hartmannus in Anal. Xenoph. novis pg. 130, Hertlein in editione Weidmanniana, Thiersch in „Griechische Chrestomathie, Rev. Hubert A. Holden in editione in Pitt Press serie prolata, Dörner in versione Germanica, alia editio cum versione Germanica sine nomine auctoris apud Engelmann edita, omnes regem Astyagem subiectum esse asseverant verborum *σπούδαζει, λοῦται, (παρὰ ταῖς γυναιξίν) ἐστιν.* Quod mihi sine ulla dubitatione vitiosum esse videtur. Primum non verisimile est regem praesentem, cui roganti Cyrus respondet, quem igitur alloquitur, subiectum tertia persona non expressis verbis designari. Deinde opinio ista scrupulis gravibus, ad rem pertinentibus, obnoxia est. Si Sacae prandium vel cenam sumere non liceat,

Digitized by Google

quo tempore rex negotiis transigendis operam dat, vel balneo utitur vel in gynaeceo moratur, id indicet eum una cum rege cibum capere, itaque id nunc facere non posse quia rex vesci prohibeatur. At primum fieri non potest quin in aula Medica tempora cenandi constanter sint ordinata, ita ut rex cenae hora lavari possit vel negotia obire. Ut sunt severi mores, quibus tenentur aulae regiae orientales, oportuit omnia hora certa perfici. Insuper minime verisimile est Sacam simul cum rege cenavisse. Quamvis honestum fuerit munus oenochoi, si comparetur cum nostrorum temporum moribus, unus τῶν ὁμοτραπέζων καλουμένων (Anab. I 8. 25 Cyrop. VII 1. 30) oenochous certe non fuit. Quinam potuit? Teste Plutarcho (v. Artax c. 5) sola regina et mater regis cum rege eidem mensae assident; ὁμοτράπεζοι vero aliis mensis vel etiam in veste stragula humi sedentes vescuntur. (cf. Max Duncker: Gesch. des Altert. vierter Band pg. 581 et Xen. Hell. IV 1. 30) Noli autem mihi opponere in vita Artaxerxis usum aulae Persicae describi, non Medicae. Nullo enim dubio obnoxium est Cyrum, cum regno Medico expugnato perspiceret se Persicam simplicitatem non amplius tueri posse, ab aula Medica morem receptum omnino ascivisse. Xenophon certe in Cyropaedia mores aulae Persicae sibi cognitos descripsit. Oenochoi autem munus erat inter cenam regi identidem pocula miscere et ministrare, velut e Cyropaediae descriptione (I 3. 8) satis apparet. Quoniam ergo ipse simul cenare non potuit, alio tempore ei cibus capiendus fuit. Inde absurdum est Sacam cenare prohiberi quod rex alibi occupatus sit. Immo id ei ad cenandum fuerit tempus opportunissimum. Quid ergo verbi σπουδάζει subiectum est? Nempe ἄριστον. Quid verborum λοῦται et ἐστιν? Δεῖπνον. Id unum conferri potest cum Sacae verbis. Qui quem admodum aditum *regis* prohibet, quando *rex* negotia habet, sic Cyrus aditum *prandii* prohibiturus est, quando *prandium* occupatum sit futurum, *cenae* quando *cena* balneo usura vel uxoribus operam datura sit. Hic ne quis contra dicat eas esse ineptias! Cyrus enim iocans Sacae verba παραφδεῖ. Si respondisset: regis negotia eum vetare prandium adire, ea frigida fuisset iteratio verborum Sacae. Si ita hunc locum accipiamus, omnino perit lepos Cyri pueri, qualis in omnibus eius sermonibus convivalibus eminet.

Digitized by Google

Vehementer miror id non intellectum esse Hartmanno nostro, viro festivissimo. Mecum iudicat (loco supra allato) verba σπουδάζει, λοῦται, ἐστι subjecto suo carere, quia in praecedentibus nulla fiat regis mentio; ideo mutat τῷ ἀρίστῳ in αὐτῷ, quo pronomine dominum a servis designari solere. Quid autem sibi vult: ὁπότε βούλοιτο παριέναι ἐπ' ἄριστον, λέγοιμ' ἄν ὅτι οὔπω δυνατὸν αὐτῷ (quippe τῷ βασιλεῖ) ἐντυχεῖν? Id enim fere ut forceps ad porcum pertinet, ut aiunt nostrates! Addit autem vir clarissimus: absurde enim dictum videri τῷ ἀρίστῳ ἐντυχεῖν. Immo ipsum verbum ἐντυχεῖν sententiae meae manifeste suffragatur; demonstrat enim ἄριστον cum homine (hoc loco cum Astyage) comparari, et apte transfert ad: ἄριστον σπουδάζει [1]).

1) Walter Miller in versione Anglica (London: William Heinemann) et Gorham quidam Anglus, mihi ignotus, a viro docto Holden in editione supra memorata citatus, mecum consentiunt.

Digitized by Google

DE VOCIBUS
τυκτός, τετυγμένος, ποιητός, οἰκουμένη, ALIIS.

SCRIPSIT

I. BERLAGE.

Carmina Homerica tantum abest ut iam omnibus numeris mente assequamur, ut molestias struere pergant, nec solum ob linguae structuram vel usum verborum nullam cum notis affinitatem habentium, vel incertam textus conditionem, sed etiam ob mentem scriptorum antiquissimorum moresque saeculi a nostra aetate remotissimi.

Quamvis enim forma, qua induta est narratio, sine dubio sit lingua artificiose composita, et eventorum ordo et dispositio artem prae se ferat a dispositione in carminibus popularibus obvia longe distantem, ita ut putemus a nostrorum temporum hominibus omnia penitus perspici posse, tamen scriptorum indoles et ingenium tanto intervallo a nostro abhorret, ut expositio rerum identidem in errorem inducat. Accedit, quod studiis perpetuis, per saeculorum seriem Homero interpretando impensis, mores quidam traditi creverunt, quos ne temere sequamur semper in discrimen adducimur. Omnium difficillima intellectu nunc quoque sunt multa epitheta, quae vocantur ornantia, quippe quae generalem aliquam proprietatem enuntiantes e contextu sermonis explicari nequeant, et procul dubio ab Homero saepe ex antiquioribus fontibus desumpta sint.

Propositum autem est hisce paginis operam dare certo generi horum epithetorum explicando, vocibus τετυγμένος, τυκτός, ποιητός dico. Quae omnibus fere lexicis commentariisque Homericis redduntur verbis: bene, solide fabricatus. Autenrieth et Seiler in voce τετυγμένος habent: „gut, wohl bearbeitet";

Digitized by Google

τυκτός = εὖ τυκτός; similiter in voce ποιητός Seiler: apud Homerum idem quod εὖ ποιητός. Van Leeuwen in voce ποιητός: notio emphatica orta est et usurpata contraria notioni: „temere casu natus", allatis verbis ἀμφίρυτος, ἀσκητός, αὐδήεις aliis. Mehler voci τυκτός apponit: „factus" *inde* praegnanter: „bene firmiter factus"; voci ποιητός apponit: bene firmiter, fabrefactus.

Lexica vulgaria non discrepant. Passow primum ponit: „verfertigt, gemacht, in Gegensatz zu dem von selbst werdenden. Tum, pergit: *daher gewöhnlich* wie τετυγμένος künstlich gemacht, schön oder gut gearbeitet: voci ποιητός apponit: bei Homer stets in der Bedeutung von εὖ ποιητός. Pape eadem, Muller in vocibus τετυγμένος, τυκτός, quod mirari possis, solam notionem praegnantem dat, in voce ποιητός non dat, sed nihil explicationis causa apponit. Apud la Roche in Iliadis editione Ξ 9 rejicimur ad scholia in quibus est λείπει δὲ τὸ εὖ, in voce τετυγμένος eadem habent = εὔτυκτος; aeque Π 225. Cuncti loci eodem modo explicantur. Leaf in sua Iliadis editione parum de hac quaestione loquitur. Tantum ad Ψ 741 in vocibus κρητῆρα τετυγμένον hoc habet: „wrought, not plain but adorned" ubi delegat ad τρίποδος ποιητοῖο (vs. 718 eiusdem libri). In E 831 servat lectionem traditam τυκτὸν κακόν i. e. malum consummatum — ad quem locum reversurus sum — et rejicit ad τυκτῇσι βόεσσι, nulla in universum de hac re disputatione habita. In Odyssea ab Ameis—Hentze edita eadem obtinent. Editiones viri clarissimi van Leeuwen consentaneum est ab eius lexico non differre.

Ego autem demonstrare conabor omnes illas interpretationes esse vitiosas, nempe notionem εὖ iniuria participiis illis insinuatam esse.

Universe spectanti usus emphaticus alicuius vocabuli in linguis antiquis quoque bene notus est et frequens. Obtinet in voce ὀλίγος in huiusmodi sententia: ὀλίγοι ἐσμὲν ὥστε ἐπιτίθεσθαι τοῖς πολεμίοις. Vis vocis Graecae ὥρα a „tempore anni" transit in „tempus egregium", quin etiam „florem anni", „pubertatem" „pulchritudinem", quemadmodum „forma" exit in formam pulchram, τιμή, aestimatio, in bonam aestimationem.

Digitized by Google

In fabula Franco-Gallica nobilissima „le Cid" Don Diego senex gravissima iniuria affectus et ultionis cupidus filium suum rogat: „Rodrigue as tu du cœur?" Ad verbum vertere possis: Estne tibi animus? ἆρ' ἐστί σοι θῦμος: Quid? Nonne et haec sunt notissima κινδυνεύεις τι λέγειν et οὐδὲν λέγεις?

Haec omnia in disciplina quae vocatur Semantica passim notantur. Id vero scire non satisfacit; quaeritur quibus in formis is usus praecipue appareat. Quae attulimus exempla substantiva habent vel pronomina. Vocabula Homerica, de quibus agimus, sunt participia. In qua praeterea linguae aetate, in quo linguae genere exempla imprimis inveniuntur? In aetate aliqua recentiore, an antiquiore, in usu quotidiano an in cultiore linguae usu?

Quas quaestiones cum in operibus recentioribus de scientia linguistica fuse tractari exspectarem, inquirentem me et scrutantem spes plerumque fefellit. In Hermanni Paul opere „Principiën", in capite „de significationum vicibus" tractatur sane „coartatio significationum", cuius pars est significatio κατ' ἐξοχήν, de qua agimus, nec non discernuntur significatio generalis et significatio temporalis (usuelle und occasionelle Bedeutung); quaestiones autem supra memoratae: in qua linguae aetate, in quo linguae orbe („taalkring") praesertim obtineat, non tanguntur, neque ex Homero exempla afferuntur.

Neque in opere viri clarissimi Wundt, quo loco disserit de significationis mutationibus, quamvis sit eruditum et copiosum, quidquam reperire potui, quod ad exempla nostra pertineret.

Michel Bréal in opere: Essai de „sémantique" luculenter exponit objecti significationem saepe a verbo assumi, velut „déposer" pro „testimonium reddere", nec non definitiones quasdam, velut „possédé", cf. Graece καταληπτός, quae omnia tamen differunt ab usu emphatico vocum supra memoratarum. Hanc sane apud eum legimus sententiam: „Nonnunquam usus diuturnus praecedere debuit ut certae vocis usus formaretur", id quod certe indicat maiorem frequentiam in posterioribus linguae aetatibus obviam. Apud Darmesteter: „la vie des mots" haec legimus: „cette restriction de sens par sous-entente du déterminant est fréquent dans l'usage familier", quae verba indicant usum illum praecipue in sermone quotidiano reperiri.

Digitized by Google

Eam sensus „contractionem" tamen in sermone artificioso carminum Homericorum aliquando inveniri facile est probatu. Imperatoris Napoleontis laudi de Goethe poeta expressae: „voilà un homme", respondet Homericum illud: *ἀνέρες ἔστε φίλοι*. Sed unum aliquod exemplum aliud est, aliud usus frequens; passim certe apud Homerum non invenias. Omnino autem exspectandum est antiquissimos scriptores minus recedere a principali verborum sensu quam posteriores; praeterea Homerus vulgo pluribus potius quam paucioribus verbis utitur quam requiruntur. Ea enim est proprietas quam Germani „epische Breite" et „behagliche Breite der Erzählung" vocare amant. Imprimis participia illa sic usurpata esse iam non verisimile est. Linguam patriam adeamus. Mater aliqua ad filium puerum, modo a malluvio redeuntem nonnumquam dicat: „istae manus non sunt lavatae", quum dicere vult: non bene lavatae. Is ipse est usus ille praegnans participii, *sed addita negatione*. Sine negatione non fere occurrit, nisi forte aliud quid accedit quod urget, quod vim addit verbis, velut: „ista tabula vere *picta* est", vel „picta est, quod vocatur" (in sermone familiari apud nostrates nonnunquam Anglice: „what you call"....)

At usus ille Homericus fere ad participia verborum facere fabricare significantium restrictus est. Citet mihi aliquis eius significationis participium ex aliqua lingua recentiore. Franco-Galli sane habent „un homme fait" i. e. vir adultus, quasi vir perfectus, quod differt ab homine bene facto, bene creto. Aliae quoque locutiones quibus participium „fait" emphatice usurpatur, velut „comme vous voilà fait" semper eam habent formam quae animos ad illud participium convertat. Quam ob rem, nisi mihi sine controversia demonstratur, omnino non credo Homerum illis participiis ita attributive usum esse, nec non bilem mihi quodammodo movet haec sententiuncula in Passowi et Mehleri lexicis: „*τυκτός* factus, *hinc* commode factus." Quaeritur autem quomodo factum sit ut istud attributum vulgo assumeretur quasi disputatione non egeret. In scholiis Graecis uno vel altero tantum loco annotatio vocibus huius generis apposita est, uni harum: *λείπει δὲ τὸ εὖ*. Verisimile est scholiastam haesisse in verbo illo sine adverbio sic nude posito posterioresque commentatores et lexicographos eum temere au

Digitized by Google

consulto secutos esse. Quid enim sibi vult insulsa adjectio τυκτόν ad δάπεδον, τυκτῇσι ad βόεσσι, quid ποιητοῖσι δόμοισι, τετυγμέναι πύλαι, nisi his verbis continetur illud εὖ?

Ut probem adverbium εὖ non contineri participiorum illorum notione, subsidium petam a simili vocabulo, in alio scriptore obvio. Vocabulum οἰκουμένη volo, in primo Anabaseos libro, alibi identidem posito. Εἰς πόλιν οἰκουμένην vel vulgo εἰς πόλιν οἰκουμένην μεγάλην καὶ εὐδαίμονα passim legitur, semperque vertunt: „ad urbem quae frequenter habitatur", i. e. urbem frequentem, celebrem. Roganti quo iure id statuatur sine dubio respondebitur „quia locutio, urbs, quae habitatur, sit res nihili; id enim per se intellegi".

At antiquitatem, praesertim Asiam, spectantibus id non per se intellegitur. Nempe eodem libro aliquoties obtinet πόλις ἐρήμη ergo „urbs deserta". L. III 4. 7. legitur expressis verbis πόλις ἐρήμη..... ᾤκουν δ' αὐτὴν τὸ παλαιὸν Μῆδοι. III 4. 10 πρὸς τεῖχος ἔρημον μέγα. Quid quod I. 2. 23 positum est: ἦλασε..... εἰς Τάρσους, τῆς Κιλικίας πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, omissa voce οἰκουμένην. Quid enim? Brevi post certiores fimus: ταύτην τὴν πόλιν ἐξέλιπον οἱ ἐνοικοῦντες.... εἰς χωρίον ἐχυρὸν.... πλὴν οἱ τὰ καπηλεῖα ἔχοντες.

Quo loco igitur est attributum vulgatum propter secessionem temporariam. Ergo πόλις οἰκουμένη videtur vertendum esse: „urbs incolis instructa". Nonnunquam forma verbi passiva nihil aliud significat quam „situm esse" ut I. 4. 11. καὶ πόλις αὐτόθι ᾤκειτο μεγάλη καὶ εὐδαίμων. I. 4. 1. εἰς Ἰσσοὺς τῆς Κιλικίας ἐσχάτην πόλιν ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ οἰκουμένην μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, plane contrarium significationi praegnanti, quam verbo attribuunt.

Non me latet iam ante me demonstratum esse vocem οἰκουμένη e notione vocis ἐρήμη explicandam esse, hoc enim esse „deserta" illud: „habitata" sed vehementer vereor ne pergant magistri pueros docere vertendum esse „celebris", quod Fischeri lexicon Xenophonteum praebet.

Muller, vir. clar., locutionem πόλις οἰκουμένη non attingit; Mehler in lexico ad Anabasin hoc habet: „urbs celebris, contrarium locutioni πόλις ἐρήμη"; ea vero non sunt contraria, nisi forte ἐρήμη vertis: „parum habitata", „paucis incolis

Digitized by Google

instructa", cui interpretationi textus nusquam locum dat; ubique apparet interpretandum esse „deserta". Praeterea videor mihi sane luculentum argumentum afferre posse ad tuendam significationem: „quae habitatur". Si οἰκουμένη idem valeret quod εὖ οἰκουμένη, sine dubio ubique copula καί iteranda erat: εἰσ πόλιν οἰκουμένην καὶ μεγάλην καὶ εὐδαίμονα. Quod abest prius καί demonstrat participii vim prorsus differre ab epithetis sequentibus, non vere esse epitheton sed participium cum substantivo suo unam fere notionem efficiens. Prorsus eodem modo Anab. I. 5. 4 et III 4. 7 non πόλις ἐρήμη καὶ μεγάλη legimus, sed πόλις ἐρήμη μεγάλη III 4. 10 τεῖχος ἔρημον μέγα. Ἐρήμη cum substantivo suo unam igitur notionem efficit: oppidum vel castellum vacuum habitatoribus.

Observantibus innumeros locos quibus καί omissum est, unus, quod sciam IV 7. 19, ubi καί appositum est πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα καὶ οἰκουμένην, praesertim cum tertio loco positum diversam structuram habere debuerit, parum attinet.

Hisce observationibus instructi ad scripta Homerica redeamus. In quibus quod immerito significationem emphaticam vocibus, de quibus agimus attribuerunt — duas res obliti sunt.

1° hominum vitam frugalissimam.

2° ingenium poetae simplicissimum.

Iam meum est ut locos tangam quibus participia illa leguntur: τυκτός, τετυγμένος, ποιητός. Τεύχω nullum est dubium quin significet „fabricare, conficere": objecta enim asciscit: δώματα, νηόν, θάλαμον, σκῆπτρον, θώρακα, εἵματα, εἴδωλον, δεῖπνον, κυκεῶ; per translationem: parare, e. g. δόλον, πομπήν, γάμον. Cum objectis illis definitis τυκτός igitur significat „fabricatus, confectus". Od. δ. 627. μνηστῆρες..... δίσκοισιν τέρποντο..... ἐν τυκτῷ δαπέδῳ profecto nihil aliud est quam „in solo fabricato". Scholion ad ῥ 169, ubi eadem verba leguntur, viam monstrat; expressis verbis habet: κατεσκευασμένῳ καὶ λελειωμένῳ ἐδάφει; est igitur: ludebant in solo ad id praeparato et levigato, oppositum solo naturali; abest igitur notio soli *bene* fabricati.

Idem valet ῥ 205 κρήνην τυκτήν, ubi in Scholiis annotatur: οὐκ αὐτοφυῆ, i. e. fontem ab hominibus instructum. Neque

Digitized by Google

magis M 105 τυκτῇσι βόεσσιν scuta sunt bene fabricata, sed pelles bovinae in clipeos confectae: schol. recte: ταῖς εἰργασμέναις βύρσαις. Scholion ad Ξ 9 σάκος τετυγμένον appositum multum abest ut aeque sanum sit. Habet enim: λείπει τὸ εὖ, cui annotationi fortasse totus error imputandus est; significant enim verba supra allata: „pellis confecta". Contra vere scholion ad Ψ 339 πλήμνη κύκλου ποιητοῖο. „κύκλου = τρόχου, διὰ τοῦτο καὶ ποιητοῖο"; recte „axis orbis, fabricati in rotam".

Omnibus his locis igitur inter se opponuntur fabricatus et rudis, factus et natus sive naturalis, quod luculentissime patet π 184 sq. ubi Telemachus patri:

ἀλλ' ἴληθ', inquit, ἵνα τοι κεχαρισμένα δώομεν ἱρὰ
ἠδὲ χρύσεα δῶρα τετυγμένα,

i. e. ἱρὰ hostias, animalia nata, contra δῶρα τετυγμένα, dona fabricata.

Hisce locis igitur nihil est cur notionem εὖ in participii vim insinuemus, qua si poetae opus est, scribit: εὖ τυκτός, εὖ ποιητός, πύκα ποιητός.

Van Leeuwen in lexico Homerico non recte: Significatio emphatica nata est contraria significationi „forte, temere orto"; at temere ortus opponitur, fabricatus, „consulto fabricatus" non „bene fabricatus".

Locus peculiaris est E 831, ubi dea Athena Martem vocat τοῦτον μαινόμενον, τυκτὸν κακόν, ἀλλοπρόσαλλον. Herwerden alii coniiciunt στυκτόν, quamquam id nusquam legitur, στυγνὸν vero notissimum est. Τυκτὸν si servatur, placito meo non obest. Scholion exponit: οὐ μόνον φυσικὸν ἀλλ' ἐπιτηδευτόν, ergo malum consulto fabricatum, quod aliud est ac bene fabricatum.

υ 365 sq. Eurymacho Theoclymeno obiicienti eum insanire et exturbandum esse, respondet is:

εἰσί μοι ὀφθαλμοί τε καὶ οὔατα καὶ πόδες ἄμφω
καὶ νόος ἐν στήθεσσι τετυγμένος, οὐδὲν ἀεικής
τοῖς ἔξειμι θύραζε.

Cobetus expungit versum secundum; mente enim ei non opus esse, ut exeat; oculos pedesque sufficere. Propter verba τοῖς ἔξειμι θύραζε videtur mihi coniecturae astipulandum esse. Sin vero servatur versus, facile est intellectu τετυγμένον multis hic saltem emphatice dictum videri. At verisimile non

Digitized by Google

puto hanc vocem „fabricatus" de *mente* usurpatum esse. Nedum huius verbi usus hoc loco sit emphaticus, potius vis eius in copulam est extenuata, quemadmodum δ. 392 ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται; et Δ 84 Ζεύς, ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται, Θ 163 γυναικὸς ἀρ' ἀντ' ἐτέτυξο. (cf. πέλεσθαι et τέλεσθειν simili modo in notionem verbi esse extenuata). Proinde ut servetur vs. 366, vertendi sunt: Sunt mihi oculi aures pedes ambo, mens, quae *est* in pectore, minime spernenda. Contra ι 223 ἄγγεα πάντα, γαυλοί τε σκαφίδες τε τετυγμένα, sine dubio ἄγγεα est vox generalis i. e. vasa, in situlas catillosque formata.

δ. 615: δώσω τοι κρητῆρα τετυγμένον, ἀργύρεος δὲ
ἐστιν ἅπας, χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα κεκράανται.

κρητῆρα τετυγμένον ut Leafius simili Iliadis loco (Ψ 741) interpretatur, patet esse cratera, non purum, sed caelatum. Item Π 225 ἔνθα δέ οἱ δέπας ἔσκε τετυγμένον, et υ 152 sq. καθήρατε δὲ κρητῆρας καὶ δέπα' ἀμφικύπελλα τετυγμένα, pocula igitur fabrefacta, binis manubriis instructa, quamquam simpliciter significare potest: pocula quae *sunt* binis manubriis instructa, quemadmodum apud Aesch. Septem vs. 388

Φλέγουθ' ὑπ' ἄστροις οὐρανὸν τετυγμένον

i. e. caelum repraesentatum ardens sideribus.

Non aliter Theocritus τυκτός accipit Id. XXII 210, ubi narrat Idan fratris percussorem στήλῃ τύμβου avulsa petere, eamque infra μάρμαρον τυκτὴν vocat. Erat enim lapis dolatus, diversus a lapidibus naturalibus et acutis, quibus heroes hostes oppugnare solebant.

Nec non ω 205 ἀγρὸν..... καλὸν Λαέρταο τετυγμένον est ager cultus. Contra κ. 210 ἠῦρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης nihil est nisi: domum Circes in saltu aedificatam.

Maiores quasdam molestias pariunt

ν 306 ὅσσα τοι αἶσα δόμοισ' ἐνὶ ποιητοῖσι
κήδε' ἀνασχέσθαι.....

χ 334 sq. ἦ ἐκδὺς μεγάροιο Διὸς μεγάλου ποτὶ βωμὸν
ἑρκείοι' ἵζοιτο τετυγμένον.

Ε 198 μοι..... γέρων αἰχμητὰ Λυκάων
ἐρχομένῳ ἐπέτελλε δόμοισ' ἐνὶ ποιητοῖσι

Digitized by Google

M 470 οἳ δὲ κατ' αὐτὰς ποιητὰς ἐσέχυντο πύλας
Ψ 718 νίκης ἱέσθην τρίποδος περὶ ποιητοῖο.

Attamen neque ob hos locos interpretandos confugiendum est ad. illud εὖ. Δόμοι ποιητοὶ mihi videtur locutio esse ex illis temporibus tradita, cum vel antrum nativum domo esse poterat. Σωμὸς τετυγμένος, diversum dici a soli tumulo, quo ad sacrificandum utebantur; πύλαι ποιηταὶ opponi simplici hiatui in muro relicto ad ineundum et exeundum. Quod nisi ita se habet, tamen hae locutiones omnes mihi explicandae esse videntur e simplicitate poetae, qui nobis narrat ea, quae sua sponte intelleguntur, quod valet in domum aedificatam, aram, portam structam, tripodem fabricatum. Quae omnia non per se nascuntur sed fabricanda sunt, utique fabricabantur ea aetate, quam poeta describit. Utile autem duxit id addi narrationi suae, certe omittere ei non placuit si id descriptionem sermonemque pleniores reddere potuit.

Alia exempla eiusdem rei passim reperiuntur. Eadem ratione ὕδωρ ὑγρὸν dicit γυναῖκες θηλύτεραι [1]), τάφρος ὀρυκτὴ, ἠὼς ἠιγένεια, θνητοὶ βροτοὶ, νεκροὶ κατατεθνηῶτες, νῆσος ἀμφίρυτος. Quam explicationem accipere nolentes viri docti identidem aliam quaerunt. Sic van Leeuwen contendit νῆσον ἀμφίρυτον esse insulam longe a terra, in medio mari sitam. Concedendum est sic dici Ogygiam, cuius nomini additur: ὅθι τ' ὀμφαλός ἐστι θαλάσσης; at insula Helii quoque ἀμφίρυτος audit, ad quam Odysseus confestim appellit, postquam e Scylla Charybdique evasit, ergo non in medio mari sitam.

Infantes solent stupere ad omnia quae vident, vocabulis rerum addere vocabula proprietatem designantia, quae adultis lenem risum movent; aquam e. g. humidam vocare solent, itaque attributum addunt, quod non proprietatem sed naturam ipsam designat. Homericorum carminum poetae prope distant ab illo iudicio simplici et puerili, atique auctores illorum epithetorum quae fortasse ipsis carminibus multo antiquiora sunt.

1) Amicus Poutsma, vir doctissimus, mecum communicat se iamdudum notavisse vocem θηλυτέρη variis locis vario sensu usurpatam esse. Qua de re quia mihi non satis constat, id nunc impugnare neque defendere nolim. Etiamsi aliquando significat *vere* muliebris, cum sententia mea supra exposita non discrepat, siquidem forma est comparativa.

Digitized by Google

Exstant autem duo vocabula quae scrupulum mihi iniiciunt; sunt: κάρη κομόωντες et αὐδήεις. Ipsum sane verbum κομᾶειν significat *crines promittere*, sed tamen κομή fere *crines* significat, non definite *crines promissi*. αὐδήεις nonnullis locis, velut ζ 125, quo versu Odysseus narratur clamorem puellarum percipere, profecto nihil significat nisi; „humano sono praeditus"; *sono* dico sciens, quia clamor, non verba ab Odysseo percipiuntur. T 407 valet: „humana *voce* praeditus"; usurpatur enim de equo illo Achilleo, perniciem domino humana voce praedicente.

Usurpatur de Leucothea quoque ε 334: ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα, et de Calypso Circeque, quae expressis verbis narrantur pulchra voce cantare solitae esse. Videtur sane adiectivum emphatice adhibitum esse. Tamen differt a participiis, de quibus agimus. Est enim adiectivum in εις disinens, qui exitus ipse vim quandam maiorem notionis designat, iudice Kühner-Blass, simile igitur adiectivis Latinis in — osus desinentibus. Praeterea notandum est αὐδήεσσα non nisi de deabus inferioribus dici, fortasse ergo hic quoque nihil aliud significare quam „vulgari et humana" voce praedita.

Quamquam — etiamsi hoc loco usus emphaticus sive praegnantia concedenda est, tamen non omnibus illis locis ita se habeat necesse est. Quare mihi constat in voces τυκτός, τετυγμένος, ποιητός nunquam notionem adverbii εὖ assumptam esse.

Fieri potest ut alicui videatur parum interesse utrum locis illis vertendum sit „bene factus vel fabricatus" an simpliciter „factus", quandoquidem constat Homerum epitheto illo formis εὖ ποιητός, πύκα ποιητός, εὖ τυκτός nonnunquam usum esse. Mihi vero videtur ad animum poetae cognoscendum ne haec quidem levissima res esse neglegenda.

Digitized by Google

AD GRATTIUM NOTULAE.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Gratti Cynegeticon quae supersunt. Cum prolegomenis, notis criticis, commentario exegetico edidit P. I. Enk. Zutphaniae MCMXVIII. —

Poeta Dianam compellat:

16 adscivere tuo comites sub nomine d i v a e
centum: omnes nemorum, umentes de fontibus omnes
Naides, et Latii satyri Faunusque subibant
Maenaliusque puer, domitrixque Idaea leonum
mater, et inculto Silvanus termite gaudens.

Editorem hunc locum optime constituisse existimo, sed unum est quod displicet. Versum 16, qualis nunc legitur, sic interpretatur: „divae quae sub tuo nomine sunt, Diana, centum adscivere comites". Me tamen locus, quem voc. *comites* obtinet, inducit ut id subiectum esse credam et pro *divae* emendandum esse: *divos*. Cf. vs. 96: deus ille an proxuma divos | mens fuit, vs. 453: patriosve lacessere divos.

Ubi sermo est de pennato et alia multa sunt et haec:

85 ast ubi l e n t a e
interdum Libyco fucantur sandyce pennae
linteaque expositis lucent anconibus arma,
rarum si qua metus eludet belua falsos.

Quamquam recte explicat: „sed non solum *cervi*, etiam *beluae* terrentur, si pennae rubro colore inficiuntur", non addit Enkius, quid l e n t a e illae pennae hoc loco sibi velint. Equidem vix dubito quin scripserit Grattius *t e n t a e*, cl. Nemesian. Cyneg. 309 sqq.:

has igitur vario semper fucare veneno
cura tibi, niveisque alios miscere colores
alternosque metus subtemine t e n d e r e longo,

Digitized by Google

et Oppian. Apam., Cyn. IV 385:

λαιῇ μὲν μήρινθον ἐύστροφον ἐκτανύουσι
μηκεδανὴν, λινέην, ὀλίγον γαίης ἐφύπερθεν.

Dercylus venabula invenisse dicitur.

108 ille etiam valido primus venabula dente
induit et proni moderatus volneris iram
omne moris excepit onus; tum s t r i c t a verutis
dentibus et gemina subiere hastilia furca.

Editor verba *tum stricta verutis dentibus* interpretatur: *tum* sc. post Dercylum, *stricta verutis dentibus* sc. sunt; hastilia verutis dentibus ⟨praefixa⟩ contra feras stricta.

At verbum stringendi h. l. minime opportunum esse opinor atque de armorum genere ac structura Grattius agit, non de eorum usu, quibus de causis veram lectionem esse credo: *tum s t r u c t a verutis dentibus*. Cf. vs. 442: struitur ramis felicibus ara.

Docet poeta, quomodo arbores arte procerae reddi possint.

142 post ubi proceris generosa stirpibus arbor
se dederit teretisque f e r e n t ad sidera virgae,
stringe notas circum et gemmantis exige versus.

Vollmerus cum neque intransitivus usus sibi probetur neque *se* ex initio uersus subaudiri posse credat, pro *ferent* coniecit: *ferens* ita ut *teretis virgae* genetivus fieret. Enkius lectionem traditam tuetur, ad quam confirmandam annotat nos discere, revera verbum *ferent* pronomen *se* a verbo *dederit* sumere, ex Aeneid. I 587: *scindit se nubes et in aethera purgat apertum*, sed eum fugisse puto, verba *scindit* et *purgat* apud Vergilium unum idemque habere subiectum, apud Grattium vero verborum *dederit* et *ferent* subiecta esse diversa. Ideo iure Vollmerum locum corruptum habere censeo, sed eius medelam probare nequeo. Legendum esse credo: *teretesque f l u e n t ad sidera virgae*, cl. Verg. Georg. II 370: *ramos compesce f l u e n t e s*.

Inter varia canum genera Britannus canis laudatur.

176 o quanta est merces et quantum inpendia supra,
si non ad speciem mentiturosque decores
(p a r v i s haec una est catulis iactura Britannis),

Digitized by Google

at magnum cum venit opus promendaque virtus
et vocat extremo praeceps discrimine mavors:
non tunc egregios tantum admirere Molossos, e. q. s.

Est *parvis* Enkii coniectura pro *pronuis*, quod in codice A exaratum est; aliae coniecturae sunt Vollmeri *pronis*, Schenklii *pronus es*, Sannazari *protinus*. Emendandum esse arbitror:

si non ad speciem mentiturosque decores
corporis (haec una est catulis iactura Britannis),
at magnum cet.

Ad meam coniecturam commendandam locum affero, quem editor ad *ad* vs. 177 explicandum laudat, sc. Pompon. Mela II 2 (de Thracia) *viros benignius alit, non ad speciem tamen, nam illis asper atque indecens corporum habitus.*

Quoniam genus nullum perplacet, misceant inter se diversi generis canes.

194 quondam inconsultis mater dabit Umbrica Gallis
sensum agilem, traxere animos de patre Gelonae
Hyrcano et vanae tantum Calydonia linguae
exibit vitium patre emendata Molosso.

Editor, vulgatam lectionem recte se habere ratus, sic interpretatur: „Calydonia ⟨canis⟩ tantum (= molestissimum) linguae vanae vitium exuet, si a patre Molosso genus trahit" atque ipse quoque lectionem practulerim coniecturis Heinsii *incautum* et Sternii *natum* nec tamen eam sanam esse puto, sed corrigendum: *tandem*. Cf. *quondam* vs. 194!

Si venatio minus periculosa te magis delectat,

202 Petroniost haec fama cani, volucresque Sycambros
et pictam macula Vertraham delige † falsa.

Voc. *falsa* Vlitius, Burmannus, Wernsdorfius varie explicare sunt conati, Iohnson et Schenklius *fulva* aut *flava* substituere voluerunt. Enkius in Commentario p. 70 proponit *sparsa*.

Persuasum mihi est genuinam esse lectionem: *flora*.

Cf. Verg. Aen. XII 605:

filia prima manu flores Lavinia crinis
et roseas laniata genas,

quam antiquam lectionem esse Servius testatur, nec non Gel-

Digitized by Google

lius III 9. 3: equus flora et comanti iuba. Praeterea Acc. tr. 246: lanugo flora, 255: flori crines, Pacuv. tr. 19: floros dispendite crines.

Insuper locus apud Arrian. Cyneg. 3, 7, ab editore in Commentario p. 69 allatus, ubi de eisdem canibus sermo est, hanc lectionem confirmat:

τὴν δὲ ἰδέαν καλόν τι χρῆμά εἰσιν κατά τε τοὺς ὀφθαλμοὺς αἱ γενναιότατοι αὐτῶν καὶ κατὰ τὸ σῶμα ἅπαν καὶ τὴν τρίχα καὶ τὴν χρόαν· οὕτω ταῖς τε ποικίλαις ἐπανθεῖ τὸ ποικίλον καὶ ὅσαις ἁπλῆ ἡ χρόα ἐστίν, ἀποστίλβει καὶ αὕτη, καὶ ἔστιν ἥδιστον θέαμα ἀνδρὶ θηρευτικῷ.

Ubi officia canum, quas metagontes dicebant, fuse enarrantur haec sunt:

234 iam vero inpensum melior fortuna laborem
cum sequitur iuxtaque domus quaesita ferarum,
et sciat occultos et signis arguat hostes.

Curcionis versione reiecta editorem hunc locum recte interpretatum esse existimo. Videat tamen an non pro *et sciat* (cod. A *& sciat* praebet!) praestet: *sentiat*, quod sana ratio flagitare mihi videtur.

In eadem argumentatione paulo inferius legimus:

243 si forte loco spes prima fefellit,
rusum opus incubuit spatiis; at, prospera si res,
intacto repetet prima ad vestigia gyro.

Ad hunc locum editor observat, accusativum *opus* difficiliorem esse intellectu, sed sive cum Curcione *opus* obiectum internum vocas sive cum Enkio *spatiis* nominas ablativum loci, aoristum gnomicum pro futuro esse ita *incubuit* = incumbere solet = incumbet, ut ille contendit, non credo, neque credo *opus* accusativum esse. Suspicor reponendum esse: *rusum opus* (sc. est) *incumbat spatiis*.

Hagnon Boeotius cane inductore primus usus est.

249 hoc ingens meritumst, haec ultima palma tropaei,
Hagnon magne, tibi divom concessa favore:
ergo semper eris, dum carmina dumque manebunt
silvarum dotes atque arma Diania terris.

Digitized by Google

Sic post Sannazarum editores omnes versum recensent. Ille enim primus codicis scripturam *Diana* in adiectivum *Diania* infeliciter immutavit, uni metro consulens neque quicquam curans sensum poeticum. Emenda:

dum carmina dumque manebunt
silvarum dotes atque arma, Diana, t u e r i s.

Nomen apud nostrum frequens est prima syllaba modo producta modo correpta (*arma Dianae* in fine vs. 497) — adiectivum nusquam.

Poeta ubi de thoum specie ac natura agit haec dicit:

258 nam genus exiguom et pudeat, quam informe, fateri,
v o l p i n a species: tamen huic exacta voluntas.

Verum si est id, quod editor ad vs. 142 atque iterum ad vs. 203 perhibet, vocalem brevem ante duas consonantes apud Grattium fere nusquam produci, scribere oportuit: *volpina e s t species* aut *volpina s p e c i e e s t.*

Sermo est de catulo, qui fratres suos pondere ac viribus superat.

294 ubera tota tenet, a tergo liber aperto,
dum lepida indulget terris clementia mundi;
verum ubi Caurino perstrinxit frigore v e s p e r,
irreptat turbaque potens operitur inerti.

Est Enkii annotatio: „*vesper*: Occidens, cf. Verg. Aen. V 19 *vespere ab atro | consurgunt venti*". Equidem potius postremam diei partem loco nostro significari credo.

Ut catulos recte alere possit mater omni cura digna est.

304 tum denique, f e t a e
cum desunt operi, fregitque industria matres,
transeat in catulos omnis tutela relictos.

Editor recepit Pithoei coniecturam *fetae* pro *fetu*, quod in codice est; Ellis proposuit *fetus*. Corrigendum puto: *f e s s a e.*

Romani prisci luxuriae non se dederunt.

323 ergo illi ex habitu virtutisque indole priscae
inposuere orbi Romam caput, actaque ab illis

Digitized by Google

ad caelum virtus summosque tetendit honores.

Emendare ne dubita: *summos quae tendit honores.*

337 ergo in opus vigila factusque ades omnibus armis

Restitue quaeso: *factumque ades omnibus armis!*

Grattius haud dubie supinum posuit.

347 stat Fatum supra totumque avidissimus Orcus
pascitur et nigris orbem circumsonat alis.

Enkius ascripsit: „*totumque*: τὸ πᾶν", sed *totum* attributu ad *orbem* pertinere censeo.

Morbi latentes ad sanandum difficillimi sunt.

366 illa gravis labes et curis altior illis,
cum vitium causae totis egere latentes
corporibus seraque aperitur noxia summa.

Ita editor recensuit Vlitio obsecutus, cum in codice *cu* legatur, unde Pithoeus *cura est* coniecit. Quamquam Enk assentior, lectionem Pithoei improbandam esse propter v insolitam, quam adiectivo *altior* obtrudit, non ei atque ad Vlitio credo, corruptelam qua locus laborat latere in voc. *cur* verum in ultimo versus vocabulo *illis*, quod admodum langu ut Baehrensium non fugit, qui coniecturam suam *ullis* Po gatio probavit. Nescio an sit scribendum:

illa gravis labes et curas altior exit,

Cf. vs. 197: exibit vitium, 479: mille tenent pestes curaq potentia maior, 466: hinc venit auxilium valida vementius i 495: seu tibi fatorum labes exire minasque | cura prior, Ovi Met. IX 632: modumque | exit.

Scabies canum si non subito prorumpit, medicabilis est.

415 tunc et odorato medicata bitumina vino
Hipponiasque pices neclectaeque unguen amurcae
miscuit et summam complectitur ignis in unam.

Id quod editor ad *miscuit* observat, metrum scilicet face ut poeta diversa adhibuerit tempora, non credo: *ignis* eni tamquam subiectum verbi *miscuit* accommodatum non est cumqu tertia persona numero plurali a Grattio saepe indefinita notion usurpari soleat (vs. 58 vetant, vs. 90 iussere, e. a.), non dubit

Digitized by Google

quin h. l. scripserit: *miscent et.* Accedit quod continuo sequitur:

inde lavant aegros: atque ira coercita morbi
laxatusque rigor,

ubi *atque* Barthii coniectura est pro tradita lectione *ast*, quam alii aliter emendare conati sunt, Aldina *est*, Scaliger *stet ut*, Vollmer *sic* substituendo.

An forte Grattio reddendum est: *cras*?

Deinde poeta sic pergit:

quae te ne cura timentem
differat, et pluvias et Cauri frigora vitent;
duc magis, ut nudis incumbent vallibus aestus, e. q. s.

Quamquam assentior editori, *ut* h. l. non esse *simulac*, ut Vollmer voluit, sed esse pro *ubi*, „duc potius ⟨eo⟩ ubi...", quam notionem exemplis e Plauto, Catullo, Vergilio desumptis confirmat, non credo eum cum H. Schenklio iure edidisse *duc* pro *sic*, quod in codice exhibetur, neque Baehrensii *fac* neque Postgatii *stent* Grattii manum referre arbitror. Pro *sic* potius restituendum videtur: *sint*, „versentur potius ⟨ibi⟩, ubi...".

Sermo est de antro Vulcani, ubi cum supplices deo dona tulerunt,

443 hic (dictu mirum atque alias ignobile monstrum)
adversis specibus ruptoque e pectore montis
venit ovans Austris et multo flumine flammae
emicat ipse (sc. Vulcanus).

Pro lectione absurda *austris* reponas velim: *sacris*, cl. vs. 457 sqq:

deus illam molliter aram
lambit et ipse, suos ubi contigit ignis honores,
defugit a sacris rursumque reconditur antro.

Postquam pax Dianae sacrificio petita est ad morbos canum multiplices sanandos,

inpetrato respondet multa favore
ad partes, qua poscis opem.

Enkius Sannazari coniectura *respondet* pro tradito *respondit* recepta explicat: „dea (haec vox e praecedenti versu supplenda est) honorem nancta multa respondet i. e. multa se daturam promittit iis rebus quibus auxilium rogas".

Digitized by Google

Id vero nemo umquam mihi persuadebit, Grattium vel quemvis Romanum dicere potuisse, deum aliquem deamve votis annuisse supplicibus impetrato favore hominum. Immerito igitur eum sprevisse opinor Vlitii emendationem *respondent.* Nempe verbum respondendi h. l. significationem habet, quae artis medicorum propria est, cf. Cels. Praef.: medicus aliquid inveniat oportet, quod non ubique fortasse sed saepius tamen etiam respondeat, ibid.: diligentes homines notasse, quae plerumque melius responderent. Ergo Vlitii lectionem omnino probandam esse iudico neque de vocabulo *multa* amplius dubitandum, quod Curcio pro *benigna*, Vollmerus pro *mulcta* = lenita esse putat: neutrum plurale esse Enkio assentior.

De variis equorum generibus iam agit poeta, admonens:

501 consule, Penei qualis perfunditur amne
Thessalus aut patriae quem conspexere Mycenae
glaucum: nempe ingens, nempe ardua fundet in auras
crura. quis Eleas potior lustravit harenas?

Cl. Hom. Il. VI 509: ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμοις ἀΐσσονται suspicor, post *Mycenae* plene distinguendum esse et corrigendum:

collum nempe ingens, nempe ardua fundet in auras
crura.

Scriptum est in codice *claucum.*

Haec pauca habeo quae in editione recentissima Grattii diligenter percensenda a me observata editori ad considerandum offerre velim. Quodsi meam sententiam de toto opere suo cognoscere curat, ei licere censeo iudicium, quod de Persio Scaliger quondam tulit „miserrimus auctor, obscuritati studet; non pulchra habet, sed in eum pulcherrima possumus scribere", ad se et poetam suum conferre, nam non solum bonam nobis donavit editionem sed etiam commentarium egregium locupletissimumque nec tamen farragine supervacua onustum, unde altero Scaligeri dicto de Casauboni editione Persiana edito mutatis nimirum nominibus in Grattium Enkiumque uti possis:

„Au Perse de Casaubon la saulce vaut mieux que le poisson".

Digitized by Google

AD NEMESIANI CYNEGETICA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Carminis exordium est

1 Venandi c a n o mille vias hilaresque labores
discursusque citos, securi proelia ruris,
pandimus.

Incongruum videtur verbum *pandimus* plurali numero post singularem numerum verbi *cano* intra tantulum intervallum. An forte pro *cano* scribendum est: *c a n e*? Cf. vs. 50:

et varias cupimus facili cane sumere praedas.

Argumentis mythologicis reiectis poeta rem venaticam sibi magis placere dicit,

58 talique placet dare lintea c u r a e,
dum non magna ratis, vicinis sueta moveri
litoribus tutosque sinus percurrere remis, e. q. s.

Lectionem traditam *curae* non quadrare in imaginem Baehrens iure observans minus recte pro ea substituit *cursu* (= cursui); Heinsius iam proposuit *cymbae*. Reponendum est: *g y r o*. Cf. Grattius vs. 225, 245.

Addit sibi esse in animo postea res a divi Cari filiis gestas canere

66 et edomitas fraterno numine gentes,
quae Rhenum Tigrimque bibunt Ararisque remotum
principium Nilique b i b u n t in origine fontem.

Pro altero *bibunt*, quod nimirum e vs. superiore per errorem repetitum est, editores cum Johnsonio scribere solent *vident*. Equidem maluerim: *c o l u n t*.

Catulos dum a matre aluntur tu quoque molli pasce sero

154 interdumque c i b o Cererem cum lacte ministra.

Digitized by Google

Heinsius *cibos* corrigi iussit, Baehrens ascripsit se malle *novo*. Nescio an praestet: *ultro*.

Catulos dentientes non conclusos tenere oportet neque eorum colla vinculis circumdare,

167 catulis nam saepe remotis
aut vexare trabes, laceras aut mandere valvas
mens erit, e. q. s.

Pro *remotis* vix dubito quin scribendum sit: *remotas*, ad *trabes* videlicet pertinens.

195 nam tristes morbi, scabies et sordida venis
saepe venit multamque canes discrimine nullo
dant stragem.

Tolle manifestam corruptelam mecum corrigendo: *canum*.

Ubi de equis, quos Mauretania gignit, loquitur, haec sunt:

263 nec pigeat, quod turpe caput, deformis et alvus
est ollis quodque infrenes, quod liber uterque
quodque iubis pronos cervix deverberet armos.

Verba *liber uterque*, quae sanam interpretationem non admittunt, sic emendo: *libera torque*, cervix scilicet.

Ubi de pennato sermo est, haec sunt:

309 has igitur vario semper fucare veneno
cura tibi niveisque alios miscere colores
alternosque metus subtemine tendere longo.

Lectionem traditam, quae est *cura tibi*, Postgatium merito servasse, Baehrensium iniuria immutasse in *curabis* cum Hauptio, qui etiam *curato* protulit, Lachmanni coniecturam *curam athibe* item respuendam esse docet Grattii vs. 495:

seu vincere silvas
seu tibi fatorum labes exire minasque
cura prior, tua magna fides tutelaque virgo.

Cf. etiam Grattii vs. 346:

causasque adfectusque canum tua cura tuerist.

Digitized by Google

DE PLAUTI CISTELLARIA.

SCRIPSIT

J. W. BIERMA.

Fabulam Menandri, cui Ἐπιτρέποντες inscribitur, nomen traxisse ex ea scena, in qua duo servi causam suam diiudicandam Smicrini mandant, perspicuum est. Itaque Van Leeuwen latine vertens fabulam cum „Disceptantes" elegit, aliam eius scenae partem pressit, aliam Menander, cum fabulae nomen Ἐπιτρέποντες esse voluit. Duo servi enim, cum arbitrium causae suae seni mandant, ἐπιτρέπουσιν, deinde demum disceptant. Eleganter vir et latinarum et graecarum litterarum peritissimus id, quod uno vocabulo exprimi vix potuit, leniter declinans titulum Menandri, uno verbo tamen expressit.

Inter titulos fabularum Menandrearum eius generis, ut summam unius scenae uno vocabulo, quod participium est, complectantur, alia exempla si quaesiveris, Περικειρομένη obvia est. Eadem ratione qua in Ἐπιτρέπουσιν fabulae titulus velut uno tractu pingit ea quae in scena quadam aguntur. Quod etiam explicat, quare praesenti tempore participium sit positum. Hic igitur Van Leeuwen in vertendo usus participio perfecto „circumtonsa" non omnibus numeris recte fecit; in scena aliqua spectatur virgo, quae circumtondetur, nec illud imprimis poeta voluit, alicuius circumtonsae casus argumentum facere suae fabulae.

Tertium exemplum non minus luculentum Menandreae fabulae, quae huiusmodi titulum habuit, Heauton Timorumenos praebet. Nam Menedemus in prima fabulae scena se ipse excruciat. Sed nomen in hac fabula paullo latius pertinet: non

Digitized by Google

solum ea quae in prima scena spectantur indicat, sed etiam quo animo Menedemus sit, ut huius tituli ratio iam propius distet ab iis, qui alicuius personae in fabula partes agentis ingenium proponunt, velut sunt Δύσκολος, Ἄγροικος, Ἄπιστος, quam ii quos priore loco laudavimus.

Quarto loco posita sit fabula Δὶς ἐξαπατῶν, quam Plautum ea, cui latine inscripsit „Bacchides", vertisse, inter doctos constat. Hic vero participium non unam aliquam scenam indicat, sed totum quasi tenorem atque argumentum fabulae adumbrat.

Ita duo genera earum fabularum, quarum titulus participium est, distingui possunt: unum earum, in quibus id participium ad unam certam scenam referenda est, alterum earum, quarum totius argumenti summa eo participio continetur.

Inter fabulas Menandri, quarum aut solum nomen aut nomen cum paucis fragmentis ad nos pervenit, — praeter eas quas iam laudavi, tredecim sunt, quae titulum hoc genus habent: Ἀνατιθεμένη, Ἑαυτὸν πενθῶν, Ἐμπιμπραμένη, Ἐπαγγελλόμενος, Θεοφορουμένη, Καταψευδόμενος, Κωνειαζομέναι, Μισούμενος, Προεγκαλῶν, Πωλουμένη, Ῥαπιζομένη, Συναριστῶσαι, Συνερῶσα.

Ex hoc numero quinque generi earum, in quibus totum argumentum titulo indicatur, attribuendas esse veri simile est: Θεοφορουμένην, significantem aliquam mulierem numine instinctam, Καταψευδόμενον, eum, qui insigniter decipitur, sive senex dominus est sive miles sive leno, Μισούμενον, in qua militem odio dignum primas partes egisse Bentley iam demonstravit subnixus Libanio (IV, 512, 1 R.), Προεγκαλοῦντα, servum, qui domini quem fallit accusationem occupat, Συνερῶσαν, puellam quae cum altera eundem adulescentem amat.

De ceteris res accuratius inspicienda est.

Titulus Ἑαυτὸν πενθῶν etsi dubium permittit, tamen melius explicari posse videtur, si ad unam scenam rettuleris. Nam si ad totius fabulae argumentum eum pertinere acceperis, vix tibi fingere poteris, quale illud argumentum fuerit, quo quis in comoedia se ipse luxerit. Unam scenam vero significari si supposueris, statim res multo fit facilior. Non a comoedia aliena esset scena in qua adulescens amatorius et prodigus verbis ludens in soliloquio diceret, aliorum in luctu homines solere

Digitized by Google

esse, se tamen non alium sed ipsum lugere, quippe qui magis perisset quam qui esset mortuus.

Etiam nomen Ἀνατιθεμένη varie potest explicari. Meineke fortasse recte id nomen ita interpretatus est, ut e ludo calculorum sit tractum et ἀνατιθεμένη sit muliercula identidem sententiam mutans et amatorem fallens. Samiae tamen argumentum nos admonet, mulierem alterius mulieris probrum sibi suscipientis — simili ratione atque Samia infantem puellae vicinae sibi natum esse simulat — a materia novae comoediae alienum non esse. Et sic explicatus et ita, uti Meineke voluit, titulus ἀνατιθεμένη ad totum fabulae argumentum pertineat. Sed adlegata Cistellaria etiam scenam nobis fingere possumus, qua amica amatoris ex domo profectionem praeparat; qua ratione ad unam certam scenam titulus spectaret.

Alios titulos veri simillimum est ad singulas scenas spectare. Duo per analogiam explicantur Περικειρομένης, dico Ἐμπιμπρᾶσθαι et Ῥαπιζομένην: in altera puellam alapam accipit [1]), in altera ebrius aliquis et violentus, miles fortasse, meretricis vestem incendere conatur. Qualis scena titulum dederit Πωλουμένη, satis explicatur Persa Plauti, quae scena cui argumento intexta fuerit, minus invenire possumus.

Κωνειαζομέναι et Συναριστῶσαι sine dubio nomen ab singulis scenis duxerunt, quoniam neque hoc — feminae quae una prandium sumunt — neque illud, sive vult feminas, quae cicutae potionem bibunt sive quae praeparant, totum fabulae argumentum complecti potest.

Quod ad Ἐπαγγελλόμενον attinet, nihil omnino certi potest statui. Si servus sit, qui iactanter nonnulla de sua calliditate promittit, ut Davus alter vel Chrysalus, ad unam scenam hic titulus pertineat; itidem si coquus sit, qui artem suam profitetur. Fragmenta, quae admodum pauca sunt, priori explicationi favere videntur, sed eam confirmare non possunt.

---

1) Iam Meineke in ed. 1 Fragm. Com., p. 138 ad explicandum titulum hanc fabulam cum Περικειρομένη comparavit. Frustra est Kock, qui eam explicationem infirmare nititur subsidio Pol. VIII, 8 — τὰς σαμβύκας ῥαπιζομένας ὥσπερ ἐκστόνδους μετ' αἰσχύνης ἐκπεπτωκέναι. Nam omnis memoria huius comoediae Menandri inde longe abesse, vel hinc apparet, quod illic ῥαπίζειν ‚verberare', apud Menandrum ‚alapam ducere' significat.

Digitized by Google

Etiam aliis mediae et novae comoediae poetis huius generis tituli satis usitati fuerunt: Alexidis octo, Philemonis undecim, Diphili item undecim comoediae talem titulum habent. Similiter comicorum, qui minus noti fuerunt, quorum pauciora fabularum fragmenta ad nos pervenerunt, Diodori, Dionysii, Heniochi, Timoclis aliorum saltem vel unum vel duo comoediarum nomina id genus nota sunt.

Plautus tamen ex omnibus comoediis, quae adhuc feruntur, nullam tali nomine instruxit; inter ceteras, quae perierunt quidem sed quarum vel nomen solum vel cum paucis fragmentis nobis servatum est, poeta tantum bis tali nomine usus est, scilicet in Bis compressa et in Commorientibus. Inde iam suspicio oriri debet, Plautum nescioqua de causa hos titulos reiecisse et, cum comoediam graecam tali titulo praeditam verteret, fabulam latinam novo nomine, quod ipse excogitaverit, instruxisse. Quod confirmatur in Bacchidibus, quae fabula graece fuit Δὶς ἐξαπατῶν, atque in Casina, quae graece Κληρούμενοι fuit.

His subsidiis instructi paullo accuratius et explicitius inquiremus de Cistellaria.

Hac fabula Plautum comoediam Menandri expressisse, hodie omnium, quod sciam, doctorum opinio est. Res nititur loco Hermogenis, qui in quarto libro de Inventione haec dicit (cap. 11):

ὅπου δ' ἂν ὁ νοῦς αἰσχρὸς ᾖ, τότε χρεία τῆς σεμνότητος τοῦ λόγου, ἵνα τὸ νοούμενον αἰσχρῶς οὕτως ἐξενέγκῃ τις τῷ λόγῳ εὐφυῶς, ὄνομα ἀντ' ὀνόματος ἀμείβων, ὡς μὴ δόξαι τισὶν αἰσχρὸν εἶναι τὸ πρᾶγμα διὰ τὴν τοῦ λόγου σεμνότητα. ὡς παρὰ τῷ Μενάνδρῳ. πυθομένου γάρ τινος κόρης, πῶς εἴη διεφθαρμένη, σεμνῶς ἀφηγήσατο πρᾶγμα αἰσχρὸν ὀνόμασι βελτίστοις. Διονυσίων ἦν πομπή. ὁ δὲ μοι ἠκολούθησε μέχρι τοῦ πρὸς τὴν θύραν· ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων τὴν μητέρα ἔγνω με. τὸ γὰρ διεφθάρθαι καὶ ὑβρίσθαι σεμνῶς ἔγνω με εἰπὼν ἐκόσμησε πρᾶγμα αἰσχρὸν σεμνοτέρᾳ λόγου συνθέσει.

Verba ab *Διονυσίων ἦν* usque *ἔγνω με* cum Cistellariae versibus 89 ad 93:

Digitized by Google

Per Dionysia
mater pompam me spectatum duxit. dum redeo domum,
conspicillo consecutust clanculum me usque ad fores;
inde in amicitiam insinuavit cum matre et mecum simul
blanditiis, muneribus, donis.

propius congruere quam ut casui alicui id attribui possit, iam Lambinus vidit. Totos locos adscripsi, ut ostenderem, rhetorem graecum non locum Menandreum citavisse quem vel tempore vel incuria scribarum mutilatum esse, sed iam ab initio paucis verbis eum summam versuum Menandreorum complexum esse. Inde fit ut frustra sint omnes illi viri docti et ingeniosi qui ex his verbis in breve compendium contractis plenos poetae versus elicere voluerint. Quod labe temporum, quod errore librariorum periit quadamtenus restitui potest coniectando, quod vero rhetor via et ratione contraxit, nullam ansam praebet coniectura supplentibus.

Itidem supersedere possumus labore eruendi nomen comoediae graecae e verbis Hermogenis; nam quia paene certum est illud nomen ibi nunquam fuisse, vanum sit nos excruciare, quid latere possit in aliqua lacuna vel ante πυθομένου vel post κόρης supposita.

Itaque in quaerendo nomine exemplaris graeci alia ratio nobis instituenda est. Convertamur ad argumentum ipsum. Quo tandem nomine Menander uti potuit? Primum indicium latinum nomen Cistellariae dare videtur atque rogare nos cogit, num forte Menander eadem mente consilioque usus atque Plautus ex crepundiis, quibuscum infans expositus fuerit, comoediae nomen traxerit. Hac suspicione inducti si titulos, qui fabularum Menandrearum nobis traditi sunt, percensuimus, nihil nobis offertur nisi Δακτύλιος, nam nec nomen aliquod Δέραια [1]) nec κίστη nec κοίτη in iis titulis est. Sed fragmenta eius fabulae convincunt, Δακτύλιον graecum exemplar Cistellariae non fuisse; nam nec ulla mentio Danai fit (fr. 102) nec sponsus, qui nihil eget dote (fr. 103) ullum in Cistellaria locum habere posse videtur.

Si vero reputantes, Menandrum complures comoedias ex eo

1) Conf. Epitrep. vs. 86.

Digitized by Google

quod agitur sive toto argumento sive una scena nominavisse, ad hanc rem cogitationes advertimus, primo statim conspectu illas comoedias percensentibus Συναριστῶσαι se offert. Nam in prima eius fabulae scena post peractum prandium ante fores aut clausas aut apertas, ut etiam prandii apparatus a spectatoribus conspici potuerit, mulieres inter sese confabulari, e pluribus locis apparet, velut

10 sq. ita in prandio nos lepide ac nitide
accepisti apud te, ut semper meminerimus.

16 sq. ita hodie hic
acceptae sumus suavibus modis.

Consentaneum igitur est ad fragmenta graeca huius fabulae converti, num forte aliqua congruentia hoc ut ita dicam vestigium suspicionis de similitudine Cistellariae et Συναριστώσων confirmetur.

Ante tamen nonnulla monita volo. Veri simile est et eam scenam, qua tres mulieres inter se colloquuntur, et canticum, quo Alcesimarchus de amoris crudelitate queritur, in exemplari graeco, quodcunque fuit, longe aliter se habuisse. Nam paene certum est et ex iis quae Periceiromenes fabulae et Georgi ad nos pervenerunt et ex Terentianis fabulis, fabularum Menandri priores scenas semper trimetris iambicis conscriptas fuisse. Item locos, quale canticum Alcesimarchi est, in comoedia graeca non lyricam indolem habuisse sed potius ioculariter philosophicam, eius generis cuius est extrema pars monologi Micionis in Adelphis (vs. 64—77).

Etiam alia ratione efficitur Plautum his locis metrum Menandri mutavisse. E duobus locis Marii Victorini (Art. gramm. p. 57, 14 et p. 78, 20 K.) sequitur, Menandrum nisi trochaicos et iambicos versus non adhibuisse aut fere non adhibuisse, ut accuratius dicam. Nam in uno fragmento Leucadii (312) dimetri anapaestici nobis adhuc servati sunt. Quod fortasse sic explicandum est, ut ea comoedia vel prima vel ex primis Menandri fuisse putetur. Sed in exemplari Cistellariae itidem Menandrum alia metra atque supra laudata adhibuisse, ab omni veri similitudine abhorret.

Itaque initium fabulae Menandreae scriptum erat trimetris

Digitized by Google

iambicis, sed quomodo ea prima scena instructa fuit? Ex loco Pliniano (Nat. Hist. XXIII, 159), quem attulit Kock (III, 455): (myrtus sativae semen) odorem oris commendat vel pridie commanducatum, item apud Menandrum Synaristosae hoc edunt — ex eo loco veri simile fit, Menandrum Synaristosas induxisse in prandio adhuc occupatas. Scenae quae intra domos agebantur, etsi rarae, ab nova comoedia non omnino alienae erant. Luculentum eius rei exemplum Mostellariae sc. 3 Act. I praebet; nam Philematium se ornare ante domum (vs. 250 sqq.), aquam sumi in publico, accumbi, mensam apponi (vs. 307 sqq.) absurdum esset.

Ergo Plautus metrum sui exemplaris initio fabulae mutavit, illa fabula si fuit Synaristosae, etiam primam scenam paullo aliter instruxit: tres mulieres, quas fabula graeca habuit prandio vix finito adhuc in lectis cubantes, confabulantes, dum ancillae mensas tollunt, et inter fabulandum forsitan exsurgentes, Plautus induxit post finitum prandium ante aedes Selenii inter se colloquentes.

Haec si probari possunt, satis magna congruentia est fragmenti Menandri (K. 451):

ἂν ἔτι πιεῖν μοι δῷ τις. — ἀλλ' ἡ βάρβαρος [1])
ἅμα τῇ τραπέζῃ καὶ τὸν οἶνον ὤχετο
ἄρασ' ἀΦ' ἡμῶν.

cum Cistellariae versibus 16 sqq.

nec nisi disciplina apud te fuit quicquam ibi quin mihi placeret.
SEL. quid ita, amabo? LE. raro nimium dabat, quod biberem,
id merum infuscabat.
GYM. Hicine istuc decet? [2])

Cetera, quae ex Synaristosis laudantur fragmenta ut ab universa indole argumenti Cistellariae non abhorrent, ita cum nullo certo loco fabulae Plautinae verbis atque definito sensu congruunt. Sed ea est poetae latini ratio in tractandis exemplaribus graecis, ea condicio, qua mutilata haec comoedia ad

1) Ante ἀλλ' ἡ βάρβαρος personae notam addidit Cobet N. L. 24, sed ea, quae loquitur, se ipsa interpellat.

2) *Merum infuscare* idem valere videtur quod *liquidum turbare*, i. e. laeto atque contento animo aliquid vexationis admiscere.

Digitized by Google

nos pervenit, ut huic rei non nimium tribuere debeamus. Meminerimus et in aliis comoediis Plautinis, quorum exemplaria graeca nota sint, non aliter rem se habere; velut ex quattuor fragmentis Δὶς ἐξαπατῶντος solum duo cum certis Bacchidum locis conveniunt.

Fr. 450 K. ἀστεῖον τὸ μὴ
συνάγειν γυναῖκας μηδὲ δειπνίζειν ὄχλον
ἀλλ' οἰκοσίτους τοὺς γάμους πεποιηκέναι,

i. e. lepidum est nuptias celebrasse sine turba et sumptibus, ironicum colorem habent et verba iocantis vel irridentis esse videntur. Nuptiae sine ceremoniis atque festo tam apud Graecos quam apud Romanos verae nuptiae non erant. Quisquis haec quae fragmenti sunt verba dixit, serio dixisse non potest. Itaque dictum eiusmodi optime quadret in finem eius scenae, ubi Alcesimarchus Selenium intra aedes secum aufert, nulla facultate nec iubendi nec vetandi Melaenidi permissa (vs. 646 sqq.). Verba potuerunt dici ab ancilla in paucissima verba conferente ea quae modo facta erant.

F. 149 Ἔρως δὲ τῶν θεῶν
ἴσχυν ἔχων πλείστην ἐπὶ τούτου δείκνυται·
διὰ τοῦτον ἐπιορκοῦσι τοὺς ἄλλους θεούς.

Hoc fragmentum optime ad eam primae scenae partem refertur, ubi Selenium Gymnasium matremque eius miseri sui amoris conscias facit. Ibi etiam de amore nonnullae sententiae dialogo immiscentur, quae et vim huius dei praedicant et naturam maleficam; vs. 69 sqq.

GY. namque ecastor Amor et melle et felle est fecundissimus; gustui dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit.
SEL. ad istam faciem est morbus qui me, mea Gymnasium, macerat.
GY. perfidiosus est Amor. SEL. ergo in me peculatum facit.

Fr. 452 τρισάθλιόν γε καὶ ταλαίπωρον Φύσει
πολλῶν τε μεστόν ἐστι τὸ ζῆν Φροντίδων

optime conferas in eam scenam, ubi Alcesimarchus rure redit de amore suo sollicitus (II, 1); quanquam etiam a monologo Ampeliscae ex aedibus progredientis ad cistellam, quam perdidit, quaerendam (IV, 2) non abhorreat.

Digitized by Google

Fr. 453 καὶ τὸν ἐπὶ κακῷ
γινόμενον ἀλλήλων ἀγάπησμον, οἷος ἦν

indicare videtur id quod in fabulis atque libris nostrorum temporum frequentissimum est, amorem infelicem. Universo argumento nostrae comoediae optime conveniunt, ubi adulescens et virgo dispari loco nati, ut putatur, inter se amant, adulescens invito patre puella invita matre. Ad quem locum tamen eius argumenti referendum sit, dici non potest, cum verbum, abs quo accusativus ἀγάπησμον pendet, desit, quo fit, ut totius phrasis tenor atque sensus definiri non possit.

Fr. 454 πατὴρ δ' ἀπειλῶν οὐκ ἔχει μέγαν Φόβον

veri simile est pertinere ad eam fabulae partem, quae paucis fragmentis aliunde servatis in codicibus Palatinis periit. Quibus ex fragmentis patet, senem patrem Alcesimarchi in altercationem cum Gymnasio, quam filii amicam esse putat, se commisisse conantem illi persuadere, ut filium dimittat (vs. 369). Quod colloquium quam in partem deinde se vertat, constitui nequit, quia fragmentum hic finitur. Sed satis probabile est deinde ad alia tentamina et alios modos eum descendisse, ut Gymnasio minatus sit eique intenderit, se ad poenas filii descensurum, cui rei hoc versu inter alia Gymnasium responderit.

Hoc loco lector quis mihi forsitan ingerat: „haec omnia nobis comprobare postulas, cum tam plena sint coniecturarum, a tam tenui filo argumentorum pendeant?" Paucis, quae respondisse volo, attende, quaeso.

Nisi volueris, Cistellariae exemplar graecum, quam fabulam Menandri esse constat, sine vestigio post Hermogenis aetatem interiisse, sequitur, ut nobis quaerendum sit in iis fabulis Menandri, quarum aliqua fragmenta vel saltem solus titulus adhuc servantur. Quod etiam ideo confirmatur, quia Hermogenes titulo comoediae ex qua nonnulla sumit non allato locum afferre videtur ex comoedia suis temporibus notissima. In fragmentis vero quae nobis tradita sunt, si quaesiveris, nullus se offert titulus, qui melius Cistellariae convenit, quam ille qui est titulus eius de qua agimus fabulae, Συναριστώσων.

Praeterea unum fragmentum cum certo Cistellariae loco congruit, si posuerimus in fabula graeca primam scenam paullo

Digitized by Google

aliter accommodatam fuisse atque in latina, id quod per se minime improbabile est.

Cetera fragmenta ab universo tenore argumenti non aliena sunt.

Verum tamen si quis me nondum propositum meum peregisse existimat, Trimalchionis verba mea faciam et dicam me pluribus pedibus stare.

Festus duobus locis, p. 301, 26 et p. 352, 18 versum 408 nostrarum editionum, qui est in Ambrosiano

cum exte r i tis ta[lis c]um todellis cruribus

laudat addito fabulae nomine, quod tamen infelicissimo casu magnam partem periit. Priore loco tres litteras SYR, posteriore duas SY dispici editores eius dicunt.

De ea re viri docti alii aliter coniectaverunt et commentati sunt. Nonnulli nomen S y r u m explendum esse disputaverunt; eum enim servum esse, qui in iis quae fabulae interierunt, argumenti partem egisset, itaque ab aliquo docto antiqui iam aevi, qui forte nomen usitatum fabulae Cistellariam ignoraret, hoc ei nomen inditum esse. Ita Festum hos versus ex Syro citavisse. Quas servi partes quam difficulter in fabulae partem intruseris, quivis agnoscet, qui Studemundi doctam disputationem in Studiis in Prisc. Script. Lat. collatis, Vol. II p. 419—436, legerit. Ne autem servum Alcesimarchi, qui in duobus fragmentis quae in Ambrosiano servata sunt, occurrit, hoc nomine fuisse suspicemur, resistunt litterarum vestigia, quae vs. 383 adhuc discernuntur, ubi TH — SCE Studemundo apparere visa sunt. Nec Winteri opinio, qua hoc nomen Syrum defendere conatus est (Plaut. fragm. p. 6), aliam fabulam Plautinam, aliunde plane ignotam, id nomen habuisse, in qua hi Cistellariae versus repetiti essent, multum habet quod persuadere possit. Neque veri similius est, id quod alii coniecerunt, nomen S y r a m, utpote matris Gymnasii, supplendum esse, cum etiamsi illud nomen in versibus, qui interierunt, alicubi occurreret, incongruum esset inde a quoquam fabulae nomen tractum esse. Nam ut illa lena in historia infantis expositi partes suas agit, ita in nostrae fabulae argumento minimi momenti est. Fabulam a tali persona nominari a rationibus tam graecae quam latinae comoediae alienum est.

Digitized by Google

Quanto probabilius est, in illis litterarum reliquiis nomen graecum comoediae latere, quoniam etiam in Mostellaria Festus p. 162 et p. 305 graecum nomen huius fabulae Φάσμα citat. Itaque nobis recurrendum est ad eas Menandri fabulas, quarum titulus ab litteris ΣΥ incipit. Quae tres numero sunt: Συναριστῶσαι, Συνερῶσα, Συνέφηβοι. Postrema reiicienda est, quia duo adulescentes in nostra fabula non occurrunt, Συνερῶσα, quia mulier cum alia muliere eundem adulescentem amans [1]) in argumento non invenitur.

Restat igitur ea, cui inscribitur Συναριστῶσαι.

Quam facile id, quod in Festi manuscripto nunc esse dicitur SYR in loco igne vexato aut male legi potuerit pro SYN aut iam ante inde depravatum esse, cum duo priores ductus litterae N facile speciem litterae R in scriptura capitali efficere possint, id vero non est quod explicitius disputem. [2])

---

1) Sic titulum explicandum esse veri simile, etsi etiam significare potest mulierem propter magnum suum amorem adulescentis paelicem amantem, Conf. Eur. Andr. 222 sq.

ὦ φίλτατ' Ἕκτορ, ἀλλ' ἐγὼ τὴν σὴν χάριν
σοὶ καὶ ξυνήρων, εἴ τί σε σφάλλοι Κύπρις.

2) Schoell etiam de titulo Graeco in iis litterarum vestigiis latente, cogitavit: „Non inepte mea quidem sententia cogites de fabula aliqua Σύρα inscripta, cum postea demonstrandum sit versum quendam Cistellariae ex ‚Syra' proferre Festum" (Praef. Cistellariae p. VII). Nomina comoediarum ex meretricum nominibus tracta in poesi Menandrea admodum rara sunt et dubium est, an femina id genus, quod Syra fuisset, secundum rationes moremque poetae fabulae nulli nomen dare potuerit. Praeterea parum probabile, ut supra monui, fabulae ex qua Hermogenes locum citavit, nomen interiisse, cum tituli Menandrei maximam partem nobis servati sint.

Digitized by Google

AUSONIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Quamquam Schenklii recensio Ausonii opusculorum [1]) triennio ante Teubnerianam a Peipero curatam [2]) in lucem prodiit, tamen carminum textus ab illo constitutus anteponendus videtur huius editioni recentiori. Saepius enim Peiper tradita verba nimis a codicum lectione recedens vehementer immutavit. Iam vero idem ordine satis arbitrario partes corporis Ausoniani exhibet plane diverso a vulgari. Nuper philologus Britannus Burdigalensis poetae scripta edidit [3]) luculenterque Anglice vertit, verum ubique fere Peiperi lectiones amplexus est atque repetivit. Quare spero fore ut sodalis societatis Budaei, qui versionem Franco-Gallicam confecturus est, simul editione revera emendatiore nos donet. Ipse hic conabor nonnullos locos manifesto corruptos emendare. Fortasse designato illi editori observationes meae, cuicuimodi sunt, usui esse poterunt. Profecto haud iniucundus ille vates dignus est, cuius versus integriores legantur quam in editionibus praecedentis saeculi, quas supra commemoravi.

Ultima i. e. septima pars Ephemeridos agit de somniis maxime

1) D. Magni Ausonii opuscula recensuit C. Schenkl. Berolini apud Weidmannos (1883). (Monumenta Germaniae historica. Tomi V. pars posterior.)

2) D. Magni Ausonii opuscula rec. R. Peiper; in aedibus Teubneri 1886.

3) Ausonius with an English translation by H. G. Evelyn White. London Heinemann 1919. (Loeb Classical Library). Hic auctor de vita et scriptis Ausonii in Prolegomenis egregie disseruit, brevibus sed idoneis adnotationibus interpretationem suam instruxit, stemma Ausonii parentum adiecit, quin et signorum zodiaci aspectus diagrammate illustravit.

Digitized by Google

secundum Vergilium. Ut verborum contextus intellegatur, duodecim versus mihi describendi sunt:

IV 7, 22 Schenkl. p. 8; Peip. II 7, 22, p. 14

Divinum perhibent vatem sub frondibus ulmi
vana ignavorum simulacra locasse soporum
et geminas numero portas: quae fornice eburno
semper fallaces glomerat super aëra formas:
altera, quae veros emittit cornea visus.
quod si de dubiis conceditur optio nobis,
deesse fidem laetis melius quam vana timeri.
ecce ego iam malim falli. nam, dummodo semper
tristia vanescant, potius caruisse fruendis
quam trepidare malis. satis est bene, si metus absit.
sunt et qui fletus et gaudia *contraversum*
coniectent varioque trahant eventa relatu.

Schenkl (quem plerumque sequor) edidit *contraversum*, Peiper *controrersum*, Scaliger *controversa*, at in codicibus exaratum est *controversorum* (extrema syllaba per compendium). Ceterum quamvis magna sit discrepantia scripturae, de significatione dubitari non potest, quippe poeta dicere vult: sunt qui laeta somnia habeant pro nuntiis malorum, tristia rursus pro praesagiis rerum secundarum. Cum fructu igitur comparabimus Apul. Apolog. 15 num, ut ait Epicurus, profectae a nobis imagines velut quaedam exuviae iugi fluore a corporibus manantes, cum leve aliquid et solidum offenderunt, illisae reflectantur et retro expressae *contraversim* respondeant, an e. q. s. Itaque Ausonio reddendum est adverbium *contraversim*, quod prorsus eodem sensu coniungitur cum *respondeant* atque cum *coniectent*.

Ab Apuleio autem scriptores Gallos non pauca mutuatos esse notum est; ex hoc fonte Ausonius videtur hausisse:

Griph. (XXVI 2) 19 Sch. p. 129 *tria fata*; cf. Apul. de mundo 38 *tria Fata* sunt.

Praeterea uterque auctor eadem paronomasia utitur: Grat. Act (VIII) 14, 64 (cuius) *habitudo* cohibitior aut familiaris *habitus* condecentior?

Apul. Metam. XI 39 nam quidam procerus et, ut indicabat *habitus* atque *habitudo*, miles e legione cet.

Digitized by Google

Cf. locum Apuleianum laudatum a Schenklio ad Profess. (XVI) 21, 14 p. 69.

Eclog. (V) 7, 1—4 Sch. p. 12; Peip. VII 15, 1—4 p. 100.

Post Idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
diversae numero redeunt variante Kalendae,
dum..... rursumque iterumque vocantur,
ut tandem optati procedant temporis ortus. [1])

Cum primo versu de *Idibus* mentio fiat, secundo autem de *Kalendis*, tertio desideramus verbum *Nonarum* eo magis, quod requiritur, ut recte tempora procedant, id quod versus quartus docet. Quocirca scribe mecum in lacuna:

dum ⟨*Nonae totiens*⟩ rursusque iterumque vocantur.

Ut *totiens* tuear provoco ad Horat. C. S. 21—24

certus undenos deciens per annos
orbis ut cantus referatque ludos,
ter die claro *totiens*que grata
nocte frequentis.

Quintus Cicero a Piscium sidere incipiens describit vim singulorum zodiaci signorum, quibus enumeratis sic pergit:

Eclog. (V) 17, 14 Sch. p. 16; Peip. VII 26 p. 107

tanta supra circaque vigent *umi* flumina mundi.

Büchelero debemus emendationem *lumina*; iam vero *umi* nimirum dittographia extrusit genuinam vocem, quam puto fuisse *ita*. Restituendus est igitur versus ad hunc modum:

tanta supra circaque vigent *ita* lumina mundi,

i. e. *quo ordine* dixi, regnant in caelo zodiaci sidera.

Etsi de maiestate Gratiani Augusti Ausonius consul alias fusius est dicturus, tamen de hac re non omnino tacebit. Oratoris autem verba haec sunt:

Grat. Act. (VIII) 13, 62 Sch. p. 27; Peip. XX 13, 62 p. 368

quamquam me istam dixerim seposuisse materiam et in tempus aliud reservare, nihilominus tamen, ut nunc aliqua contingam, nutu et prope murmure cohortantur. itaque faciam, quando cogunt volentem, sed maioribus separatis tenuiora

1) *Ortus* Gronovio praeeunte recepit Schenkl.

Digitized by Google

memorabo, nulla spe ad plenum exequendi, sed universi ut intellegant eorum, quae *inter*.... praedicanda sunt a me poscendam esse notitiam, ab aliis dignitatem.

Schenkl e deterioribus codicibus *in te* recepit pro *inter*, quod libri optimae fidei exhibent. Revocandum vero est: quae *inter*⟨*preti*⟩ praedicanda sunt.

Ausonius tamquam *interpres* virtutum imperatoris laudationem sive panegyricum habet. [1])

Paulo infra celeritatem, qua imperii Romani fines provinciasque Gratianus obit, orator praedicat:

Grat. Act. (VIII) § 82 Sch. p. 29; Peiper p. 375 tu Gratiane, tu Romani imperii limites, tot flumina et lacus, tot veterum intersaepta regnorum ab usque Thracia per totum, quam longum est, latus Illyrici, Venetiam Liguriamque et Galliam veterum, insuperabilia Rhaetiae, Rheni *accolas*, Sequanorum invia, porrecta Germaniae celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, evolvis, nulla requie otii, ne somni quidem aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illustres, ut consulem tuum, quamvis desideratus, anticipes, ut illam ipsam, quae auras praecedere solet, famam facias tardiorem.

Latine dici potest: *lacus*, *insuperabilia*, *invia cet. transcursu evolvere*, verum *accolas transcursu evolvere* absurdum est. Ergo corruptum est *accolas*, cuius littera *s* dittographia nata est (e *Sequanorum*); tum *accola* videtur depravatum esse ex *alluvia*.

Peiper *vadosa* recepit, at Schenkl proposuit *acclivia*.

Parent. (XV) 5, 1 Sch. p. 42; Peip. IV 3 p. 30

culta mihi est pietas patre primum et matre vocatis:
dicere *set rea fit* tertius Arborius.

Schenkl pentametrum refingit sic:

diceris (id re fit) tertius Arborius,

at Peiper pro more suo verba tradita spernens:

dici set refugit tertius Arborius.

---

1) White addidit *familiaria* post *inter*.

Digitized by Google

Equidem *dicere* (= diceris) teneo [1]), sed librorum vestigiis ductus restituo parenthesim:

dicere — *sero* [2]) *id fit* — tertius Arborius.

Parent. (XV) 14, 1—2 Sch. p. 47; Peip. IV 12 p. 37

Si qua fuit virtus, cuperet quam femina prudens
esse suam, soror hac Dryadia *non ruit.*

Quae prima manus perperam in V exaravit, postea mutata sunt in: *Driadiana ruit*, pro quibus Schenkl recepit:

Dryadia *eminuit*, at Peiper: Dryadia *haud caruit.*

Equidem motus his verbis (Griph. (XXVI) 2, 16 Sch. p. 129):

Phoebeius oscen,
quem novies senior Gangeticus *anteit* ales,

in quibus *anteit* trisyllabum est, revoco supra:

esse suam, soror hac Dryadia *anteiit*,

in quibus *anteiit* quadrisyllabum est.

Parent. (XV) 15, 1—8 Sch. p. 48; Peip. IV 13, 8 p. 38

Avitianum, Musa, germanum meum
dona querella funebri.
minor iste natu me, sed ingenio prior
artes paternas inbibit.
verum iuventae flore laeto perfrui
aevique supra puberis
exire metas vetuit infesta Atropos,
heu quem dolorem *sociis*!

Ecquis credat Ausonium, talem artificem in rebus metricis, vocabuli *sociis* antepaenultimam produxisse? Videtur potius vera vox *aequalibus* extrusa esse *sociis* glossemate.

Neque minus difficile est credere ab Ausonio profectum esse hunc dimetrum anapaesticum catalecticum (Parent. (XV) 19, 16 Sch. p. 50; Peip. IV 17, 16 p. 41):

cape munera *tristia* parentum

Schenkl (Indic. p. 301) docet *tristia* per synizesin esse pronuntiandum, quamquam Ephem. (IV) 7, 30

tristia vanescant, potius caruisse fruendis

1) Cf. Profess. (XVI) 25, 8 Sch. p. 70 *fruerere* bonis.

2) *Sero* legitur Parent. (XV) 13, 7 *sero* intellectum; Lud. XX, 111 ac paene *sero*.

Digitized by Google

trisyllabum est. Hic quoque credibile est glossema substitutum esse pro integra lectione:

cape munera *iusta* parentum.

Substantivum *iusta* occurrit Parent. (XV) 32, 11 Sch. p. 55

annua nunc maestis ferimus tibi *iusta* querellis.

Peiper edidit:

cape munera *tristia patrum*,

at Scaliger scripsit: *munus triste.*

Iuliae Veneriae amitae Ausonius dedicavit carmen quattuor versuum e procelcusmaticis constantium:

Parent. (XV) 29 Sch. p. 54; Peip. IV 27 p. 46

et amita Veneria properiter obiit,
cui brevia melea modifica recino:
cinis *ut* placidulus *operta* vigeat,
loca tacita celeripes adeat Erebi.

Tertius versus male habitus est. Recte Schenkl revocavit *uti*, nam a scriptoribus posterioris aetatis littera *i* correpta est, sed idem nimis licenter recepit:

cinis, uti *placidula* ⟨*ea*⟩ *supera viguit.*

Hic aliquanto melius Peiper posuit:

cinis *ut* placidulus ⟨*ab*⟩ *opere* vigeat.

Illud *vigeat* [1]) manifesto ostendit etiam nunc iter suscipiendum esse, id quod declarat versus quartus. Quare censeo scribendum esse:

cinis *uti* placidulus ⟨*ad*⟩ *opera* vigeat.

Parent. (XV) 31, 1 Sch. p. 54; Peip. IV 29 p. 46

Aemilia ⟨*et*⟩, vix nota mihi soror, accipe questus.

Praeeunte Hartelio Schenkl, ut metrum salvum esset, inseruit *et*, at Peiper requisivit: Aemilia ⟨*o*⟩.

Memor Vergil. Ecl. VI 69 *en accipe*, Ausonio reddo:

Aemilia ⟨*en*⟩ vix nota mihi soror *accipe* questus,

nam et Cup. Cruciat. (XXIV) 1 Sch. p. 121 *en umquam* vidisti nebulam pictam in pariete? noster imitatus est Vergil. Ecl. I 67 *en umquam*.... mirabor aristas?

1) Cf. Catull. 46, 8 iam laeti studio pedes *vigescunt*.

Digitized by Google

Non semel haec interiectio in libris manuscriptis aut omissa aut corrupta est. Recte *en* Schenkl reposuit:

Lud. Sept. Sap. (XX) 180 Sch. p. 110

⟨*en*⟩ ἐγγύς· πάρα δ' ἄτα Graece dicimus.

Idem correxit Technop. (XXVII) 13, 1 Sch. p. 139

⟨*en*⟩ logodaedalia: stride modo.....,

ubi V exhibet *e* [1]).

Manus secunda mutavit *em* in *en* Epist. 16, 74 Sch. 176

apologos *en* misit tibi.

Denique a Mommseno Epitaph. (XVII) 10, 2, a Graevio Epitaph. (XVII) 17, 4 *en* substitutum est pro *et*.

Profess. (XVII) 11, 32—41 Sch. p. 64; Peip. V 10, p. 59

relligiosum etenim
commemorare meae
grammaticum patriae
Ammonium ⟨*tetricum*⟩,
qui rudibus pueris
prima elementa dabat,
doctrina exiguus,
moribus implacidis:
proinde ut erat meritum,
famam habuit tenuem.

Addidi *tetricum*, quod adiectivum convenit in eum, qui est moribus implacidis (vs. 39). Imprimis autem motus sum Protrept. (XIII) 2, 12 Sch. p. 37

disce libens, *tetrici* nec praeceptoris habenas
detestere, nepos. [2])

Cur non Martialis quoque versum conferam, quem ad Plinium scripsit (Epist. III 21, 5):

totos dat *tetricae* dies Minervae?

Commemorationem professorum excipiunt Epitaphia, quibus poeta praemisit praefationem, cuius ultima sententia haec est:

Epitaph. (XVII) 1 Sch. p. 72; Peiper VI 1 p. 72 quae

1) Cf. Apul. Metam. IV 30 *en* rerum naturae prisca parens, *en* elementorum origo initialis, *en* orbis totius alma Venus.....

2) White versum 35, sic refinctum: *Ammonium* ⟨*et recinam*⟩ posuit ante vs. 32.

Digitized by Google

antiqua (sc. epitaphia) cum aput philologum quendam repperissem, latino sermone converti, non ut inservirent *ordinis* persequendi...., set ut cohaererent libere nec aberrarent.

Schenkl Scaligerum secutus dedit *ordini* pro *ordinis*, quod exhibet V. Multo autem verisimilius est verbum excidisse, a quo *ordinis* pendeat. Non dubito proponere: ut inservirent ordinis persequendi ⟨*legi*⟩.

Necesse videtur locum Batave vertere: toen ik deze grafschriften bij een zeker geleerde had gevonden, heb ik ze in het Latijn vertaald, niet zóo dat zij in strenge volgorde bij elkaar zouden aansluiten, maar zóo dat er een vrije samenhang, echter geen gemis van verband zou ontstaan.

Peiper voluit: non ut *inservirem* ordinis persequendi ⟨*studio*⟩, set ut *cohercerem* libere nec *aberrarem*!

Sed malus rhythmus (*persequendi studio*) Ausonio obtrudendus non est, qui non invenustas clausulas adhibet.

Ord. urb. nobil. (XIX) 46 Sch. p. 99; Peip. XI 46 p. 147

nec Capuam *pelago* cultuque penuque potentem,
deliciis opibus famaque priore silebo.

Quid hic sibi vult *pelago* aut quomodo ortum est? Locus sane perdifficilis est. Nihilominus haud scio an scribendo:

nec Capuam *perquam* cultuque penuque potentem

poetae manum restituerim: certe *quam* scriptum per compendium aliquam similitudinem habet cum syllaba *go*. Iam vero *r* et *l* in scriptura, quae dicitur, minuscula perpetuo confunduntur [1]), ad extremum (perquam-pergo-pelgo) *pelago* facile natum est.

Perquam utitur et Cicero (pro Planc § 16 *perquam* grave), et Plinius (Epist. II 17, 21 *perquam* eleganter) et Apuleius (Florid. cap. 15 *perquam* opulentum) cet.

Peipero placuit *pelago* mutare in *pol agri*!

---

1) Cod. Parisinus continens Arnobii libros Adversus Nationes a prima manu exhibet II 70 *celebro*, quod postea correctum est in *cerebro*; idem habet II 70 *calunculae* pro *carunculae*.

De confusione inter *Ariciae* et *Aliciae* egit Magnus Berl. phil. Woch. XXXV (1915) col. 970.

Digitized by Google

Lud. Sept. Sap. (XX) 42—46 Sch. p. 105; Peip. XIII 42—46 p. 171.

sed quid ego istaec? non hac de causa huc prodii,
ut expedirem, quis theatra, quis forum,
quis condidisset privas partes moenium:
set ut verendos disque laudatos viros
praegrederer *agere*, quid vellent sibi.

Metrum versus 46. claudicat, sed in promptu medicina est, nam haplographia quadam librarius peccavit:

praegrederer ⟨*ac per*⟩*agerem*, quid vellent sibi.

Peragendi verbum vim induit referendi vel docendi vel describendi praesertim apud Livium (e. g. II 40, 5 sententiam *peregit*; XXII 60, 5 cet.).

Schenkl recepit praegrederer *ac docerem*, at Peiper praegrederer *aperiremque*, multo melius utroque Baehrens *praegrederer perageremque*.

Ibid. vs. 52—57 Sch. p. 105; Peip. p. 172.

Delphis Solonem scripse fama est Atticum
γνῶθι σεαυτόν, quod Latinum est: nosce te.
multi hoc Laconis esse Chilonis putant.
Spartane Chilon, sit tuum necne ambigunt,
quod *introfertur*: ὅρα τέλος μακροῦ βίου,
finem intueri longae vitae qui iubes.

Introfertur nullo modo defendi potest. Peiper, etsi recepit *iuxta fertur*, cogitavit etiam de *itidem*. Pichon [1]) coniecit: *quod ita profertur*.

Vix autem potest dubitari quin Ausonius scripserit

quod *metro* fertur ὅρα τέλος μακροῦ βίου.

i. e. proverbium *metro* enuntiatum sic se habet, licet prosa oratione vulgo aliter reddatur.

Ibid. vs. 73—77 Sch. p. 106; Peip. p. 173

de more Graeco prodeo in scaenam Solon,
septem sapientum fama cui palmam dedit.
set fama non est iudicii severitas:

1) René Pichon Les derniers écrivains profanes (Paris 1906), p. 318.

Digitized by Google

neque *me* esse primum verum unum existimo,
aequalitas quod ordinem nescit pati.

Transponendo *me* sine ullo negotio versum 76. sanaveris:

neque esse primum, verum *me* unum existimo.

Peiper frustra *enim* inseruit inter *neque* et *esse*, cum colo post *severitas* nexus causalis satis appareat.

Schenkl ter verba tradita mutavit edens:

neque me esse primum ⟨*nec*⟩ *vero imum* existimo.

Ibid. vs. 189 Sch. p. 110; Peip. p. 179

Bias Prieneus dixi οἱ πλεῖστοι κακοί.

Schenkl Scaligerum secutus addidit *sum* post *Prieneus*, at Peiper *quod*. Quicumque tamen *Prieneus* per diaeresim pronuntiat, traditam lectionem tueri potest.

De Pittaci sententia καιρὸν γνῶθι legimus:

Ibid. vs. 204—208 Sch. p. 110; Teip. p. 180

sed iste καιρός, tempus ut noris, monet
et esse κακὸν tempestivum quod vocant.
Romana sic est vox: venito in tempore.
vester quoque..... comicus Terentius
rerum omnium esse primum tempus autumat.

Schenkl *itidem* inseruit post *quoque*, at Peiper *iste* sine ulla specie veritatis. Noster procul dubio scripsit:

vester quoque *Afer* comicus Terentius:

vocem autem *Afer* non intellectam librarius praetermisit.

Ibid. vs. 214—216 Sch. p. 111; Peiper p. 181

Ephyra creatus huc Periander prodeo,
μελέτη τὸ πᾶν qui dixi et ⟨*re*⟩ dictum probo,
meditationis esse, quod recte geras [1]).

Re a me insertum est, *hoc* a Schenklio, *iam* a Peipero, ii qui legunt diiudicent, quis Ausonia mentem perspexerit.

Eundem ablativum et alibi desidero nempe

Caes. (XXI) tetrast. 2 vs. 9—12 Sch. p. 114; Peip. XIV 2 p. 187

1) Heinsius vs. 216 emendavit.

Digitized by Google

ultor successorque dehinc Octavius, idem
Caesar et Augusti nomine nobilior.
longaeva et numquam dubiis violata potestas
in terris positum *credidit* esse deum.

Poeta hoc dicit: potestas ipsa tamquam vocem adepta pandit exclamatque *re vera* Augustum esse deum in terris collocatum, ergo scribendum:

in terris positum *re edidit* esse deum.

Ex *re* et *edidit* facile coaluit *credidit*, pro qua codicum lectione a Schenklio *reddidit*, a Peipero autem *prodidit* est substitutum.

Bissul. (XXV) 1 Sch. p. 125; Peip. IX 1 p. 114

pervincis tamen [1]) et operta musarum mearum, quae initiorum velabat obscuritas, quamquam non profanus, irrumpis, Paule carissime. quamvis enim te non eius vulgi existimem, quod Horatius arcet ingressu, tamen sua cuique sacra, neque idem Cereri quod Libero, etiam sub iisdem cultoribus. poematia, quae in alumnam meam luseram, rudia et incohata ad domesticae solatium cantilenae, cum sine metu ⟨*quiete*⟩ *et* arcana securitate fruerentur, proferri ad lucem caligantia coegisti.

Quod revocavi substantivum, facile intercidere potuit similitudine litterarum vicinarum. Schenkl cum Scaligero *et* delevit, sed Peiper proposuit: ⟨*laterent*⟩ et.... fruerentur.

Ibid. 4 vs. 1—6 Sch. p. 126; Peip. IX vs. 1—6 p. 116

Bissula, trans gelidum stirpe et lare prosata Rhenum,
conscia nascentis Bissula Danuvii,
capta manu, sed missa manu dominatur in eius
deliciis, cuius bellica praeda fuit.
matre carens, nutricis egens, *nesci*⟨*vit hab*⟩*ere* [2])
imperium ⟨*quemquam, libera facta cito*⟩.

Versum quintum codicum vestigia (*nescitere*) secutus restituere conatus sum; fortasse versu sexto sententiam certe

1) White cum Accursio recepit *tandem*.

2) White supplevit vs. 5 ⟨*quae*⟩ *nescit herai*, at vs. 6 ⟨*domini quae regit ipsa domum*⟩.

Digitized by Google

Ausonii comprehendi, nam nisi omnia me fallunt hoc vult poeta: haec scita puella, ubi praeda mihi attributa est, statim fere domi meae domina ipsa extitit.

Lectionem Schenklianam: *nescit tamen erae | imperium* probare non possum, cum *erae* brevem habeat paenultimam.

Technop. XXVII 13, 1 Sch. p. 139; Peip. XII 13, 1 p. 167

en [1]) logodaedalia: stride modo, qui nimium trux
frivola condemnas, nequam: ⟨*quia*⟩ cum pretio est mers.

Schenkl minus recte mea quidem sententia distinguit colo posito post *nequam*, quod pertinet ad *mers*; sententia nimirum est: logodaedalia quamvis mala merx tamen non prorsus vilis est. Videtur ergo auctorem scripsisse magna cum emphasi:

nequam ⟨*quin*⟩ cum pretio est mers.

In V post *nequam* facile *quin* excidit.

Quin et occurrit XV 28, 1; *quin etiam* XIX 54 cet. Laudetur tantum hoc exemplum Append. XXII (in Medeae imaginem) vs. 7

quin ne picta quidem sis barbara. namque tui vim
creta tenax zeli concipit immodicam.

De viro bono (XXX) 1—6 Sch. p. 149; Peip. VII 3, 1 p. 90

vir bonus et sapiens, qualem vix repperit unum
milibus e cunctis hominum consultus Apollo,
iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem
quid proceres vanique levis quid opinio volgi
⟨*dicat non quaerit, semper constans animique*⟩
securus, mundi instar habens, teres atque rotundus,
externae ne quid labis per levia sidat.

Totum hexametrum — aeque ponderosum atque vers. 6 — supplevi, ut *proceres* (vs. 4) et *opinio volgi* suum haberent praedicatum.

Ναὶ καὶ οὐ (XXX) 15 Sch. p. 151; Peip. VII 15 p. 92

hinc etiam placidis schola consona disciplinis
dogmaticas agitat *placido* certamine lites,
hinc omnis certat dialectica turba sophorum.

1) Correxit Schenkl; cf. quae dixi supra ad Parent. (XV) 31, 1.

Digitized by Google

Inepte e versu praecedente *placido* repetitum est, quod et Schenkl et Peiper improbat, cum ille lacunam significaverit, hic *blandum* coniecerit. Veram lectionem puto *calido* memor Horat. C. III 27, 69

mox, ubi lusit satis, „abstineto"
dixit „irarum *calidaeque* rixae".

Ad Theonem, qui Ausonium donaverat triginta modo ostreis, poeta exiguum irridens numerum cum alia tum haec rescribit:

Epist. VII 2, 24 Sch. 165; Peip. XV 24 p. 251

ter denas puto quinquiesve senas
vel bis quinque, dehinc decem decemque
vel senas quater et bis *adde* ternas.
septenis quater *adde*... unam et unam
aut ter quattuor *adde* bis novenis.

Cum *adde* ter repetitum legatur, quin id de industria poeta quaesiverit, non est dubitandum, neque igitur scribendum (vs. 27) *addito* cum Heinsio neque *addis* cum Peipero (qui praeterea *et unum et unum* proposuit). Magis ironiae loci et palaeographiae rationem habueris, si revocabis:

septenis quater adde ⟨*age*⟩ unam et unam [1]);

cf. Epist XVI 2, 42

age, vera proles Romuli,
effare causam nominis;

et Epist. XII 15 ἄγε.... praeferte.

Epist. XI Sch. p. 169; Peip. Epist. VII p. 231

ergo nisi Delirus tuus in re tenui non tenuiter laboratus opuscula mea, quae promi studueras, retardasset, iamdudum ego ut palmes audacior in hibernas adhuc auras improbum germen egissem, periculum iudicii gravis inconsulta festinatione subiturus. denique *bisonum*, quem *tolleno in* existimo proprie a philologis appellatum, addere, ut iubebas, recenti versuum tuorum lectione non ausus, ea, quae tibi iam cursim fuerant recitata, transmisi.

Verbo *bisonum* (sc. cantum) significari epistula duodecima

1) De collocatione cf. Liv. V 52, 9 recordamini agitedum; ibid. XXXVIII 47, 11 mittite agedum cet.

Digitized by Google

iure observat Schenkl, nam partim graece partim latine scriptum est illud poematium. Haud temere ergo quispiam hic requisiverit: denique bisonum, quem *Italo-Hellenium* [1]) existimo..... appellatum e. q. s.

Epist. XVI 2, 53 Sch. p. 176; Peip. Epist. XII 53 p. 241

libelle felix, quem sinu
vir tantus evolvet suo
nec occupari tempora
grato queretur otio:
quem mille.... vocis modis
leni aut susurro impertiet.

Schenkl, ut metro mederetur, *tum* inseruit post *mille* (vs. 57), quod substantivum Peiper mutavit in adiectivum *melleae*, etsi Ausonius Probum iam vs. 14 vocavit *mellifluentum* Nestora. Ut *leni* (susurro) habeat, cui opponatur, necesse videtur restitui

quem mille ⟨*altae*⟩ vocis modis
leni aut susurro impertiet.

Quod attinet ad synaloephen in secundo pede, confer vs. 22 collega Augusti; vs. 84 Probianoque atque Anicis; spondeum in secundo pede habent vs. 12 orando pauca, vs. 74 apologos en, cet. [2])

Epist. XXI 1 Sch. p. 181; Peip. Epist. XXV p. 270

Quid autem tam amabile tamque hospitale, quam quod tu, ut me participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defrudas? o melle dulcior, o Gratiarum venustate festivior, o ab omnibus patrio stringende complexu! sed haec atque alia huiusmodi documenta liberalis animi aliquis fortasse ⟨*asseret*⟩ et aliquando, quamvis rarus: illud de epistularum tuarum eruditione, de poematis iucunditate, de inventione et concinnatione, iuro omnia nulli umquam imitabile futurum, etsi fateatur imitandum.

Schenkl addidit *imitabitur*, quod et ipsum in sententiam

1) Cf. Epist. XVI 76 Ausonius, nomen *Italum*.

2) Silius Italicus usurpat XVI 397 vocibus altis; Catullus XLII 18 altiore voce cet.

Digitized by Google

quadrat, meum vero supplementum insuper quomodo vitium oriri potuerit explicat.

Paulo infra in eadem epistula Iambum (cf. vs. 1 et vs. 10 *tu*) poeta alloquitur sic:

Epist. XXI 2, 8 Sch. p. 182; Peip. Epist. XXV 8 p. 271

si vera fama est, Hippocrene, quam pedis
pulsu citatam cornipes fudit fremens,
tu fonte in ipso procreatus Pegasi,
primus novorum metra iunxisti pedum
hic quid Musis concinentibus novem
caedem in draconis concitasti Delium.

Pro codicum lectione (*hic quid* vel *hic* vel *hicque*) Schenkl Hartelio auctore dedit *iisque*, at Peiper *sanctisque*; equidem requiro *idemque*.

Epist. XXIII 2, 19 Sch. p. 184; Peip. XXVI 19 p. 274

non cultor instans, non arator gnaruris,
promusque quam condus magis,
terram infidelem nec feracem criminans
negotiari maluit.
mercatur... quoquo foro venalium
mutatus ad Graecam fidem,
sapiensque supra Graeciae septem viros
octavus accessit sophos.

In lacuna (vs. 23), ut metrum constet, scribendum censeo *ita*, quoniam nexum desidero cum iis quae praecedunt. Schenkl cum Vineto supplevit *in*, at Peiper edidit:

mercator quolibet foro venalium.

Fragment. III Sch. p. 226; Peip. p. 309

Legimus apud Script. de dubiis nom. Gr. lat. V 589, 6 *Rumor* generis masculini, ut Ausonius:

quae tantae tenuere morae *rumore sub omni*.

Manifesto vitium latet in vocabulis *sub omni*, cum genus masculinum non perspiciatur; genuina autem lectio est: *rumore secundo*, cf. Enn. Ann. 263 (Müll.)

mox auferre domos populi *rumore secundo*;

Digitized by Google

Tac. Ann. III 29 atque haec *secundo rumore*, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Seianus destinaretur cet.

Vitium procul dubio ortum est compendio scripturae, quod repraesentans *secundo*, simile est litteris *subōī* (= *sub omni*).

Append. I Perioch. VIII Sch. p. 230; Peip. XXI p. 383

Acto deorum concilio Iuppiter *pro parte* pronuntiat, sua ut quisque exercitus sorte decernat, nullus deorum odio in alteros vel favore procedat. in Idam montem ipse digressus inde Graecos immisso terrore *conterritos*..... turpi fuga ad munimenta compulsi fossa et aggeribus sese tuentur.

Pro parte iniuria Peiper mutat in *propere*, nam *propere pronuntiare* infra Iovis maiestatem esset. Restitue *propalam*.

Neque difficilius alterum vitium sustuleris, scribe modo: Graecos immisso terrore conterritos ⟨*vertit, qui*⟩ turpi fuga e. q. s.

Schenkl *conterritat qui* substituit pro *conterritos* loci sententia intellecta, palaeographiae nulla ratione habita.

Ibid. Perioch. XII Sch. p. 231; Peip. p. 385

res dubiae apud Graecos vel potius afflictae ⟨*sub*⟩ ultimae fortunae statu aguntur praestantibus procerum vulneratis, cetero exercitu fugato aut formidine perculso.

Addidi *sub* (Schenkl *in*) coll. Perioch. XVI Achilles Graecorum statum iam *sub* extrema sorte miseratur. Eodem modo hanc praepositionem, quam scriptores aetatis posterioris in deliciis habent, Ausonius usurpat saepius, laudo tantum XIX (Ord. urb. nob.) 67

sed magis illud
eminet, extremo quod te *sub* tempore legit,
solveret exacto cui sera piacula lustro
Maximus, armigeri quondam *sub* nomine lixa.

Ibid. Perioch. XV Sch. p. 232; Peip. p. 387

ipse (sc. Iuppiter) Apollinem recreando adlegat Hectori monetque pro Phrygibus belli instaurare fortunam. tum et Aiax Telamonius egregie proeliatur. ⟨*igitur*⟩ plurimis hostium interfectis conflagratio classis arcetur.

Verisimile est librarium post *proeliatur* omisisse *igitur*. Schenkl *a quo* inseruit, at Peiper *et*.

Digitized by Google

Perioch. XIV (Odyss.) Sch. p. 239; Peip. p. 399.

interrogatus (sc. Odysseus) deinde quis esset, ait esse se Cresium: in Aegyptum navigantem Troiam fuisse delatum, Eumaeum tum affectione maestissima *pergens et* cogente denique vespera et imbre continuo sagulo amicitur.

Et recte delevit Schenkl, quocum tamen non *peragens* revocandum est pro corrupto *pergens*, nam *mergens* vera lectio videtur; cf. Liv. IX 18, 1 et loquimur de Alexandro nondum *merso* secundis rebus; Plin. N. H. VII 40, 132 quam multos bona perdidere et ultimis *mersere* suppliciis! cet.

Perioch. (Odyss.) XXIII Sch. p. 242; Peip. p. 404

Euryclia nutrix gestae rei nuntia Penelopam de somno excitat. Quae advenientem ad se maritum non temere ⟨*sibi*⟩ ipsum esse persuadet.

Addidi *sibi*, quem dativum verbum *persuadet* requirit. Peiper inserendo *sibi* et Schenkl ponendo *se* inter *esse* et *persuadet* optimam clausulam (*esse persuadet* i. e. cret. et troch.) pessumdederunt.

Append. II De rosis 39, Sch. p. 245; Peip. p. 441

tot species tantosque ortus variosque novatus
una dies aperit, conficit ipsa dies.
conquerimur, Natura, brevis quod gratia *talis*:
ostentata oculis ilico dona rapis.

Talis huc non quadrare et contextus ipse verborum et varia lectio, quam manus recens in B exaravit *florum est*, docet. Schenkl lacunam significavit, at Peiper *talis* retinuit; equidem pro certo habeo post *gratia* interiisse *terrae*.

Append. IV Caton. de Mus. vers. 8 Sch. p. 251; Peip. p. 412

Urania.... poli motus scrutatur et astra.

Baehrens inserendo *arce* et Schenkl *arte* metrum huius versus sanare voluerunt, sed restituendum est:

Urania ⟨*alma*⟩ poli motus scrutatur et astra,

Ab Horatio Carm. III 4, 42 Camenae vocantur *almae*.

Quantae molis erat Peipero hunc versum corrigere scribenti:

Urania motusque poli scrutatur et astra,

Digitized by Google

itaque transposuit *poli*, addidit *que*, produxit ultimam syllabam vocis *Urania*!

Quid est artem criticam infamare nisi hoc est?

De locis similibus.

Afferantur aliquot loci similes, qui desiderantur in editionibus Schenkliana et Peiperiana. Ephem. (IV) 37—39 Sch. p. 5 sq.

pande viam, quae me post vincula corporis aegri
in sublime ferat, puri qua lactea caeli
semita ventosae superat vaga nubila lunae,
qua proceres abiere pii.....

Hic poeta memor est loci Ciceroniani nempe Rep. VI 16 (Somn. Scip. III 8): iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis tum in patria maxima est: ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides — erat autem is splendidissimo candore inter flammas circus elucens — quem vos, ut a Grais accepistis, orbem lacteum nuncupatis.

Grat. act. (VIII) 6, 25 Sch. p. 22 sq. ego autem iam consul et senex adhuc aviditatem meam fatebor, te videre saepius in hoc magistratu, Gratiane, desidero, ut et sex Val. Corvini et septem C. Marii et cognominis tui Augusti tredecim consulatus unus aequiperes.

Hic Ausonius evidenter imitatus est Tacit. Ann. I 9 numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvum et C. Marium simul aequaverat.

Ibid. VIII 8, 37 Sch. p. 24 verum quoniam gratiis agendis iamdudum succumbo materiae e. q. s.

Praeiit Livius scribens XXII 54, 8 itaque succumbam oneri neque adgrediar narrare e. q. s.

Ord. urb. nob. (XIX) 106 Sch. p. 101

quos genuit cunctos gremio complexa colonos;

sic scribenti de Tolosa, metropoli quattuor urbium, Ausonio obversabantur verba Vergilii (Aen. VI 786)

(qualis Berecyntia mater)
laeta deum partu, centum complexa nepotes.

Digitized by Google

Ex Graeco Pythag. de ambig. elig. vitae XXIX 36 Sch. p. 148
nec voluisse homini satis est.

Alludit auctor ad Propert. II 10, 6
.....in magnis et voluisse sat est.

Epist. XVII (Ausonius Symmacho) Sch. p. 177 ubi vero chartulam pono et me ipsum interrogo, tum absinthium meum resipit et circumlita melle tuo pocula deprehendo.

Exemplo fuerunt versus Lucretiani I 936
sed veluti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras, pocula circum
contingunt mellis dulci flavoque liquore.....

Epigr. LXXIX 2 Sch. p. 217
opicus magister (sic eum docet Phyllis).

Ipse Fronto magister Marci Aurelii ad discipulum sic scribit (Epist. I 8 Nab. p. 24 sq.): nolo enim me mater tua ut opicum contemnat.

De genetivo.

Genetivo Ausonius saepe peculiariter interdum pulchre utitur. Genetivus quidem, qui vocatur, inhaerentiae crebro adhibetur e. g.

Grat. act. (VIII) 16, 74 conflagrationem incendii; ibid. 18, 82 requie otii; Parent. (XV) 1 lemma tituli; Profess. (XVI) 12, 5 tramitis rectam viam; ibid. 15, 8 sede loci; ibid. 20, 3 sorte fati; Epitaph. (XVII) 16, 4 moenia muri; Cupid. cruc. (XXIV) 1 mirandi stuporem; Epist. IX 8 uliginis umor; Epist. XII 32 in sumptum δαπάνας [1]); Epigr. XIII 1 litoris ora (cf. Schmalz Syntax § 69 A. 2 p. 362).

Neque minus frequens genetivus partitivus est:

Grat. act. (VIII) 14, 66 operto conclavis tui; Bissul. XXV, 1 operta Musarum; Mosell. 155 aprica iugi (cf. ibid. 393 seniique aprica); ibid. 166 riparum subiecta; Caes. XXI 81 sceleris opimis cet.

Instar identidem genetivum adsciscit:

Grat. act. (VIII) 2, 7 instar filii; ibid. 4, 19 instar profundae grandinis; ibid. 10, 53 instar edicti; Protrept. (XIII) 1 instar protreptici; ibid. instar virginum cet.

1) Epist. XVI 46 *morum regula* imitatur Martial. XI 2, 3 (regula morum); quocum confer Sidon. Apoll. Ep. VII 2, 2 moris est regularum.

Digitized by Google

Aliter dicta sunt: mundi instar habens (XXX 5); ad usque puncti tenuis instar XX 143 cet.

Etiam *vice* Ausonius in deliciis habet:

Parent. (XV) 17, 1 vice fratris; ibid. 8, 1 vice matris; ibid. 27, 7 feretri vice; Epist. XXIV 19 tenui vice vocis.

At accusativum *vicem* usurpat:

Lud. sept. sap. (XX) 25 quibus theatrum curiae praebet vicem; Epist. V 33 inque vicem veli; Epist. XXIV 30 officiorum vices.

Separatim hoc exemplum commemorandum est:

Epist. XVII (Sch. p. 177) *chamaeleontis bestiolae vice*, ubi genetivus definitivus pendet a *bestiolae* (cf. Colum. V 11, 14 arbore fici; Sueton. Aug. 94 arborem palmae; Liv. XXIV 3, 4 abietis arboribus; Schmalz Syntax § 69 p. 361).

Genetivum possessivum, quem *totus* comitatur, invenimus Lud. sept. sap. (XX) 194

nam populus iste, quo theatrum cingitur,
totus bonorum est.

Neque deest genetivus partitivus praedicative positus Epist. XVII s. f. (Sch. p. 178) haec ad litteras tuas responsa sint: cetera, quae noscere aves, *compendi faciam*: sic quoque iam longa est epistula. (Cf. Kühner-Stegmann I p. 452—453).

Denique praetereunda non est *figura etymologica* Epist. XVI 2, 89 flos flosculorum Romuli (cf. Schmalz Stilistik p. 675).

Plurima adiectiva genetivum adsiscunt, affero: Mosell. 400 legum catos; Profess. (XVI) 5, 2 fandi nobiles; ibid. vs. 20 vini cibique abstemius; Profess. (XVI) 6, 18 famae et salutis sauciis; ibid. vs. 33 docendi pertinax; Prof. XVI 7, 19 lactus patriae; Caes. (XXI) 41 quaerendi adtentus; Epist. VII 2, 39 sumpti modicus cet.

Qui Periochas scripsit, *vereri* Comicorum et Apulei exemplo usus cum genetivo construxit: Perioch. Iliad. XXIV (Sch. p. 235) Iuppiter Thetidem mittit ad filium cum mandatis eiusmodi, ut in defunctum saevire desistat *fatique* hominum in exanimo hoste *vereatur* ad sepulturam corpore restituto (cf. Kühner-Stegmann I p. 468—469).

Sed etiam nonnullae locutiones, in quibus praepositio substituitur genetivo — nova tempora indicantes — deprehenduntur:

Digitized by Google

Profess. (XVI) 18, 17 nomen de rhetore;

Cupid. cruc. (XXIV) 1 istae (sc. mulieres) de nostro saeculo;

Epist. IV 33 exemplum de fratre time;

Epist. XXI 1 (Sch. p. 182) illud de epistularum tuarum eruditione, de poematis iucunditate, de inventione et concinnatione iuro... nulli imitabile futurum. [1])

1) Mente supplendum est *sati* vel *geniti* vel *nati* in hoc pentametro (Append. V Epigr. 24, 1 Sch. p. 259):

nec Stygiis lucis ineunt sua foedera fratres
Oedipodionidae, *de* misero ah miseri.

Ἄσκος — πέλεκυς.

Theophr. Char. V 5 ὁ ἀρέσκων (amicorum liberis ad cenam vocatis) dicitur τοῖς μὲν συμπαίζειν αὐτὸς λέγων· ἄσκος — πέλεκυς', κ. τ. λ. Frustra quaesiveris, quonam pertineant 'uter' ille et 'securis'; *balbum* enim *parvulorum* sermonem imitatur, cum pro ἄρτος et ἀρτίσκος dicit ἄσκος ('*bobam*' pro *boterham*), pro πέλυξ autem πέλεκυς. Utrumque, panis et catinus ligneus, (vel poculum ligneum), pueris in mensa apponitur. — Vox πέλυξ per *anaptyxin* *πέλυκυς〉πέλεκυς facta est, id quod eo minus mirandum, si vel lexicographi veteres ex ipso sono indicantes lignea haec vasa διὰ τὸ πεπελεκῆσθαι nomen suum accepisse putant (Steph. s. v. πελίκα). Quod inversa ratione (Brugmann-Thumb, Griech. Gramm.[4] § 74, § 52) in sermone vulgari saepe *omittebatur vocalis obscurior*, v. c. πέρυσι〉*πέρισυ〉πέρσυ, eodem hoc exemplo demonstrari potest; in LXX enim πέλεκυς ('securis') πέλυξ scribitur (v. c. Jer. 23. 29 ὡς πέλυξ κόπτων πέτραν), quod ortum esse patet ex *πέλυκες 〈πέλεκυς (cf. πέρυσι).

J. D. Meerwaldt.

Digitized by Google

PERIODICAL
GENERAL LIBRARY
UNIV. OF MICH.
NOV 28 1925

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM TERTIUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1925.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Laus I. C. Naberi (MDCCCLXXXV—MCMXXV), scripsit P. H. DAMSTÉ	341—342
De Bacchylidis carmine XV, scripsit W. E. J. KUIPER	343—350
Ἄσκος — πέλεκυς, scripsit J. D. MEERWALDT	350
ΑΜΦΙΒΟΛΙΑ ΧΡΗΣΜΩΔΗΣ, scripsit I. VAN IJZEREN	351—360
Liviana, scripsit C. BRAKMAN I. f.	361—371
Ad Epictetum, scripsit A. J. KRONENBERG	372—381
Ad Pindari Nemea, scripsit Iohannes P. POSTGATE	382—392
Adnotationes criticae et exegeticae, scripsit J. D. MEERWALDT	393—405
De religionibvs antiqvis qvaestiunculae tres, scripsit H. I. ROSE	406—414
Titulus Atticus in pristinam formam restitutus, scripserunt E. HAAGEN SMIT et P. MOENS	415—416
Observatiunculae ad papyros iuridicae, scripsit I. C. NABER.	417—445
Quid fuerit gr. θησαυρός, scripsit F. MULLER Jac. Fil.	446—447
Ad Suetonium, J. C. N.	447
Ad inscriptionem Pompeianam, F. M. J.f.	448

Digitized by Google

LAUS I. C. NABERI.

MDCCCLXXXV—MCMXXV.

Quis non hunc animo memori gratoque salutat
  Solemnem merito laetificumque diem?
Quis non Naberiae peragit praeconia laudis,
  Dum recolit tanti tot benefacta viri?
Ille quater denos doctrina floruit annos,
  Enitet et studiis nunc quoque fertilibus.
Impiger interea iuvenum doctusque magister
  Nec non virginibus pastor amicus erat.
Illi discipuli nunc sunt, quorum ipse parentes
  Artibus excoluit fervidus ingenuis,
Nec tamen insenuit libris: feliciter omni
  Fungitur officio: mascula vis animi est.
Ergo laetantur Clio Cliusque sorores,
  Mnemosyne vero, strenua mater, adest.
Ipsa favens ultro solemnia gaudia iungit
  Et dat laetitiae signa benigna suae,
Iamque ex divino profundit pectore voces,
  Vultus dum placidae pignora mentis habet:
'Nabere mi, quo non cultor mihi carior ullus,
  Hunc tibi formosum gratulor ipsa diem.
In mea tu quondam iurasti verba nec umquam
  Est tua lapsa fides: intemerata manet.
Maximus ingenio semper patiensque laboris,
  Constans et stabilis propositique tenax,
Tanta iam frueris fama qua tenditur orbis,
  Quanta perraro doctus homo potitur.
Quo factum est ut in extremas extendere terras
  Mnemosynes nomen iam tibi contigerit.
Macte esto virtute pia, mi fide sacerdos:
  Gens praeclara tuis arguitur meritis!'

Digitized by Google

Dixerat atque (hora est!) aeternum scandit Olympum:
Annuit at vulgi densa corona deae.
Si nos mortales divae succedere fas est
Votaque divinis iungere nostra licet,
Accipe iam, vir magne, preces quas fundit ubique
Omnis docta cohors extera cum patria.
Nam quicumque tuum novit laudatque parentem,
Te nomenque tuum diligit et celebrat.
Quod semel exemplum virtutis praebuit ille,
Fratrum vestra trias vindicat atque soror.
HAEC chartis lepidis illustrat gesta vetusta,
Temporis et vindex et varii generis.
Qui minimus NABER, sollers inventor et idem
Doctus homo, variis tendit ad astra modis:
Et modo conatur Sirenum vincere cantus
Ingenio docili clarisonaque tuba,
Interdum rate mirifica sub gurgite mersus
Navigat et perstat Drebbelis ultor ovans,
Rursus Pythagorae, Samiae telluris alumno,
Fautor dexter adest auxiliumque refert.
NABERIOR quondam praestans in classe Batava
Praefectus populisque arbiter aequus erat:
Cursibus emeritis scriptor nunc mente sagaci
Nautis a patriis arva retecta notat.
Tu vero, decus egregium, NABERRIMUS ipse,
Qui sis scit quivis et modo fata dea est.
Luce tua laetans Academia nostra refulget,
Quam colis et fido semper amore foves.
Ergo te, rerum penitus fandique peritum,
Collegae redamant, Mater et Alma simul,
Atque tibi cuncti concordi mente precantur,
Protinus ut vitam det Deus Omnipotens
Conservetque diu validas in corpore vires
Et, quod fecit adhuc, prosperet ingenium.
Iam quisque exsultans animo tua festa secundat
Supplicibus votis auspiciisque bonis!

a. d. XI Kal. Oct. MCMXXV. P. H. DAMSTÉ.

Digitized by Google

DE BACCHYLIDIS CARMINE XV.

SCRIPSIT

W. E. J. KUIPER.

Bacchylidis carmina sive plura sive unum post tot virorum lucubrationes novo examini submittere plane supervacaneum fortasse iudicet quis, cum praesertim ante hos viginti annos fuse et accurate de iis tractaverit v. c. Jebb, qui editionem suam commentariis instruxit, appendicibus auxit, praefationibus singulas odas explicavit, tam copiose denique de omnibus quaestionibus et quaestiunculis egit, ut fere nihil disputandum reliquisse videatur. Restant sane lacunae, quas nemo adhuc explevit, sed eae tanti sunt circuitus, ut unos Edmondios temptare possint; sunt sane multi alii loci, ubi verba cancellis inclusa novos Bacchylides, non unum antiquum Bacchylidem exhibent, sed, quamquam hasce lacunas alio modo explere fortasse non ita difficile est, si quis illius negotii peritus suo magis quam alieno ingenio gaudeat, talia aggredi otiosum esse iure contendas, quod pro verisimilibus alia non magis verisimilia substituere nullum habet pretium.

Ita factum est, ut Kenyonis, Blassii, Jebbii, aliorum coniecturae in textus nostros recipi soleant et pro Bacchylidis verbis legantur, neque immerito legantur, quandoquidem verba mutare fortasse licet, sensum mutare non licet.

Verum enimvero in dithyrambis, qui dicuntur, unus inest — carmen dico decimum quintum — cuius sensum paulo aliter se habere puto atque Jebb existimavit, alii post eum censuerunt. Hoc carmen igitur denuo tractare et ad lacunas explendas nova quaedam proponere non prorsus inutile et supervacaneum mihi videtur.

Digitized by Google

Carminis altera pars, quae integra servata est, de Hercule agit post Oechaliam urbem captam sacrificante. Fabula ex Sophoclis Trachiniis omnibus nota est. Bacchylides, ut eius est mos in dithyrambis, facta brevissime narrat, designat magis quam explicat. Memorat enim, quae auditores tam bene sciunt quam ipse, et ita memorat, ut exspectatione discriminis suspensi maneant, cum tamen ipse rerum factarum terror oculis non subiciatur.

At haec, ut dixi, in altera parte carminis, in antistropha scilicet, quae incipit a versu duodecimo. Strophae initio de se ipso locutum esse poetam, quamvis lacunosa sint verba, consentaneum est. In altero versu enim et alia et „ἐμοὶ" legitur, neque aliter huius versus et tertii et quarti initia explere velim ac fecerunt Sandys, Kenyon, Blass, Jebb:

ἐπεὶ
ἑλκ]άδ' ἔπεμψεν ἐμοὶ χρυσέαν
Πιερ] ίαθε[ν ἐϋθ]ρονος Οὐρανίᾱ.
πολυφ]άτων γέμουσαν ὕμνων

Hymnos autem eos, quibus navem onustam se habere poëta gloriatur, Jebbius, quia quinto versu Hebri fluminis, decimo Apollinis Pythii fit mentio, cum κλητικοῖς illis hymnis composuit, quos Delphos vere ineunte cecinisse, ut Apollinem ex Hyperboraeis revocarent, Himerii oratio XIV vel, si mavis, Alcaei fragm. II (Bergk, P. L. Gr. III p. 147) nobis tradidit. Veri non dissimile — ita fere Jebb — Bacchylidem his verbis κλητικούς tales indicare. Quod si negas, pro certo tamen affirmat, carmina, quae Musam sibi misisse poeta dicit, ad Apollinis cultum pertinere; quo iudicio inductus lacunas primi versus (cuius nihil restat nisi haec .... ιου .... επει) sic supplevit, ut ad Apollinis templum poetam euntem videamus: Πυθ]ίου [ἔπ' εἶμ'] ἐπεὶ .... Quae, quantum video, recentiores editores omnes acceperunt.

Haec quod ad grammaticam recte se habent, opinor. Litterae επει integram vocem conficiant, necesse est. Quae enim temptaverunt viri docti, qui adiectivi extremam partem hasce litteras fuisse existimant, omnia in eo peccant, quod in spatium quattuor vel summum quinque litterarum bis tot litterae intruduntur. Itaque, quae voci ἐπεὶ praecedunt, principalis enuntiati

Digitized by Google

esse debent, et quia sequitur ἐμοὶ, prima verbi persona supplenda est.

Hucusque rem bene perspexisse editorem Britannum negari non potest. Sed in eo errare mihi videtur, quod, cum totum carmen — iure ut opinor — dithyrambico generi adscribat, initio carminis hymnos Apollineos cultumque Apollinis tantum spectari iudicat. Id enim non facile accipias, carmen, quod scriptum est in Dionysi honorem, usque a primo verbo ad alium deum se referre, quid dico?: in tota stropha Apollinis tantum mentionem fieri, Bacchi nomen plane taceri. Neque hic poetarum mos est, dum omnem canendi copiam se habere gloriantur, exemplum eius copiae proferre non dico prorsus omittere Horatiana arte, sed alius generis carmen, quod nullum antea indicatum est, substituere. Quae neque Jebbium omnino fugisse videmus. Ad odae quintae versum 176 enim haec annotat: Musam versu tertio huius dithyrambi (ὀλκάδ' ἔπεμψεν . . . . . Οὐρανία) Bacchylidem inspirasse, ut Herculem caneret. Hoc si verum est — et verum esse equidem iudico — non κλητικούς hymnos his verbis significavit poëta, verum materiam adumbravit, quam Dionysiacam indolem exhibere nemo non videt. Nam Deianirae dolus, pallium sanguine Nessi illitum, Herculis post victoriam sacrificantis inexspectati cruciatus et extremi labores, res portentosae et formidine plenae, ab Apollinis cultu aliena sunt, Bacchum celebrantibus conveniunt.

Eodem ducemur, si de tempore festi indagantes Jebbium sequemur ducem. Carmen XV Delphis cantatum esse autumat in fine hiemis, cum iam instaret quidem Apollinis reditus, sed adhuc Bacchus regnaret, eo scilicet anni tempore, quo — ut Plutarchi verbis utar — ἐπεγείραντες τὸν διθύραμβον, τὸν δὲ παιᾶνα καταπαύσαντες, τρεῖς μῆνας ἀντ' ἐκείνου τοῦτον καταλαμβάνονται τὸν θεόν [1]). Quae opinio firmo fundamento nititur versus tertii decimi, ubi poeta ante Apollinis reditum de Hercule se acturum esse dicit.

Haec si recte disputata sunt, fere poscit ratio, ut iuxta Apollinem Dionysus quoque memoretur. Strophae quidquid inde a versu quinto integrum servatum est Apollinem inducit

1) Mor. p. 389 C.

Digitized by Google

ad Hebrum flumen nunc versantem mox Delphos reversurum: primi strophae versus igitur Baccho reservandi sunt et ita supplendi, ut poeta auditoribus dicat, se etiamnunc Baccho vacare, quia Apollo iam iam rediturus nondum reverterit. Sed priusquam conata nostra lectoris iudicio permittimus, de singulis versibus pauca dicenda sunt.

Atque primum de versu quinto. Hic, quae ante ἀνθεμόεντι Ἑβρῳ leguntur litterae, omnes vel incertae sunt vel evanidae, neque ipsa ea verba omni dubio sunt exempta, quod hiatu laborant. Initium versus plane deest. Tum litterarum ε et ι vestigia discerni videntur, quae sequitur sive τ sive γ.

Deinde neque de sexto neque de septimo neque de octavo versu supplendo consentiunt editores. Sextum omnes dativo substantivi incipiunt (δάφνᾳ Blass, θηρσὶν Jebb, δαιτί γ' Süss), qui verbo ἀγάλλεται regatur; e quibus coniecturis Sussii lectio, collatis Pindari Pyth. X versibus 34—36 (ὧν θαλίαις χαίρει) haud displiceret, nisi γε particula molesta esset. Sed animo tenendum est non necessario substantivum adsciscere verbum ἀγάλλεσθαι, quippe quod in Euripidis Bacchis versu 1197 absolute legatur. Quod si hic quoque usu venit, verba ἢ δολιχαυχένι κύκνῳ cum sequentibus coniungenda erunt.

Praeter ceteros difficilis est versus octavus, cuius finis restat, ἵκῃ παιηόνων, δ littera, ut videtur, praecedente. Antistrophae versus respondens haec habet: — λε κέρᾳ τ' ὀβριμοδερκεῖ ἄζυγα. Lacuna igitur quinque syllabarum est, sed sex tantum litteris spatium praebere editoribus videtur. Cum autem nemini adhuc contigerit, ut quinque syllabas, aptum sensum saltem efficientes, sex tantum litteris exprimeret, hoc concludendum esse putant, iam ipsum scribam unum vel plura verba in manuscripto suo omisisse. Ideo spatii iam nullam rationem habentes supplendo vel decem litterarum numerum excedunt. Mihi autem unam rem parum observasse editores videntur, nempe in hoc folio sinistrorsum vergere paginam, idque tantum, ut ante verba ἵκῃ παιηόνων fere idem spatium relinquatur, quod in versu sexagesimo praecedentis carminis vox ἀλλότριον occupat, in huius dithyrambi versu sexto apud Jebbium litterae occupant θηρσὶν ἄγα. Quare novem vel decem litteris hanc lacunam explere minime verear, dummodo pleraeque angustae sint, ut ι, ε, σ, θ.

Digitized by Google

In versu septimo cum Jebbio *ὀπὶ ἀ]δεΐᾳ Φρένα τερπόμενος* legere malim quam cum Jurenka *θεὸς ἀ]δεΐαν Φρένα τερπόμενος*. Scriba utrum *ι* in *ν* an *ν* in *ι* mutaverit, discerni non potest, sed loci, quibus locutionem *Φρένα ἡδεῖαν* comprobare conatur, nihil demonstrare mihi videntur. Abicias sane libenter totam formam *ἀδεΐα*, quippe quae adversus omnem usum distrahatur. Verum si litteram δ, cuius nullum vestigium in exemplari phototypico exstat, ex ipsa papyro suo iure in textum receperunt editores, aliud quid supplere vix licet fortasse.

In primo strophae versu tandem de metro etiam dubitatur. Antistropha enim habet: *πρίν γε κλέομεν λιπεῖν*, ubi secunda syllaba (*γε*) tam corripere licet quam producere. Illud praeoptant editores. Sed neminem fugit vocabulum *γε*, cum Herculem canere non iam diu vacare noverimus, quasi invitare vocem ut vi quadam efferatur. Si produces, haec habebis: – – ∪ ∪ – ∪ –, telesilleum metrum, cuius prima syllaba anceps habetur. Stropham igitur vox mensurae – – ∪ aut ∪ – ∪ incipiat necesse est, cuius, ut supra dictum est, restant in papyro litterae extremae *ιου*, omnes autem litteras non amplius habeat sex, ut recte monet Jebb, neque has omnes latas. Post *ιου* quattuor litteris sufficit locus, vel summum quinque, si intersint angustae. Hisce omnibus perpensis stropham restaurare velim hoc modo:

Λυκ]ίου [ἔτ᾽ εἰμ᾽], ἐπεὶ
ὁλκ]άδ᾽ ἔπεμψεν ἐμοὶ χρυσέαν
Πιερ]ίκθε[ν ἐϋθ]ρονος Οὐρανία
πολυΦ]άτων γεμούσαν ὕμνων
Εὐίῳ,] εἴγ᾽ ἄρ᾽ ἔτ᾽ ἀνθεμόεντ᾽ ⟨ἐΦ᾽⟩ Ἔβρῳ
Φοῖβος ἀ]γάλλεται, ἢ δολιχαύχενι κύκνῳ,
ὀπὶ ἀ]δεΐᾳ Φρένα τερπόμενος,
ἵεθ᾽ ὡς ἔνθα]δ᾽ ἵκῃ πακιόνων
ἄνθεα πεδοιχνεῖν,
Πύθι᾽ Ἄπολλον,
τόσα χοροὶ ΔελΦῶν
σὸν κελάδησαν παρ᾽ ἀγακλέα νάον·

Sic Bacchus iustum honorem accepit. Id denuo explicare supersedeo. Tempus esse adhuc ut celebretur, poeta asseverat, quoniam (*εἴγε*) Apollo nondum adest, quamquam non iam diu

Digitized by Google

aberit. Hiatum versus quinti sanavisse mihi videor; ortum autem eum esse suspicor, quod scriba quidam pro ἔτ' scripsit ἐπ', deinde alter scriba secundum ἐπί (ἐφ') omisit. Id, quod initio huius versus supplevi, Εὐίῳ, a Jebbii coniectura ἐς θεόν non multum differt; quae tamen vix probabilis esse videtur, nisi tota stropha de uno eodemque deo sermonem esse iudices. Ideo, quia in sequenti versu de Phoebo loquitur poeta, hic Bacchi nomen ex primo versu repetendum esse censui, idque, ut ὕμνοι habeant ad quem spectent, sive dativum talis nominis (Εὐίῳ), cuius exempla praebet Plato Rep. 607 A (ὕμνους θεοῖς καὶ ἐγκώμια τοῖς ἀγαθοῖς), Symp. 194 D (τοῦ ἐγκωμίου τῷ Ἔρωτι), sive genitivum (Εὐίου), qui Pindari verbis Θήρωνος Ὀλυμπιονίκαν ὕμνον O. 2, 3) et Aeschylis θεῶν τῶν κατὰ γᾶς ὅδ' ὕμνος (Choeph. 475) comprobari potest. Sed extremam litteram huius vocis N fuisse ex vestigiis apparere editores iudicant [1]). Ego vero, si unam, quae conspicitur, hastam revera ι fuisse negandum est, neque phototypico exemplari omnis fides est deneganda, litteram Υ pinxisse scribam affirmare ausim. Quae restant quidem satis similia esse videntur litterae Υ, qualis legitur in voce Ὀδυσσεῖ (XIV, 5). Sed utut haec se habent, vocem in vocalem exeuntem non propterea abiciendam esse, quod altera vocalis sequitur, quae Süssii opinio est, hoc ipsius carminis XV versu 20 demonstratur (μέλ-)λε κόρᾳ τ' ὀβριμοδερκεῖ ἄζυγα. Hic adiectivi ὀβριμοδερκεῖ ultimam syllabam correptam esse iudico ut primam substantivi παιηόνων in antistropha. Eodem modo enim πᾰιάνιξαν corripitur XVI 128, Ἀθανᾰίων XVI, 92, Κλεῐοῖ III, 3.

Quamquam in versu octavo minus novem litteras supplere non contigit, haec tamen earum natura est, ut spatium quam fieri potest brevissimum occupent. Verbum ἵεσθαι, quod hic supplevimus, more Homerico praecedentis vocis τερπόμενος ultimam syllabam producit, ipsum primam litteram brevem habet secundum epicum usum, quem in hac re etiam X, 56,

1) Jebb: ... probably N. The right-hand vertical stroke is traceable; also a spot of ink in a position which would correspond with the middle of the cross stroke. (? K). Süss: init Ṇ, vix Ω̣Ι̣ ante ΕΙ.

Digitized by Google

fr. 13, 2 secutus est Bacchylides. Cum hoc verbo, quod „ferri" significare hoc loco, ut V, 48, XVI, 90, non est quod dicam, coniungendus est dativus δολιχκύχενι κύκνῳ: exemplum praebet praeter Aeschyleum illud σύθην δ' ἀπέδιλος ὄχῳ πτερωτῷ [1]) Bacchylidea etiam locutio ex primo carmine (vs. 4 Jebb, vs. 114 Süss) ἤλυθεν ναυσὶ πεντήκοντα. Sed, ut supra diximus, de versus septimi initio omnino non constat. Mihi vero in litteris δεΐκι substantivum „ἰά = vox, sonus" latere non improbabile videtur. Molestum fortasse iudices hiatum δὲ ἰᾷ, sed quamquam apud poetas nullum restat vestigium, digamma olim habuisse hoc vocabulum etymologorum est opinio; cum iis autem Bacchylidem libenter consensurum fuisse suspicari licet, cum videamus eum non tantum ἴον violam et ἰός venenum, sed etiam — idque haud recte — ἰός sagittam per digamma litteram incepisse (V, 75). Haec si recte disputata sunt, versum septimum sic supplere possumus: κιθάρᾳ δὲ ἰᾷ Φρένα τερπόμενος. Φόρμιγγος ὁμφά legitur XIII, 13, σύριγγος ἰά in Rhesi versu 553, βαρβίτου sonum „ἑπτάτονον λιγυρὰν" vocari „γᾶρυν" in Bacchylidis scolii [2]) initio nuper reperto (Ox. P. XI 1361. cf. Herm. 53, p. 124) videmus. Non aliena igitur a fidibus iudicanda erit vox ἰά. Tunc autem etiam dativus δολιχκύχενι κύκνῳ cum participio τερπόμενος coniungendus erit, ut simul et cycno gaudeat Apollo et lyrae sono delectetur. Sic enim peregrinanti Apollini duo e tribus muneribus tribuemus, quibus olim Juppiter eum instruxerat. Nam in Alcaei illo hymno, quem huic carmini quoque subesse quivis intelligit, haec fere de Phoebo narrata esse Himerius [3]) tradidit: ὅτε Ἀπόλλων ἐγένετο, κοσμήσας αὐτὸν ὁ Ζεὺς μίτρᾳ τε χρυσῇ καὶ λύρᾳ, δοὺς τε ἐπὶ τούτοις ἅρμα ἐλαύνειν, κύκνοι δὲ ἦσαν τὸ ἅρμα, εἰς Δέλφους πέμπει .... ὁ δὲ ἐπιβὰς ἐπὶ τῶν ἁρμάτων ἔφηκε τοὺς κύκνους εἰς Ὑπερβορέους πέτεσθαι .... ὁ δὲ ἔτος ὅλον πᾶρὰ τοῖς ἐκεῖ θεμιστεύσας ἀνθρώποις .... αὖθις κελεύει τοῖς κύκνοις ἐξ Ὑπερβορέων ἀφίπτασθαι. His addere licet scholion ad Apoll. Rhod. 2, 498, ubi ἐπὶ κύκνων ὀχηθεῖσαν ἐπι τὴν

1) Prom. 135.
2) Fr. 20 B. S.
3) Or. XIV. Bergk. P. L. III⁴, p. 147.

Digitized by Google

Κυρήνην ἀφικέσθαι nympham ab Apolline raptam, auctores sunt Pherecydes et Ariaethus. De cycneo curru apud Pindarum quoque sermonem fuisse videtur (cf. fr. 56 S.), neque deesse huius rei imagines in Encyclopaedia (R. E. I 111) invenio. Quibus rebus adductus δολιχαύχενι κύκνῳ, sive cum τερπόμενος sive cum ἵεται haec verba coniungere mavis, etiam in nostro carmine Apollinem Delphos iter fecisse, equidem iudico.

῎Ασκος — πέλεκυς.

Ingeniosa sane explicatio est, quam in huius voluminis parte III, p. 340 de Theophrasti loco conclamato Char. V 5 proposuit J. D. Meerwaldt. Sed dubia restant. Parvuli lingua titubantes num revera pro ἄρτος (ἄρτισκος) vel semel vel saepius dixerint ἄσκος, hoc diiudicare meum non est: haereo in voce συμπαίζειν. Non enim infantulis συμπαίζειν dicitur, qui balbum eorum sermonem blando modo imitatur. Qui ipsi non παίζουσι, iis συμπαίζειν nequaquam possumus.

Rem perspexisse etiamnunc mihi videntur editores Lipsienses, qui nonnullis explicationibus laudatis de ludo quodam ignoto sermonem esse censent. De hoc ludo quidvis suspicari licet: mihi admodum simplex fuisse videtur.

Manu enim in pugnum compressa utris formam effingere possumus, digitis vero extentis securis speciem imitari.

Qui ludit cum parvulis, hoc facile ab eis impetrabit, opinor, ut, cum compresserit manum, dicant „ἄσκος", cum extenderit, „πέλεκυς"; quod celeriter et sine certo ordine factum in errorem inducet eos et risum movebit.

Eo modo cum hospitis liberis ludere suspicor τὸν ἀρέσκοντα, sed, ut eius est ἀρέσκεια, non exspectat, dum illi voculas eas pronuntient, verum praevenit eos „αὐτὸς λέγων· ἄσκος — πέλεκυς".

W. E. J. Kuiper.

Digitized by Google

ΑΜΦΙΒΟΛΙΑ ΧΡΗΣΜΩΔΗΣ

SCRIPSIT

J. VAN IJZEREN.

Ennius, et sapiens et fortis et alter Homerus cum ab Horatio celebraretur, insignem quidem laudem adeptus est nec tamen plenam. Nam quamquam nimio Latinitatis amore ductum eum fortasse dixeris, qui cum Musis quas Grai memorant comparare ausus sit Calabras Pierides, sunt tamen praeter epicam poesin et alia quibus homo ille Rudinus, in Romanorum civitatem receptus, ditaverit novos suos cives. Ut enim taceam de meritis eius erga Latinorum scenam tragicam et comicam, supersunt indicia satis multa unde appareat non minus alterum Herodotum eum dici posse quam alterum Homerum. Quod luculentius profecto demonstrari posset, si de Sacra Historia ex Euhemero conversa res plane constaret; qui liber si re vera pedestri sermone compositus fuit [1]), quin narrandi simplicitate et amoenitate quam maxime insignis fuerit dubitari non sinunt vel pauca illa fragmenta praesertim apud Lactantium servata.

Sed et ipsa Enniana poesis ingenium prodit praestans non minus arte narrandi ea quae ab aliis acceperat poeta quam fingendi ea quibus auditorum et lectorum animos egregie devinciret. An forte putandum est, ut hoc utar, omnia quae de Romulo narravit poeta ex aliis fontibus eum hausisse? Immo vero et hic et alibi novae suae patriae historiam suo Marte

1) In ambiguo argumento si deis deos opponere liceat, provocari potest et ad Vahlenium qui (Enniauae poeseos reliquiae^2 p. CCXXIII sq.) fragmenta nostra provenire arbitratur ex prosaica carminis Enniani metaphrasi et ad Leonem (R. L. I p. 163) quo auctore Ennius et alia multa composuit et „eine Prosa-erzählung nach Euhemeros".

Digitized by Google

illustrasse videtur fabulis fictis de auguriis, somniis, oraculis.

Ex oraculis autem Ennianis hic protrahere ad meum argumentum pertinet unum quod vel omnium notissimum est:

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse [1]).

Qui versus qua celebritate iam apud antiquos usus sit appareret e magno numero locorum ubi adfertur: cum usui fuit grammaticis sive ἀμφιβολίας exemplum quaerentibus sive de quantitate syllabae *ai* agentibus, tum citatur a rerum Romanarum scriptoribus et a philosophis; inter quos fidem ei habendam esse denegant Cicero [2]) et Minucius Felix [3]).

Satis autem iniquus hoc loco Marcus Tullius, qui argumento suo inserviens nihil omittit quo superstitionem quam vocat impugnare possit; sunt enim rationes quibus nititur ex parte adeo humilioris generis — ut prorsus refutari nequeant. Apollinem nunquam Latine locutum esse — recte mones, nec Ennius eadem fuit arrogantia qua Apuleius, qui deum Latina sorte respondisse contendit „propter milesiae conditorem" [4]); Pyrrhi temporibus Apollinem versus facere iam desiisse — quod ex parte tantum verum est [5]); „deinde ista sors inaudita Graecis est".

Ultima verba si bene intellego id significant apud Graecos de oraculo nostro nihil Ciceronem traditum repperisse. Quod nobis quoque valet; nam neque ei scriptores qui Ciceroni noti fuerunt, neque ei quos aetate antecedit — excepto fortasse uno Cassio Dione quem mox citabo — quicquam de hac re narrasse videntur: frustra hic evolveris Polybium, Dionysium Halicarnassensem, Pausaniam, Plutarchum. Nec facile tibi finxeris quo modo Graecis verbis Latini versus sententia expressa fuisse possit; vix enim placet quod Valesium excogitasse Vahlenius me docuit:

Νικᾶν σ', Αἰακίδη, Ῥωμαίους φημὶ δύνασθαι.

Sed omnino supervacuum est oraculi formam Graecam quaerere; nam ex suo ipsius ingenio Ennium hausisse, id omni dubitatione carere censeo; qua tamen in re minime dignus

1) Vahlen² fr. 179. 2) De divinatione II 116.
3) Octavius XXVI 6. 4) Metamorph. IV 32.
5) Cf. quae de hac re collecta sunt apud Pauly-Wissowa i. v. Delphoi.

Digitized by Google

fuit qui a Cicerone reprehenderetur. Immo, egregie ei res cessit. Graecorum morem secutus Ennius aliquid praebere voluit ambiguitatis oraculorum; excogitavit oraculum quo vix alterum invenias aptius quod conferatur cum eo versu quo Croesum ab Apolline delusum esse fama fert:

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην δύναμιν καταλύσει.

Qui versus, ut hoc in transitu moneam, adeo Herodoteae arti convenit, ut Cicero memoriae errore ductus apud Herodotum eum traditum esse statuisse videatur [1]).

Nec minus laudandum est quod eiusmodi oraculum ipsi Pyrrho datum esse poeta finxit, cuius ingenium ἀνεπτερωμένον quadamtenus et πεποτημένον sic quoque apud Ennium „lebendig mit den Zügen des Helden hervortrat", ut Leonis verbis utar [2]); quantum enim somniis, prodigiis, oraculis tribuerit Epirotarum rex et alii nobis ostendunt et Plutarchus [3]). Id unum minus apte excogitatum iudicaveris quod Graecorum exemplorum nimis memor fuisse videtur Ennius, cum fallax oraculum ab Apolline originem duxisse narraret; utique propius ad veritatem accessisset, si Apollinis loco Iuppiter Dodonaeus allatus esset cui patriae suae deo indigenae Pausania auctore (I XIII 2) Pyrrhus Antigono devicto nonnulla Macedonum scuta dedicavit. Quin etiam quasi levem Ennianae narrationis auditionem percipere nobis videmur cum apud Dionem Cassium [4]) legimus ὅτι Πύρρος πέμψας ἐς Δωδώνην ἐμαντεύσατο περὶ τῆς στρατείας· καὶ οἱ χρησμοῦ ἐλθόντος, ἂν ἐς τὴν Ἰταλίαν περαιωθῇ, Ῥωμαίους νικήσειν, συμβαλὼν αὐτὸν πρὸς τὸ βούλημα (δεινὴ γὰρ ἐξαπατῆσαί τινα ἐπιθυμία ἐστίν) οὐδὲ τὸ ἔαρ ἔμεινεν. Quanti autem momenti tertio etiam a. C. n. saeculo oraculum Dodonaeum fuerit inter Graecos, Epiri solum nostro tempore effossum lucide demonstravit [5]). Delphos vero ut rem deduceret hac re motus videtur Ennius quod aequalibus suis Romanis Apollinis oraculum multo melius notum esse sciebat quam Iovis Dodonaei;

1) „Cur autem hoc credam umquam editum Croeso? Aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio?" 2) R. L. I p. 168.

3) Cf. Plutarch. Pyrrhus XI, XXII, XXIX, XXXI, XXXII; Dionys. Halicarn. XX XII, Pausanias I XII.

4) Liber IX fr. 40, 6 (Ed. Boissevain I p. 118).

5) Cf. Pauly-Wissowa i. v. Dodona.

Digitized by Google

sic post Cannensem cladem Fabium Pictorem Delphos missum esse ad Apollinem consulendum Livius tradidit (XXII 57, XXIII 11).

Quidquid id est, vix excogitari poterat quod esset aptius ad Pyrrhi animum fallendum quam eiusmodi oraculum; quod sive Latinis verbis conceptum sumpseris sive Graecis adeo plenum erat ambiguitatis ut non posset non decipere virum fortem quidem et strenuum, sed eundem inconsultum fere et fiduciae plenum. Etenim iniuria Leeuwenius ὁ μακαρίτης, quo praeceptore gloriari non desinam, statuisse mihi videtur in annotatione ad Vesparum versum 429: „Graece bene scienti ambigui nihil habet oraculum *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse*, non Pyrrho, sed Romanis victoriam aperte portendens".

Plus semel autem in hanc sententiam disputavit vir clarissimus, cum inter discipulos tum in libris quibus locupletavit philologorum ordinem [1]). Censebat enim in iis enuntiatis in quibus subiecti accusativo accusativus obiecti additus esset, obiectum tantum non semper praecedere solere, sicut res est in Vesparum versu cuius numerum modo citavi:

φήμ' ἐγὼ
τὰς χελώνας μακαριεῖν σε τοῦ δέρματος —

paucis tantum locis inversum ordinem obtinere, plerumque ita „ut subiectum cum singulari aliqua vi proferatur".

Ultima autem verba in locum nos ducunt ubi habitant dubitatio et ambiguitas. Equidem, ut hoc exemplo utar, in Avium versibus 13 sqq.:

ἦ δεινὰ νὴ δέδρακεν οὐκ τῶν ἐρνέων,
ὁ πινακοπώλης Φιλοκράτης μελαγχολῶν
ὃς τώδ' ἔφασκε νῶν φράσειν τὸν Τηρέα,

pronomen τώδε cum emphasi prolatum esse vix concesserim; nomen certe Terei hic multo maioris est momenti. Praeterea ut maior illa vocis vis paucis locis observari posse non abnuam, eadem saepius de causa accusativum obiecti praecedere statui potest.

In contrariam autem sententiam ante aliquot annos egit v. d. W. Rhys Roberts [2]) paucissimis exemplis ex ipsis scrip-

1) Cf. Mnemosyne XVI p. 140; commentarius ad Homerum I 315.
2) Classical Review XXVI p. 177—179.

Digitized by Google

toribus allatis, sed additis nonnullis locis ex grammaticis et rhetoribus Graecis atque Latinis [1]). Quem praeiudicatae opinionis crimine non iniuria accusaverit quispiam; inde enim profectus quod *subiectum* praecedere nobis ipsi fere sermonis indoli convenire videretur, eo pervenit ut statueret eos quoque Graecos Latinosque homines quorum ingenium nullius scholae praeceptis corruptum esset — τοὺς ἰδιώτας — similiter sensisse [2]), homines vero literatos sive ut orationem gravarent variarentve, sive ut numero oratorio faverent, saepius obiectum praecedere iussisse, ea libertate usos quam sermo Graecus absque ambiguitatis periculo facile concederet [3]).

Sed explicare neglexit vir doctissimus qua tandem de causa linguae naturae conveniret ut praecederet subiectum. An forte in simplici enuntiato a subiecto incipere solebant Graeci et Latini? Nec mirum quod permultis locis a consuetudine, quam deprehendere sibi visus est Robertsius, aberratum esse ipsi concedendum erat: magnus est numerus locorum in quibus obiectum praecedit — quamquam non tantus quantum Leeuwenius arbitratus est.

Ex Latinis autem scriptoribus nemo quod sciam ampliorem huius generis locorum numerum collegit, ex Graecis unus Leeuwenius. Quem cum hic leviter errasse suspicarer — pace dictum sit tanti viri qui et aliis egregiis praeceptis discipulos imbuere solebat et insigni illo quod ipse a Cobeto acceperat ut νάφειν καὶ ἀπιστεῖν nos doceret — iam ante multos annos carptim et sine ordine ea quae forte fortuna inveneram componere coepi; sic sine ullo fere labore centum et nonaginta quinque locos enotavi qui ad quaestiunculam meam pertinerent; notabili autem casu factum est ut — si bene numeros adhibui —

---

1) Inter quae Quintil. VII ix 10 „Accusativi geminatione facta amphibolia solvitur ablativo, ut illud *Lachetem audiri percussisse Demeam* fiat *a Lachete percussum Demeam*."

2) „It is natural for a modern reader to imagine that, in an ambiguous sentence of this sort, *Lachetem*, as coming earlier than *Demean*, would be presumed to be the subject. And probably it would be thus taken by the ordinary, ingenuous reader or hearer — by the ἰδιώτης — in ancient time".

3) „But the classical writers make the freeest use, for rhetorical effects (such as emphasis, euphony, variety, etc.) of that departure from normal order which, in an inflected language, is usually possible without ambiguity".

Digitized by Google

octo et nonaginta locis obiectum praecederet, subiectum nonaginta septem. Quos omnes proferre supervacuum; paucos tantum adhibebo sive ad ipsam rem illustrandam aptos, sive ambiguitatis aliquid prae se ferentes.

Ἀμφιβολία autem si qua est plerumque ipso enuntiati contextu tollitur. Sic ubi apud Thucydidem VIII 83 legimus ἀπολείψειν τοὺς ἀνθρώπους τὰς ναῦς res per se spectata incerta est, sed praecedere subiectum sine ulla dubitatione ipsa sententia ostendit, eodem modo quo apud Alciphronem IV XVIII 13 ἐὰν δὲ ἀκούσω τοὺς σεμνοὺς ἔρωτας εἰς ἄλλον αὐτὴν μετατεθεικέναι. Contra apud Euripid. Hercul. 829 sq.:

οὐδ' εἷα πατὴρ
Ζεύς νιν κακῶς δρᾶν, οὔτ' ἔμ' οὐθ' Ἥραν ποτέ

obiectum esse τὸ νιν oratio docet, aliter ac Troad. 765:

οὐ γάρ ποτ' αὐχῶ Ζῆνά γ' ἐκφῦσαι σ' ἐγώ,

vel, ut ex alio genere locum adferam, in decreto quo alterum foedus maritimum sanxerunt Athenienses:

τοῖς δὲ ποιησαμένοις συμμαχίαν πρὸς Ἀθηναίους καὶ τοὺς συμμάχους ἀφεῖναι τὸν δῆμον τὰ ἐγκτήματα.

Alibi interior tantum Graeci sermonis scientia viam monstrat; sic apud Xenoph. Anabas. III II 8 ἀνάγκη ἡμᾶς πολλὴν ἀθυμίαν ἔχειν tirocinio peracto nemo pro subiecto habebit τὸ ἡμᾶς; Graecum enim est ἀθυμία ἔχει με potius quam ἔχω ἀθυμίαν. Dubitaveris tamen apud Platonem Protag. p. 356 E:

ἡσυχίαν ἂν ἐποίησεν ἔχειν τὴν ψυχὴν μένουσαν ἐπὶ τῷ ἀληθεῖ καὶ ἔσωσεν ἂν τὸν βίον,

ubi nullo iure obiectum praecedere statueris propterea quod in eo quod subsequitur enuntiato:

ἆρ' ἂν ὁμολογοῖεν οἱ ἄνθρωποι πρὸς ταῦτα ἡμᾶς τὴν μετρητικὴν σῴζειν ἂν τέχνην ἢ ἄλλην,

obiectum praemissum esse constat; nam utraque ratio coniuncta fere et alibi invenitur, ut legimus apud Plutarchum (Caesar LXIII):

Στράβων δὲ ὁ Φιλόσοφος ἱστορεῖ πολλοὺς μὲν ἀνθρώπους διαπύρους φανῆναι, στρατιώτου δὲ ἀνδρὸς οἰκέτην ἐκ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν πολλὴν φλόγα καὶ δοκεῖν καίεσθαι τοῖς ὁρῶσιν, ὡς δὲ ἐπαύσατο μηδὲν ἔχειν κακὸν τὸν ἄνθρωπον.

Plerumque res adeo perspicua est ut taceant interpretes et

Digitized by Google

veteres et recentiores; ineptus profecto qui decipi se patiatur in Pluti versibus 249 sq.:

ἀλλ' εἰσίωμεν, ὡς ἰδεῖν σε βούλομαι
κἀὶ τὴν γυναῖκα κἀὶ τὸν υἱὸν τὸν μόνον —

locum explicare tamen non supersedit scholiasta, cuius haec in Veneto codice servata est adnotatio: οὐχ ἵνα ὁ Πλοῦτος ἴδῃ τὴν γυναῖκα κἀὶ τὸν υἱόν — τυφλὸς γὰρ ἦν — ἀλλ' ἵνα αὐτὸς ὑπ' αὐτῶν θεωρηθῇ. τὸ γὰρ ἰδεῖν σε ἀντὶ τοῦ θεαθῆναί σε.

Interdum tamen interpretatio anceps videri potest; e quo genere cum adfero locum ex Homero, id unum doleo quod denuo praeceptori carissimo — faveant pii Manes — obloquendum est. Cum enim Leeuwenius ad Ω 464 sq.:

νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη
ἀθάνατον θεὸν ὧδε βροτοὺς ἀγαπάζεμεν' ἄντην

anno 1895 annotavisset: „θεὸν] subiectumne verbi ἀγαπάζεμεν' (= *curare*) an obiectum (= *hospitaliter accipere*)?" — duodeviginti annis post in ampliore Iliadis editione deteriorem, ut mihi videtur, explicationem se praeferre ostendit, locum sic interpretatus: „*A mortalibus* (i. e. ab Achille) *deum hospitio palam sic accipi.*" — Equidem alteram interpretationem longe praeferendam censeo hanc: Mercurius postquam Priamum in Achillis tabernaculum introduxit, deum se confessus a sene discedit ne ab Aeacida conspiciatur: „odiosum videri posset deos (i. e. ipsum Mercurium) mortalibus tam aperte favere et auxiliari". — Utrum vero Achilles deum Priami fautorem re vera hospitaliter accepturus esset necne, id quam maxime incertum; multo profecto aptius iuvenis deus senem cui praesidio fuit verecunde relinquit, eodem modo quo Nausicaa palam ut Ulixis adiutrix procedere verita eum deserit cum primum auxilio suo non amplius eget (ζ 276 sqq.).

Paulo difficilius est iudicare de Aeschyl. Suppl. 326 sq. E Choregi verbis ibi rex effecit Supplices olim Argis ortos in patriam suam recipi cupere, quod Choregus adfirmat his verbis: „variae sunt hominum calamitates; nusquam labores humanos eadem figura qua alibi escendere cernas,

ἐπεὶ τίς ηὔχει τήνδ' ἀνέλπιστον φυγὴν
κέλσειν ἐς Ἄργος κῆδος ἐγγενὲς τὸ πρίν,
ἔχθει μεταπτοιοῦσαν εὐναίων γάμων;

Digitized by Google

Hic Wecklinius verba *φυγὴν κέλσειν* eodem sensu accipienda censet quo *φυγὴν φεύξεσθαι*, unde hanc procedere interpretationem: „quis unquam exspectabat eam gentem, Argolicae terrae indigenam, exsilio improviso Argos redituram". Sed qua tandem ratione haec verborum *φυγὴν κέλσειν* explicatio defendi possit velim mihi ostendatur; equidem verbum *κέλλειν* aut transitive intellego *navem propellere* aut intransitive *narem adpellere, in portum pervenire*, nihil amplius. Praeferenda mehercle haec interpretatio: „quis umquam expectabat improvisum hoc exsilium eam gentem, Argolicae terrae indigenam, Argos remissurum esse". Idem autem inveni apud Wilamowitzium qui adnotationi criticae haec addit: *ἡ φυγὴ μετακπτοισῦσα κέλλει τὸ κῆδος εἰς Ἄργος.*

Contra obiectum praecedere arbitror apud Euripid. Helen. 619 sq., et viro doctissimo Jerram et Wecklinio fabulae editoribus adversatus. Quo loco nuntius modo confecta narratione de Helena ex hominum oculis ablata subito obstupefactus eam Menelao adstantem conspicit; ex caelo eam rediisse suspicatus bellum Troicum non inutile fuisse intellegit:

οὐκ ἐῶ σε κερτομεῖν
ἡμᾶς τόδ' αὖθις, ὡς μάτην ἐν Ἰλίῳ
πόνους παρεῖχες σῷ πόσει καὶ συμμάχοις —

„profecto non amplius nobis licet tibi obicere quod frustra et temere marito tuo eiusque sociis tantos ad Troiam labores imposueris"; altera interpretatio „you shall not again have cause to reproach us with having had our trouble for nothing", abhorrere mihi videtur a pietate et reverentia qua nuntius reginam salutat *πρὸς αἰθέρος πτυχὰς ἀρθεῖσαν ἄφαντον* et inde redeuntem; verba duriora vix ab illo exspectaveris.

Sermonis autem leges neque hic quicquam nos docent neque alibi apud Euripidem; ex quo poeta obiter enotavi unum et viginti locos ubi obiectum praecedit, viginti quattuor ex altero genere. Unde fit ut ex hoc armamentario telum frustra quaesiveris sive ad impugnandum sive ad defendendum Wilamowitzium in Hercule (vss. 583 sq.) verba:

δίκαια τοὺς τεκόντας ὠφελεῖν τέκνα,
πατέρα τε πρέσβυν τήν τε κοινωνὸν γάμων

sic mutantem:

Digitized by Google

δίκαιά τοῦσθ' ἑκόντα σ' ὠφελεῖν τέκνα,

simulque ambiguitatem tollentem quae est in verbis traditis; mutatione tamen nihil opus esse videtur.

Sed iam satis exemplorum protuli, plura in scriniis reservans. Quid enim adferre attinet? Fieri sane potest ut singuli scriptores accurate pervestigati hic aliquid novi praebeant; sic observatu non indignum videtur quod ex Polybio quindecim deinceps locos notabam ubi subiectum praemissum est, ex altero genere nullum. Nec nostro arbitrio statuere nobis licet, in hac re mera libidine usum esse sermonem Graecum, de quo ἡμεῖς δὴ κλέος οἷον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν; sed hoc adfirmare audeo ex ordine verborum hic nihil perspicuitatis protrahi posse. In poesi metrum interdum aliquam necessitatem imposuisse ratio fert; sic apud Euripidem (Suppl. 504 sq.):

ἢ νῦν Φρονεῖν ἄμεινον ἐξαύχει Διός,
ἢ θεοὺς δικαίως τοὺς κακοὺς ἀπολλύναι,

nam vitio metrico laboraret ultimus versus sic mutatus:

ἢ τοὺς κακοὺς δικαίως ὀλλύναι θεούς —

at versus ex Anaxandride comico (fr. 79 K.) quem Leeuwenius quoque citavit

τὴν ἀξίαν γὰρ δεῖ γαμεῖν τὸν ἄξιον

non minus apte decurreret hoc ordine verborum:

τὸν ἄξιον γὰρ δεῖ γαμεῖν τὴν ἀξίαν.

Sed in soluta quoque oratione fieri potest ut nonnihil hic valuerint numeri. Ut unum exemplum adhibeam: non sine aliqua arrogantia sic Agathonem metrice fere prolocutum facit Plato (Convivium p. 195 A):

οὕτω δὴ τὸν Ἔρωτα καὶ ἡμᾶς δίκαιον ἐπαινέσαι — verborum autem ordo οὕτω δὴ καὶ ἡμᾶς δίκαιον ἐπαινέσαι τὸν Ἔρωτα minus profecto placuisset τῷ καλλιεπεῖ Ἀγάθωνι. Tamen in ipso Convivio, quod paulo accuratius hac de causa relegi, subiecto praecedenti favisse quodammodo videtur Plato; duodecim enim locos deprehendi ubi obiectum, septendecim ubi subiectum praemissum est.

Similiter ratio rhythmica Demosthenem movere potuit ut non scriberet (XXXIX 24) καίτοι τίς ἂν ὑμῶν οἴεται τοῦτον πέμψαι τὴν μητέρα εἰς ταύτην τὴν φυλήν, sed subiecto praemisso τὴν μητέρα πέμψαι τοῦτον εἰς ταύτην τὴν φυλήν. Demosthenem

Digitized by Google

enim numeros 1 2 3 4 5 6 7 8 praetulisse numeris 1 2 3 4 5 6 7 8 ad oculos demonstrant tabulae a viro clarissimo nostrate A. W. de Groot confectae [1]).

Disputationem augere neque cupio neque quicquam referre mihi persuasum est. Tum demum litem diiudicare aequo iudici liceret, si verba Graeca quae per litteras nobis servata esse gaudemus etiam, claro atque pleno humanae vocis sono ipsos Graecos proloquentes audiendi facultas esset. Multa quidem servata sunt e Graecitatis naufragio eaque permagni pretii, sed non pauca *κτήματα* sunt amissa et perierunt *εἰς ἀεί*.

1) A handbook of antique prose-rhythm, p. 179, 46 et p. 181, 116.

Digitized by Google

LIVIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Nuper Rossbach apud Weidmannos Livii Lib. VI—VIII edidit (a° 1924) praemisso Lib. XXI, qui triennio ante in lucem prodiit. Conway et Walters in Bibliotheca Oxoniensi iam Lib. I—X edendos curaverunt. Renovata haec studia Liviana, ut non dicam de versionibus, quas et societas Budaei et „The Loeb Classical Library" promittunt, me moverunt, ut quid censerem de locis corruptis, imprimis autem de lacunis, quae legentes opus c. t. Ab urbe condita offendunt, vulgarem. Ceterum hic illic verba tradita vindicabo, nam non defuere, qui Liviano genere dicendi spreto sua inventa auctori obtrudere vellent. Si qui locus similis ab interpretibus omissus est aut occasione data alia qua observatio facienda est, veniam peto, ut quod novum puto esse, coniecturis meis inseram. Utile enim videtur (ut iam hic exemplo doceam, quod dico) significare rationem quandam intercedere inter verba, quibus Q. Fabius Maximus L. Aemilium Paulum consulem alloquitur Liv. XXII 39, 3 nunc et collegam tuum et te talem virum intuenti mihi tecum omnis oratio est, quem video nequiquam et virum bonum et civem fore, si *altera parte claudente republica* malis consiliis idem ac bonis iuris et potestatis erit atque ἔπεκ πτερόεντα Cimonis, quae servavit Plutarchus Vit. Cim. XV ὁ δ' Ἴων ἀπομνημονεύει καὶ τὸν λόγον, ᾧ μάλιστα τοὺς Ἀθηναίους ἐκίνησε, παρακαλῶν μήτε τὴν Ἑλλάδα χωλὴν μήτε τὴν πόλιν ἑτερόζυγα περιϊδεῖν γεγενεμένην. Huius generis est etiam similitudo intercedens inter locum notissimum

Digitized by Google

Liv. XXII 51, 2 sequere, cum equite, ut *prius venisse quam venturum sciant*, praecedam
et Xenoph. Hell. VI 4, 21 πεζῇ διεπορεύθη (sc. ὁ Ἰάσων) εἰς τὴν Βοιωτίαν, ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων πρότερον ὀφθεὶς ἢ ἀγγελθείς.

His praefatis statim a loco difficiliore initium facimus:

XXIII 17, 7 Hannibal Acerris direptis atque incensis cum a Casino dictatorem Romanum legionesque *nimis accipi* nuntiassent, ne quis tam propinquis hostium castris Capuae quoque oreretur motus, exercitum ad Casilinum ducit.

Pro *accipi* iam Valla optimo iure requisivit *acciri*, sed *nimis* Rossbach [1]) mutavit in *ocius*. Equidem credo librarium integram scripturam

legionesq. usq.

non intellectam depravasse, ita tamen ut exarando *nimis* aliquatenus certe sensum divinasse videatur. Itaque legendum censeo: Hannibal Acerris direptis atque incensis cum a Casino dictatorem Romanum legionesque *usque acciri* nuntiassent e. q. s.

De Locrorum transitione ad Poenos cum alia tum haec Livius exponit:

XXIV 1, 7 advocataque extemplo contione cum et levissimus quisque novas res novamque societatem mallent et, quorum propinqui extra urbem interclusi ab hostibus erant, velut obsidibus datis pigneratos haberent animos, pauci magis taciti *probarent* constantem fidem quam *probatam* tueri auderent, haud dubio in speciem consensu fit ad Poenos deditio.

Ergo auctor haec dicit: nonnullis quidem Locrensibus placet fidem erga Romanos servare, verum ut quae secum professi sunt, re praestent, animum inducere non possunt. Textus igitur recte se habet, nihilominus Walchio praeeunte H. I. Mueller aliique *propalam* substituerunt voci *probatam*, obliti rerum scriptorem consulto figuram rhetoricam, quam vocant, ἐπιπλοκήν *(probarent-probatam)* quaesivisse. Hac figura [2]) saepius utitur noster e. g.

---

1) Cf. Berl. phil. Woch. 36. Jahrg. N° 23 (3. Juni 1916), col. 734.

2) Cf. Tacitea mea (Mnemos. LIII pag. 198.

Digitized by Google

XXIV 30, 14 Hippocrates atque Epicydes ramos oleae ac velamenta alia supplicum porrigentes orare, ut *reciperent* sese, *receptos* tutarentur;
XXVI 32, 2 (cum magna pars senatus censerent). et urbem *recipi*, non capi, et *receptam* legibus antiquis et libertate stabiliri e. q. s.
XXVIII 39, 2 bellum propter nos *suscepistis*, *susceptum* quartum decimum annum tam pertinaciter geritis e. q. s.

XXIV 1, 13 Locrensibus iussu Hannibalis data pax, ut liberi suis legibus viverent, urbi pateret Poenis, portus *in potestatem* Locrensium esset.

Sic recte legitur in Teubneriana a Mauritio Muellero curata, quam hic plerumque sequor. Iterum vero H. I. Mueller reprehendendus est, quod contra codicis P auctoritatem edidit *in potestate*, quamquam parum sibi constans idem scripsit II 14, 4 auctionem fortunae regiae, quae ne *in potestatem* quidem populi Romani esset.

De hoc accusativi usu, a quo ne Cicero quidem abhorret (cf. de imp. Cn. Pomp. § 33 cum vestros portus.... *in* praedonum fuisse *protestatem* sciatis) conferendus est Schmalz, Lat. Synt. p. 413.

Complura verba mihi describenda sunt, ut sanem hunc locum: XXIV 8, 13 in minore te experti, T. Otacili, re sumus; haud sane, cur ad maiora tibi fidamus, documenti quicquam dedisti. § 14 classem hoc anno, cui tu praefuisti, trium rerum causa paravimus, ut Africae oram popularetur, ut tuta nobis Italiae litora essent, ante omnia ne *supplementum* cum stipendio commeatuque ab Carthagine Hannibali transportaretur. § 15 create consulem T. Otacilium, non dico, si omnia haec, sed si aliquid eorum reipublicae praestitit. sin autem te classem *obtinentes* etiam velut pacato mari *quibus* Hannibali tuta atque integra ab domo venerunt e. q. s.

Post *obtinente* librarius similitudine deceptus posteriorum litterarum praetermisit vocem *supplementa*, cuius primam tamen litteram exaravit. *Quibus* autem iam correxit Mauritius Mueller scribens *navibus*. Revoco igitur: sin autem te classe *obti-*

Digitized by Google

nente s⟨upplementa⟩ velut pacato mari *navibus* Hannibali.... venerunt.

Quod iam § 14 legitur *supplementum*, observandum est nostrum idem verbum iterare, ut magna cum emphasi loquatur. Huius rei luculentissima exempla praebet oratio Sagunti legatorum XXVIII 39, 1 et 2 *ad ultimum*; § 5 *restituerunt-restituerunt;* § 6 *prope-prope*; XXIX 6, 2 spes autem adfectandae eius *rei* ex minima *re* adfulsit; XXVIII 41, 13 sed quae *acciderunt*, *accidere* possunt cet.

XXIV 8, 17 ego magnopere ⟨*oro*⟩ suadeoque, eodem animo, quo, si stantibus vobis in acie armatis repente deligendi duo imperatores essent, quorum ductu atque auspicio dimicaretis, hodie quoque consules creetis.

Hic editio Weidmanniana curata ab H. I. Muellero meliorem exhibet lectionem. Neque enim audiendus est Mauritius, qui in Teubneriana recepit: suadeo ⟨*moneo*⟩que, nam post *magnopere* facile intercidit *oro*. Declarant praeterea locutiones quales sunt *orare atque obsecrare* (XXIX 15, 12), *oro obtestorque* (XXX 12, 16), cui verbo Livius imprimis faveat.

Asperam censuram egerunt M. Atilius Regulus et P. Furius Philus (214 a. C.), de qua historicus noster multa narrat, laudo tantum haec:

XXIV 18, 8 et ea supra duo milia nominum in aerarios relata tribuque omnes moti; additumque *tamerici* censoriae notae *triste* senatus consultum, ut ei omnes, quos censores notassent, pedibus mererent mitterentque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias, cui militum generi non prius, quam pulsus Italia hostis esset, finitum stipendiorum tempus erat.

Proposita sunt pro *tamerici*, quod a priore manu P exhibet, *tam atroci*, *tam truci*, *tam acerbae*, *tam acri*, *tam rigidae* — sed nemo excogitavit *tam tetricae*, quod et sententia flagitat et ipsi litterarum ductus indicant unice veram esse lectionem. Documento est locus Livianus de rege Numa Pompilio I 18, 4 suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis instructumque non tam peregrinis artibus quam

Digitized by Google

disciplina *tetrica* ac *tristi* veterum Sabinorum. Attendendum est utrobique adiectiva *tetricus* ac *tristis* sibi respondere.

XXIV 20, 9 dum haec aliis locis, ab Romanis geruntur, iam Tarentum pervenerat Hannibal cum maxima omnium, quacumque ierat, clade; in Tarentino demum agro pacatum incedere agmen coepit. nihil ibi violatum neque usquam via excessum est; apparebatque non id modestia militum aut ducis *usi* ad conciliandos animos Tarentinorum fieri.

Post *ducis* omissum est *s̄*, quod valet *sed* [1]); *usi* autem necessario corruptum est ex *astu*, quare restituendum est: apparebatque non id modestia militum aut ducis, *sed astu* ad conciliandos animos Tarentinorum fieri.

Maxime memorabile est de eadem urbe legi XXVII 20, 9 Fabio Tarentum captum *astu* magis quam virtute gloriae tamen esse. Cf. etiam XXVIII 21, 10 maior usu armorum et *astu* facile stolidas vires minoris superavit.

XXIV 24, 8 et senatui quidem tam iure caesi (sc. Adranodorus et Themistus, qui, ut tyranni Syracusis fierent, rerum potiri voluerant) quam Hieronymus videbantur; § 9 ante curiam variae atque incertae rerum multitudinis clamor erat. quam ferociter minitantem ⟨*strata*⟩ in vestibulo curiae corpora coniuratorum eo metu compresserunt, ut silentes integram plebem in contionem sequerentur.

Verbum, quod Livius non videtur omisisse, addidi. Hic utique participium etiam magis desideratur quam XXVI 13, 15, ubi Heraeo auctore scribunt editores: non videbo Ap. Claudium et Q. Fulvium victoria insolentia subnixos, neque vinctus per urbem Romanam triumphi spectaculum trahar, ut deinde in carcerem ⟨*conditus*⟩ expirem.

XXIV 25, 8 ea natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur; libertatem, quae media est, nec *stupere* modice nec habere sciunt.

---

1) Cf. Lindsay, Notae Latinae p. 497 et 500.

Digitized by Google

Illud *stupere* videtur coaluisse ex *ś* (= *sibi*) et *tupere* vel potius *cupere*, quamobcausam ultima, quae descripsi, verba sic refingenda sunt: nec *sibi cupere* modice nec habere sciunt. *Sibi* non magis ad *cupere* quam ad *habere* pertinet.

Placuit Syracusanis omnes regiae stirpis interfici (XXIV 25, 10) Heraclia igitur filia Hieronis cum duabus filiabus in sacrarium ad penates confugit, ubi missos percussores sic precatur:

XXIV 25, 9 ablegarent ergo procul ab Syracusis Siciliaque et asportari Alexandream iuberent ad virum uxorem, ad patrem filias.

Quae sequuntur in libris manuscriptis lacunosa et corrupta sunt; ratione habita verborum traditorum loci sententiam saltem deprehendisse mihi videor proponendo: § 10 aversis auribus animisque ⟨*cum omnes exclamarent*⟩ *in cassum* [1]) ne tempus tereretur, ut ferrum quosdam expedientes cernebat, tum omissis pro se precibus, puellis ut saltem parcerent orare institit.

XXIV 27, 8 ut vero Appius naves ad ostium portus, *quid aliae* partis hominibus animus accederet, in statione habere coepit, ingens in speciem criminibus vanis accesserat fides e. q. s.

Hic quoque sermo est de variis Syracusanorum studiis. *Quid aliae* partim adhuc correcta sunt: *quo* omnes editores probaverunt; ut absolvam emendationem revoco: *quo fidelis* partis hominibus animus accederet.

Apud nostrum saepe invenimus iuncturam *fideles socii* cf. XXIV 48, 5; XXIX 17, 2; XXI 44, 2 cet.

XXIV 29, 3 et mittentibus et missis ea laeta expeditio fuit; nam et illis, quod iam diu cupiebant, novandi res occasio data est, et hi *sentinam quandam urbis* rati *exhaustam* laetabantur.

Cum his extremis verbis oportebat interpretes conferre Cic. ad Att. I 19, 4 populo autem et Pompeio satis faciebam

1) P exhibet *cassae*.

Digitized by Google

emptione, qua constituta diligenter et *sentinam urbis exhauriri* et.... posse arbitrabar;

et Cic. In Catil. I § 12 sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris, *exhaurietur ex urbe* tuorum comitum magna et perniciosa *sentina* reipublicae (cf. etiam In Catil. II 7).

De tollenone, machina admirabili, fabricata ab Archimede, clarissimo illo inventore operum bellicorum, legimus haec:

XXIV 34, 10 quae propius *quaedam* subibant naves, quo interiores ictibus tormentorum essent, in eas tollenone super murum eminente ferrea manus, firmae catenae inligata, cum iniecta prorae esset gravique libramento plumbi recelleret ad solum, suspensa prora navem in puppim statuebat.

Post *quae* abundat *quaedam*, quod H. I. Mueller delet, verum explicandum est, quomodo oriri potuerit hoc pronomen. Nimirum ortum est ex *usquam*, quod post *propius* per haplographiam factum est *quam*; hoc ipsum mox abiit in *quaedam*. Edatur ergo: quae propius *usquam* subibant naves.

Henna Poenis se dedere parat, sed Romani intentam urbis custodiam agunt, qua de re Livius tradit haec:

XXIV 37, 5 quod ubi Hennensium principes iam pacti cum Himilcone de proditione praesidii animadverterunt nulli occasioni fraudis Romanum patere *patuerat* § 6 agendum urbem arcemque suae potestatis aiunt debere esse, si liberi in societatem, non servi in custodiam traditi essent Romanis.

De posteriore parte vocis corruptae emendanda inter editores nulla est discrepantia: omnes receperunt *rati*. Quae minus feliciter tentarunt in priore parte corrigenda, repetere nolo, praestat proponere quod ipse inveni: *impavide rati* agendum urbem arcemque suae potestatis aiunt debere esse.

Post *patere* videtur *ipauiderati* depravatum esse in *patuerat*.

Iam patuit librarium persaepe unum plurave verba praetermisisse, itaque editoris est litteris similibus diligenter observatis conari omissa recuperare; facile ideo perspicietur, cur inseruerim *culpam* in hac sententia:

Digitized by Google

XXIV 37, 9 praesidio decedere apud Romanos capital esse; et nece liberorum etiam suorum eam ⟨*culpam*⟩ parentes sanxisse.

XXIV 40, 15 castris direptis Apolloniatae catapultas, ballistas tormentaque alia, quae oppugnandae urbi conparata erant, ad tuenda moenia, si quando similis fortuna *venisset*, Apolloniam devexere.

H. I. Mueller codicis optimae fidae auctoritate spreta edidit *evenisset*, quamquam et Tacitus (Ann. XIV 43 quod hodie *venit* consulari viro domui suae interfecto per insidias serviles, quas nemo prohibuit aut prodidit e. q. s.) *venit* usurpat pro *evenit*.[1])

Insuper optima clausula (*-tuna venisset* i. e. creticus et trochaeus) tuetur lectionem traditam. Crebro denique simplicia pro compositis adhibentur e. g. V 36, 8 *vicere* (pro *pervicere*); V 39, 1 *tenuit* = *sustinuit* V 39, 2; XXV 13, 14 *nitentes* (pro *enitentes*); XXVI 38, 2 *carpere* (pro *discerpere*) cet.

XXIV 43, 2 Romae cum tribuni plebis novi magistratum inissent, extemplo censoribus P. Furio et M. Atilio a M. Metello tribuno plebis dies dicta ad populum est. § 3 quaestorem eum proximo anno adempto equo tribu moverant atque aerarium fecerant propter coniurationem *desereddactus* Italiae ad Caunas factum.

Facile *deserendae* elicuerunt e prioribus litteris vocis corruptae editores reliquis neglectis. Rossbach hic quoque ut supra XXIII 17, 7[2]) putat integram lectionem fuisse *ocius*, quod ibi tamen in *nimis* hic in *actus* depravatum esset. Vix autem potest dubitari quin verum sit:

propter coniurationem *deserendae* ⟨*actutum*⟩ Italiae, cf. XXIX 14, 5 M. Valerius, unus ex legatis, praegressus *actutum* in Italia fore (sc. matrem Idaeam) nuntiaverat.

Syphax de suis peditibus legatos Romanos tres centuriones a P. et Cn. Scipionibus missos docet haec:

---

1) Ad hunc locum Nipperdey multa exempla attulit.
2) Pag. 3.

Digitized by Google

XXIV 48, 7 et ad id multitudine hominum regnum abundare, sed armandi ornandique et instruendi eos artem ignorare. omnia, velut forte congregata turba, *suasca* ac temeraria esse.

Pro *suasca* H. I. Mueller *vasta*, at Mauritius *soluta* edidit. Rossbach [1]) haec disseruit: (so wird man kein Bedenken tragen) für das verderbte *suasca* statt des meist dafür eingesetzten, aber nicht recht passenden *vasta*, vielmehr das auch paläographisch näher liegende *vasca* zu wählen. Da es „quer", „schief" bedeutet, so kann es wie *laevus* auch im Sinne von *ungeschickt* (und das ist der einzige hier völlig genügende Begriff) verwendet werden. — Verum nusquam, quod sciam, *vascus* eo sensu legitur, sed aliud vocabulum tali vi praeditum frequenter invenitur nempe *scaevus*, quod et ipsum a lectione tradita non multum differt. Afferantur:

Gell. N. A. XII 13, 4 *scaevus* profecto et caecus animi forem, si cum haberem tui copiam, issem magis ad alium quam ad te;

Apul. Metam. IX 14 nec enim vel unum vitium nequissimae illi feminae deerat, sed omnia prorsus ut in quandam caenosam latrinam in eius animum flagitia confluxerant: saeva *scaeva* virosa ebriosa, pervicax, pertinax e. q. s.

Apud nostrum procul dubio Syphax asseverare vult suos pedites stolide feroces esse. Ipsius autem regis verba sunt: omnia, velut forte congregata turba, *scaeva* [2]) ac temeraria esse.

Vidimus igitur librum vicesimum quartum ad nos parum integrum pervenisse, sed multo melior est conditio libri vicesimi quinti. Haec fere habeo quae legentium iudicio subicere velim.

XXV 25, 8 castra*que* *testis* parietum pro muro saepta; portis regione [3]) platearum patentibus stationes praesidiaque disposuit, ne quis in discursu militum impetus in castra fieri posset.

---

1) Berl. phil. Woch. 36, Jahrg. N⁰ 23 (3 Juni 1916) col. 735. Cf. supra ad XXIII 17, 7.

2) *Scaevus* Germanice redditur (id quod Rossbach vult) ungeschickt, verkehrt, albern (Georges[8]).

3) Exspectaveris *e regione* sicut XXVI 5, 8 C. Fulvius Flaccus legatus cum sociali equitatu constitit *e regione* Volturni amnis.

Digitized by Google

Testis mea quidem sententia recte Mauritius Mueller pro *tectis* (quod P exhibet) restituit, idem tamen *que* neglexit. Verisimile est ante *que* excidisse compendium scripturae *ú* i. e. *ubi*, quocirca revocanda erunt:

castra *ubique testis* parietum pro muro saepta.

XXV 29, 7 ne plus apud vos Hieronymi quam Hieronis memoria momenti faciat: diutius ille multo amicus fuit quam hic hostis, et illius benefacta etiam *re* sensistis, huius amentia ad perniciem tantum ipsius valuit.

Hunc locum sanare conatus sum Revue de l'Instruction publique en Belgique LVI 2 (1913) p. 77 monstrando *resensistis* glossema esse pro: *etiam atque etiam sensistis*, quod in archetypo scriptum erat.

XXV 30, 7 itaque Marcellus nocte navem onerariam cum armatis remulco quadriremis trahi ad *Achradinam* iussit exponique milites regione portae, quae prope fontem Arethusam est.

A parte septentrionali Achradinae venit illa quadriremis, cui appellendum est ad partem meridionalem vel imam, ut vicina sit fonti Arethusae, id quod mihi concedunt omnes, qui topographiam Syracusarum cognoscunt. Scribamus igitur: trahi ad Achradinam ⟨*imam*⟩ iussit.

XXV 31, 9 cum multa irae, multa avaritiae foeda exempla ederentur, Archimeden memoriae proditum est in tanto tumultu, quantum ⟨*casus*⟩ captae urbis in discursu diripientium militum ciere poterat, intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite, quis esset, interfectum.

Supplevi *casus*, quae vox inter syllabas *tū* et *ca* haplographia praetermissa est et aptum praebet sensum. Editoribus *pavor* placuit inserere.

E compluribus rebus Cn. Scipio colligit fratris exercitum a Carthaginiensibus deletum esse, quamobrem statuit quam celerrime proficisci, ne sibi uni cum tribus hostium imperatoribus pugnandum sit. Livius autem narrat haec:

XXV 35, 7 his anxius curis id modo esse salutare in prae-

Digitized by Google

sens credebat, cedere *inde*, quantum posset; *et inde una* nocte ignaris hostibus et ob id quietis aliquantum emensum est iter.

Una prorsus otiosum est, quoniam ante proximam noctem Scipio victus et occisus est. Natum autem videtur ex integra lectione *unde*, qua non intellecta librarius interpolavit *et inde*. Repone igitur (distinctione mutata): cedere inde quantum posset. *unde* nocte ignaris hostibus et ob id quietis aliquantum emensum est iter.

Livius contendit Scipionem nocturno itinere effecisse ut hostes praeveniret.

Romani sarcinis clitellisque cumulatis quasi quoddam vallum hostibus obiecerunt. Auctor rem sic depingit:

XXV 36, 10 ceterum neque transilire nec moliri onera obiecta nec caedere stipatas clitellas ipsisque obrutas sarcinis facile erat. § 11 ⟨*at*⟩ [1]) *traditisdibi* cum amoliti obiecta onera armatis dedissent viam, pluribusque idem partibus fieret, capta iam undique castra erant.

Sub *traditisdibi* latet *trudibus sudibus*que cf. XXIII 37, 3 inde primum *saxis sudibusque* et ceteris missilibus propugnatores moenia atque urbem tuebantur.

Vocabulis, quae sunt *trudis* et *sudis*, etiam Vergilius utitur:

Aen. V 208 ferratasque *trudes* et acuta cuspide contos
expediunt fractosque legunt in gurgite remos;

Aen. XI 893 tela manu trepidae iaciunt ac robore duro
stipitibus ferrum *sudibus*que imitantur obustis.

(Continuabuntur).

1) Heraeus vidit *at* haplographia praetermissam esse.

Digitized by Google

AD EPICTETUM.

SCRIPSIT

A. J. KRONENBERG.

Epicteti dissertationes iterum rec. H. SCHENKL, ed. maior, Lips. Teubn. MCMXVI.

I 5, 1 Ἄν τις, φησίν, ἐνίστηται πρὸς τὰ ἄγαν ἐκφανῆ, πρὸς τοῦτον οὐ ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν λόγον, δι' οὗ μεταπείσει τις αὐτόν. τοῦτο δ' οὔτε παρὰ τὴν ἐκείνου γίνεται δύναμιν οὔτε παρὰ τὴν τοῦ διδάσκοντος ἀσθένειαν, ἀλλ' ὅταν ἀπαχθεὶς ἀπολιθωθῇ, πῶς ἔτι χρήσεταί τις αὐτῷ διὰ λόγου;

Cum ἀπαχθείς ('confutatus' vertit Schweighaeuserus) editor in indice confert I 7, 25 ἐπ' ἀδύνατον ἀπαχθῆναι ('ad id perduci quod fieri nequit' Schweigh.) — addere potuit III 2, 17 εἰς ἄτοπον ἀπαχθῆναι ('ad absurdum duci' Schweigh.) —, quod etiam si maxime verum esset ἀπαχθῆναι graece posse dici pro ἀπαχθῆναι ἐπί (εἴς) τι, tamen hoc loco non de eo agitur qui postquam argumentis confutatus est tamen non cedit, sed qui iam inde ab initio statuto consilio se offirmavit, παρατεταγμένος μὴ ἐπινεύειν τοῖς ἐναργέσι (3), hoc est: ὅταν ἅπαξ τις ἀπολιθωθῇ. Exempla suppeditat index i. v. ἅπαξ.

I 6, 10 οὐδὲ ταῦτα ἱκανὰ κινῆσαί τινας καὶ διατρέψαι πρὸς τὸ ἀπολιπεῖν τὸν τεχνίτην;

Ignorantia lapsus olim (Class. Review XX 1) emendare tentavi quod erat emendatissimum: significat enim ἀπολιπεῖν 'integrum relinquere, non tollere', Plut. Moral. p. 416 F ὥσπερ εἰ τὸν ἀέρα τις ἀνέλοι —, οὕτως οἱ δικαίων γένος μὴ ἀπολεί-

Digitized by Google

ποντες ἀνεπίμικτα τὰ τῶν θεῶν καὶ ἀνθρώπων ποιοῦσι, Sext. Empir. *Πρὸς λογικοὺς* I 260 (I p. 61 Mutschmann) *ὁ χρώματα μὲν ἀπολείπων τὴν δὲ ὄρεξιν ἀναιρῶν*. Non monuissem, nisi Elterum quoque erravisse comperissem.

I 18, 20 *τούτοις τὸ λοιπὸν πεποιθὼς τοῖς δόγμασιν ὀρθὸς περιπάτει, ἐλεύθερος, οὐχὶ τῷ μεγέθει πεποιθὼς τοῦ σώματος ὥσπερ ἀθλητής· οὐ γὰρ ὡς ὄνον ἀήττητον εἶναι* (δεῖ add. apographa).

Tamne dispar sui Epictetus? Ille Epictetus qui, quamquam contemnit athletam quatenus spectaculum est ad quod stupet vulgus (II 18, 22, III 16, 4, Ench. 33, 2), tamen nusquam desinit, quatenus est ob assiduam exercitationem laudandus, auditoribus suis proponere in exemplum laboris et tolerantiae, nusquam desinit inculcare '*ἀγῶνα*' esse *τὸν βίον*, ''Ολυμπιονίκην' evadere hominem vere philosophantem? Et nunc uno ordine habebit athletam et asinum idem ille qui in ipsis quae subsequuntur (21 *ὡς ἐπὶ τοῦ ἀθλητοῦ*) ad solitum gratumque sibi exemplum recurrit? Annon expectes — scito me non pro certa emendatione ferre quod fero — aliquid huiusce modi: *τούτοις τὸ λοιπὸν πεποιθὼς τοῖς δόγμασιν ὀρθὸς περιπάτει, ἐλεύθερος, [οὐχὶ] ὥσπερ ἀθλητὴς τῷ μεγέθει πεποιθὼς τοῦ σώματος* = ut athleta fretus vasto corpore quod sua sibi virtute parauit, non ut asinus innata pertinacia?

I 27, 1 *Τετραχῶς αἱ Φαντασίαι γίνονται ἡμῖν· ἢ γὰρ ἔστι τινὰ ⟨καὶ⟩ οὕτως Φαίνεται ἢ οὐκ ὄντα οὐδὲ Φαίνεται ὅτι ἔστιν ἢ ἔστι καὶ οὐ Φαίνεται ἢ οὐκ ἔστι καὶ Φαίνεται.*

Semel admisso manus correctricis supplemento ⟨*καὶ*⟩ aut haec erit sententia aut nulla: 'aut sunt quaedam et ita videntur, aut dum non sunt ne videntur quidem esse'. At quanto planiora fuissent haec: 'aut sunt quaedam et ita videntur aut non sunt neque videntur esse' i. e. *ἢ οὐκ ἔστιν οὐδὲ Φαίνεται ὅτι ἔστιν*! Tamen non verba '*οὐκ ὄντα*' suspectaverim sed '*οὕτως*', quod quamvis non sit ineptum tamen minime est necessarium, sicut et in sequentibus '*Φαίνεται*' sic per se ponitur. Itaque, memor etiam quam saepe in mss. *ς* pro *καὶ* scriptum legatur et vicissim, adducor ut suspicer: *ἢ γὰρ ἔστι τινὰ ὄντα καὶ Φαίνεται ἢ οὐκ ὄντα οὐδὲ Φαίνεται ὅτι ἔστιν* —.

Digitized by Google

Verae lectionis vestigium esse potest in οὕτως quod a prima manu legitur, potest et esse calami lapsus.

I 29, 12 ποῦ δύνασαι νικῆσαι δόγμα ἀλλότριον; 'προσάγων', φησίν, 'αὐτῷ φόβον νικήσω'. (In sequentibus restituenda est legitimi syllogismi propositio:) ἀγνοεῖς ὅτι ⟨ὃ⟩ αὐτὸ αὑτὸ ἐνίκησεν, οὐχ ὑπ' ἄλλου ἐνικήθη· (praestat ἐνικήθη;) προαίρεσις δὲ οὐδὲν ἄλλο νικῆσαι δύναται, πλὴν αὐτὴ ἑαυτήν (ergo: οὐ δύνασαι νικῆσαι δόγμα ἀλλότριον, quod erat demonstrandum).

II 6, 27 'ἀποθνήσκειν μέλλω'. ἄνθρωποι δ' ἄλλοι ἀθάνατοι ἔσονται;

'Homines alii' (pro 'ceteri homines') debetur librario qui perperam litteras divisit, sic dividendas: ἄνθρωπ', οἱ δ' ἄλλοι ἀθάνατοι ἔσονται; Conferatur index i. v. ἄνθρωπος. Saepe neglecta est aspiratio: II 22, 25 ἄλλοτ' ὑπὸ, et ταῦτ' ἄ, III 1, 15 τότ' ὅταν, II 23, 28 τούτου i. e. τοῦτ' οὗ (emendavimus Class. Quarterly III, 3), saepe ubi non debebat addita (Class. Rev. XX, 1).

II 8, 6 εἰ γὰρ καὶ τὰ μάλιστα χρῆσιν φαντασιῶν ἔχει (τὰ ἄλλα ζῷα), ἀλλὰ παρακολούθησίν γε τῇ χρήσει τῶν φαντασιῶν οὐκ ἔχει. καὶ εἰκότως. ὑπηρετικὰ γὰρ γέγονεν ἄλλοις, οὐκ αὐτὰ προηγούμενα. ὁ ὄνος ἐπεὶ γέγονεν μή τι προηγουμένως; οὔ· ἀλλ' ὅτι νώτου χρείαν εἴχομεν βαστάζειν τι δυναμένου.

Verba disiecta in ordinem cogenda sunt ut sermo vere Epicteteus servetur: ἐπεὶ ὁ ὄνος μή τι γέγονεν προηγουμένως; Cf. II 24, 17 ἡ ἄμπελος μή τι λέγει τῷ γεωργῷ 'ἐπιμελοῦ μου'; de ἐπεί in enuntiato interrogativo vide indicem; pro exemplo sit II 1, 28 ἐπεὶ σὺ ὁ ἄλλους στρέφειν δυνάμενος οὐδένα ἔχεις κύριον;

II 8, 11 σὺ ἀπόσπασμα εἶ τοῦ θεοῦ· ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου. τί οὖν ἀγνοεῖς σου τὴν συγγένειαν;

Apographorum lectio εὐγένειαν, quam in ed. I receperat Schenkl, restituatur: non frustra σου adiecit Epictetus.

II 8, 27 τοιοῦτον (qualis est Juppiter) ὑμῖν δείξω ἐμαυτόν, πιστόν, αἰδήμονα, γενναῖον, ἀτάραχον. μή τι οὖν ἀθάνατον ἀγήρων, μή τι ἄνοσον;

Digitized by Google

Cur non etiam ⟨μή τι⟩ ἀγήρων? Quia ex Homero haec sumpta sunt (Θ 539, ε′ 218, η′ 257). Sed quia ex Homero, cur non ἀθάνατον ⟨καὶ⟩ ἀγήρων?

II 16, 27 μεμνῆσθαι δὲ τοῦ νόμου καὶ τοῦτον πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχειν. τίς δ' ὁ νόμος ὁ θεῖος; τὰ ἴδια τηρεῖν, τῶν ἀλλοτρίων μὴ ἀντιποιεῖσθαι —.

Interpunge τίς δ' ὁ νόμος; ὁ θεῖος· 'τὰ ἴδια τηρεῖν κτἑ'.

II 17, 18 θέλω τι καὶ οὔ γίνεται· καὶ τί ἐστιν ἀθλιώτερον ἐμοῦ; οὐ θέλω τι καὶ γίνεται· καὶ τί ἐστιν ἀθλιώτερον ἐμοῦ;

Τοῦτο καὶ ἡ Μήδεια οὐχ ὑπομείνασα ἦλθεν ἐπὶ τὸ ἀποκτεῖναι τὰ τέκνα. μεγαλοφυῶς κατά γε τοῦτο. εἶχε γὰρ ἣν δεῖ φαντασίαν, οἷόν ἐστι τὸ ἃ θέλει τινὶ μὴ προχωρεῖν. 'εἶτα οὕτως τιμωρήσομαι τὸν ἀδικήσαντά με καὶ ὑβρίσαντα. —'

Verba 'εἶτα οὕτως' Epicteto, non Medeae danda sunt: = 'deinde sic secum deliberare coepit, tum prave ratiocinari incipit 'Vindicabo —''.

II 17, 30 ἔρχου, νεκνίσκε, εἰς τὰ σά· σοὶ γὰρ εἵμαρται κοσμῆσαι φιλοσοφίαν, σά ἐστι ταῦτα ⟨τὰ add. apographa⟩ κτήματα, σὰ τὰ βιβλία, σοὶ οἱ λόγοι.

'tuae sunt hae possessiones, tui libelli, tuae disputationes' (Schweigh.). Quaenam tandem possessiones? An dubitabis corrigere σά ἐστι τὰ μαθήματα? Cf. I 20, 13 ἀλλὰ πολλῆς ἔχει χρείαν παρασκευῆς καὶ πόνου πολλοῦ καὶ μαθημάτων (At multa opus est praeparatione et labore multo et disciplinis).

II 22, 6 πολλάκις ἐξίστασαι ὑπὸ τῶν φαντασιῶν καὶ ταράττῃ καὶ ἡττῶσίν σε αἱ πιθανότητες αὐτῶν· καὶ ποτὲ μὲν ταῦτα ἀγαθὰ ὑπολαμβάνεις, εἶτα ἐκεῖνα αὐτὰ κακά, ὕστερον δ' οὐδέτερα.

Omnia quae τῶν ὑπολήψεων sunt materia aut bona sunt secundum Stoicos aut mala aut indifferentia (οὐδέτερα, ἀδιάφορα, μέσα): hoc constat, unde constat etiam sicut 'ἀγαθά' et 'κακά' ita 'οὐδέτερα' esse praedicatum. Vertantur nunc haec, et verbum verbo reddatur: 'et nunc haec bona opinaris, deinde illa ipsa mala, post indifferentia': quis non sentit inepta esse, cum ταῦτα (haec) non habeat quod ei opponatur? Si integrum est ταῦτα,

Digitized by Google

expectes: *καὶ ποτὲ μὲν ταῦτα ἀγαθὰ ὑπολαμβάνεις, εἶτα ἐκεῖνα, ⟨εἶτα (vel εἶτα πάλιν) τὰ⟩ αὐτὰ κακά, ὕστερον δὲ οὐδέτερα*, si corruptum: *καὶ ταὐτὰ* (eadem) *ποτὲ μὲν ἀγαθὰ ὑπολαμβάνεις, εἶτα [ἐκεῖνα αὐτὰ] κακά, ὕστερον δὲ οὐδέτερα*, eodem ordine quo § 7 *αὐτὰ τὰ πράγματα ποτὲ μὲν ἀγαθὰ ὑπολαμβάνεις εἶναι, ποτὲ δὲ κακά*. — Quis hic erit medicus?

III 1, 10 *ὅρα οἷον ποιήσω, εἰ σὺ μὲν ἔρχῃ πρὸς ἐμὲ ⟨ὡς⟩ ὠφεληθησόμενος, ἐγὼ δ' οὐκ ὠφελήσω σ' οὐδέν, καὶ σὺ μὲν ὡς πρὸς Φιλόσοφον, ἐγὼ δ' οὐδὲν ἐρῶ σοι ὡς Φιλόσοφος.*

Supplevi, cf. II 21, 15 *τίς γὰρ ἔρχεται εἰς σχολὴν ὡς ὠφελησόμενος;*

III 1, 19 *Σωκράτης πάντας ἔπειθε τοὺς προσιόντας ἐπιμελεῖσθαι ἑαυτῶν; οὐδὲ τὸ χιλιοστὸν μέρος.*

Annon potius *ἔπει*Cε?

III 1, 22 *οὐδὲ γὰρ λέοντι τὸ τυχὸν βοίδιον τολμᾷ ἀντιστῆναι αὐτῷ.* Supervacuum et olim mihi suspectum *αὐτῷ* vulgari sermoni videtur esse tribuendum. Oxyr. Pap. II 299 *Λάμπωνι μυοθηρευτῇ ἔδωκα αὐτῷ διὰ σοῦ ἀραβῶνα* —.

III 3, 11 (Nihil mihi, ait Epictetus (5), supra *τὸ ἀγαθόν. τοῦτό μοι τὸ νόμισμα δέδωκεν ὁ θεός* [1])). *Ὅταν οὖν ἄλλῳ ἄλλο τὸ νόμισμα ᾖ, ἐκεῖνος* (*ἐκεῖνό τις* man. correctrix) *δείξας ἔχει* (*ἔχῃ* ead. vel alia) *τὸ ἀντ' αὐτοῦ πιπρασκόμενον. ἐλήλυθεν εἰς τὴν ἐπαρχίαν κλέπτης ἀνθύπατος. τίνι νομίσματι χρῆται; ἀργυρίῳ. δεῖξον καὶ ἀπόφερε ὃ θέλεις. ἐλήλυθεν μοιχός. τίνι νομίσματι χρῆται; κορασιδίοις. 'λάβε', φησίν* (= dicit aliquis), *'τὸ νόμισμα καὶ πώλησόν μοι τὸ πραγμάτιον'. δὸς καὶ ἀγόραζε.*

Recte habet *τὸ νόμισμα*, non *τι νόμισμα*, quod coniecit editor: est enim *τὸ ἀγαθὸν* illud, quod cuique deus dedit pro nummo. Recte habebunt etiam cetera si correxeris *ἐκεῖνο[ς] δείξας ἔχε[ι] τὸ ἀντ' αὐτοῦ πιπρασκόμενον*. De *ἔχε* imperativo conferatur

1) Sequentia lucidiora reddet haec interpunctio: *διὰ τοῦτο, εἰ τοῦ καλοῦ καὶ δικαίου τὸ ἀγαθὸν ἕτερόν ἐστιν, οἴχεται — πάντα τὰ πράγματα* (et sic altercari incipient homines)· *'ἀλλ' ἐγὼ — ἀντὶ τίνος;' 'πατήρ σου εἰμί'. 'ἀλλ' οὐκ ἀγαθόν'. 'ἀδελφός σου εἰμί'. 'ἀλλ' οὐκ ἀγαθόν'.*

Digitized by Google

Aristoph. Eq. 50 ἔχε τριώβολον et praesertim (propter additum participium δείξας = ostende et habebis!) Herod. I 11 ἦ γὰρ Κανδαύλεα ἀποκτείνας ἐμέ τε καὶ τὴν βασιληίην ἔχε τῶν Λυδῶν, ἦ αὐτόν σε αὐτίκα ἀποθνήσκειν δεῖ.

III 23, 29 εἴωθε λέγειν ὁ Ροῦφος·
Sententia postulat εἰώθει, solebat. I 1, 26 Θρασέας εἰώθει λέγειν.

III 24, 19 τῷ ὄντι κακῶς διοικεῖται τὰ ὅλα, εἰ μὴ ἐπιμελεῖται ὁ Ζεὺς τῶν ἑαυτοῦ πολιτῶν, ἵν' ὦσιν ὅμοιοι αὐτῷ, εὐδαίμονες.
Erravi olim cum conicerem ὅμοιον αὐτῷ εὐδαίμονες, sed erravi cum meliore (Wendlando, qui ὁμοίως). Adi Ev. Ioannis 8, 55 κἂν εἴπω ὅτι οὐκ οἶδα αὐτόν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῖν ψευστής. Rectius, ut videtur, in ed. I omisit editor comma post αὐτῷ.

III 24, 29 ψύχη καὶ κύματα καὶ τροφαὶ ἀσύμμετροι, καὶ ὁδοιπορίαι καὶ πλοῦς καὶ ἄνεμοι, καὶ περιστάσεις ποικίλαι [·] τὸν μὲν ἀπώλεσαν, τὸν δ' ἐξώρισαν κτέ.
Interpunctionem hanc meam non plenam reddit ann. critica, neque mea sed Postgatii coniectura est πλοῖ, qua me impertivit ille v. cl. Class. Quart. III 4, necessaria sane nisi forte huius vocabuli formam pluralem sedulo vitavit Epictetus; notavi mihi M. Antonin. IX 30 Ἄνωθεν ἐπιθεωρεῖν ἀγέλας μυρίας καὶ τελετὰς μυρίας καὶ πλοῦν παντοῖον ἐν χειμῶσι καὶ γαλήναις καὶ διαφορὰς γινομένων, συγγινομένων, ἀπογινομένων, ubi παντοῖον numeri pluralis vicem explet, et Lucian. Char. 11 οὐ γὰρ οἶσθα ὅσοι πόλεμοι διὰ τοῦτο καὶ ἐπιβουλαὶ καὶ λῃστήρια καὶ ἐπιορκίαι καὶ φόνοι καὶ δεσμὰ καὶ πλοῦς μακρὸς καὶ ἐμπορίαι καὶ δουλεῖαι;

III 24, 36 τέταξαι ἐν πόλει † ἡγεμονίᾳ καὶ οὐκ ἐν ταπεινῇ τινι χώρᾳ, ἀλλ' ἀεὶ βουλευτής.
Manus correctrix (ἐν πολλῇ ἡγεμονίᾳ) quod sincerum erat inquinavit: debuit enim respecto loco simili — III 7, 21 ζῇς ἐν ἡγεμονούσῃ πόλει — corrigere ἐν πόλει ἡγεμονίΔΙ. Nequedum emendata sunt quae sequuntur 'ἀλλ' ἀεὶ βουλευτής', quae quamquam non recte tuetur Uptonus collato Hor. Od. IV 9, 39 'consulque non unius anni' — quasi hoc idem valeret atque

Digitized by Google

'semper consul' —, tamen ab illo errore liberum se vindicavit quo abrepti Reiskius, Schweighaeuserus Blassius ἀλλὰ εἶ vel ἀλλ' εἶ substituerunt: intellexit enim βουλευτής cum τέταξαι esse iungendum; iungitur autem si corrigitur 'ἀλλὰ εἶ⟨ς⟩ βουλευτής'. Plut. Mor. 181 C (II p. 25, 25 Bern.) Τάξίλης, εἷς τῶν Ἰνδῶν βασιλεὺς ἦν, 638 B (IV p. 75, 9) ὁ Λυσίμαχος, εἷς τῶν Ἀμφικτυόνων ἐπιμελητής.

III 24, 37 — Ἡδὺ γάρ ἐστιν. — Τίς οὔ φησιν; ἀλλὰ καὶ ζωμὸς ἡδύς (corrige ἡδύ) ἐστι καὶ γυνὴ καλὴ ἡδύ ἐστιν.

III 24, 51 — Τί οὖν ὄφελος αὐτῷ τοῦ πρᾶξαι καλῶς; — Τί δ' ὄφελος τῷ γράψοντι τὸ Δίωνος ὄνομα, ὡς χρὴ γράφειν; αὐτὸ τὸ γράψαι.

Melius editio Basil. ὡς χρὴ γράφειν αὐτό; τὸ γράψαι. Cf. IV 1, 120 Καὶ τίς ἡ ζημία τῷ δήσαντι τὸν αὐτοῦ δοῦλον, ἣν δοκεῖς; — Τὸ δῆσαι. Ecquis dubitabit etiam corrigere τῷ γράψαντι τὸ Δ. ὄνομα?

III 24, 77 εἶτά μοι σὺ μὲν ἐν Ῥώμῃ διάγειν ὀκνεῖς, τὴν Ἑλλάδα ποθεῖς; ὅταν δ' ἀποθνήσκειν δέῃ, καὶ τότε μέλλεις ἡμῶν κατακλαίειν, ὅτι τὰς Ἀθήνας οὐ μέλλεις βλέπειν;

Supple σὺ ⟨νῦν⟩ μὲν.

III 24, 82 κἂν ἄλλους πάλιν ἔχῃς συνήθεις καὶ φίλους, ξξεις πλείονα τοῦ οἰμώζειν αἴτια, κἂν πρὸς ἄλλην χώραν προσπαθῇς.[1])

Si fides habenda est libro ms. praeter verbum προσπάσχειν (II 5, 9 προσπεπονθότος, II 16, 46 προσπεπονθότα, II 16, 27 προσπάσχειν, III 24 tit. προσπάσχειν, III 24, 84 ὅταν προσπάσχῃς, IV 1, 110 πρόσπασχε, quae omnes sunt formae indubitatae) etiam verbo contracto (προσπαθέω) usus est Epictetus, sed tantummodo in secunda persona singulari temporis praesentis, forma ab aoristo solo accentu diversa. Quod etsi iam per se satis mirum est — sit tamen casus —, prorsus lababit illa fides si rem propius inspexeris; sunt enim loci hi (nam II

1) Unicus locus hic ubi non cum dativo struitur. Cf. III 24, 18 ὁ Ὀδυσσεὺς ἐπεπόνθει πρὸς τὴν γυναῖκα.

Digitized by Google

16, 31 primae manus scripturam προσπάθης restituit editor): IV 1, 77 παρέδωκας σαυτὸν δοῦλον, ὑπέθηκας τὸν τράχηλον, ⟨ὅ τι recte suppl. Elterus⟩ ἂν θαυμάσῃς τῶν [τι] μὴ σῶν, ᾧ τινι ἂν τῶν ὑπευθύνων καὶ θνητῶν προσπαθῇς, ubi antecedens θαυμάσῃς necessariae emendationis ansam praebet, IV 1, 130 ἂν οὖν τινι τούτων προσπαθῇς, δώσεις δίκας, ob sequens tempus futurum suspectandum; tertius locus est quem in fronte exscripsimus, ubi sententia flagitat 'quod si alios familiares atque amicos adsciveris (Schweigh.)' i. e. Cχῇς, unde necessario etiam προσπάθῃς. Neque ego dubito quin etiam M. Antonin. 5, 1 ὅταν προσπαθῶσιν corrigendum sit — πάθωσιν, sitque prorsus fabula verbum προσπαθέω.

Lusisse videtur librarios legitima περίσπασις quae est in παιδευθῶ, — θῇς, — θῇ, similibus.

III 24, 93 Restituatur in ann. critica coniectura mea, qualem dederam: τοῦτ' ἔστιν ἀποδημία, ⟨μεταβολὴ,⟩ καὶ μεταβολὴ μικρά· τοῦτο θάνατος, μεταβολὴ μείζων —.

IV 1, 84 ἐπιθυμήσεις δὲ τίνος ἔτι (si in rebus externis bonum tuum non ponis); τῶν μὲν γὰρ προαιρετικῶν ἅτε καλῶν ὄντων καὶ παρόντων σύμμετρον ἔχεις καὶ καθισταμένην (καθεσταμένην Corais) τὴν ὄρεξιν, τῶν δ' ἀπροαιρέτων οὐδένος ὀρέγῃ, ἵνα καὶ τόπον σχῇ τὸ ἄλογον ἐκεῖνο καὶ ὠστικὸν καὶ παρὰ τὰ μέτρα ἠπειγμένον.

Totiens me haec legisse nec sensisse quam prorsus repugnarent Stoicae doctrinae paene pudet. Non enim 'honesta' sunt τὰ προαιρετικά (i. e. quae sunt nostri arbitrii), non magis quam turpia: palaestra sunt in qua exercetur omnis philosophans, et fiunt bona aut mala, prout quisque recte aut minus in eis versatur. Sufficiant duo exempla e multis ut in re notissima: II 23, 19 προαίρεσιν τί ἐμποδίζειν πέφυκεν; ἀπροαίρετον οὐδέν, αὐτὴ δ' ἑαυτὴν διαστραφεῖσα. διὰ τοῦτο κακία μόνη αὕτη γίνεται ἡ ἀρετὴ μόνη, IV 10, 8 Ἡ οὐσία τοῦ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ ἐστιν ἐν τοῖς προαιρετικοῖς. Si quis tamen ita voluerit interpretari, per τὰ προαιρετικά nunc ea sola indicari quae κατὰ τὴν ὀρθὴν χρῆσιν τῶν φαντασιῶν eligantur, ideoque 'καλὰ' recte dici, quomodo ex eo quod καλά sunt (ἅτε καλῶν ὄντων)

Digitized by Google

efficitur habere illum etiam σύμμετρον eorum ὄρεξιν?

Quid igitur? Quod in archetypo suo legerat vel legere sibi visus erat librarius, ἅτε κακῶν ὄντων, non tulit et παραδιώρθωσε, cum deberet solum dividere 'ἅτε κακῶν ὄντων καὶ παρόντων'. Vide 83 τί ἄλλο ἐξ ἀρχῆς ἐμελέτας ἢ διακρίνειν τὰ σὰ καὶ οὐ σά, τὰ ἐπὶ σοὶ καὶ οὐκ ἐπὶ σοί; et IV 7, 14 ἀλλὰ ταῦτα μόνα (sc. τὰ δόγματα) ἐμά ἐστι καὶ ἀναφαίρετα καὶ ἀρκεῖ μοι παρόντα, ὅπου ἂν ὦ καὶ ὅ τι ἂν ποιῶ.

IV 4, 24 'νῦν οὖν ἐμὲ ἐν τῷ θορύβῳ τούτῳ διεξάγειν;' τί λέγεις θορυβῷ; ἐν πολλοῖς ἀνθρώποις; καὶ τί χαλεπόν; δόξον ἐν Ὀλυμπίᾳ εἶναι, πανήγυριν αὐτὸν ἡγήσαι. κἀκεῖ ἄλλος ἄλλο τι κέκραγεν, ἄλλος ἄλλο τι πράσσει, ἄλλος τῷ ἄλλῳ ἐνσείεται. ἐν τοῖς βαλανείοις ὄχλος· καὶ τίς ἡμῶν οὐ χαίρει τῇ πανηγύρει ταυτῇ καὶ ὀδυνώμενος αὐτῆς ἀπαλλάσσεται;

Tous les gouts sont dans la nature: audi modo Schweighaeuserum ita vertentem: 'In balneis est turba: quis autem ea turba non delectatur? Quis tristis inde discedit?' qui idem addit in notis 'sunt tamen nonnulli haud ita faciles, sed iusto morosiores'. Sed spondeo tibi ne ipsum quidem Epictetum ea turba delectatum esse: I 6, 26 Ἀλλὰ γίνεταί τινα ἀηδῆ καὶ χαλεπὰ ἐν τῷ βίῳ. — Ἐν Ὀλυμπίᾳ δ' οὐ γίνεται; οὐ κυματίζεσθε; οὐ στενοχωρεῖσθε; οὐ κακῶς λούεσθε; qui ut sibi constet, interpunge — ἐνσείεται, ἐν τοῖς βαλανείοις (Olympiae scilicet) ὄχλος.

IV 6, 4 Pauper si divitem agere volueris, δουλάριά σε χρήσασθαι δεήσει καὶ ἀργυρωμάτια ὀλίγα κεκτῆσθαι καὶ ταῦτα ἐν φανερῷ δεικνύειν, εἰ οἷόν τε, ταὐτὰ πολλάκις καὶ λανθάνειν πειρᾶσθαι ὅτι ταὐτά ἐστιν, καὶ ἱματίδια στιλπνὰ καὶ τὴν ἀλλὴν πομπὴν καὶ τὸν τιμώμενον ἐπιφαίνειν ὑπὸ τῶν ἐπιφανῶν τούτων καὶ δειπνεῖν πειρᾶσθαι παρ' αὐτοῖς ἢ δοκεῖν γε, ὅτι δειπνεῖς, κτέ.

Qui famulis uti potest commodatis, cur non etiam argento 'ceteraque pompa', more apud Romanos vulgatissimo? Profecto haec quoque mutuabitur: 'δουλάριά σε χρήσασθαι δεήσει καὶ ἀργυρωμάτια (⟨ἢ⟩ ὀλίγα κεκτῆσθαι καὶ ταῦτα ἐν φανερῷ δεικνύειν, εἰ οἷόν τε, ταὐτὰ πολλάκις καὶ λανθάνειν πειρᾶσθαι ὅτι ταὐτά ἐστιν) καὶ ἱματίδια στιλπνὰ κτέ. = famulos mutuari debebis

Digitized by Google

et argentum (aut si eorum modicum habebis domi numerum in propatulo habere saepius ita ut ne appareat) et vestem splendidam cet'. Parataxeos figura Meibomium fugit, scripsitque ⟨οὐκ⟩ ὀλίγα. Quod pertinet ad τῶν ἐπιφανῶν τούτων, Eltero et editori suspectum, cum contemptu est additum τούτων, ut II 18, 22 τοὺς σαπροὺς τούτους πύκτας, III 22, 94 τοῖς βασιλεῦσι τούτοις.

IV 12, 17 In re agenda attendere oportet τί ἔστι ἀπὸ τοῦ πράγματος, μή τι καταφρονήσωσιν (— σουσιν Schweigh.) ἡμῶν ⟨οἱ⟩ συνόντες, μή τι ἡμεῖς αὐτῶν.

Dubito an non usurpaverit Epictetus αὐτῶν pro ἐκείνων, certe quidem hic contemptus non oritur ex re, sed ipsam comitatur. Scribendum videtur μή τι ἡμεῖς αὐτῶν.

Fragm. I (Schweigh. 175) πότερον οὖν ὁ ἄνθρωπος αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ πεποιῆσθαί σοι δοκεῖ ζῷον ἢ πρὸς κοινωνίαν; ⟨— Πρὸς κοινωνίαν.⟩ — Ὑπὸ τίνος; — Ὑπὸ τῆς Φύσεως. — Τίνος οὔσης καὶ πῶς διοικούσης τὰ ὅλα καὶ πότερον οὖσης ἢ μή, ταῦτα οὐκέτι ἀναγκαῖον πολυπραγμονεῖν;

Iniuria ζῷον delevit Heeren; hoc vult Epictetus: hominem, quatenus animal sit, esse ζῷον κοινωνικόν (II 10, 14) i. e. ⟨ὡς⟩ ζῷον. Praeterea veterem coniecturam meam quam non recte citavit editor in ann. crit. hic repetere liceat: Ὑπὸ τίνος; — Ὑπὸ τῆς Φύσεως. — Τίνος οὔσης καὶ πῶς διοικούσης τὰ ὅλα καὶ πότερον ⟨προνο⟩ούσης ἢ μή —;

Fragm. XVI (Schweigh. 72). Εἰδέναι χρή, ὅτι οὐ ῥᾴδιον δόγμα παραγενέσθαι ἀνθρώπῳ, εἰ μὴ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ αὐτὰ καὶ λέγοι τις καὶ ἀκούοι καὶ ἅμα χρῷτο πρὸς τὸν βίον.

Quod est 'acquirere et lucro apponere' (περιποιεῖσθαι, IV 1, 176 περιποιήσασθαι δόγμα, III 24, 117 περιποιεῖσθαι τὸ ἄλυπον καὶ ἄφοβον), id passive non est παραγενέσθαι sed περιγενέσθαι: I 4, 1 τὸ εὕρουν περιγίνεται, II 6, 5, Ench. I 4.

Digitized by Google

AD PINDARI NEMEA.

SCRIPSIT

IOHANNES P. POSTGATE.

Docendi discendique causa Pindari Nemea cum hac aestate relegerem et uiri ornatissimi in eundem commentationem recentissimam — Wilamowitzii 'Pindaron' dico qui a. 1922 prodiit — simul euoluerem, obtulerunt se mihi non admodum pauca quae aut nondum emendata aut male intellecta sint. haec ad enarranda aut corrigenda quae pertinere sunt uisa partim noua adferemus, partim uetera, sed a doctis maximam partem neglecta.

N. II. 1 sq.

Ὅθενπερ καὶ Ὁμηρίδαι
ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ
ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίου, καὶ ὅδ' ἀνὴρ
κατα βολὰν ἱερῶν ἀγώ-
νων νικαφορίας δέδε-
κται πρῶτον Νεμεαίου
ἐν πολυυμνήτῳ Διὸς ἄλσει 5
ὀφείλει δ' ἔτι πατρίαν
εἴπερ καθ' ὁδόν νιν εὐθυπομπὸς
αἰὼν ταῖς μεγάλαις δέδω-
κε κόσμον Ἀθάναις
θάμα μὲν Ἰσθμιάδων δρέπε-
σθαι κάλλιστον ἄωτον ἐν
Πυθίοισί τε νικᾶν
Τιμονόου παῖδ[α]

Καταβολάν pro 'fundamento' accipiunt, sed longe alia est poetae sententia, rem nummariam cogitantis. dicit enim uictoriarum Timonoi nato genere et natalibus debitarum partem

Digitized by Google

esse iam repraesentatam (καταβολάν, noto uocabuli usu) atque acceptam (δέδεκται), partem etiamnum deberi (ὀΦείλει ἔτι), modo ne Aetas paternos ei cursus frustra spoponderit. ὀΦείλει plerique non personaliter dictum esse existimant ut simile sit Apollonii Rhodii 3. 678 ὄΦελλε; potest tamen ad εὐθυπομπὸς αἰών spectare, quod liberius dictum fortasse erit, sed ad Pindari sententiam accommodatius. haec fere a. 1906 apud Cantabrigienses disserui, Camb. Philol. Soc. Proc. 73—75 (1907) p. 4.

III, 21 sq.

κιόνων ὕπερ Ἡρακλέος ...
ἥρως θεὸς ἃς ἔθηκε ναυτιλίας ἐσχάτας
μάρτυρας κλυτάς

κλυτούς scribi iubet Wilamowitz, masculinum enim esse μάρτυρας, prouocatque ad Ol. 1. 34 sq. ἀμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοΦώτατοι, op. cit. p. 278 n. quod suadet uir doctus facile est et nescio an probandum. atqui aliter dixit Aeschylus Eum. 318 sqq. μάρτυρες ὀρθαὶ τοῖσι θανοῦσιν | παραγιγνόμεναι πράκτορες αἵματος | κὐτῷ τελέως ἐΦάνημεν ne necessarium ('nötig') tibi uideatur.

IV 4 sq.

οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον γε μαλθακὰ τεύχει
γυῖα τόσσον εὐλογία Φόρμιγγι συνάορος

Dissentiunt inter se huius loci testes, Pindari scilicet Plutarchique (Tranq. 6) codices, utrique ueritatis particulam seruando. illi enim τεύχει (conf. uers. 85) nobis praestant, nihil in uerbo ipso nouantes, hi τέυξει nihil in tempore. nos utroque usi auxilio poetae τεγξει suum reddemus, ut ad Homerum, Il. 14. 240, et ad Sophoclem Phil. 1189 iam tertius testis Pindarus accedat.

IV 54 sqq.

Παλίου δὲ πὰρ ποδὶ λατρίαν Ἰαωλκόν,
πολεμίᾳ χερὶ προστραπών,
Πηλεὺς παρέδωκεν Αἰμόνεσσιν

Hic Wilamowitz (op. cit. p. 176 n.) codicum auctoritati patrocinatus προστραπών idem esse ac προσνείμας incautius contendit; aliud enim plane τὸ νέμειν et τὸ τρέπειν quanto

Digitized by Google

melius una mutata litterula προστραχών 'hostili manu accurrens' Pindaro uindicaris! τῷ προσβάλλειν adsimile est τὸ προστρέχειν (conferas Xenophontis Cyrop. V. 4. 47), hic tamen exquisitius.

IV 89 sq.

τὸν Εὐφάνης ἐθέλων γεραιὸς προπάτωρ
ὁ σὸς ἀείσεται, παῖ

Conclamatus paene locus tum demum in lucem reuocabitur si tenueris corruptelae ansam dedisse ignotam librariis locutionem. quod ex illo ἀείσεται Pauwius facile eruerat, respuerunt aetate inferiores, (ὁ σός γ') ἀείσατο, accuratius rem cogitantibus a nulla non parte se commendabit. quam procliue sit uidetis, sermonis est Homerici quod testatur Hymn. 17. 1 Κάστορα καὶ Πολυδεύκε' ἀείσεο, Μοῦσα λίγεια, ib. 20. 1 Ἥφαιστον κλυτόμητιν ἀείσεο M. λ. (emendatione certissima Franke, nam quod exhibent codices ἀείδεο semper passiuum est). tum Pindaro in deliciis talia fuisse qualia sunt παραμείβεαι N. 3. 28, ἐθρέψαντο Ol. 6. 46, διδάξασθαι Ol. 8. 59, βάλετο P. 1. 74 iam nemini ignotum esse puto. sed uideamus cetera, ὁ σὸς dico. ex his articulo facile carebis sicut in N. 5. 43. ut sententiam et numeros expleant, τότε uel ποτε ante παῖ inculcant; uerisimilius πρόσθε post σὸς, hausta scilicet altera ex similibus syllabis, quae pestis haud ita raro in Pindari libris grassata est; conferas quae ad N. 9. 47 adnotata sunt. ultima eius littera apud Pindarum hoc uno loco eliditur sed pluribus apud Homerum. uis uocabuli ea est ut significet ab Euphane ante ipsum Pindarum uersibus celebratum esse Calliclem.

V 52 sqq.

πύκταν τέ νιν καὶ παγκράτιῳ
φθέγξαι ἑλεῖν Ἐπιδαύρῳ διπλόαν
νικῶντ' ἀρετάν, προθύροισιν δ' Αἰακοῦ
ἀνθέων ποιάεντα φέρειν στεφανώματα σὺν ξανθαῖς Χάρισσιν

In his quid dubii sit non intellego. nam τῷ ἑλεῖν respondet τὸ φέρειν, salua temporum ratione. illud enim 'adeptus' est, hoc 'adferebat', conferenda Od. 8. 516 sqq. κεραίζεμεν (or. rect. ἐκεράιζεν)... βήμεναι (or. rect. ἔβη). ut nihil iam causae sit cur φέρε scribas, ut Wilamowitz, et ad Is. 4 (5). 62 prouoces.

Digitized by Google

VI. 47 sqq.

βοτάνα τέ νιν
ποθ' ἁ λέοντος
νικάσαντ' ἔρεψε δασκίοις

νικῶντ' ἤρεφε cum Hermanno legitur; sed propius accedit τὸ νικᾶντ(α), conferas Meleagrum in Anth. Pal. VII. 428. 5 ἦ ῥα γε νικάεντα μάχᾳ σκαπτοῦχον ἄνακτα | κρύπτεις; et fortasse στέφε, quod uerbum apud Pindarum quoque exstat Fragm. 168 (150) ut apud alios complures.

VI. 58 sq.

βαρὺ δέ σφιν νεῖκος ἔμπεσ'
Ἀχιλεύς χάμαι καββὰς ἀΦ' ἁρμάτων

In loco uexatissimo illud primum cauendum est ne καββάς in κατβάς mutetur, exquisitius in tritius. hoc manente Ἀχιλεύς loco cedat necesse est neque iniuria qui in alienam sedem inuaserit; hanc Αἰακίδας sibi uindicabit, mirum quantum cum uicinis conueniens, sunt enim Αἰακίδαι (53), αἴσαν (54), Αἰθίοπας (56). ambiguitatis excusationem certe habet Ἀχιλεύς cum Αἰακίδας Telamonem, Is. 5 (6). 35, Neoptolemum alios significare posset. interpretamenta ueritatem apud Pindarum haud ita raro expulisse inter doctos constat; luculentum dabit exemplum N. 10. 31. θεῳ quod ex Θεκίῳ corruptum est pro ci et ipso inlato quamuis aliter iudicarit Wilamowitz, alia Otto Schroeder in prolegomenis p. 10 ed. a. 1900. reformatus uersus talis euadet καββὰς χαμαὶ Αἰακίδας ἀΦ' ἁρμάτων. de priore uersu duplex ratio iniri potest, altera ut librorum illud ἔμπεσε conserues, ordine uerborum tantum mutato, et βαρὺ δ' ἔμπεσέ σφι νεῖκος legas ut Kayser, altera ut quod scholiasta praestat ἐπέδειξε in partes uoces. δεῖξε illum legisse rei consentaneum est idemque in contextum reponunt Dissen aliique, nec tamen illud ἔμπεσε unde uenerit explanant. melius utrumque coniunxeris, quod fieri poterit si interpretatio ἔμπεσε, δεῖξε uero pristinae lectionis corruptela pepeperit. haec cum animo agitaret amicus noster F. M. Cornford, in ἄιξεν incidit quod ἄξεν scribendum erit; conf. ἄσσει N. 8. 40, et post νεῖκος, ne plura nouentur, eodem quo ἔμπεσ' loco ponendum. Achillis ingenio accommodatius hoc uerbo uix quicquam inueniri

Digitized by Google

potest. pro exemplo sit μετακίξαντα N. 5. 41 quod editores satis frigide 'secutum' esse explicant cum, quod olim docui l. supra citato, uim eandem habeat quam Ouidianum illud Epist. ex Ponto II 3. 34 'qui ueniunt *magno* per tua iussa *gradu*'. haec si placebunt, poteris legere βαρὺ δέ σφιν νεῖκος ἄξεν.

VI 72 sqq.

δελφῖνί κεν τάχος δι' ἅλμας
ἶσον εἴποιμι Μελησίαν

Vt taceam quae tacenda sunt Bergk 'duce scholiasta' coniecit εἰκάζοιμι nec tamen persuasit. quis enim hoc εἰκάζοιμι per illud ἶσον εἴποιμι interpretatus esset? abhinc triginta paene annis (1906) ad Lucani bell. ciuil. 7. 125 adnotaui ea quae cum ad binos Nemeorum versus pertineant plene hic exscribenda sunt. "arma | permittit populis frenosque furentibus ira | laxat et ut uictus uiolento nauita coro | dat regimen uentis ignauumque arte relicta | puppis onus trahitur' | The Greeks and Romans had a tendency to mix up the two parts of a simile, especially if the same verb could be used in both. So here 'laxat et, ut uictus nauita dat regimen uentis ignauumque... onus (trahitur), *trahitur*' Catullus 64. 239 sqq. 'haec mandata prius constanti mente tenentem, | Thesea ceu pulsae, uentorum flamine nubes, | aerium niuei montis *liquere* cacumen; Hor. *serm.* I 3. 9 sqq. 'saepe uelut qui | currebat fugiens hostem, persaepe uelut qui [l. si] | Iunonis sacra ferret'. So in Pind. Nem. 8. 40 sqq. κῦξεταί δ' ἀρετὰ χλωρᾶις ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἄσσει | ἐν σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε | πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα. The last words belong to the tree just as in ib. 6. 64 sq. δελφῖνί κεν τάχος δι' ἅλμας | ἰσώσαιμι (so we should read, ἶσον εἴποιμι codd.) Μελησίαν, δι' ἅλμας belongs only to the dolphin'.

In his, quod ad rem quidem attinet, nihil est quod hodie mutatum uelim; sed si uerba spectes, quorum utriusque — lexica adeas — fere eadem est uis, melius fortasse uidebitur ἰσάζοιμι.

VII 19 sq.

ἀφνεὸς πενιχρός τε θανάτου παρὰ
σᾶμα νέσονται.

Frustra defenditur παρὰ σᾶμα. facili sed imprudenti emen-

Digitized by Google

datione πέρας ἅμα (Graece dicitur βίου πέρας sed θανάτου τελευτή) aut πάρος ἅμα inferuntur. optime Hartung πέλας ἅμα cui fauet Sophoclis locutio hic, ut alibi quoque, lucem Pindaro adferentis, Φεύγουσι γάρ τοι χοἱ θρασεῖς ὅταν πέλας | ἤδη τὸν Ἅιδην εἰσορῶσι τοῦ βίου, Ant. 580 sq.

25 sqq. οὔ κεν ὅπλων χολωθεὶς
ὁ καρτερὸς Αἴας ἔπαξε διὰ φρενῶν
λευρὸν ξίφος

Pindareus Aiax quid fecerit si quis cognoscere cupierit, Sophocleum consulat. hic enim de ense cui soli corporis parti posset (conf. schol. ad hunc ipsum Pindari locum) uolnus mortiferum inlaturo talia memorat 819 sqq. πέπηγε δ' ἐν γῇ πολεμίᾳ τῇ Τρωάδι | σιδηροβρῶτι θηγάνῃ νεηκονής. | ἔπηξα δ' αὐτὸν εὖ περιστείλας ἐγὼ | εὐνούστατον τῷδ' ἀνδρὶ διὰ τάχους θανεῖν. ensis, *leuis* cum dicitur (legiturque λευρὸν de leuigato bouis tergo ap. Anth. Pal. VI 160. 2), paratus ad suum munus intellegitur. simile de iaculo Ouidius Met. 2. 414 'et modo *leue* manu iaculum, modo sumpserat arcum'. sub haec commode fiet uersus 50 mentio, Αἴγινα τεῶν Διός τ' ἐκγόνων θρασύ μοι τόδ' εἰπεῖν, cui simillimum illud Sophoclis Philoct. 106 οὐκ ἄρ' ἐκείνῳ γ' οὐδὲ προσμεῖξαι θρασύ.

VII 31 sqq. τιμὰ δὲ γίγνεται
ὧν θεὸς ἀβρὸν αὔξει λόγον τεθνακότων·
βοαθόον τοι παρὰ μέγαν ὀμφαλὸν εὐρυκόλπου
μόλε χθονός ἐν Πυθίοισι δὲ δαπέδοις,
κεῖται Πριάμοιο πόλιν Νεοπτόλεμος ἐπεὶ πράθε.

Ita locum scribendum et distinguendum breuiter admoneo, ad enarrandum eum festinans. duo sibi in hac carminis parte proposita habet Pindarus. in priore cum Neoptolemum iure esse in templo Delphico interfectum uisus esset dixisse, nunc Molossis ita se purgare uolt ut Delphos reos caedis non faciat. hoc scite expedit, cum adseuerat casu occisum esse Neoptolemum et ob rem leuiculam, amicos ei fuisse illos et de interitu eius multum doluisse, ceterum duce fato ad Delphos eum ad id ipsum uenisse ut mortui ibi eius nomen claresceret, honoribus praemiisque aucti et tutela sacrorum et pomparum insignis. haec Apollini ipsi plaeuisse non obscure dicit 'dei' (θεοῦ) ter

Digitized by Google

in XIV uersibus facta mentione (32, 40, 46). ut singula adgrediar, uersu 32 declarat mortuis gloriam dei demum munere contingere. pergit talem in Neoptolemo fuisse Apollinem cum ad Delphos post excidium Troiae venisset (*μόλε*). *βοαθόος*, quod proprie de deo (Callimachus H. Del. 26 sq. *θεὸς δ' ἀεὶ ἀστυφέλικτος· | Δῆλε Φίλη, τοῖος σε βοηθόος ἀμφιβέβηκε*, Theocritus 22. 23 *ὦ ἄμφω θνητοῖσι βοηθόοι, ὦ Φίλοι ἄμφω*). nota dicendi figura de sede dei, quod hic tantundem est, dicitur. hoc vel ex u. 40 patet in quo *ᾤχετο* (*uenerat*) *πρὸς θεόν* ad *παρὰ μέγαν ὀμφαλὸν εὐρυκόλπου μόλε* (*uenit*) *χθονός* respicit.

VII 84 sq.

λέγοντι γὰρ Αἰακόν
νιν ὑπὸ ματροδόκοις γονεῦς Φυτεῦσαι
ἐᾷ μὲν πολίαρχον εὐωνύμῳ πάτρᾳ

ἐᾷ pro codicum *ἐμᾷ* Hermann coniectura certa illa quidem sed non bene intellecta; neque enim ad Aeacum respicit sed ad Aeginetas ut *πάτρᾳ* sit 'patriae' 'their country'; cf. P. 2. 91 *ἐνέπαξαν ἕλκος ὀδυναρὸν ἐᾷ πρόσθε καρδίᾳ*. ne in *λέγοντι* haereas, tamquam generaliter sit dictum ideoque ambigue, notandum est antecessisse *γάπεδον ἂν τόδε* Pindarique illud ingenii esse ut facile ab uniuersis ad singulos, a genere in speciem delaberetur. nec non simile aliquid infra in uu. 93 sq. de Sogenis domo admisit, *ἐπεὶ τετρακόροισιν ὤθ' ἁρμάτων ζυγοῖς | ἐν τεμένεσσι δόμον ἔχει τεοῖς | ἀμφοτέρᾳς ἰῶν χειρός*, quod, rationem si sequaris, *ἰόντι* esse debebat, quippe quod non ad Sogenem sed ad hominem quemlibet pertineat.

VII 104 sq.

ταὐτὰ δὲ τρὶς τετράκι τ' ἀμπολεῖν
ἀπορίᾳ τελέθει, τέκνοισιν ἅτε μαψυλάκας Διὸς Κόρινθος

Notabilis hic quoque sermonis Pindarici cum Sophocle similitudo Philoct. 1238 *δὶς ταὐτὰ βούλῃ καὶ τρὶς ἀναπολεῖν μ' ἔπη*; de *ἀπορίᾳ* in eadem fabula legimus 897, *οὐκ οἶδ' ὅπει χρὴ τἄπορον τρέπειν ἔπος*. *μαψυλάκας* et *Διὸς Κόρινθος* eodem casu inter se cohaerere primus, quod sciam, a. 1880 docui [1])

1) Cambridge Philological Society's Transactions t. I p. 256 ubi de Sogenis quoque domo et de quadrigarum imagine (uu. 93 sq.) non nulla disputauimus.

Digitized by Google

idem senserunt alii in quibus Fennell et nuperrime Wilamowitz qui uerba sic uertit 'wie der vergeblich gegen die Kinder belfernde Διὸς Κόρινθος'. nota apud Graecos Romanosque consuetudine 'Corinthus' Corinthum Corinthique nomen perinde significat, unde factum est ut passim in scriptoribus illa de dictis epitheta occurrant quae de dicentibus magis usitata sint. hinc uenit illud μαψυλάκας 'uaniloquus' cum reapse sit 'quem uane loquuntur'. et ψεύστᾱν ποιητόν λόγον (N. 5. 29) 'mendacem fictam fabulam' tamquam ipsa posset mentiri.

VIII 1 sqq.

Ὥρα πότνια, κᾶρυξ Ἀφροδίτας ἀμβροσιᾶν φιλοτάτων
ἅτε παρθενηίοις παίδων τ' ἐφίζοισα γλεφάροις
τὸν μὲν ἀμέροις ἀνάγκας χερσὶ βαστάζεις ἕτερον δ' ἑτέρᾳς
ἀγαπατὰ δὲ καιροῦ μὴ πλαναθέντα πρὸς ἔργον ἕκαστον
τῶν ἀρειόνων ἐρώτων ἐπικρατεῖν δύνασθαι.

Ὥρα πότνια pendentem sine causa uocatiuum solus, quod sciam, ex editoribus Pindari Bury non potuit concoquere, qui tamen satis infelici usus remedio pro ἅτε παρθενηίοις in contextum παρθενηίοις νέοις inuexit, prauam post ἑτέρᾳς distinctionem intactam reliquit. atqui in promptu erat mali sanatio. una littera mutata ἀγαπητά γε scribendum est quod hic quam apte dicatur pluribus docere supersedeo, pro exemplo sit κείνου γε P. 5. 57.

VIII 40 sqq.

De hoc uidenda sunt quae supra ad VI 72 sqq. exscripsimus; libet pauca adicere. δένδρεον, non δένδρον Pindarus constanter ne ἀνάσσει recipias, neque, si Homerus ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος habet, ideo ἀνα inferri necesse est cum sequatur hic πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα (χλωρᾶς scilicet ἐέρσης). ἀερθεῖσ(α) in mentem nobis reuocat Aeschyleum illud Agam. 1525 ἐμὸν ἐκ τοῦδ' ἔρνος ἀερθέν (quod nullo modo mutandum) Clytaemestrae uerba de Iphigenia spe sua querentis ante diem succisa.

IX. 21 sqq.

Φαινομέναν δ' ἄρ' ἐς ἄτᾱν σπεῦδεν ὅμιλος ἱκέσθαι
χαλκέοις ὅπλοισιν ἱππείοις τε σὺν ἔντεσιν· Ἰσμηνοῦ δ' ἐπ'
ὄχθαισι γλυκύν
νόστον ἐ ρ ε ι σ ά μ ε ν ο ι λευκανθέα σώμασι πίκναν κάπνόν

25

Digitized by Google

De ἐρεισάμενοι Wilamowitz, p. 258, n. 2 '*reditum in Ismeni sibi fixerunt.* Weiter kamen sie nicht zurück, kühn und schön gesagt' quod nobis audacius uidetur dictum quam pulchrius. aduocetur tandem in consilium Pindarus, optimus semper sui interpres, ex Is. 7. 51 aliam emendandi uiam patefacturus. ibi de Achille poeta γεφύρωσέ τ' Ἀτρείδαισι νόστον 'pontem reditus (per quem redirent) Atridis fecit'. eadem in loco nostro imago sed in contrarium uersa. Septemuiri enim illi ad Ismeni ripas reditus illum pontem non fabricati sunt sed demoliti — ut Graece dicam, νόστον ἐρειψάμενοι. ceterum ἐρείπειν de muris ceterisque id genus saepe numero dicitur ut in Il. 15. 361; translatiue de gentis interitu Soph. Ant. 596. iam in Is. 1. 36 ἐσειπομενον 'Hartung e Schol.' in ἐρειδόμενον uidetur esse corruptum.

IX 42 sq. τάδ' ἄλλαις ἀμέραις
πολλὰ μὲν ἐν κονίᾳ χέρσῳ τὰ δὲ γείτονι πόντῳ Φάσομαι

Fefellit, nisi fallor, editores uera huius loci sententia. neque enim ille cetera quae Chromius bene gesserit narraturum se dicit, quod satis ineptum esset, sed *posse* ea se narrare. similiter Ol. 8. 56 sq. καὶ Νεμέᾳ γὰρ ὁμῶς | ἐρέω ταύταν χάριν ad quod recte ἔχω εἰπεῖν iam Gildersleeve. temporis uis eadem etiam in aliis uerbis occurrit. exempli gratia sufficient uersus ille notissimus a Gellio, N. A. XVII. 21. 31, laudatus ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται 'pugnare poterit' Anglice 'He who fights and runs away | *May live to fight* another day', ad quod proxime accedit Thucydideum illud IV 59 fin. πάλιν πολεμήσομεν 'bellum redintegrare poterimus'.

IX 46 sq.
εἰ γὰρ ἅμα κτεάνοις πολλοῖς ἐπίδοξον ἄρηται
κῦδος οὐκέτι πόρσω θνατὸν ἔτι σκοπιᾶς ἄλλας ἐφάψασθαι ποδοῖν

Ita codex B sed οὐκ ἔστι πρόσω D. ex utroque facillime eruitur οὐκ ἔστιν τὸ πόρσω, conferendum imprimis Ol. 2. 44 τὸ πόρσω δ' ἔστι σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις de Columnis Herculis et N. 4. 69 Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν. haustum fuerat per homoeographum το ante πο ut in u. 38

Digitized by Google

συν ante τυνδαρίδαις. hoc, quod probasse uidentur et Hermann 1817 et Bergk 1853, cur spreuerint ceteri, non facile est uidere.

X 45 sqq.

[χαλκὸν] ὅντε Κλείτωρ καὶ Τεγέα καὶ Ἀχαιῶν ὑψίβατοι πόλιες
καὶ Λύκαιον πὰρ Διὸς θῆκε δρόμῳ
σὺν πολῶν χειρῶν τε νικᾶσαι σθένει

Διὸς δρόμῳ 'curriculo Iouis' esse uolunt quod ferri quidem potest nisi suspicionem moueat scholiastae illud βωμῷ unde Abel δόμῳ coniectura adsecutus est, idem Bury inuenit sed postea reliquit. possis cogitare etiam de δρυμῷ ut intellegatur Iouis nobilissimum illud τέμενος in quod cum ferae fugissent uenantium nemo insequi auderet, Pausanias VIII 38. 5 (6). sed obstare uidetur primae syllabae mensura, de qua fusius egit Ioh. Schrader obss. pp. 79 sqq. apud Homerum quidem non legitur δρῡμός sed δρυμά (plur.) idque cum prima correpta. posterior Homeri aetate δρυμός, cum primam haberent productam. θυμός, ξυμός, χυμός, ὑμός cetera, ad horum exemplum primam et ipse produxit. quod quo tempore inciderit, haud facile est reperire. nihil certi adferunt Aeschylus (fr. 304. 10) Sophoclesque (Oed. T 1399), producunt Euripides in *Bacchis* 1229 et *Rhesi* auctor 289. quid in Hippolyti uersu 1127 legendum sit uix satis liquet. in codicibus traditum est ὦ δρυμὸς ὄρειος ὅθι κυνῶν quod per se quidem nihil habet offensionis, cum priore uersu ὦ ψάμαθοι πολιήτιδος ἀκτᾶς apte cohaerens. sed ut ad antistrophen Λατοῦς βαθεῖαν ἀνὰ χλόαν (1139) propius accedat uersus, excudunt δρυμός τ' ὄρειος, ὦ δρύμ' ὄρειος aut ὦ δρυμός ὄριος de quibus omnibus liberum iudicium lectoribus permitto. δρῦμά et δρῡμός ex aliqua parte contaminauit usus, nam δρῡμά Oppianus Cyn. 1. 64 et Dionysius Per. 492, δρῦμός Nonnus Dionys. 22. 117 (de Hamadryade) ἥλικος ἀΐσσουσα κατὰ δρυμοῦ si codicibus fides, sin editoribus Nonni, δρυός. cautius certe Hermann ad Orph. Arg. 676 δρύμου scribebat, accentu uocabuli tantum mutato.

De νικᾶσαι festinantius Wilamowitz (Pindaros p. 427 n. 3) 'Wie kann der Infinitiv stehen? Ein Preis wird doch nicht ausgesetzt, um zu siegen. Wir erwarten das Partizip νικῶσιν' et q. s. attamen νικᾶσαι non modo 'uincere' significat sed etiam

Digitized by Google

'uincendo auferre' N. 5. 5 νίκη(-ῃ) Νεμείοις παγκρατίου στέφανον, neque aliter κρατεῖν uim duplicem habet N. 10. 25 ἐκράτησε δέ καί ποθ' Ἕλλανα στρατὸν Πυθῶνι τύχᾳ τε μολὼν | καὶ τὸν Ἰσθμοῖ καὶ Νεμέᾳ στέφανον, Μοίσαισί τ' ἔδωκ' ἀρόσαι, ubi putide Μοίσαισιν quidam cum ἀρόσαι coniungendum. sic etiam Latine Augustus ap. Suetonium c. 71 'uicissem uel quinquaginta milia', sestertium scilicet, et Silius 12. 119 'Amphitryoniades *armenti uictor* Hiberi'; de Hercule enim sermo, non de Aiace.

Digitized by Google

ADNOTATIONES CRITICAE ET EXEGETICAE.

SCRIPSIT

J. D. MEERWALDT.

I.

THEOPHRAST. Charact. XIII 1 haec leguntur: *ἡ περιεργία δόξει εἶναι προσποίησίς τις λόγων καὶ πράξεων μετ' εὐνοίας.* Pro *προσποίησις*, quod alias semper valet *simulatio* (v. c. in eodem hoc libello cap. I 1.), Ribbeck coniecit *περιποίησις*, v. Herwerden *περιττότης*; sed neque hoc neque illud probabile videtur. Scribendum erit, opinor, *προσπόνησις*: attendas quaeso ad elementum '*ἔργον*' in voce *περιεργίας* conspicuum. Conferre licet Hor. Carm. I 38. 5: 'simplici myrto nihil *adlabores* | *sedulus*, curo'; ubi haud scio, an Graecum quoddam carmen, quod '*προσπονήσῃς*' habuerit, imitatione exprimatur.

Ibidem XIV 12 *τοῦ ἀνaισθήτου* proprium esse dicitur: *ὄντος τοῦ Διὸς εἰπεῖν· ἡδύ γε τῶν ἄστρων νομίζει ὅτι δὴ καὶ οἱ ἄλλοι λέγουσι πίσσης.* Hic locus plerisque graviter admodum corruptus videtur. Levi tamen mutatione facta — nam vocis *καί* compendium post *γε* omissum non numero — sic restitueris ipsam auctoris manum:..... '*ἡδύ γε*'. ⟨*καὶ*⟩ *τῶν ἄστρων νομίζειν ὅτι δή, καὶ εἰ ἄλλοι λέγουσι πίσσης.* Nempe quemadmodum morte amici allata maesto vultu dicit: '*ἀγαθῇ τύχῃ*' (ibid. 7), ita alias, cum pluit, locutione utetur ea, qua ceteri utuntur, cum sudum est; poterat etiam dicere: '*εὐδία*'. Ceterum eiusdem universe est proprium 'siderum loco habere quidlibet, etiamsi alii dicunt e pice'. Quod ad genetivorum constructionem attinet, conferas velim Kühner-Gerth, Ausf. Griech. Gramm. II 2 § 418. 2 et 3*a*. (v. c. Plat. Phaedr. 68*d*. *θάνατον ἡγοῦνται..... τῶν μεγάλων κακῶν*).

Digitized by Google

HORATIUS Sat. I 3. 47 sq., ubi de patre agitur, qui liberos a corporis vitiis blande appellet, cum alia scribit tum haecce: 'illum | balbutit 'scaurum', pravis fultum male talis'. Recte omnino plerique interpretes monent patrem 'scaurum' illud idcirco balbo ore pronuntiare, quo blandiatur filiolo. Duobus autem modis id fieri potest: vel 'saure' dicet — ut hodie parentes nonnunquam infantium illa '*sat*' pro '*schat*', '*pul*' pro '*prul*' *ipsi quoque ludendi gratia* [1]) recipiunt —, vel 'iscaure'; vocalem enim protheticam illam, quae inde a II° p. Chr. n. saeculo in inscriptionibus apparet (*iscelesta, ispeculator*, sim.) multo iam ante in ore vulgi ⟨et puerorum⟩ fuisse consentaneum est (cf. Sommer, Lat. Laut- u. Formenl. § 87 II; Stolz und Schmalz, Lat. Gramm. § 36 B).

SEMONIDIS in carmine *De variis mulierum ingeniis* (Hiller-Crusius 7) vs. 11 sqq. haec legimus:

τὴν δ' ἐκ κυνός, λίταργον [2]), αὐτομήτορα,
ἥ πάντ' ἀκοῦσαι, πάντα δ' εἰδέναι θέλει,
πάντῃ δὲ παπταίνουσα καὶ πλανωμένη
λέληκεν, ἢν καὶ μηδέν' ἀνθρώπων ἑρᾷ.

Adiectivum λίταργος, unde λιταργίζειν· τροχάζειν, ταχύνειν, in Etym. Magn. (567. 38 s. v. λίταργος κύων) explicatur λίαν ἀργὸς ἤγουν τάχυς; quam etymologiam merito spreverunt recentiores, obstat enim τ illud. Quod cum ita sit, tamen pergunt dividere λιτ-αργος, quasi hoc saltem constet ad ἀργός hanc vocem esse referendam; nam primum elementum quo pertineat, pro certo affirmare nemo audet [3]). Revera autem — mea quidem sententia — sic dividendum est: λι-ταργος. Praefixum ita nanciscimur aliunde quoque notum: Hesych. λιπόνηρος· λίαν πονηρός, cf. Strab. VIII 364. Ἐπίχαρμος δὲ τὸ λίαν λῖ. Altera huius praefixi forma λαι- (λα-) v. c. in vocibus λαισποδίας et λακαταπύγων reperitur, fortasse etiam in λαίμαργος, quod ab aliis huc refertur, ab aliis vero pro forma

1) Hoc est illud συμπαίζειν ⟨καὶ?⟩ αὐτὸς λέγων κ. τ. λ. Theophr. Char. V 1, quo de loco ante egi (Mnem. 1925 fasc. III). Horatium simile aliquid habere postea demum mihi in mentem venit.

2) Traditur λίτοργον, corr. Bergk.

3) Ingeniose apud Muller, Gr. Woordenb.: 'λιταργίζω, volksetym. λιτή + ἀργός snel; snel als een wensch, *vgl. in drie cloeken en een zucht?*'

Digitized by Google

haplologica habetur vocis priscae *λαιμο-μαργος. — Alterum elementum *ταργος cohaerere mihi videtur cum verbo ταργαίνω· ταράσσω (Hesych.), cf. τάργανον 'vinum *turbidum* et corruptum' (per ταρακτόν expl. Etym. Magn.), ad eandem radicem v. c. *stercus* et Neerl. *drek* referuntur (v. Boisacq s. v.). Sensus ergo vocis, de qua agimus, priscus fuisse videtur 'valde turbidus', inde autem nasci potuisse significationem 'celeriter se movens', 'festinans ac properans' facile intellegitur; omnis enim properatio perplexos et quasi turbidos habet motus. Similia multa afferri huc possunt; uno autem exemplo me contineus hoc tantum moneo vocem Neerl. *herrie*, quae modo [1]) 'rumor ac tumultus', modo 'confusa strages' significat, ab etymologis tam arte coniungi cum voce Anglica *hurry* 'properatio', ut dubitent, an ipsa sit vox Anglica in nostrum sermonem translata. (v. Franck-v. Wijk, Et. Woordenb. der Ned. taal s. v. *horrelvoet*, ubi ponitur totius huius familiae — dialectica nonnulla afferuntur — originem onomatopoeticam esse, sonum enim imitatione exprimi rei turbinis instar se moventis). Sensum vocis λι-ταργος fideliter, credo, exprimemus, si vernacule dicemus: *'(altijd) in een hurrie'*, *'jachterig'*.

Sequitur l.l. lectio corrupta αὐτομήτορα. Corruptam dico, quid enim 'mera' illa 'mater' sibi velit, nemo adhuc dicere potuit: laus [2]) illa caritatis maternae a tota hac descriptione quam maxime est aliena. Merito igitur Stadtmüller hunc locum cruce notasse videtur. Verum levi tamen remedio idem locus sanari potest. Scribendum enim αὐτοκλήτορα, 'quae ipsa se invitet' (vernacule vertam *'opdringerig'*), cf. αὐτόκλητος (v. c. Aeschyl. Eum. 170, 'a nullo vocatus', 'suo arbitrio huc ingressus'), κλητός 'quem vulgo invitant', 'acceptus' (Odyss. XVII

1) Prior significatio turbandi actionem *in actu* fingit (actio ipsa), altera eandem *in eventu* (res effecta); cf. *mare turbidum* et *vinum turbidum*. In radice *s-terg* ad alteram hanc speciem pertinent ea vocabula, quibus *corrupta* (propr. *turbida facta*) significantur, (v. c. τάργανον), ad priorem illam sensus priscus vocis λι-ταργος: *'valde turbidus'* (sc. *in actu*).

2) Vs. 33 sq. alia mulier tum, *cum irata sit*, similis esse dicitur canis 'circa catulos' *furentis*, quae longe alia res est. Hoc moneo propter desperatam (ut ita dicam) Buchholzii (?) interpretationem 'die leibhaftige Mutter *Hündin*', quae Peppmüllero non placuisse videtur; in appendice vero, quo legentes relegat, nihil inveni.

Digitized by Google

386, cf. 387); quod ad formam attinet, cf. κλήτωρ et παρακλήτωρ. — Quam bene respondeat descriptio, quae l.l. sequitur, vix est quod moneam; hoc tantum monere velim hic quoque, ut alias fere, cum antiqui de cane loquuntur, insolentiam premi animalis huius adiunctam. Sed etiam cum turbulenta illa festinatione, cuius proxime ante mentio est facta, optime novum hoc consonat: etiam molestus ille 'quidam' Horatianus *accurrens* inducitur, αὐτοκλήτωρ autem est idem vel maxime.

In eodem hoc carmine vs. 43 haec traduntur:

τὴν δ' ἔκ τε σποδίης καὶ παλιντριβέος ὄνου.

Corrupta esse verba τ. σπ. et locus coniunctionis et metrum indicant; Bergk primo σποδείης cum Meinekio, quae tamen adiectivi forma cum nusquam alias inveniatur, postea idem scripsit πελιδνῆς, quo adi. idem fere color significatur. Sed propter ἐσχάρης mentionem (vs. 47) verisimillimum est primo versu *cinereum* asini colorem respici. Synonymum autem adi., q. e. σπόδιος, est τεφραῖος (Aelian. Hist. Anim. 6. 38); patet ergo librarium in exemplo suo invenisse lectionem τεφρείης, glossam autem supra adscriptam σποδίης eundem habuisse pro correctura syllabarum | φρειης | nihil quippe significantium. — Ibidem vs. 45 sq. cum Peppmuellero legendum mihi videtur κἀποιήσατο | ἀρεστά (pro καὶ πονήσατο), eodem quae sunt sensu accipienda atque ἔστερξεν illud, quod proxime antecedit. Sequuntur verba:

τόφρα δ' ἐσθίει μὲν ἐν μυχῷ —
προνὺξ προῆμαρ — ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρῃ.

Coniunctio τόφρα, pro qua primo conieceram τεφράς, valet *interim*, i. e. antequam minis coacta obsequi coepit.

In Herodae mimo I vs. 34 sqq. Büchelerum et Blassium secutus Groeneboom scribit:

τὴν δ' ἔψιν οἷαι πρὸς Πάριν κοθ' ὥρμησαν
θεαὶ κρι]θῆναι κκλλονήν — λάθοιμ' αὐτάς
εἰποῦσα] κ. τ. λ.

Scribendum erat αἱ θεαί (potes etiam αἱ τρεῖς), 'deae illae, (quas probe nosti)'. Cf. IV 11 versus initio καὶ θεαί; synizesin Herodam adamare notum est. Pro εἰποῦσα potius scribam γρύξασα, cf. III 36.

Ibidem III 6 χαλκίνδα πλίζειν ab editore nostro explicatur

Digitized by Google

'jouer pour des sous' (εἰς χ. κυβ. Hesych.). Propter talos autem oppositos (vs. 7) addenda est definitio, quae legitur Bekk. Anecd. 116, Apoll. de adv. p. 562: χαλκῷ κυβεύειν. Antiquorum descriptio τοῦ χαλκισμοῦ docet plane idem hoc fuisse atque 'munt of kruis spelen'.

Vs. 7 incipit: αἰ ἀστραγάλαι, qua de lectione multa iam sunt disputata, alii cum putarent secundum α hic longum esse, alii glossam (ad δορκάδες vel sim. aliquid) in textum irrepsisse, alii denique choriambum versus initio hic poni ut I 67 et IV 20 et 94(?). De priorum sententiis vide Peppmüller (Anthol. a. d. Lyr. d. Gr. I p. 204) et Groeneboom (Les Mim. d' Hér. p. 99); qui iure monet ipsam formam vocis obstare, quominus pro glossa habeatur; exspectandam enim fuisse formam communem in — οι, non rariorem hanc et Ionicam ferme in — αι. Quod tamen ipse — etsi dubitanter [1]) — choriambum admittendum existimat, adeo rara huius licentiae sunt exempla, ut mihi quidem persuaderi res non possit; cum praesertim ceteris, qui conferri solent, locis aut nomen proprium necessitatem afferat, aut ipsa sententia postulet, ut prima syllaba prematur; qua numerorum inversione abruptum aliquid, eoque patheticum, gigni quivis experiri potest [2]). Verum eo loco, de quo agimus, nulla aut necessitas (δορκάδες scribi poterat ut vs. parallelo 64), aut causa animi permovendi iusta conspicitur. — Quid revera hic lateat, collato vs. 64 sq. cognoscere licet. Ubi ludi magister sic refert, quae dudum comperit:

οὔ σοι ἔτ' ἀπαρκεῖ τῇσι δορκάσιν παίζειν
ἀστραβδ', ὅκωσπερ οἴδε, κ. τ. λ.

Zielinskio debetur explicatio adv. ἀστραβδα, i. e. quasi *micatim* (vide Peppm. l.l., qui, quantum ad notionem attinet, confert 'micare' illud Romanorum — Cic. Div. 2. 41. 85, Petron. Cen. Trim. 44 — idemque aptius lusum quendam Germanum q. d. 'Steinblitzen'; praeterea Groeneb. p. 113).

Quid vero Lampriscus habet, cur diligentius ita τὸ δορκάσιν

1) l.l. 'J'admettrais plutôt le choriambe'.

2) Aesch. Choeph. 1049 φαιοχίτωνες (terribili aspectu permovetur O.) Aristoph. Pax 663 εἶεν, ἀκούω, (interiectio 'ethica'), Vesp. 902 ποῦ δ' ὁ διώκων (animus exagitatus).

Digitized by Google

πκίζειν definiat? Nimirum id, quod mater ipsa, cuius verba fideliter exprimit, speciali appellatione usa αἱ ἀστραβδάλκι dixit τὰς δορκάδας sive δορκαλίδας (vs. 19), quod nomen generale ipsum quoque ad celeritatem pertinere vix monendum est. Facillime autem fieri potuisse, ut in ore ludentium 'ἀστραγάλαι, αἷς ἄστραβδα παίζεται' abiret in 'ἀστραβδάλαι' nemo non concedet, cum praesertim accedat, quod in omni ludi genere vocabula communia ac sollemnia taedio mox afficiunt lusores ipsos proprium aliquid et vivum sibi expetentes, quo carissima illa ludi instrumenta non tantum significent, sed quasi foveant. Quae Ἀστραγαλῶν nomine a scholarcha praemii loco [1]) attribui solebant discipulis impigris, δορκάδες fiebant et ἀστραβδάλαι, cum primum ab illis erant recepta.

Quod ad ipsam formam adiectivi (vel substantivi) ceteroquin ignoti pertinet, monendum videtur etiam alia inveniri nomina ab adverbiis [2]) in — δα desinentibus formata [3]).

1° Hesych.: μίγδαλοι· ἀναμεμιγμένοι, quod proprie significare apparet μίγδα κείμενοι. Comparari possunt cum alia [4]), tum collectivum illud Germ. *ein Durcheinander*, propr. = *ein d. (Gemischtes)*. Locutionem ergo *ein buntes Durcheinander* Graece vertas licet: ποικίλον τι καὶ μίγδαλον. In cotidiano praesertim sermone talia gignuntur; ut iamdudum recepta sunt illa *het bijdehandsche paard*, *onderhandsche verkoop*, ita passim nunc audiri possunt, qui dicant *bij stuksgewijze verkoop; het nabije Oosten*. 2° Timaeus, lex. Platon.: κίβδηλον· οἱονεὶ κρύβδηλόν τι ὄν. Ad occasionem hoc loco ab adverbio κρύβδα adiec-

1) Cf. Anth. Pal. 6. 308, quo de loco infra agemus. Conferri possunt cum alia tum haec: *Eerste prijs een rijwiel.* ∽ *Ik heb een fiets gewonnen.* — *Je krijgt een mooie nieuwe fiets, als je goed oppast.* ∽ *Ik heb een fijn nieuw karretje gekregen.* — *Een uurtje voetballen.* ∽ *Wat trappen.* — *Voetbalschoenen* ∽ *Trappers; kickers.*

2) Proprie *neutr. plur.* [*sing.* — δον et — δην (dor. — δᾶν)]; eodem pertinent illa in — ινδα ludorum propria (Brugmann-Thumb. Griech. Gramm. § 296. 2).

3) De ipsa re in universum cf. Brugmann-Thumb. § 173 Anm. 1: 'Sekundärsuffixe erscheinen zuweilen auch hinter erstarrten Kasusformen [i. e. adv[illegible], vide § 165 et § 296], z. B. παλαί-τερος'. Cf. παλαιθέου· παλαιᾶς θεοῦ (Hes[illegible]) ibid. § 165. — Praeterea πυκι-νό-ς (ad exempl. adi. πυκι-μηδής et [illegible] ibid. § 194.

4) v. c. Neerl. *een onderonsje*, 'circulus intimorum'.

Digitized by Google

tivum κρ. fingitur. 3° Plato Com. ap. Athen. X 442*a* vs. 17 Λύδωνι δραχμή, Κυβδάσῳ τριώβολον. Ubi Κυβδάσου nomen pariter atque cetera, quae ibid. leguntur, ab ipso poeta fingitur, quo significetur 'daemon', cuius sacrum sit τὸ 'κύβδα' (vide Steph. s. v.); idem valet κυβάλης. Exspectari poterat, ut Κύβδαλος scriberet poeta, sed exemplo sibi sumpsisse videtur eiusmodi nomina, qualia sunt Ἵππασος, Πήδασος; cf. Ῥαφανοκόρτασος illud comicum.

Vs. 17 οἷον Ἀΐδην βλέψας. Propter Groeneboomi disputationem, quae legitur l.l. p. 102, monere velim οἷον hoc loco valere 'quodammodo', vel 'ut ita dicam', cf. Plat. Phaedr. 278*a*, ubi λόγοι quidam dicuntur οἷον 'υἱεῖς γνήσιοι' auctoris sui; περὶ ὕψους 40. 4, ubi versus cuiusdam numeri dicuntur μὴ κατεσπεῦσθαι μηδ' οἷον 'ἐν ἀποκυλίσματι' [1]) φέρεσθαι. In universum cf. Aristot. Rhet. III cap. 7; cuius praeceptum προεπιπλήττειν τῇ ὑπερβολῇ auctum esse apparet a Theophrasto, siquidem auctor περὶ ὕψους de hac re multo plura habet, quae illis se debere dicit; remedia suppeditat cum alia, tum haec: οἱονεί et ὡσπερεί (ipse hoc adhibet auctor 34. 4 ὡσπερεὶ 'καταβρωτῷ'). Idem praeceptum Cic. de Orat. III 41. 165 et Quintil. VIII 3. 37: 'Et si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est, *ut ita dicam*, *si licet dicere*, *quodam modo*, *permitte mihi*'. — Metrotime ipsa natura duce rhetorum huic praecepto satisfacit; vernacule: '*om-zoo-tezeggen met de hel in zijn oogen*' (cf. locutiones sermonis Amstelodamensis et vulgaris proprias '*den dood in hebben*', '*de hel in hebben*' et, de oculis, (in serm. urbaniore) '*helsche blikken*').

Vs. 20 ἐν τῇσι Φύσης τοῖς τε δικτύοις κεῖνται (sc. αἱ δορκαλίδες Cottali) i. e. 'in *suis* follibus et reticulis'. Cf. Guhl und Koner, Leben der Gr. u. R., pag. 452 „Gewöhnlich trugen die Spieler die Astragalen in einer Art Beutel bei sich (daher gehört ein Beutel mit A. zu den gebräuchlichen Geschenken,

1) Vernacule dicimus '*a. h. w. op rolletjes*'. Fugit, quantum scio, Petronii interpretes hinc explicari posse locutionem 'se apoculare' (Cen. Trim. 62 et 67) vulg. cf. Neerl. '*ik ajees er vandoor*' (= 'iam abeo'). Graece respondisse apparet ἀποκυλίομαι. Miror Buechelerum (ap. Friedl. C. Tr. pag. 316 sq.) de verbo ἀποκαλεῖν cogitasse. — Consentaneum est vocalem *u* verbi 'apoculare' *ü* fuisse ut in 'optumus' et similibus; fortasse autem contaminatum (× 'oculus'). (Similiter, ut nunc video, iam Weise, v. Walde s. v.).

Digitized by Google

die Jünglingen oder Knaben gemacht werden); mitunter wurden die Würfel auch in anderer Weise aufbewahrt. So ist ein in Myrina gefundener Terrakottakopf hohl gebildet und durch einen Schieber zu einer Büchse für Würfel gestaltet (Fig. 654)". — In libro, q. i. Greek and Roman life (ed. Mus. Britann.), Smith auctor pag. 203 laudat Anth. Pal. VI 308:

Νικήσας τοὺς παῖδας, ἐπεὶ καλὰ γράμματ' ἔγραψεν,
Κόνναρος ὀγδώκοντ' ἀστραγάλους ἔλαβεν.

Tamquam ἀντίπους ille Κόνναρος videtur Κοττάλου huius, quem audimus 'οὐδεν καλὸν' γράφειν (vs. 18). *Octoginta* talos praemii loco accepit, nimirum in folle compositos.

Vs. 19 et 63 δορκαλίδων et δορκάδων appellatio adhibetur ad significandos talos. Suspicor autem in talis fuisse, qui revera 'capreolarum' ('caprearum') figuram haberent. In libro enim modo laudato, pag. 204, imagine 243 duo homunciones ex argento facti exprimuntur, qui per singulas corporis partes dispositos gerunt numeros I—VI. Errat profecto Smith, cum l.l. eos appellet '*squatting* silver figures'; is enim corporum est habitus, ut dubium non sit, quin *saltum facientes* finxerit opifex: caput protruditur, crura leviter inflexa quam altissime tolluntur, bracchia retro reiecta triangulum cum corpore efficiunt manibus ad lumbos adductis — actus saliendi argutius exprimi nequit. Facile intellegitur, quanta cum voluptate lepidissimos hos pumiliones per aerem salientes aspexerint pueri, mox eosdem manu excepturi, quemadmodum ludi lex iubebat. Nonne ergo veri est simillimum 'capreolas' quoque in usu fuisse, quae capreolarum non modo motus et nomen, sed etiam formam haberent?

Vs. 25: Σίμων (id, [1]) quod Cottalus scribit pro Μάρων) non tantum nomen proprium est famosum (Groeneb. a. l. laudat

---

1) *Maro* unus fuit ex iis, qui ad Therm. pugnaverunt; *Simo* fere significat 'homo vafer', 'furunculus'. Animi causa cum hunc mimum vernacule verterem (Suum Cuique, Blad v. h. Sted. gymn. te Amst. 1e jaarg. n° 2), sic reddidi locum, de quo agitur:

Eergistren nog: zijn vader geeft als voorbeeld:
Maron was flink. — Wat schrijft me dat 'model'?
Simon, wees link. . . . . .

In sermone furunculorum *'link'* valet 'vafer'.

Digitized by Google

Suid. Σίμωνος ἁρπακτικώτερος, κ. τ. λ.), sed etiam *iactus quidam alearum* ita appellatur et haec quidem editori nostro praecipua causa videtur, cur erret puer aleae deditus: omnino recte. Simili autem lusu verborum poeta usus mihi videtur in deligendo aleatorii huius pueri nomine. Nomen enim proprium Κόττυλος (cf. IV Κοττάλη) pertinet ad κοττός (vide etiam -η [1]), -ίς) i. e. 'caput', et proprie ergo significat 'enormi capite conspicuus', 'Capito'. Sed eadem κοττοῦ appellatione vulgo designari solebat *alea*; cf. etiam κοττίζειν, κοττισμός ('alea' in Gloss., i. e. ludus a.), κοττιστής, κοττοβολεῖν; quam consuetudinem inde ortam esse suspicor, quod lusores totum quasi *gregem* [2]) talorum suorum tot vel tot 'capitibus' constare metaphorice dicerent (cf. 'caput' Lat. = '*stuk (vee)*', 'capitale' > '*cateel*' (Neerl.), '*cattle* (Angl.) et '*de koppen tellen*', '*een vloot met zoo en zooveel koppen bemand*'); fortasse propter ipsam hanc appellationem pyxis illa Myrinae reperta (supra pag. 400) formam accepit *capitis*. — Iam ut at Κόττυλον illum Herodae revertamur, verisimillimum mihi quidem videtur in deligendo hoc nomine id spectasse poetam, ut 'Capitonis' hac appellatione, ipsa per se quae ad stultitiam alludere potest, simul innueret notionem 'Aleatorii'. Atque ea praesertim de causa hoc dico, quod magistri quoque et matris nomina significans aliquid habent, quod ad merum casum referri non potest. Namque Λαμπρίσκος — 'Clarillus' fere — ludi magister nullam aliam ob causam ita appellatur, nisi propter pusillam eam, quae vere dici potest 'gloriolam', qua genus Pennewippianum illud quo-

---

1) Polluce teste *Dorica* proprie est appellatio. Quod κοττός vulgo 'gallus gallinaceus' (inde κοττίς 'gallina') significabat, scil. propter capitis per *cristam* incrementum (cf. προκόττα), apte conferri potest *kop* Neerl. qua voce antiquitus eadem de re 'gallus' significabatur (*vroute Coppe* in Renard. Vulp. fabula, vide Verdam en Verwijs, Middeln. Woordenb. s. v.).

2) 'Gregem' dico sive 'δορκάδων' sive 'saltatorum' (vide supra). Inepta est explicatio ea, quae legitur schol. ad Luc. Lexiph. cap. 3, ubi κοττίζειν τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ barbarismus esse fingitur ad κοτταβίζειν referendum, qui lusus plane alienus est a ludendi genere aleatorio. Cuncta autem, quae in textu allata sunt vocabula in Gloss. explicantur 'alea', 'aleator', 'alea ludere', cf. Jo. Malal. p. 452. 18. μήτε κόττον (sic) ἐν μιᾷ τῶν πόλεων γένεσθαι. — Si ad '*knuis of munt*' proprie pertinuerit appellatio — cogitari id potest — conferendum sit Lat. 'aut caput aut navim'. Sed quod supra dedi probabilius videtur.

Digitized by Google

vis saeculo apud suos usus est. Μητροτίμη vero, i. e. 'Matrihonoria', scitissima cum ironia dicitur miserrima haec mater, quae tota est in conquerendo dedecore a filiolo sibi allato; cf. imprimis vs. 47 sq., ubi refert sermonem inquilinorum easdem atque ipsa aedes habitantium: 'τοῦ Μητροτίμης ἔργα Κοττάλου ταῦτα!' — Postremo observatione perdignum videtur reliqua puerorum nomina, quae in hoc mimo inveniuntur, vel caritatis vel laudis aliquid habere. Probi illi discipuli, qui vs. 64 exempli loco Cottalo proponuntur, vs. 60 autem arcessuntur, ut carnificis quasi ministrorum officio fungantur, probis illis nomina sunt Κόκκαλος [1]), i. e. 'Granius', ut hoc ita fingam, vel 'Nucleius', Εὐθίης, fere 'Recto', Φίλλος, i. e. 'Carulus' (de hac in hypocoristicis consonantium geminatione cf. Brugmann-Thumb, Gr. Gr. § 120 Anm. φίλλος, φίλλει).

Speciali denique cura attendendum est ad nomen Κουτίδος (manu rec. suprascr. τ, ut Κοττίδος fieret; nimirum ex collatione nom. Κοττάλου ita 'corrigendum' aliquis credidit). Crusius ad tuendum hoc nomen, quo vs. 72 filiola Lamprisci appellatur, attulit inscriptionem (Sterret, An epigr. journ. p. 209): ΚΟΤΤΙ[Σ] | ΔΙΙ ΜΕ | ΓΙΣΤΩ | ΕΤΧΗΝ. Dubitare igitur non iam licet, quin prior apud Herodam lectio vera sit. Accedit autem res, ut mihi quidem videtur, notatu dignissima, quod apud Hesychium invenimus glossam hancce: κουτίδες· συκαλλίδες (cf. Epich. ap. Athen. II 65, ἀγλαὰς συκαλλίδας) itemque κουτίδια· δίκτυα τὰ πρὸς τὰς συκαλλίδας. Significat ergo nomen illud, per quod Cottalus in summo rerum discrimine a ludi magistro veniam implorat, 'Ficedula' [2]), blandissima

1) Monendum videtur terminationem — αλος non esse deminutivam (vide Brugmann-Thumb, Gr. Gr. § 209. 1. ibid. 2 de deminutivis in-υ-λος) atque id propter Peppmülleri adn. ad vs. 72. 'Κουτίς ist eine Deminutiv-bildung (vgl. Κόττα-λος)'. Ne -ις quidem vulgo (l. l. § 221. 3).

2) Vernacule '*vijgensnip*', '*basterdnachtegaal*' (nom. propr. fingi potest '*Snipje*', sed minus blande hoc sonat, respondet potius '*Duifje*') Epicharmus plus semel 'nitidissimas' eas vocat. Nec tamen magis vivis his aviculis delectabantur antiqui quam assatis (ad capiendas pertinebant illa κουτίδια Hesychii), Gell. 15. 8. 'Praefecti popinae atque luxuriae negant ullam avem praeter ficedulam *totam comesse* oportere', eodem spectat Petron. Cen. Trim. 33. — 'Pro caritate mea comedere te velim', hoc haud scio an subaudierint antiqui, cum delicias suas Κουτίς appellarent, cf. vernacule '*Duifje*', aeque ambiguum, et, planum iam, '*mijn houtje*'. — Ceterum etiam cantat haec avis; cf. adn. proximam.

Digitized by Google

sane puellae appellatio: severissimus ille Lampriscus tyrannus hoc unum habet lene ac victum, caritatem erga filiolam — id quoque omnium temporum! Vides, quam admirabili arte vel in minimis rebus Herodas haec omnia elaborarit.

Specialem ergo sensum cum habeat forma κουτίδος, tamen eadem mihi vox videtur, quae κοττίς. Namque et apud Hesychium huius rei indicium invenitur (κόττανα· εἶδος σύκων μικρῶν, Plin. 13. 1; 5. 10. 'minores eius (*ficorum*) generis, quae cottana vocant') et apud Plinium (10. 20. 44) legimus 'ficedulas post autumnum colore ac forma mutatis mutato etiam nomine 'melan*coryphos*' vocari [1]). Apparet ergo, ut gallum propter cristam κοττόν, ita ficedulam propter nigrum et insignem *capitis* colorem κοττίδα esse vocatam, breviore et magis quidem vulgari appellatione quam erat μελαγκόρυφος illud, quod passim invenitur apud scriptores. Ficorum autem species illa, quae κόττανα dicebantur, procul dubio nomen acceperunt a 'κοττίς' ficedulae nomine: ita ut Neerl. *de lijsterbes* nomen duxit ab ave, quae dicitur *lijster*. Inversa ergo ratione συκαλίς a σῦκον, κόττανον a κοττίς originem duxisse apparet.

Iam denique quod ad pronuntiationem attinet: aliter rem mihi explicare non possum, nisi ut κοτυ-(*κοτϝ-), quod certa lege abire solet in κοττ-, per 'epenthesin', quae dicitur, factum sit κουτ-; cf. Brugmann-Thumb, Griech. Gramm. § 54: „Der Vorgang — scil. Entstehung von Diphthongen durch Epenthese — ist im Altgriech. nur bei Dauerlauten *sicher* festzustellen. Dass er auch bei Explosivlauten *möglich* ist, zeigen mundartliche Erscheinungen des Neugriech., wie z. B. μάϊτα = μάτια, s. Thumb. Handbuch² § 8 Anm. 2". — Haec qui legerit, concedet aliquanti esse momenti exemplum κουτίδος ex sermone Graeco et *antiquo* repetitum; namque in hac saltem voce non refugi potest ad 'epicam' illam scripturam, quo nomine formae νοῦσος (etiam Herodot., Hippocr.) et οὐδός

1) Athen. II 65 b: 'συκαλὶς δ', ὅταν ἀκμάζῃ τὰ σῦκα' (ex. Alex. Mynd.). δύο δ' εἶναι γένη αὐτοῦ· συκαλίδα καὶ μελαγκόρυφον. Apud Heronem Alex. Pneum. II 32 automatum describitur, quod eo pertinet, ut μελαγκόρυφος in arcula quadam summa residens tympano circumacto canere incipiat. Cuius de automati ratione egi in disputatione, q. i. '*De Trimalchionis, Ctesibii, Platonis automatis*' (Mnemos. 1921 fasc. IV).

Digitized by Google

(etiam apud Herod. III 38) elevari solent, quae tamen rite explicari possunt <*νοσϝος et <*ὀδϝος [1]). Ita Cottali invocatio ut non ipsi, ita nobis certe profuit: nemo enim negabit aut nomen proprium Κουτίδος, aut κουτίδος avis appellationem, unde ducitur illud, ad sermonem redire cotidianum et verum. Hoc autem si constat, ne id quidem ullo iam iure negari potest οὐδός quoque revera Ionum in ore fuisse, cum praesertim accedat, quod etiam Herodas verae vitae imitator personas suas ita pronuntiantes inducit (v. c. III 38).

Postremum moneo vocem, de qua egimus, etiam κοτίς scriptam inveniri, quae pronuntiatio et ipsa — littera ϝ plane iam omissa — ex *κοτϝίς oriri potuit. Ad eandem ergo radicem pertinentia habemus κοτύλη, κοττίς, κουτίς, κοτίς; quae series, utpote plena, apte demonstrat varias elementi υ (ϝ) post consonantem positi vicissitudines.

In eodem mimo vs. 53 sqq. legimus Cottalo melius etiam quam ipsis astronomis notos esse fastos; pergit mater:

κοὐδ' ὕπνος νιν αἱρεῖται
νοεῦνθ', ὁτῆμος παιγνίην ἀγινῆτε.

Interrogatio mihi videtur indirecta, quae cum coniunctivum non capiat, haud scio an corrigendum sit ἀγινητέα — sc. secundum fastos, qua de re conferas quaeso Groeneboom ad hunc locum. Fortasse autem sufficit ἀγινεῖτε (Rutherf.).

Vs. 70 conicio πρὶν χολὴν ῥῆξαι (P et edd. βῆξαι, quod nescio quid imbecilli habet et ab huius Orbilii consuetudine alieni). Idem valet atque χ. ἐμεῖν; cf. ῥῆξαι φωνήν, βροντήν, δακρύων νάματα, πηγάς, similia. Non ornatioris tantum generis dicendi hic usus est proprius (cf. Ar. Nubb. 356, 947, Dem. 9. 61).

Vs. 87 P habet ουδεκληξαι, edd. σὺ σε δεῖ λῆξαι vel simile aliquid. Praestat autem scribere οὐκ ἐδείκλῆξαι; verberare enim iam destitit Lampriscus: in hac autem rerum condicione vulgo utebantur formis ἐχρῆν et ἔδει (cf. Eur. Hipp. 397; Soph. Phil. 418; Dem. 4. 38). In versu, qui proxime sequi-

1) De his formis videas velim Brugmann-Thumb § 24c, ubi '*Unformen*' audiunt ex artificio natae (sed § 54?); simul tamen ibidem explicantur ex νόσϝος et ὀδϝός. — Muller, Gr. Woordenb. s. v. οὐδός iure satis habet notare wrschl. <*ὀδϝος.

Digitized by Google

tur, post δεῖρον omittere malim δ' (man. rec. add.): asyndeton illud, quod ita exsistit, bene convenit animo iubentis concitato; cf. praeceptum auctoris περὶ ὕψους cap. 21.

Vs. 93 ἰσσαῖ corruptum videtur. Namque Cottalus certe nihil habet, quod exsultet post novam castigationem sibi propositam, matri autem vix satis severus est Lampriscus, ab ipsius denique magistri moribus abhorret talis exclamatio. Scribendum suspicor ὠαί (vel οὐαί); quod ubi ululavit Cottalus (cf. vs. 84 et V 8), Lampriscus apte: μάθοις (Groeneb., λάθοις P) τὴν γλάσσαν ἐς μέλι πλῦναι (vid. Gr.).

Digitized by Google

DE RELIGIONIBVS ANTIQVIS QVAESTIVNCVLAE TRES.

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

1) Exstat epigramma Christianum apud Buechelerum (*Carm. Epigr.* 1440) et Diehlium (*Inscr. Lat. Christ.* 170), partim uersibus, partim soluta oratione confectum, quod sic incipit:

Hic Fortuna iaces casu prostrata ruinae;
heu dulcis coniunx, me magis illa premit.

quaeritur quid sibi uelit uox quae est *illa*. de qua uoce breuiter sententiam suam Buechelerus declarat; adscribit enim „illa *ruina*", neque aliter sensisse Diehlium inde apparet quod eadem et ipse uerba apponit. sed num recte senserint uiri tam docti, uehementer dubito. nam, ut id missum faciam quod *haec* potius quam *illa* ruina dicenda fuerit (quippe prius femina ipsa nominatur quam quo modo perierit docemur), satis manifestum est si alteram epigrammatis partem (u. 11) inspexeris non Fortunam mulierem uocatam fuisse uerum Fortunatam, quod nomen et certe uersu hexametro includi potest, uerbi causa *Fortunata iaces casu e. q. s.*, neque cur mutatum sit apparet. sed si ad uocem *illa* non *ruina* sed *Fortuna* subauditur, plana fiunt omnia. nam primum bene Latine *illa* Fortuna dicitur, utpote et dea et prius quam ruina memorata; deinde causa mutati nominis in promptu est. scilicet in nominibus ludere illius aetatis homines solebant, ut ex Buecheleri carminibus patet, uerbi causa, 671

o semel atque iterum cum uero nomine Felix

et 682, 3

Digitized by Google

Felicitas isto
clauditur infelix falso cognomine dicta,

et 710, 3

nomine Pulcheria fuit sed nomine formam
signauit.

et 87, 16, floride non aliter uenerandus Floride.

At enim Christianus fuit Fortunatae maritus, neque Fortuna sed Dei prouidentia res humanas regi credidit. at permulta sunt in titulis Christianis quae ethnicorum opiniones sapiunt, quae res ut nullus dubito quin scandalo fuerit et offensioni orthodoxis, ita uel his paucis exemplis illustratur, *Inscr. Latin. Christ.* 129, 9

que (i. e., quae) si Deum/propitium habuisse(m),
hoc debuera(m) ab eos (sic) pati.

et ibid. 161, 1, d(is) m(anibus); 176, 3 fatis oppressa sinistris; 8, quoniam sors omnia uoluit; 266, 6, Taenareas crudo funere uidit aquas; 357*b* 5, contra uotum posuirunt (sic); Buecheleri 1351, 6, sint cineres grati, sit tibi ter[ra leuis], ubi recte Rossi „ethnicorum formulam epigrammati Christiano insertam" docet. si ergo potuit homo Christianus fatis sinistris opprimi, potuit et alius fortuna premi. sane licet doctores Christiani in ethnicorum opiniones ritusque acerrime inuehantur, non debemus credere unum quemque e discipulis et κατηχουμένοις eorum a talibus rebus tanto opere abhorruisse, multosque ueri simile est mixtam quandam e Christianorum ethnicorumque doctrinis coluisse doctrinam.

2) Fabula pulcherrima est et ab omnibus fere historicis decantata, Horatium post Curiatios ex prouocatione superatos sororem suam, quod patriae oblita Curiatium cui desponsa esset defleret, occidisse; mox a rege datis duumuiris condemnatum fuisse, ad populum prouocasse, ea lege absolutum esse ut piaculi nomine sub tigillum, quod postea Sororium uocatum esset, uelato capite incederet, aris etiam conditis quarum una Iano Curiatio, altera Iunoni Sororiae dedicata esset; quod sacrum quotannis gentem Horatiam fecisse. eam fabulam ex ipso sacro natam non est cur hodie doceam; neque enim dubium est re uera in Vico Cyprio tigillum fixum fuisse, adstitisse duas aras nominibus Iunonis et Iani insignitis, neque ueri

Digitized by Google

dissimile est ibi rem diuinam ab Horatiis fieri solitam. atque certe ingeniosum est quod Hector Pais coniecit [1]), ipsa uicorum nomina ex hoc ritu nata esse; nam tigillum et arae in Vico Cyprio, siue is Ciprius dicendus est, fuerunt, qui Vicum Bonum teste Varrone significat; adiacet Vicus Sceleratus; unde non insulse ille postulat Sceleratum fuisse uicum eum, per quem is transiret qui ad piaculum faciendum appropinquaret, dein re diuina confecta expiatoque scelere quo laborasset, per uicum Ciprium et Bonum descendisse.

Sed manet quaestio nondum soluta, uel potius par quaestionum; nam quid sibi uelint eae arae nemo est, quod sciam, qui adhuc satis explicarit. et Ianum quidem Curiatium omitto, non quia indignam eam rem putem in qua quis explananda immoretur, sed quia nondum me habere sentio unde eius rationem possim reddere. restat Iuno Sororia, quam tigillo ipsi cognomen dedisse aut ab eo accepisse neminem profecto fugit. id ergo agimus ut eius cognominis sensum enarremus.

Et Müllerus quidem et Deeckius [2]) prosus nihil agunt, dum sororis (Horatii scilicet) iunoni sacram aram fuisse contendunt; quod si ita est, sequitur ut totam Horatiorum Curiatiorumque fabulam pro uera accipere debeamus. neque multo melius Roscher in Lexico [3]) suo, qui eam Iunonem putat quae sororibus nubilibus praesit. nam quis, oro te, sorores a ceteris mortalibus religionis causa quasi in unam classem segregauit? nam uirgines quidem saepe seorsim, ut ita dicam, a ceteris mulieribus tractandas nouimus, nuptas etiam, uiduas, anus, matres; sorores uero quod sciam nunquam; nisi si quis sibi persuaserit apud priscos Romanos moris fuisse ut Titius Seio sororem suam ea lege in matrimonium traderet ut ipse Seii sororem uxorem duceret, cuius apud Italos moris nec uola nec

1) *Storia critica di Roma*, I 458, 506 adnot. 4. tigilli quae ratio sit optime docuerunt caerimoniarum omnium acerrimus uestigator J. G. Frazer (*Golden Bough*[3] VII, 194) et is quem, quamquam aetate prouectus decessit, adhuc quasi praematura morte raptum desideramus, W. Warde Fowler (*Roman Essays*, p. 71 sqq.), quibus fere adsentitur Wissowa (*Religion u. Kultus*[2], p. 104).

2) *Die Etrusker*[2], II p. 92 adnot. 30.

3) *S. u. Iuno*, col. 598, ubi paucos quibus de eo cognomine ab antiquis scriptoribus agitur locos eomponit. eadem fere docuerat Hartungus (*Religion der Römer*, II p. 43).

Digitized by Google

uestigium mansit, quamuis hic illic apud barbaros aut esse aut fuisse memoretur. neque linguae Latinae indoles sinit ut sorores pro mulieribus uel uirginibus quibuslibet dictas credamus. in cassum ergo laborat quisquis Iunonem Sororiam a sorore aut sororibus nescio quibus cognominatam putat.

De Iunone uero, ut multa adhuc obscura sunt (necdum enim liquido constat utrum a multarum mulierum iunonibus quasi in unam coactis profecta sit, quod equidem ueri similius credo, an aliunde exorta et cum Ioue coniuncta, quam rationem cum aliis tum iuueni doctissimo Iosuae Whatmough magis placere non ignoro) [1]) hoc tamen certo nil certius, mulieres eius in tutela fuisse. inde etiam Fluonia, Ossipago, Lucina, alia huiscemodi, aut ipsa uocabatur aut eorum numinum munera ad sese quodammodo attraxit, quod menstruos fluores praegnanti cohiberet, ossa infantis in utero formaret, fetum iam maturum in lucem proferret. igitur consentaneum est ut adulescentis quoque feminae et iam nubilis futurae curam gerere dicta sit.

Iam locum Verrianum a Festo seruatum animum, quaeso, aduertite. „Sororiare" inquit „mammae dicuntur puellularum.... in Friuolaria, 'tunc papillae primulum fraterculabant, illud uolui dicere, sororiabant'" [2]). quam uocem ab ipso popelli ore exceptam censeo, ita omnino populari more translate ponitur, cum geminae puellarum papillae geminis sororibus comparentur. qua aetate multas caerimonias fieri solere si quis ignorat, is mihi uel caput nonagensimum quintum eius libri quem Plossius et Bartelius de mulieribus ediderunt perlegat; Germanice *Das Weib* inscribitur.

Verbi uero sororiandi stemma quod dicunt esse *sororia-* apparet, idque manufestum est adiectiui formam habere et a *sorore* eo modo duci quo a *luce* Lucius; porro uerbum inde effectum ut a *radio* radiare. equidem perlibenter crediderim puellam cui mammae sororiarent et turgescerent uolgo *sororiam*

1) Vide *Classical Quarterly*, XVI (1922), p. 183.

2) P. 380 Lindsay. uerba temporis iniuria lacerata coniecturae partim, sed certissimae, partim Pauli Diaconi ope restituta sunt. Plauti fragmentum numero 85 a Lindsayo insignitum est. illud uero *fraterculabant*, quamuis serio enarrare conetur Verrius, quin iocus sit uel Plauti uel quisquis eam comoediam scripserit, non est cur dubites.

Digitized by Google

olim dictam. utut tamen ea res se habet, non nimis audaci coniectura uti mihi uideor cum statuam Iunonem eam ob causam Sororiam cognominatam quod sororiantibus et adulescentibus puellis opem ferret.

3) Exstat apud nonnullos scriptores fabula tribus potissimum modis redacta, cuius hae sunt formae.

a) Seruius ad Verg. Aen. VII 678, dum de Praeneste loquitur, „erant etiam illic", inquit, „duo fratres, qui diui appellabantur" (Digitios uidetur appellare Solinus 2, 9, quamquam mirum in modum codices nomen detorquent; alii alia coniecerunt). „horum soror dum ad focum sederet, resiliens scintilla eius uterum percussit, unde dicitur concepisse". alludit ad hanc fabulam Martianus Capella, VI 642 (p. 314, uer. 16 Dick), his uerbis, „Praeneste ab Vlixis nepote Praeneste, licet alii uelint Caeculum conditorem, quem pignus asserunt flammarum". eam docet Solinus loc. cit. a Praenestinis libris petitam esse, neque multum fortasse a ueritate abhorrebimus si dixerimus Verrium Flaccum, qui aut ipse Praenestinus fuit aut certi ibi aliquamdiu uixit fastosque illos Praenestinos composuit, uel ab ore uolgi uel ab antiquo aliquo scriptore accepisse doctisque commendauisse.

b) Narrant Dionysius Halicarnassensis (IV, 2) quem paene exscripsit Plutarchus (*de fort. Rom.* 323) [1]), Ouidius (*Fast.* VI, 627), Plinius (N. H. XXXVI, 204) fabulam alteram et eandem. locum Ouidianum, quod et breuis est et nitidus, exscribam:

namque pater Tulli Vulcanus, Ocrisia mater
praesignis facie Corniculana fuit.
hanc secum Tanaquil, sacris de more peractis,
iussit in ornatum fundere uina focum.
hic inter cineres obsceni forma uirilis
aut fuit, aut uisa est: sed fuit illa magis.
iussa loco captiua sedet. conceptus ab illa
Seruius a caelo semina gentis habet.

1) Plutarchum multa a Dionysio sumere Leonem secutus in libro qui inscriptus est *The Roman Questions of Plutarch* docui, p. 19 sqq. Dionysius, Ouidius, Plinius auctores suos non nominant; sed Ouidium nonnihil Verrio debere notum est, Dionysius ἐν ταῖς ἐπιχωρίοις ἀναγραφαῖς fabulam inueniri dicit.

Digitized by Google

signa dedit genitor tunc cum caput igne corusco
contigit, inque comis flammeus arsit apex.

ultimam fabulae partem, caput scilicet Seruii Tulli arsisse, etiam Liuius et alii tradidere. idem portentum in aedibus Tarquitii regis Albani accidisse Promathio nescio quis [1]) in *Historia Italica* tradidit, ut docet Plutarchus (*Rom.* 2); adpositam fuisse ancillam ad focum, eamque concepisse, Romulum et Remum peperisse.

c) Denique reficta est, ut ego opinor, ea ipsa narratio, eo consilio ut uideretur ad rerum gestarum fidem propius accedere. pergit idem Seruius, postquam conceptum puerum memorauit, hunc in modum; „postea enixa est puerum iuxta templum Iouis abiecitque. uirgines aquatum euntes iuxta ignem inuentum sustulerunt, qui a fonte haud longe erat: unde Vulcani dictus est filius." inde facta pueri, qui Romulo similis latrocinium exercet, urbem condit, finitimos ludorum causa conuocat, tum Serui Tulli fere more ignem diuinitus arcessit, itaque pro Vulcani filio apud omnis habitus, eos qui conuenerant in urbem suam accipit. sane eadem fabula bis narratur; primo puer ex scintilla ignis conceptus dicitur, dein expositus et ad ignem inuentus; adgnoscimus rationes quibus Palaephatus aliique omnia miracula in formam credibiliorem conuertebant. adde quod Solinus (loc. cit.) haec tantum de Caeculo illo narrat, „quem iuxta ignes fortuitos inuenerunt, ut fama est, Digidiorum sorores". nempe uirgo illa Digidiorum siue ii Diui fuerunt soror, quae in pristina fabula puerum diuinitus conceperat, iam alienum apud ignem quendam inuenit. similia iam Catonem in Originibus tradidisse ex schol. Veron. in Aeneidis loc. cit. nouimus.

Tris ergo unius et eiusdem fabulae formas adgnosco; unam eamque simplicissimam, qua uirgo non uiri semen sed ignis scintillam in uterum accipiat, indeque puerum concipiat; alteram, qua non cuiuslibet ignis scintillam sed dei plus minusue humanam formam referentis amplexum subeat, qui quid uelit per ignem antea significet et ipse aliqua ratione cum igne coniunctus sit; aut Vulcanum fuisse aut larem familiarem auctores tra-

1) De quo consulas Susemihl, *Gesch. der gr. Lit.* II p. 356 adnot. 39.

Digitized by Google

dunt. nempe Graecanica fabula est facta, neque enim raro aut Ἡφαίστου aut ἥρωος οἰκουροῦ aliquem fuisse filium Graeci fingebant. nos tamen oportet missa facere quae aut antiqui aut nostri coniecerunt, re uera credidisse illius aetatis Italos numinis Italici filium mortalem fuisse, cum probe sciamus Italorum deos neque uxores duxisse neque filios procreasse. frustra ergo olim Klausenius (*Aeneas und die Penaten* p. 759) et hodie Frazerus (*Golden Bough*[3] II, 197 sqq.) statuerunt foci numen uirilis sexus fuisse, cuius uxores Vestales fuerint; quippe, ut alia omittam, inauditum est eius populi apud quem singulas singuli uxores ducant, deos multas uxores habere; frustra etiam Prellerus, Preunerus, et si quis alius secundam hanc fabulae formam quasi genuinam tractauit. in tertia non est cur moremur; qui talibus figmentis gauderent iam Plato nouerat riseratque (*Phaedr.* 229 D).

Quid prima narrationis forma? numquid illam genuini natiuique habere credemus? equidem credo, gaudeoque quod W. Warde Fowler non dissentiebat (*Virgil's Gathering of the Clans*, p. 58). sed uerum etiam Klausenium dixspexisse uideo, ita p. 761 uim quandam genitabilem ignis commemorat. nempe, ut numina Itala nullos procreasse filios nouimus, rectissimeque Austius (apud Pauly-Wissowa-Kroll, s. u. *Caeculus*) neque Volcanum neque larem familiarem ullas in ea re partes habere ostendit, ita ignem ipsum, cum tot hominem simplicium opinionibus ignis, calor, lux cum uita coniuncta sint, facile credi potest in uterum mulieris intrasse ibique concipiendi fili causam exstitisse. quae opinio si olim apud rudes etiam tum et barbaros Italos fuit, facile a posterioribus et Graeca doctrina imbutis in formas alteram illam et tertiam conuerti potuit.

Sed populares illae fabulae singulares non solent esse, sed apud multas gentes re eaedem, uerbis plus minus inter se differentes inueniri. ergo si popularis est fabula, debet sane alio loco narrari. quid, si apud Keltas exstitit? quae gens, ut uel ipsa lingua ostendit, aliqua certe ratione cum Itala coniuncta est, neque ritus et caerimoniae omnino inter se differunt [1]).

1) Exemplo potest esse quod ipse de ea re disserui, *Journ. of Rom. Studies*, XIII, p. 89.

Digitized by Google

Keltarum igitur fabulas si inspexeris, unam saltem seruauit quae ad rem nostram facit clarissimus ille eques Gualterus Scott, qui in carmine quod inscribitur *The Lady of the Lake* eam obiter tractauit, in adnotationibus uero, quas utrum ipse scripserit an alius nescio, certum est a docto homine eas prouenire, — in eis igitur adnotationibus tota res narratur. dicitur fabula a generoso quodam uiro harum rerum curioso (*the Laird of Macfarlane*) in collectaneis quibusdam seruata esse. sensus uero hic est: olim iuuenes et puellas in colle lusisse qui non longe ab eo Scotorum oppido distet quod Inverlochie uocatur. frigore eos uexatos ossa mortuorum quae ibi iacerent (nam olim proelium ibi commissum esse fama erat) collegisse quibus ignem facerent. mox, cum ceteri discessissent, unam uirginem mansisse, in quam, dum propius ad ignem adsidet et uestes altius subducit, cineres uento actos incidisse. neque multo post praegnantem se esse intellexisse, puerumque mox peperisse cui nomen impositum esse quod eorum lingua *nigrum puerum*, *ossium filium* significaret (*Gili-doir Maghre-rollich*). [1])

Quid multa? primitus, si quid uideo, eadem apud ambas gentes fabula, eadem opinio fuere, mulierem posse ex scintilla ignis uel cinere concipere; quae fabula cum iam nimis incredibilis uideri coepta esset, Keltae eam ita mutauerunt ut ossa saltem uiri mulieri adhibita dicerent (nam mortuum uirum pueros generare posse credebant, uide MacCulloch, *Relig. of anc. Celts*, p. 339), Itali Graecam plane rationem adhiberent deumque miraculo interfuisse narrarent. uerum utri ab utris eam mutuati sint, an ambo aliunde petierint, non audeo diiudicare.

Postquam haec conscripsi, amicissime ad me idem ille cuius supra mentionem feci I. Whatmough etymologiam uerbi sororiandi misit et ingeniosam et nescio an ueram. negat id uerbum

1) Quid, quod uolgus olim in Anglia somniabat mulieres interdum Batauas a oculis quos ad pedes fouendos brumali frigore adhiberent imperfectos aliquos et abortiuos fetus concipere? de qua re consule *New English Dictionary*, s. u. *Sooler-ies* et E. Bensly in ephemeride quae inscribitur *Aberystwyth Studies*, V p. 48.

Digitized by Google

cum *sorore* ullo cognationis uinculo coniunctum esse; fuisse autem apud priscos Romanos uocem **sorōs-*, quae cum Germanorum *schwellen*, Anglorum *swell*, comparanda et a radice *sṷer-*, id est tumescere, ducenda sit. solent enim uoces quae a litteris *sṷe-* primitus incipiebant apud Latinos a *so-* incipere; ita eis est *soror* quod Indis olim *svasar-*, Germanis *Schwester*; et saepe litterae L et R inter se confunduntur, ut *gula* et *uorare* ab una eademque radice ducuntur. ergo Iuno Sororia est Iuno quaedam tumescens, h. e., quae tumescentibus et adulescentibus uel puellis uel puellarum mammis auxilio sit, et sororiare est tumescere. ecce series uocum, **sorōs* nempe, *sororius*, *sororiare*, i. e., tumor, tumidus, tumescere, eadem prorsus ratione inter se cohaerentium ac *uarus*, *uarius*, *uariare*. sed adiectiuum *sororium* (quod olim *sorosium* fuerat) eam fortasse ob causam exoleuit quod cum ὀμωνύμῳ re uera a uoce *sorore* ducto facillime confundebatur.

Digitized by Google

TITULUS ATTICUS IN PRISTINAM FORMAM RESTITUTUS.

SCRIPSERUNT

E. HAAGEN SMIT ET P. MOENS.

Fragmenta duo pori, a sinistra fracta, qua parte etiam superficies alterius fragmenti detrita est; reperta in arce in fundamentis templi Romae deae. Altitudo 0m·37, crassitudo 0m·25, latitudo fragmenti maioris 0m·70. Edita e Lollingii apographo in: Sitzungsberichte der Berl. Akad. 1888, p. 239, n⁰ 1 (I. G. I suppl. 373 ²³⁶). Exscripsimus usae ectypomatis chartaceis quae Vollgraffius nobis commodavit.



Kirchhoffius verba mutila supplevit hoc modo:

[Εὐά]νδρου M-- vel *μ' οἱ*--, | --υκλῆς, 'Α[ρ]ισ|τόδιϙος, Β[--
ἀνέ|θεσ]αν πρῶτοι Γλ|αυ[ϙ]ώπιδι ϙούρ[η],

sed simul inopiam suam fassus est his verbis:

„Quo iure Euandri sive Philandri filii se *primos* Minervae deae donarium obtulisse glorientur, in obscuro est".

Nos titulum in hunc modum restituendum esse ducimus:

[·ʌχεσεϰιʌε] ιοπρdϱ ʌ[?]
[τόνδε Εὐρ?]υκλε̄ς, 'Α[ρ]ισ-
τόδιϙος, Β[........,]
[hoì ἐνίκεσ]αν πρõτοι, γλ-
αυ[ϙ]όπιδι ϙόυρ[ει ἀνέθεσαν]

Digitized by Google

Titulus est votivus, a tribus viris dedicatus, qui propter litterarum formam medio sexto a. Chr. n. saeculo tribuendus est; inter se diversae formae litterarum ρ et υ eae sunt quae etiam in Attica parte inscriptionis Sigei repertae (I. G. A. 492), quae paulo post 575 a. Chr. n. incisa esse videtur, adhibitae sunt (ρ vs. 1 et 4; υ vs. 2 et 5; huius litterae vs. 5 tantum superior angulus conspicitur, sed procul dubio littera υ supplenda est; cf. I. G. I suppl. 373[98], 373[234]; I. G. A. 441, 444, 452, 453). Etiam ceterae litterae illis tam similes sunt ut fere idem tempus arguere videantur. Promiscue κ et ϙ occurrunt; sed apparet ϙ scriptum esse ante vocalem ο (cf. Kretschmer, Die Griechischen Vaseninschriften, § 82). Idem tempus ordo versuum, qui *βουστροφηδόν* constitutus est, testatur. Versus superior inversus est. Veri simile est hunc postea adscriptum esse, cum in textu non memoratum esset quo in certamine dedicatores victoriam adepti essent; cf. I. G. I 422[4]: *ἀλλόμενος νίκησεν*, et praecipue I. G. A. 105, qui titulus simili additamento clauditur:

ἔδοξεν Ἀλειοῖσι· Δίφιλον.... εὐεργέταν τῶν Ἀλειῶν γράψαι. ἐν Ὀλυμπίᾳ ἔδοξεν.

vs. 2: *τόνδε* cf. I. G. A. 98: *Τέλλων τόνδ' ανέθηκε*; 99: id.; I. G. I suppl. 373[70] *τόνδε Φίλων ἀνέθηκεν.*

Athena dea hic nomine „*γλαυκῶπις κόυρη*" appellata est, non addito genetivo *Διός*. Quae invocatio non usitata fuit; tamen nonnulla alia exempla exstant (Pind. Nem. VII, 96: *κόραν τε γλαυκώπιδα*; Aristoph. Thesm. 317: *παγκρατὲς κόρα γλαυκῶπι*; apud Homerum Minerva passim mero adiectivo quod est *γλαυκῶπις* designatur; v. Od. ζ, 47; ν, 389; Il. Θ, 373, 406, 420; item Pind. Ol. VII, 51; Nem. X, 7).

Cum verbis „*πρῶτοι ἐνίκησαν*" cf. Michel, Recueil d'inscr. grecques, 952, 1 sq.:

Ἑλλήνων ἦρχον τότε Ὀλυμπίᾳ ἡνίκα μοι Ζεὺς
δῶκεν νικῆσαι πρῶτον Ὀλυμπιάδα....

Quid significent non constat; sed haud scimus an haec sit iusta explanatio, quod in Panathenaeis etiam praemia secunda et tertia data sunt (I. G. II, 965; Fougères, Bull. de Corr. Hell. XVI, 1892, p. 299).

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE AD PAPYROS IURIDICAE.

RESCRIPSIT [1])

J. C. NABER.

§ 1—10. ΠΕΡΙ ΠΤΩΜΑΤΩΝ.

§ 1. Norunt, qui papyraceis contractibus operam impenderunt, instrumentis vel Graecis vel demoticis praeter subscriptiones eorum, qui scribendo adfuerint, subscriptas haud raro inveniri publicas subscriptiones („*Vermerke*") binas [2]), quae *registra*, nescio qua de causa, appellavit Peyron, alterum *graphicum*, alterum *trapeziticum*, sed vera nomina his sunt χάραγμα [3]) atque πτῶμα [4]). Quorum esse paret τὸ χάραγμα subscriptionem magistratus eius, qui privatorum contractibus praesideat, testandi causa publice transscriptum esse, ex diverso τὸ πτῶμα apochen vectigalis publici. Atque haec quidem in

1) Semel prodierunt in: *Archiv für Papyrusforschung* I—III (1901—1906).

2) Graeca quidem, quae utramque habeant, inventa hactenus non sunt, quod ad demotica perperam transfert Partsch, *Festschr. für Lenel* (1921) p. 172, et facti commentitii rationem reddit p. 176.

3) Sive χαραγμός. Alterutrum occurrit CPR I 4, 37/8; P. Lond. 277, 20 (*Archiv* I p. 160); Spec. Wess. (1900) (6) 6, 11; (14) 30, 34; P. Ryl. 160 (a), 10. — Verbum χαράξαι habet Spec. Wess. (13) 29, 22: ἐπιτέταχε τῷ πρὸς τῷ γραφείῳ χαράξαι, Spec. Wess. (14) 30, 22/3; P. Ryl. 160, 6; 160 (a), 6/7; 310 I 7; *BGU* 854, 4/5: ἐπιτέταχα τοῖς μάρτυσι γράφειν (cf. Revillout, *Rev. égyptol.* II (1881) p. 103/4; *Précis* (1903) p. 595/6) καὶ τῷ πρὸς τῷ γραφείῳ χαράξαντι ἀποδοῦναι (*BGU* 854: ἀποτάξασθαι). Horum pleraque debentur Huntio ad P. Ryl. 160, 6. Cf. P. Oxy. 789 et Ioseph. Vit. § 363.

4) Droysen, *Rh. Mus. f. Philol.* III (1829) p. 495 (ex P. Lond. 3 (= Forshall 1 = Grey antigr.) lin. 37). Πτῶμα = καταβολήν habet P. Elephant. 11, 4.

Digitized by Google

fronte; ceterum in tergo [1]) conspicitur [2]) signum planum („*Stempel*"), quae res praeterea in tota antiquitate [3]) inventa nondum est, nisi τὸ πρωτόκολλον, cuius apud Iustinianum [4]) fit mentio, signum est. Quod habere debebat τὴν τοῦ κατὰ καιρὸν ἐνδοξοτάτου κόμητος τῶν θείων ἡμῶν λαργιτιόνων [5]) προσηγορίαν καὶ τὸν χρόνον, καθ' ὃν ὁ χάρτης γέγονε, καὶ ὁπόσα ἐπὶ τῶν τοιούτων προγράφεται, nam non valet ἐπὶ τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεώς (γε) [6]) protocollum ἄλλην τινὰ γραφὴν ἔχον. Quae si inscriptio signi est, probabilius de signo plano quam de signo insculpto („*Siegel*") possunt haec intelligi. Quod si placet, vel magis *consiliarii signum, quod solitum est chartis impon(i)* [7]), intelligere licebit de signo plano, et erit decisa quaestio sintne protocolla literarum figurationes eae, quae inveniuntur in summa fronte papyrorum Byzantini aevi [8]) et

1) At P. Rein. 18 (ante Chr. 108) in fronte.

2) Describitur P. Hawara (ed. 1889) § 42. Imagines sistuntur in: CPR I pag. 38 et in *BGU* I pag. 192. Habuerunt autem talia *BGU* 87 (III pag. 353); 183; 748 I et II; 859; 1068; P. Frib. 10; Hamb. 15; CPR I 1; 11; 170; Lond. 297 (b); 298; Rein. 18 (tab. VI); Ryl. 155; 174; 179; 345; Tebt. 350; 397; 580; 587, atque sine dubio alii quam plurimi, de quibus nunc evanuit signum.

3) Redit in instrumentis Tibetanis octavi vel noni post Chr. saeculi (Stein, *Ruins of desert Cathay* I (1912) p. 440, 448).

4) Nov. 44 c. 2. Praeterea legit in aliquo papyro Wessely, Diss. (1883) p. 67: Μηνᾶ πρωτόκολλον, eoque putat confirmari opinionem clarissimi Gardthausen, *griech. Palaeogr.* (1879) p. 34, praescriptionem demotici contractus, quam ediderat Egger, *Rev. archéol.* XXIII (1872) p. 147, protocollum esse existimantis.

5) Ad hunc igitur tunc pertinuisse *chartarum dispositio et cura* videtur Cuiacio (ad R. Cod. 11. 18).

6) Haec imperatoria verba non esse negligenda rectissime docet Wenger, *Ztschr. der Sav.-St.* 42 (1921) p. 618.

7) C. 14 § 2 Cod. 1. 51.

8) Imagines sistuntur apud: Spangenberg (tab. negot.) tab. lithogr. I (P. Marini 80); *Not. et extr.* XVIII 2 *pl.* XXV (P. Paris. 21); *Studien zur Palaeogr. und Papyrusk.* (2) p. XLI (*Mus. nat.* 7346); P. Gizeh Masp. II tab. VIII (n° 67151); XXI n° 67178); XXV (n° 67186); XXVI (n° 67189); III tab. VIII (n° 67316); P. Oxyrrh. XVI *pl.* III (n° 1928); Arabici aevi una: *Führer Ausst. Rainer* (1894) tab. IV. (p. 18/9), dum paratur CPR III. Supersunt autem multo plures, velut P. Marini 88; 94; 113; *Führer* cit. p. 18 („*(die) Sammlung (besitzt deren) viele*"); P. Oxy. 138; Lond. 1673, 249—251; 1734; 1907; Schubart, *Berl. Klassikertexte* 6 (1910) p. 60[1]: „*die Berliner Sammlung (besitzt deren) mehrere*" (Stern, *Ztschr. f. aegypt. Sprache* 23 (1885) p. 24: „*gegen 50*"); Schubart, op. cit. p. 59[1]: „*ein vollständig erhaltenes.... befindet sich auf dem ersten Blatte des....* MS. Orient. 5001 *des Br. Museums*", unde in lucem protraxisse dicitur Budge, *Coptic homilies (frontispice).*

Digitized by Google

modo coeperunt legi [1]), quibus cum signi impressione nulla societas intercedit [2]), etsi signa plana („*Stempel*") appellat ea Schubart [3]) et ad huius exemplum Zucker [4]). Esse protocolla negabat Marini [5]) ait Karabacek [6]), ideo fortasse, quia sub Arabibus inde iam emergunt [7]), quae ad papyri confectionem pertineant [8]), proinde possunt videri sub Graecis per *literas excogitatas* [9]) eadem obscure significata. Hodie quidem, quia iam legi coepit τοῦ ἐνδοξοτάτου κόμητος ipsa προσηγορία [10]), obtenturus videtur Karabacek, proinde aliud esse signum aliud protocollum, ex diverso, quod protocollum, idem *literae excogitatae*, hae tamen ipsae signi loco, quum doceat Iustinianus [11]): quibus consiliariis esse non liceret, a signo abstinuisse, *sed alias quasdam literas excogitatas adsimulav(isse)*, legis eludendae causa. Vidimus (p. 418), quae habere debuerit legitimum protocollum; quod in papyrorum tergis deprehenditur signum planum, id mediam habere solet effigiem vel notam [12]), in orbe literas,

---

1) P. Oxy. XVI (1924) n°. 1928; Bell. *Journal of hell. studies* 37 (1917) p. 56/8; Maspéro, *Papyrus grecs* III pag. 104; II pag. 87; Wessely, *Studien zur P. und P.* (2) p. XL. Cf. *Führer* cit. (1894) p. 18: „*ein sinnverwirrendes Gemengsel von geraden und verschlungenen Linien*"; Spangenberg, tab. negot. (1822) p. 142[1].

2) Schubart, *Berl. Klassikertexte* 6 (1910) p. 59: „*das Aussehen dieser Schriftzüge lässt es möglich erscheinen, dass man sich bisweilen geschnittener Schablonen bediente*".

3) *Berl. Klassikertexte* 6 (1910) p. 59/60.

4) Philol. 70 (1911) p. 103.

5) Not. 2 ad P. 80. 6) *Führer* cit. p. 17.

7) *Berliner Klassikertexte* 6 (1910) p. 60[1]: „*rechts und links (von Wellenlinien) ein(ge)schl(o)ssen*". „*Diese Wellenlinien sind also.... Reste des byzantinischen Protokolls*". Schematis instar est ibi p. 61.

8) „*d(ie) Namen der Chalifen, Statthalter, Steuerverwalter, Arbeiter, und d(ie) entsprechenden Jahreszahlen*" (*Führer* cit. p. 17); Steinwenter, *Studien zur P. und P.* XIX p. 27[3]: „*die Hidschradatierung.... bedeutet das Jahr der Anfertigung*". Cf. praeterea *Sammelb.* 5177—5187, Bell, *Archiv.* V p. 144/5, qui, quod ediderat Egger, *Rev. archéol.* XXIII p. 147, esse hoc sensu protocollum, recte negat, *Archiv* V p. 150[3]. 9) C. 14 § 2 Cod. 1. 51.

10) Bell, *Journal of hell. studies* 37 (1917) p. 57; Maspéro, *Pap. grecs* III pag. 104; II pag. 87. Sed non sequitur λαργιτιόνων; quin fit στρατηλάτης P. Oxy. 1928, id est, magister militum, qua de re cf. c. 38 Cod. 7. 62.

11) C. 14 § 2 cit. (Cod. 1. 51).

12) Antiquissimum exemplar (P. Hawara § 42) habere dicitur èt effigiem èt notam („*a curious figure and some.... letters, among which* X *is alone legible*"). Secundum (P. Rein. 18) vetustate nimia obscuratur. Tertium (*BGU* I pag. 192)

Digitized by Google

quibus principis nomen et annus exprimitur velut hoc modo [1]): ἔτει ιβ' αὐτοκράτορος Καίσαρος Νερούα Τραϊανοῦ κτέ, eaque omnia rubro colore signantur. Huic nomen fuisse putat Wilcken [2]) τὸ χάραγμα, sed decepit eum Deissmann [3]) speciose laudando CPR I 4, 37/8, nam dissimulat is antigrapho, sicut ipse vult, signi inesse praeterea vocabulum ἀνεγέγραπται, quod, ut a signo alienum, ita cum altera subscriptione (*registrum graphicum* appellabat Peyron) coniunctum fere est; proinde ex hoc ipso loco [4]) ducitur, χάραγμα nomen esse non signo illi plano, sed subnotationi. Signo, scire refert, significetur fabricandi an contrahendi annus. Et Iustiniana quidem protocolla fabricandi annum demonstrant (τὸν χρόνον κκθ' ὃν ὁ χάρτης γέγονε), atqui vetera Aegyptia signa anniversaria contrahendi tempus exprimunt. Quod probatur charagmatis [5]), quibuscum coaluit quodammodo signum anniversarium, nam subscripsit magistratus in fronte diem (ἐν Πτολεμαΐδι Φαωφὶ ιβ'), in tergo sub signo nomen (Μάρων σεσημείωμαι) annum supplente signo, itaque pertinebat ad contrahendi tempus. Proinde vera est Deissmanni [6]) sententia: signa papyrorum anniversaria non esse originaria sed impositicia, neque ea in charta pura extitisse, sed post contractum addita esse, quamquam in bona causa non pretiosa pugnat ratione: si fuissent originaria, futurum, ut scripturae nimium spatium decederet nullum in usum [7]). Nam, quia in fronte scribi solet [8]), in tergo signum est, scripturae ex hac

---

nullam habet effigiem sed solam notam ΓΡ, quam solvit Wilcken (*Archiv* III p. 244) γρ(αφείου). Quartum (CPR I 11, pag. 38) solam habet effigiem, quam imperantis esse dicit Wessely (ibid. pag. 37). Recurrit nota ΓΡ sub Hadriano (*Archiv* III p. 244 = P. Lond. 298).

1) Antiquissimum exemplar (P. Hawara § 42) habet: Πτολεμαίου ἔτει λβ'; sequens (*BGU* I pag. 192): Καίσαρος ἔτει λε'.

2) Ad *BGU* 748 I. 3) *Neue Bibelstudien* (1897) p. 74.

4) Et ex P. Lond. 277, 20 (*Archiv* I p. 160).

5) CPR I 11; *BGU* 748 I; 748 II. Similiter cum charagmate coaluit signum anniversarium *BGU* 87 (III p. 353); 183; CPR I 1.

6) *Neue Bibelstudien* (1897) p. 73.

7) „*Für eine Ursprungsmarke.... ist der Stempel viel zu gross; man wird doch nicht eine so grosse Fläche des werthvollen Materials durch Abstempelung ohne Weiteres dem Gebrauche entzogen haben*".

8) Cf. Spangenberg, Tab. neg. (1822) p. 14; Wilcken, Herm. 22 (1887) p. 487—492; Grenfell, *Greek papyri* II (1897) pag. 211—216; Wilcken, Ostr. I

Digitized by Google

causa nil sane deperit. Atqui, unde profecta est oratio, πτῶμα ea plerumque forma est, ut subscribat trapezita publicus accepisse se δεκάτης [1]) vel εἰκοστῆς ἐγκυκλίου [2]) τέλος [3]), quod pro contractu deberetur, κατὰ διαγραφήν, id est, mandatum [4]) τοῦ δεῖνος τελώνου [5]), ὑφ' ἣν [6]) ὑπογράφει ὁ δεῖνα ἀντιγραφεύς [7]). Ergo, quatenus haec forma obtinet, eatenus ὑπὲρ τῆς ὠνῆς [8]) non publicano solvendum est, sed ex publicani mandatu [9]) publico trapezitae, nec potest hic accipere solius publicani mandatu, nisi is habeat subscriptionem contrascribae [10]). Non tamen omnia πτώματα in hanc solemnitatis legem conscripta sunt; etenim docet recte Revillout [11]) antiquissima, id est, quae sint vetustiora anno 156 vel certe 176 ante Christum [12]), et

---

(1899) p. 18[1] (et p. 820); Kenyon, *Palaeography* (1899) p. 19 sq.; Grenfell, *Tebtunis papyri* I (1902) p. 143; Wilcken, *Archiv* III p. 113/4, p. 510 (ad P. 1052); Ibscher, ibid. V p. 191/2; Wilcken, ibid. V p. 213 (cum not. 2); id., *Grundzüge* (1912) p. XXX; Schubart, *Einführung* (1918) p. 40 (lin. 6—8).

1) Δεκάτου habet P. Paris. demot. 2410 (*Rev. égyptol.* II p. 118 adnot.); εἰς τὴν δεκάτην P. Taur. demot. 236 (Wilcken, Ostr. I p. 184 not. 2); Grenf. II 34; ἐπὶ τὴν δεκάτης *Wien. Kais.* 26 (pag. 10); θέμα (= ὑπὲρ) δεκάτης (vel δεκάτου) *BGU* 995 IV 2; P. Grenf. I 27 III 10 (*Archiv* II p. 388); Argentor. 84, 32; 86, 26.

2) P. Grenf. II 34: τοῦ ἐγκυκλίου. Recte habet quum τὸ ἐγκύκλιον (P. Oxy. 44; 95, 26) tum ἡ ἐγκύκλιος (P. Oxy. 96, 2/3).

3) Iungendum esse ἐγκυκλίου τέλος vidit Droysen (*Rh. Mus. f. Philol.* III (1829) p. 501). Iunxerat Buttmann ἐγκυκλίου τράπεζαν, quod probat Wilcken, *GGA* 1894 p. 725.

4) „*Berechnung der Steuer*" vertebat Droysen (l. l. p. 504) et item Wilcken, Ostr. I p. 183[3] („*Abrechnung*"), sed p. 639, p. 647/8: „*Anweisung*". Perstitit in errore vel sic Revillout, *Précis* (1903) p. 537 (cf. p. 609).

5) Aliter fit *BGU* 993 IV. Cf. infra (§ 8).

6) P. Lond. 3, 39 fit ἐφ' ἣν.

7) His nomen suum non semper subscribit trapezita (Wilcken, *Bonner Jahrb.* 86 (1888) p. 236).

8) *Rev. laws* 31, 16.

9) Eiusmodi mandati quadruplex forma extat P. Hibeh 70(*a*), 70(*b*); 163; Gradenw. (ed Plaum.) 9. Accedunt Romanae aetatis P. Oxy. 96; 185. Subscriptio contrascribae omnibus his deest.

10) *Contrascriba* et *contrascriptor* in lapidibus occurrunt.

11) *Rev. égyptol.* II (1881) p. 114—117; *Chrestomathie* (1880) p. XVII not. 1.

12) Forma, quam descripsimus, primum perfecte observatur in ptomate anni 156, quod edidit Revillout, *Rev. égyptol.* II p. 117/8. Proxime accedunt annorum 163—160 P. Lond. 1201; 1202; Rylands 248, ubi tamen loco contrascribae intervenit ὁ δεῖνα ὁ παρὰ τοῦ παρὰ τοῦ βασιλικοῦ γραμματέως. Veteris licentiae certa sunt exempla: anni 176 P. Paris. demot. 3440 (*Rev. égyptol.* II p.

Digitized by Google

rursus novissima, veluti P. Paris. 17 (sub Antonino Pio), forma esse prorsus libera ac soluta nec ea habere contrascribae mentionem et habere publicani, non trapezitae, subscriptionem interscriptionemve [1]). Sed περὶ πτωμάτων quaedam a nobis observabuntur, ut sic deinde perveniamus ad χαραγμάτων materiem, quaedam denique περὶ διαγραφῶν subiuncturi.

§ 2. Πτωμάτων Graecorum [2]) fastos confecit primus Lumbroso [3]) quibusdam sine causa omissis [4]) admixtis quibusdam alterius generis instrumentis [5]); post quem collegit ea πτωμάτων exempla Wessely [6]), quibus inesset principale verbum τέτακται, id est, solvit [7]), quocum alternatur πέπτωκεν. Eorum autem, quibus inesset πέπτωκεν, fastos aliquanto post composuit Revillout [8]), sed contributis χαράγμασιν, quibus hoc vocabulum inest: putabatur scilicet solis πτώμασιν convenire [9]). Ergo hac ratione decedere debent quatuor [10]). Debet praeterea, quod subscriptum

---

116) (ἔτους ϛ' τῦβι κ' τέτακται τὸ γιγνόμενον τέλος Σέγχωνσις Ἀμενώθου τῶν προκειμένων — Διονύσιος — τὴν εἰκοστὴν ὧν ἐωνήσατο παρὰ Ἀμενώθου Ψενενουτήριος) et anni 182 P. Droysen 41 (ἔτους κγ' χοίαχ κ' πέπτωκεν εἰκοστῆς ἐγκυκλίου ἐν Διοσπόλει οἰκίας ἣν ἠγόρασεν κτέ.) et anni 231 P. Gizeh 10262 (ed. sub P. Tebt. 279) lin. 3/4 (πέπτωκεν εἰς κιβωτὸν τὸ συνάλλαγμα ἐγ Κροκοδίλων πόλει διὰ τῶν δεῖνα τελωνῶν); aeque certum quidem, sed ad aliud vectigal pertinens anni 210, quod subscribitur P. Lond. demot. 10463 (*Sammelb.* 5729).

1) Interscriptionem (Διονύσιος) habet anni 176 P. Paris. demot. 3440, quod modo exscripsimus.

2) Demotica duo Gallice edidit Revillout, *Rev. égyptol.* II (1881) p. 115, p. 116. Plura laudat Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 166 summa.

3) *Recherches sur l'économ. polit. de l'Egypte* (1870) p. 330[1].

4) Veluti pap. demot. Grey A, B, C.

5) Veluti, quod dederat Egger, *Compte-rendu de l'acad. des inscr.* III (1867) p. 314, et Zoidis papyris et Partheyanis 2 et 3 (= *Actenstücke* (Wilcken) 9 et 10). Praeterea pro duobus computat Brugsch, *Lettre* p. 63 = Leemans p. 69.

6) *Wiener Studien* III (1881) p. 3, 5, 8—11.

7) Droysen, *Rh. Mus. f. Philol.* III (1829) p. 500: „*es hat entrichtet*". Cf. Wilcken, Ostr. I p. 62 not. 1.

8) *Mélanges* (1895) p. 131. — Quae laudantur ibi sunt: P. Droysen 41; Leid. I 379 (p. 90); quatuor ab ipso edita: *Sammelb.* 4511*a*; 4511*b*; Paris. demot. 2433 (*Archiv* V p. 231); Lond. demot. 10463 (*Sammelb.* 5729).

9) Errorem manifestavit Grenfell ante P. Tebt. 279. Cf. praeterea Wilcken, *Archiv* V p. 231. Erat quidem iam tunc, quod moveret dubitationem (*Rev. égyptol.* II p. 121).

10) Leid. I 379 et ab ipso edita *Sammelb.* 4511*a*; 4511*b*; Paris. demot. 2433 (*Archiv* V p. 231).

Digitized by Google

est P. Lond. 10463 (*Sammelb.* 5729), quod non ad *τὸ ἐγκύκλιον*, de quo nunc agitur, pertinet, id est, ad *τὴν δεκάτην* vel *τὴν εἰκοστὴν ἐγκυκλίου* [1]), sed ad *τὸ παρ' ἀμφοτέρων τέλος* [2]). Etsi putat Wilcken [3]) idem esse; sed neque solvi solet *τὸ ἐγκύκλιον* ab utroque contrahente [4]), et constat aliquando *εἰς τὸ ἐγκύκλιον* [5]), id est, *εἰς τὴν τοῦ ἐγκυκλίου πρόσοδον* [6]), solutum esse, quod pro centum drachmis efficeret *ὀκτὼ δυώβολον δίχαλκον* [7]), quod neque decimae respondet neque vicesimae, sed nihil differre videtur *πρὸς τὸ παρ' ἀμφοτέρων τέλος* [8]), quod praeterea, videndum, offendatne P. Oxy. 274, 7. Nam diversum videtur *τὸ παρ' ἀμφοτέρων τέλος*, quod sistit P. Hal. 1, 242/5: *ἱερὸν Ἀλεξάνδρῳ*, et quod agnoscunt Iliensia decreta [9]), quum tribuunt *ἀτέλειαν, ὅ,τι ἂν πωλῶσιν ἢ ἀγοράσωσιν* [10]), vel *ὃς ἂν ὠνῆται παρὰ τούτων ἢ πωλῇ πρὸς τούτους* [11]). Ceterum post fastos ab illis compositos *πτωμάτων* exempla haud pauca accesserunt; veluti habent *πτῶμα* papyri Amh. 52—54; Argentoratenses sex [12]); *BGU* 993; 994; 995; 999; 1000; Aegypto relictus unus [13]); Grenf. I 27; 36 (Chrestom. II 155); II 15; 32; 34; 35; Lond. 882 (III p. 14); 1201 (p. 4); 1202 (p. 5); 1204 (p. 11); Ryl. 248; 249; 250; 251; quique sub Romanis sunt scripti Lips. 3 I; Lond. 1158 (Chrestom. II 256); Oxy. 99. Quodsi praeterea est *πτῶμα* [14]), reliqua omnia aetate vincit

1) Versa quidem pecunia dicitur *εἰς τὴν τοῦ ἐγκυκλίου πρόσοδον* (cf. P. Taur. 1 V 19, IX 14: *εἰς τὴν τοῦ ἐγκυκλίου ὀνήν*), quod latius patuerit.

2) Ergo solum in causa remanet P. Droysen n° 41.

3) Ostr. I p. 183 not. 3 (i. f.).

4) *Τὸ ἐγκύκλιον* semper solvi ab emptore vidit Revillout, *Chrestomathie* (1880) p. XIII lin. 11—13.

5) P. Lond. 1200 (III p. 3), 8 (*Archiv* IV p. 528).

6) P. Lond. demot. cit. (10463). 7) P. Lond. 1200, 9.

8) Utrubique (P. Lond. demot. cit. (10463) et Lond. 1200) accedit *ἡ χαλκαία* et est utrubique principalis *τέλους* iusta dimidia. Et, quod P. Lond. 1200 solvit unus, non magnopere obest, quia non exprimitur, utrum pro venditore an pro emptore. Quidni igitur pro utroque?

9) Similia sunt Cymaea: Michel 511, 12/4; *BCH* XXXVII p. 165/6, p. 166.

10) Michel 522, 19. 11) Michel 527, 5/7.

12) Eduntur: *Sammelbuch* 4010; 5115; 5116; P. Argentor. 84; 86; 87.

13) P. Gizeh 10262 (sub P. Tebt. 279). *Πτῶμα* continent eius lineae 3 et 4.

14) Esse putat Revillout, *Précis* (1903) p. 573/4. Cui obviam ire non audeo, postquam constat (P. Gizeh cit. (10262) lin. 3/4) aliquando *πτώματα* concepta fuisse ad exemplum *χαραγμάτων* (ibid. lin. 1/2).

Digitized by Google

demoticum, cuius versionem protulit Revillout [1]), anni Amyrtaei 5, id est, ante Chr. 410, fastos Amyrtaei ponenti cum Alfredo Wiedemann [2]). Hoc igitur ceterisque quum demoticis [3]) tum, quorum ambigua potius est natura [4]), detractis additis autem eodem [5]) pertinentibus quum *συμβόλοις ἐκδεδομένοις* [6]) (*συμβ.*) tum *τελωνῶν διαγραφαῖς* [7]) (*διαγρ. τελ.*) et *ἐκ βασιλικοῦ* [8]) (*διαγρ. ἐκ β.*) et *περὶ ἐκδόσεως* [9]) (*διαγρ. περὶ ἐκδ.*) tum *τραπεζιτῶν προσφωνήσεσιν* [10]) (*προσφ.*), varii denique generis instrumentis (var.) videntur sic fere posse *πτωμάτων* et, quae cohaerent, fasti reconcinnari (in quibus genus adscripsimus, ubi *πτῶμα* non erat, loca sic: Ἀλ = Ἀλεξάνδρεια. Ἀρ = Ἀρσινοΐτης. Δ = Διόσπολις ἡ μεγάλη (cf. Ostr. I p. 711). Ἐλ = Ἐλεφαντίνη. ἙΡ = Ἑρμούπολις. Ἑρ = Ἑρμωνθις. Κρ = Κροκοδίλων πόλις. Κρᵅ = Κρ. τοῦ Ἀρσινοΐτου = Ἀρσινόη. Κρᶿ = Κρ. τῆς Θηβαΐδος. Κω = Κωίτης τόπος. Λ = Λατῶνος πόλις. Μδ = Μενδήσιος νομός. ΜΦ = Μέμφις. Ὀ = Ὀξυρρύγχων πόλις. Ὀμ = Ὄμβοι. Π = Παθῦρις, Πτ = Πτολεμαῖς Εὐεργέτις = Κρᵅ):

Numerus.	*Annus ante Chr.*	*Genus.*	*Locus.*	*Papyrus.*	*Τέλος.*
1	300/200	*συμβ.*	Κρᵅ	Argentor. 110.	?
2	231		Κρ	Gizeh 10262, 3/4 (sub Tebt. 279)	?
3	230/27	*διαγρ. τελ.*	Κω	Hibeh 70 (a); 70 (b); 163	κ''
4	225/4	*διαγρ. τελ.*	Κω	Gradenw. (ed. Plaum.) 9	?
5	200	*διαγρ. περὶ ἐκδ.*	Κρᵅ	Petrie III 57 (b)	κ''
6	182		Δ	Droysen 41	κ''
7	176		?	Paris. demot. 3440 (*Rev. égypt.* II p. 116)	κ''

1) *Précis* cit. p. 572. Cf. *Catalogue of demotic papyri in the Rylands library* III (1909) pag. 31 (post notam 1).

2) *Gesch. Aegyptens* (1880) p. 264—267.

3) Demotica duo Gallice edidit Revillout, *Rev. égyptol.* II p. 115, p. 116. Plura laudat Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 165. Idem ibid. p. 164 demoticorum dumtaxat contractuum *πτώματα* Graeca (haud parum confuse).

4) P. Leid. I 379; Paris. demot. 2433 (*Archiv* V p. 231); *Sammelb.* 4511; Tebt. 201.

5) I. e., ad *τὴν εἰκοστὴν* vel *δεκάτην ἐγκυκλίου*. 6) Dicetur infra: § 10.

7) Dictum est supra: § 1 (p. 421). 8) Dicetur infra: § 19.

9) I. e., mandatum, quo quis iubetur *ἐκδιδόναι*, ut P. Petrie III 57 (b), 16, ubi supplendum erat: *ἐκδιδόσθω*. Nomen ipse finxi. Rem explicabo infra: § 19.

10) Cf. P. Oxy. 513, 37.

Digitized by Google

Numerus.	*Annus ante Chr.*	*Genus.*	*Locus.*	*Papyrus.*	Τέλος.
8	162		Ἐρ	Ryl. 248 (demot. 15)	κ''
9	162	διαγρ. ἐκ. β.	Ἐρ	*Sammelb.* 4512; *BGU* 992	κ''
10	161		Ἐρ	Lond. 1201 (III p. 4)	κ'' [1]
11	160		Ἐρ	Lond. 1202 (III p. 5)	κ'' [1]
12	156		Δ	Paris. demot. sine n° (*Rev. égyptol.* II p. 117/8)	κ''
13	154		Ἐρ	Grey [2]) demot. A	κ''
14	153		Ἐρ	Grey demot. B; Paris. demot. 2416 (*Not. et extr.* XVIII 2 p. 225)	κ''
15	150		Ἐρ	Droysen 38	κ''
16	150		Ἐρ	Amh. 52 (*Berichtigungsl.* p. 431)	κ''
17	147		Δ	Grey demot. C	?
18	146		Ἐρ	*Sammelb.* 5115	κ''
19	146 vel 135		Δ	Lond. 3 (ἀντίγρ.); Paris. demot. 218 (*Wiener Stud.* III p. 10)	κ''
20	139		Λ	Grenf. II 15	κ''
22	137		Κρ$^{\delta}$	*Sammelb.* 4010	κ''
23	135 (Lumbr. 145)		Δ	Buttmann (Droysen 36)	κ''
24	?	συμβ.	ΜΦ [3])	Taur. 10 (*Rev. égyptol.* II p. 121 adn.)	κ''
25	127		Ἐρ	*BGU* 993 IV	ι''
26	126		Δ	Taur. demot. 23 (Ostr. I p. 184 not. 2)	ι''
27	126	συμβ.	Κρ$^{\alpha}$	Tebt. 280	ι''
28	125		Ἐρ	Taur. demot. 24	?
29	124		?	Salt demot. [4])	?
30	120		Δ	*Wien. Kais.* 26 (p. 10)	ι''
31	119		Δ	Paris. demot. 2410 (*Not. et extr.* XVIII 2 p. 225)	ι''
32	118		Ἐρ	Droysen 37; Taur. demot. 25	ι''
33	118		Κρ$^{\delta}$	Rylands 249 (demot. 17)	ι''
34	117		Κρ$^{\delta}$	Rylands 250 (demot. 18)	ι''
35	115	συμβ.	Δ	Argentor. 82	ι''

1) Effectu sumitur quinquagesima.

2) Πτώματα Grey demot. A, B, C ediderunt Young, *Misc. Works* III (1855) p. 349/52; Revillout, *Procès d'*Hermias (1884) p. 66 (A), p. 42 (B), p. 76 (C); Wessely, *Wiener Stud.* III p. 8 (A, B), p. 9 (C). Sed inrepserunt apud hunc in B verba ἐν τῷ ας (l. λς) ἀθυρ κη' ex P. Paris. demot. 218 (ibid. p. 10).

3) Memphin agnoscit Revillout, *Rev. égypt.* II p. 120/1.

4) Young, *Works* III (1855) p. 318: „*registry nearly illegible*".

Digitized by Google

Numerus.	*Annus ante Chr.*	*Genus.*	*Locus.*	*Papyrus.*	Τέλος.
36	114		Ἐρ	Amh. 53	ι″
37	114		Π	Argentor. 84	ι″
38	113		Κρ^{ϑ}	Rylands 251 (demot. 19)	ι″
39	113		Ἐρ	Paris. 5 (*Wien. Stud.* III p. 3); Leid. M	ι″
40	113		Κρ^{ϑ}	*BGU* 994	ι″
41	113		Κρ^{ϑ}	Lond. 1204 (III p. 10/1).	ι″
42	112		Ἐρ	Amh. 54	ι″
43	111		Κρ^{ϑ}	*Sammelb.* 5116	ι″
44	111		Κρ^{ϑ}	Argentor. 86.	ι″
45	110		Π	*BGU* 995	ι″
46	109		Π	Grenf. I 27 (Chrestom. II 156)	?
47	107		Κρ^{ϑ}	Argentor. 87	ι″
48	107?		?	Grenf. I 36 (Chrestom. II 155)	ι″
49	105		Ἐρ	Leid. N.	ι″
50	104		Ἐρ	Droysen 39 = 40	ι″
51	104		Ἐρ	Droysen 40 = 39	ι″
52	103		Ἐρ	Leid. I 377 (p. 89)	ι″
53	101		Δ	Lond. 882 (III p. 13/4)	ι″
54	101		Κρ^{ϑ}	Grenf. II 32	ι″
55	100/99		Π	*BGU* 1259	ι″
56	99		?	Grenf. II 34	ι″
57	99		Κρ^{ϑ}	Grenf. II 35	ι″
58	99		Κρ^{ϑ}	*BGU* 999	ι″ [1]
59	98		Κρ^{ϑ}	*BGU* 1000	ι″
60	90?		?	Tebt. 201.	?
	post Chr.				
61	(30)-14	var.	Ἀλ	*BGU* 1059, 9	?
62	(16)-5	συμβ.	Πτ	Tebt. 587	?
63	55		Ὀ	Oxy. 99, 13 sqq. (ἀντίγρ.)	? [2]
64	62	συμβ.	Ἀρ	*BGU* 748 II	?
65	70/1	συμβ.	Πτ	Tebt. 350	?
66	72	var.	Ὀ	Oxy. 238, 16	?
67	77	προσφ.	Ὀ	Oxy. 242, 31 sqq.	? [3]
68	79	προσφ.	Ὀ	Oxy. 243, 45 sqq.	? [4]
69	83/4	var.	Ὀ	Oxy. 1462, 30	?
70	88	προσφ.	Ὀ	Oxy. 345	?
71	89	προσφ.	Ὀ	Oxy. 333	? [5]
72	89/97	var.	Ὀ	Oxy. 274, 20. 22. 29	?
73	99	προσφ.	Ὀ	Oxy. 343	?

1) Effectu solvitur vicesima, quod errori adscribit Grenfell ante P. Tebt. 350 („*probably due to error*").

2) Effectu sumitur decima pars.

3) Effectu sumitur decima.

4) Effectu sumitur quinquagesima.

5) Effectu sumitur decima.

Digitized by Google

Numerus.	*Annus post Chr.*	*Genus.*	*Locus.*	*Papyrus.*	Τέλος.
74	? —100	var.	ʾΟμ	Inscr. *Sammelb.* 676, 23. 27. 43	?
75	? —100	προσφ.	ʾΟ	Oxy. 348	?
76	? —100	var.	ʾΟ	Oxy. 44, 6/7. 22/3	?
77	101	σύμβ.	Δ	Ostr. 1051	?
78	103	var.	ἰP	Flor. 81, 11	?
79	113	var.	Πτ	*BGU* 914, 4/5 (*Berichtigungsl.* p. 83). 6	?
80	119	σύμβ.	ʾΑρ	P. Lond. 297 (b) (II p. 111)	?
81	129	var.	ʾΟ	Oxy. 95, 26	?
82	136	var.	ʾΟ	Oxy. 1472, 24/5	?
83	143	var.	ʾΑρ	Frib. 8, 15	?
84	144	var.	ʾΑρ	Lond. 305, 1—3 (ante P. Tebt. 350).	ι″ [1])
85	153	var.	ἰP	Flor. 1, 6	?
86	154		ʾΕλ	Paris. 17, 22 sqq.	?
87	154/5	σύμβ.	Δ	Ostr. 1066	?
88	155	σύμβ.	Πτ	Tebt. 580	? [2])
89	179	σύμβ.	Δ	Ostr. 1454	?
90	180	διαγρ. τελ.	ʾΟ	Oxy. 96	?
91	181	διαγρ. τελ.	ʾΟ	Oxy. 185	?
92	195/6	var.	Πτ	Frib. 10, 6	?
93	100-200	var.	?	Paris. inv. 910 (Chrest. I 392)	?
94	100-200	var.	?	Ostr. 1599	?
95	100-200	var.	Μδ	Ryl. 215, 6	?
96	100-200	συμβ.	ʾΑρ	Tebt. 351, 5—8	?
97	100-200	συμβ.	ʾΟ	Hamb. 79	?
98	211	συμβ.	ʾΑρ	Lond. 933 (Chrestom. I 294)	? [3])
99	226/7		ἰP	Lond. 1158, 18 (Chrest, II 256)	?
100	246	var.	?	Lond. 1217 (b) (*Archiv* IV p. 534)	?
101	250	συμβ.	ʾΟ	Oxy. 1284	? [4])
102	256		ἰP	Lips. 3 I 18 (Mitteis, *Grundzüge* p. 183)	?
103	293	var.	ἰP	Lips. 4, 30 (*Archiv* IV p. 459)	?
104	200-300	var.	?	P. bibl. Berol. 21, 9	?
105	200-300	var.	ʾΟ	Oxy. 1523, 4	?
106	inc.	var.	?	Lips. vet. 5, 5	?

1) ἀγορασμοῦ.
2) Effectu penditur decima. Cf. infra (§ 10).
3) Effectu sumitur decima et quod excurrit.
4) Effectu sumuntur duae decimae aut paulo minus. Cf. infra (§ 10).

Digitized by Google

ELENCHUS FONTIUM (HORUM FASTORUM).

I. Papyri.	num.
Amh.	
52	16
53	36
54	42
Argentor.	
82	35
84	37
86	44
87	47
110	1
BGU	
748 II	64
914	79
992	9
993 IV	25
994	40
995	45
999	58
1000	59
1059	61
1259	55
Bibl. Berol.	
21	104
Buttmann	23
Droysen	
36	23
37	32
38	15
39	50
40	51
41	6
Flor.	
1	85
81	78
Frib.	
8	83
10	92
Gizeh	
10262	2
Grdw.	
9	4
Grenf. I	
27	46
36	48

Grenf. II	num.
15	20
32	54
34	56
35	57
Grey (Lond. 3)	19
Grey demot.	
A	13
B	14
C	17
Hamb.	
79	97
Hibeh	
70(*a*)	3
70(*b*)	3
163	3
Leid.	
I 377	52
M	39
N	49
Lips.	
3 I	102
4	103
Lips. vet.	
5	106
Lond.	
3	19
297(*b*)	80
305	84
882	53
933	98
1158	99
1201	10
1202	11
1204	41
1217(*b*)	100
Oxy.	
44	76
95	81
96	90
99	63
185	91
238	66
242	67
243	68

Digitized by Google

(Oxy.)	num.
274	72
333	71
343	73
345	70
348	75
1284	101
1462	69
1472	82
1523	105
Paris.	
5	39
17	86
inv. 910	93
Paris. demot.	
sine no.	12
218	19
2410	31
2416	14
3440	7
Petrie III	
57(*b*)	5
Ryl.	
215	95
248 (demot. 15)	8
249 (demot. 17)	33
250 (demot. 18)	34
251 (demot. 19)	38
Salt demot.	29
Sammelb.	
676 (inscr.)	74
4010	22
4281 (Lond. 1202)	11

(Sammelb.)	num.
4512	9
5104 (Ryl. 248)	8
5105 (Ryl. 249)	33
5106 (Ryl. 250)	34
5107 (Ryl. 251)	38
5115	18
5116	43
5729	—
Taur.	
10	24
Taur. demot.	
23	26
24	28
25	32
Tebt.	
201	60
280	27
350	65
351	96
580	88
587	62
Wien Kais.	
26	30
II. Testae (W.)	
1051	77
1066	87
1454	89
1599	94

§ 3. Diximus in omni ptomate, quod quidem communi forma sit, publicanum contrascribam [1]) trapezitam inveniri. De publicano et trapezita nulla quaestio est, sed de contrascriba quaeri potest, quinam ἀντιγραφεύς subscribere debeat mandato, quod ad trapezitam publicanus dabit. Non est utique ὁ πρὸς τῇ ἀναγραφῇ [2]), apud quem contractus inprimis

1) In P. Lond. 1201; 1202 (III p. 4; p. 5) et Ryl. 248 loco contrascribae intervenit ὁ δεῖνα ὁ παρὰ τοῦ δεῖνος τοῦ παρὰ τοῦ βασιλικοῦ γραμματέως.

2) P. *Wien Kais.* 26 (p. 10). — Idem saepe dicitur ὁ πρὸς τῷ γραφείῳ (*Memorie* (*Torino*) XXXI (1827) p. 159; *BGU* 580; Spec. Wess. (13) 19, 22; (14) 30, 22; P. Fay. 91, 47; Oxy. 1281, 14/5 (post emendationem). Fit ὁ τὸ γραφεῖον

Digitized by Google

Aegyptii [1]) publicari debent. Licet enim is ἀντιγραφεύς nonmunquam vocitetur [2]), errore tamen, et quidem eodem, fit, quo appellatur ὁ πρὸς τῇ ἀντιγραφῇ [3]). Sed nihil obstat, quominus publicani mandatum, sicut alias συγχώρησιν [4]), confirmare subscribendo intelligatur (ὁ) καταστα θεὶς ἀντιγραφεὺς τῆς ὠνῆς ὑπὸ [5]) τοῦ (βασιλικοῦ) οἰκονόμου, qui innotuit lege Ptolemaeorum vectigali antiquiore [6]).

§ 4. Sequitur, ut dicamus, quare non ipsi publicano vectigal solvendum fuerit, sed κατὰ τελώνου διαγραφὴν trapezitae, quum tamen in rem illius sine dubio solutum verteretur [7]). Fit igitur hoc eandem ob causam, quam propter èt instrumento Wilckeniano (*Actenstück*) 12 naulon locatur drachmum quatuor milibus ea lege (ὥστε τὸν) τελωνήσαντα..... ἀποδιαγράψειν [8]) τὸ συναχθησόμενον ἐπὶ τὴν βασιλικὴν τράπεζαν [9]), èt lege Ptolemaeorum vectigali antiquiore non tantum ἡ ἀπόμοιρα [10]) publicano non traditur et in horrea publica [11]) defertur [12]), sed etiam generaliter praescribitur [13]): τῆς δὲ γιγνομένης προσόδου τελῶν ὠνῶν κυριεύσουσιν οἱ ἀντιγραφεῖς οἱ καταστα θέντες ὑπὸ τοῦ οἰκονόμου [14]),

---

BGU 379, 18. 20; P. Fay. 31, 20/1, id est (*Archiv* V p. 282), ὁ τὸ γραφεῖον ἀσχολούμενος (P. Tebt. 524; Oxy. 44, 23). Invenitur praeterea (ὁ) συσταθεὶς πρὸς τῷ γραφείῳ (P. Flor. 357, 2/3) et (ὁ) διέπ(ων) τὰ γραφεῖα τῆς μητροπόλεως καὶ τῶν τριῶν μερίδων (*Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 299 [2] = P. Rain. 2082 = *Studien zur P. und P.* XX 14).

1) Postea quidem etiam Graecos contractus διά τοῦ γραφείου publicari coepisse, docebimus § 13. Sed erat initio τὸ γραφεῖον Aegyptiis contractibus publicandis institutum.

2) *Memorie* (*Torino*) XXXI (1827) p. 159 sq.

3) *Notices et extraits* XVIII 2 p. 225 (P. demot. 2410, 1). 4) *BGU* 1311.

5) Observavit Witkowski, *GGA* 159 (1897) p. 471 (ad 29, 4) in lege vectigali (*Rev. laws*) semper iungi καθεστηκὼς (P. Paris. 62 V 6: καθεσταμένος) παρὰ et καταστα θεὶς ὑπό. 6) *Rev. laws* 3, 2/3; 54, 20.

7) Reliquis ὠνῆς eadem lex erat (P. *Soc. ital.* 383, 7 sqq.).

8) Notetur ἀποδιαγράφειν. (Recurrit P. *Soc. ital.* 386, 2).

9) Cf. Wilcken, Ostr. I kap. IV § 190. Similia quidem habet P. Paris. 62 IV 21 (τὰ δὲ συναχθησόμενα διαγραφήσεται εἰς τὸ βασιλικόν), sed pertinentia ad ἐνεχυρασθ(έντων) venditionem.

10) Περὶ τῆς ἀπομοίρας cf. Wilcken, Ostr. I kap. IV § 17.

11) *Rev. laws* 31, 18/9. 12) *Rev. laws* 30, 20.

13) *Rev. laws* 3, 1—3.

14) Suam legem habuit ἡ ἀπόμοιρα.

Digitized by Google

lege denique Ptolemaeorum vectigali recentiore [1]), postquam indicatum est [2]) pecuniarios reditus omnes πίπτ(ειν) ἐπὶ τὴν τράπεζαν, sic deinde continuatur [3]): τῶν δὲ πρὸς γενήματα διοικουμένων [4]) ὁ μὲν χειρισμὸς ἔσται διὰ τῶν παρὰ τῶν βασιλικῶν γραμματέων, συγχειριοῦσιν δὲ καὶ οἱ παρὰ τῶν οἰκονόμων καὶ οἱ τελῶναι [5]). Scilicet, quemadmodum privatis praediorum locatoribus expedit κυριεύειν τῶν καρπῶν, ἕως (ἂν) τὰ κατ' ἔτος ὀφειλόμενα κομίσ(ωνται) [6]), ita civitati vectigalia elocanti tutissimum visum est (τῆς) γιγνομένης προσόδου ταῖς ὠναῖς κυριεύειν, atque sic, (ὅταν) ὁ πεπραμένος χρόνος, id est, εἰς ὃν [7]) αἱ πρόσοδοι πέπρανται [8]), ἅπας διέλθῃ [9]), tunc cum publicano διαλογίζεσθαι [10]). Quamobrem fit etiam, ut non totius conductionis praedes dentur sed partis pretii [11]) atque praeterea τῶν ἐ(π)εικοστῶν, quae aliquando facta sunt ἐπιδέκατα [12]). Etenim, pars utique civitati κυριευούσῃ quum sit omnimodo salva futura, praedibus indigere totum pretium non videtur, aut poterit potestatis iure θεωρ(ῶν) magistratus ὁλί(γ)ον παντελῶς συναχθησόμενον publicanum προ(σ)καλεσάμενος ..... συμπεί(θειν) [13])

1) P. Paris. 62 (= *Rev. laws*, App. I).

2) IV 3/4. 3) IV 15—18.

4) Vertit Wilcken, Ostr. I p. 532[2] „*Naturalsteuern*" (cf. ibid. p. 723).

5) Adiungerem necessitatem expectandi τὴν ἄφεσιν τὴν τῶν καρπῶν (Smyly ad P. Amh. 43, 9), nisi religionem iniecisset Lumbroso, *Archiv.* IV p. 60. Ergo restat P. *Soc. ital.* 344, 14/8.

6) Hoc recipit locator in P. Francof. 1, 25/7; 2, 28/9; *BGU* 1262, 9/10; 1266, 30; 1267, 16; 1271, 11; P. Oxy. 101, 22—24; 102, 17/8; 103, 15; 499, 22/4; 501, 32/4; 730, 18—21; 910, 24—26, 1124, 6/7; 1125, 14/5; 1689, 22/3; 1691, 14/5; *Soc. ital.* 178, 3/5; 187, 16/7; 316, 14/5; P. Tebt. 105, 47; P. Petrie II 44, 15/6 (ad P. Hibeh 90, 19). De clausula egit Waszynski, *die Bodenpacht* (1905) p. 144 (et item Gentilli, *Studi ital. di filol. class.* XIII (1905) p. 314). Ex iure Romano cf. l. 62 (61) § 8 D. 47. 2 (et l. 7 pr. D. 20. 2).

7) Ἐν ᾧ habent *Rev. laws* 8, 6. Sicut *Inscr. jur. gr.* XIII *quater* (B § 1).

8) *Rev. laws* 21, 16/7. 9) *Rev. laws*, 18, 9/10.

10) *Rev. laws*, 16—20. Ex diverso Olbiae (Michel 337, 50/1) ἐκυρίευον οἱ τελῶναι.

11) *Rev. laws*, 17, 3: τὸ ἀδιέγγυον μέρος τῆς ὠνῆς, quod videtur „*rätselhaft*" Ulrico Wilcken (Ostr. I p. 550 not. 1). Non obstat quod praedes dantur τῶν ἐπιδεκάτων, quia hoc vocabulo significari potest non pretium et eius decima (Wilcken, Ostr. I p. 549 not. 3) sed tantum decima (cf. ibid. p. 303/4; Dittenb. not. 2 ad Syll. (1900) 540).

12) *Rev. laws* 34, 3; 56, 15; P. Paris. 62 I 15. Quae fuerint ἐπεικοστὸν (ἐπιδέκατα) dicetur infra (§ 7).

13) Notetur civile verbum συμπείθειν.

Digitized by Google

διαγράψαι, quod rem publicam salvam praestare possit [1]). Civitas autem duplici modo efficere potest, ut τῆς προσόδου κυριεύϗ, id est, aut exigendo ipsa ὑπὲρ τῆς ὠνῆς, quod fieri videmus περὶ τῆς ἀπομοίρας [2]), aut hoc relinquere publicano [3]) sed ea lege, ut exacta deponat apud mensam publicam vel in horreo publico, quod praescribi videmus Wilckeniano instrumento (*Actenstück*) 12. Quo fiet, ut publicanus in aerarium vertat, quae exegerit [4]), quum aliam summam, id est, mercedem promissam debeat [5]). Ceterum τὸ ἐγκύκλιον ita publicanus exigere iubebatur, ut exactum recta via mensae penderetur publicani numquam factum, id est: exigere mandatis ad trapezitam datis [6]).

§ 5. Cur vero mandatum publicani ad trapezitam non sufficiat, nisi habeat subscriptionem τοῦ ἀντιγραφέως? Subscribit hic, ut constet exigi ἐκ τῶν νόμων [7]), id est, ne indebitum exigatur [8]) neve minus debito, nam hoc quoque ne fiat, sicut vectigalis eius sociorum [9]) ita civitatis interest, civitatis, propter τὸ ἀδιέγγυον μέρος τῆς ὠνῆς [10]). Vel magis, illud ne fiat, civitatis interest propter futurorum annorum fructus, quos

---

1) Hoc factum perhibetur *Actenstücke* 12.

2) Ergo non semper publicanus exigit.

3) *Rev. laws* 15, 11/2 *οἱ πριάμενοι τὰς ὠνὰς πρασσέσθωσαν τοὺς ὑποτελεῖς.*

4) Hoc fieri, saepe dicit Wilcken (Ostr. I p. 72; p. 140; p. 281; p. 384; p. 569); cur fiat, nusquam.

5) Wilcken, Ostr. I p. 531, p. 555.

6) Putat quidem Wilcken. Ostr. I p. 639, publicanum exegisse τὸ ἐγκύκλιον, deinde, ut a se exigeretur exactum, mandasse („*der Steuerpächter, der die betreffende Summe erhoben hatte, wies die Bank an, das Geld von ihm auf den Namen des Zahlers in Empfang zu nehmen*"). Cf. ibid. p. 183[3].

7) *Rev. laws* 15, 12 (cf. tamen Wilcken, Ostr. I p. 560 not. 1); P. Paris. 62 I 6 (κατὰ τοὺς νόμους). Ex nostro iure cf. Capadose, *de algem. Rekenkamer*, Diss. Leid. 1856 p. 176/7.

8) Cf. P. Paris. 61 (adhib. *Rev. laws* pag. 77); *Rev. laws* 12, 1—4; P. Paris. 62 I 4: *καὶ μέλλετε μηδένα συκοφαντήσειν*, quod etiam dicitur παραλογεύειν (P. Petrie II 38 (b), 6). Similiter *BGU* 1214, 12/6 denuntiatur nomographis: *οὐ πλεῖον πράξονται τῶν διακειμένων γραφείων .... οὐδὲ ἑτέροις ἐπιτρέψουσιν ἀπὸ τοῦ εἴδους τούτου* (erat igitur publicum vectigal) *μέρος κατέχειν .... οὐδ' ἂν συνεισπρά-*[*ξωνται τοῖς ἐκεῖνα*] *πεπρα(χ)όσιν*, nisi forte legendum sit: *γεγραφόσιν.*

9) Ergo queritur in P. Petrie III 32 (f) de socio socius: (*ὅτι*) .... *ἐξ ἐλάσσονος* (= *εἰς ἔλασσον*) *συγχωρήσεις ποιεῖται καταβλάπτων τὴν ὠνήν.*

10) Cf. supra (§ 4).

Digitized by Google

perituros certum est, si depeculari τοὺς ὑποτελεῖς publicanis permittatur, quapropter etiam apud Romanos, qui, quantum novimus, vectigalia exacta in causa pignoris non sequestrabant [1]), tamen publicanis quorundam publicorum eorundem publicorum procuratores invigilabant [2]), quod nominatim traditur de quatuor publicis Africae [3]). Ergo hoc modo lucra publicanorum circumscribebantur, non, quod nunc somniat Wilcken [4]), taxationis genere (*„durch den genau ausgerechneten Regierungsanschlag"*). Qui in eo quoque errat, quod publicanum lucrari putat [5]) τὰ ὀψώνια, quae sunt mera δάνεια [6]).

§ 6. Habent autem πτώματα quum Graecae cautiones [7]) tum demoticae, dummodo τῷ ἐγκυκλίῳ subiectae sint. Subiectas esse constat praediorum et mancipiorum [8]) et navicularum [9]) et rerum incorporalium [10]) ὠνάς, δόσεις [11]), διαιρέσεις [12]), θέσεις [13]).

---

1) De Olbiensibus dictum est supra (p. 431 not. 10).

2) Willems, *Droit public* (1880) p. 493 [7].

3) Marquardt, *Staatsverwaltung* II (1884) p. 313 [2]. De textu (lin. 4) melius abesset *und Einnehmer*.

4) *Grundzüge* (1912) p. 184 lin. 5.

5) Ostr. I p. 532/4; *Grundzüge* p. 184.

6) P. Paris. 62 V 5/6: ὃ προσδιαγράψουσιν ἐκτὸς τῆς ἐκλήψεως. Locum ipse laudat Ostr. I p. 534[1].

7) E. g. P. Paris. 5; Leid. M et N; Grenf. 1 27; 36 (= Chrestom II 155); II 15; 32; 35.

8) Mancipiorum ἐγκύκλιον sub Romanis demum apparet. Cf. infra (§ 10).

9) Navicularum ἐγκύκλιον sub Romanis comparet. Cf. infra (§ 10). Quocirca non dubito eodem referre veterem τελώνου διαγραφήν: P. Gradenw. 9 (ed. Plaumann) σκάφης ξεστῶν ξύλων (id est, ἀπὸ ξ. ξ.).

10) Veluti λογευομένων in P. Loud. 3, 40 et demot. bibl. Berol. 36 (Wilcken, Ostr. I p. 182 not. 1), quod πτῶμα Buttmann edidit (1824).

11) *BGU* 993 IV; P. Ryl. 249 (cf. ad P. demot. 17). Cf. Revillout, *Précis* (1903) p. 537, p. 590. — His non est similis P. Paris. 5 col. 50 (*Wien Stud.* III p. 3), ubi τέλος δόσεως decima pars est pretii promissi (col. 2 lin. 2), contraria potius Tebt. 351, 1—4 (Romani aevi), nisi a decima immunes sint nubentes (cf. Hunt (i. f.) ad vv. κατὰ τὰ ἐπὶ φιλανθρώπων προστ. P. Ryl. 155, 8).

12) P. *Wien Kais.* 26 (p. 10) (Wilcken, Ostr. I p. 183 not. 1).

13) P. Droysen 39, quod iterum edidit Wilcken. Torsit priorem editorem (*Rh. Mus. f. Philol.* III p. 537) vox ἔθετο pro ἔθηκεν. Atqui in Anecdotis Bekkeri I p. 264, 10 sq. habemus: Θέμενος· καὶ ὁ ἐνέχυρον θεὶς καὶ ὁ λαβών. Exempla sunt papyracea veteris aevi: *Actenst.* 11, 2; P. Heidelb. 1278, 4/5 (Gerhard, Philol. 63 p. 573); Lond. 1201; 1202; Romani: P. Oxy. 491, 8. 15; 494, 19; 496,

Digitized by Google

Exigebatur autem de his omnibus — exceptis hypothecarum dationibus — initio decima [1]), deinde vicesima, deinde adauctis aerarii necessitatibus vel gliscente tyrannide rursus decima [2]), de hypothecarum autem dationibus sub nomine εἰκοστῆς vel δεκάτης [3]) quinquagesima [4]), quod mansit sub Romanis [5]). Exigebatur praeterea de venditionibus, quae τῷ ἐγκυκλίῳ subiectae non essent, veluti ξύλου [6]) vel βοὸς [7]), ἡ πεντηκοστὴ ὠνίων [8]). Reliqua vero συναλλάγματα ab hoc utroque onere immunia fuisse videntur; nullum certe sive δάνειον sive ἐπίλυσις (id est, ἀποχή) habens πτῶμα hactenus prodiit. Non tamen videntur ea prorsus immunia fuisse, sed stato vectigali subiecta, quod ut credam, efficit *BGU* 567; 568 (Rom.), ubi omne genus cautionibus — veluti ἐκφορίων λοιπογραφίας; ἀποχαῖς δραχμῶν, κριθῆς, τροφείων; πράσεσιν ἐλαιώνων [9]); ὑποθήκαις δούλων; ἀποχαῖς σπερμάτων; δανείοις; πράσεσιν ὄνων [10]); συγγραφαῖς γάμων — minutae summulae, quarum est maxima drachmum sex [11]) expensae referuntur [12]). Quocirca recte scribit Mitteis [13]): συγγρα-

---

7; 506, 41 (Gerhard, l.l.); 237 VI 24/5; 241, 26/7; 243, 6. 37; 898, 13; 1105, 14; 1269, 23; Flor. 1, 9; 91, 6; Byzantini: P. Oxy. 125, 21; 138, 37. Praeterea frequens usus est vocis τίθεσθαι pro τιθέναι in Basilicis et eorum scholiis (invenitur etiam in paraphrasi Institutionum IV c. 141), quin immo cognitus est legibus Gortynicis (*Inscr. jur. gr.* XVIII col. III lin. 19, cf. XIX D col. II lin. 12 et 13). Cf. praeterea Mitteis, *Grundzüge* p. 131[2]: *„doch kommt auch die Aktivform (vor)"*.

1) Revillout, *Rev. égyptol.* II p. 114; *Proceed. Soc. of bibl. archaeol.* XIV (1892) p. 121. Laudat πτώματα demotica Euergetae I (246—221). Sed cf. P. Hibeh 70 (*a*) cum praefatione editoris.

2) Droysen, *Rh. Mus. f. Philol.* III p. 512. Plura dabunt Wilcken, Ostr. I p. 183/4; Grenfell, praef. P. Tebt. 350; Kenyon, praef. P. Lond. 1201 (III pag. 4).

3) P. Droysen 39.

4) P. Lond. 1201 (III pag. 4); 1202 (pag. 5). Ergo P. Droysen cit. (39) supplendum fuit [ι], non [β].

5) P. Oxy. 243. Cf. infra (§ 10).

6) Ostr. 1076 (Rom.).

7) Ostr. 1056; P. Fay. 62 (Rom.), Eodem pertinere videtur P. Hibeh 112, 22/3.

8) Ostr. I kap. IV § 138.

9) Apparet ab hoc altero vectigali τὸ ἐγκύκλιον non liberare.

10) Hic quidem (*BGU* 568, 1) semidrachma, sed P. Hamb. 33 perpetuo quaternae drachmae.

11) Propter apochen 4000 drachmum.

12) Cf. praeterea Wilcken, *Archiv* III p. 519 (ad P. 64).

13) Herm. 32 p. 659.

Digitized by Google

φῶν τέλη [1]) his ipsis contineri tabulis. Erat etiam de quibusdam contractibus Diis retribuendum, veluti solvit P. Tebt. 281 ἐν Τεβτύνει areae emptor sub Euergete II et item *BGU* 748 III ἐν Ἀρσινόῃ sub Nerone domus emptor τὴν διδραχμίαν τοῦ Σούχου, ἥ ἐστι δεκάτη [2]). Invenitur praeterea τὸ παρ' ἀμφοτέρων τέλος, de quo dictum est supra [3]), χαλκίκια [4]), τὸ γραφεῖον [5]), τὸ ἀγορανομεῖον [6]), χαρτηρά [7]), τιμῆς [8]), cuius species: ἀγράφων συναλλαγματογραφιῶν [9]), δωρεᾶς [10]), διπλῶν [11]). Extrinsecus enim impensas augent τὰ γραμματικά, quae non sunt τέλη [12]). Debebat denique Romano sub imperio ὁ βουλόμενος ἐν δημοσίῳ γενέσθαι instrumentum quodlibet εἰς τὴν Ἀδριανὴν βιβλιοθήκην inprimis pendere τῇ πόλει τὰς ὁρισθείσας ὑπὲρ μοναχοῦ [13]) δραχμὰς δώδεκα [14]) praeter τὰ τοῦ τιμήματος τέλη [15]), quorum natura incerta est [16]).

§ 7. Quod autem diximus de quantitate τοῦ ἐγκυκλίου, hoc pertinere Lumbroso observavit [17]) ad privatos contractus dumtaxat. Etsi praediatores initio quidem pependerunt τὸ

---

1) P. Taur 1 V 4/19 (= IX 13/4); Flor. 86, 12.

2) Solvuntur pro vicenis pretii drachmis binae (P. Tebt. cit. (281), 10).

3) § 2. 4) Wilcken, Ostr. I kap. IV § 214.

5) Eius naturam illustrat P. Petrie III 53 (*s*): τὸ γραφεῖον τῶν Αἰγυπτίων συγγραφῶν (ἀφείκαμεν), quantitatem *BGU* 1214, 20/2: τῆς μὲν πράσεως καὶ ἀποστασίου .... δραχμὰς κ', τῶν δ' ἄλλων δραχμὰς ι'. Cf. praeterea *BGU* 277 II 11; P. Oxy. 44, 23 et Michel 595, 12/3 (τὸ γραφεῖον τῶν ὅρκων, quod ibi refertur inter τοὺς πόρους, sicut *BGU* 1214, 14 inter τὰ εἴδη); Wilcken, Ostr. I p. 353, 822; *Archiv* III p. 319 (ad num. 46); V p. 282 (med.).

6) P. Oxy. 44, 7/8. Cf. Wilcken, Ostr. IV § 1; P. Lips. 4, 30 et ad P. Oxy, cit. Grenfell.

7) Wilcken, Ostr. I kap. IV § 215. Cf. *Grundzüge* p. 255/6, 257 ima, IX (ad p. 255); Zucker, Philol. 70 (1911) p. 85/99, et item c. un. § 4 Cod. 11, 18 (17) (Zucker, l.l. p. 102/3).

8) P. Ryl. 123, 11: τελώνου, ὡς φησι, τιμῆς.

9) P. Tebt. 140. 10) Wilcken, Ostr. I kap. IV § 155.

11) P. Tebt. 140 (Crönert, *Wochenschrift für klass. Philol* XX (1903) p. 488).

12) P. Oxy. 1473, 17/8; 1697, 33/4.

13) Cf. Preisigke, Strassb. Papyri I pag. 109.

14) P. Lips. 10 II 19 sqq.; Oxy. 719, 29 sqq.; 1200, 44/9; 1473, 37/8.

15) P. Lips. cit. II 21; Oxy. 1200, 45.

16) Cf. Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIX (1908) p. 10/1.

17) *Recherches sur l'économ. polit. de l'Égypte* (1870) p. 303/5.

Digitized by Google

εἰκοστὸν [1]) perinde ut ex privato emptores, sed postea hoc remissum est .et coeperunt exigi de praediatura partes sexagesima et centesima [2]), nisi ex locorum quam temporum varietate potius explicandum sit [3]). Mansit vectigal ordinarium τελῶν ὠναΐς, itaque praedes dabat conductor, quemadmodum supra [4]) quoque diximus τῶν ἐ(π)εικοστῶν, quae postea facta sunt ἐπιδέκατα [5]). Rursus ab omni vectigali liberabantur, quae respublica elocabat solvenda Diis [6]), nam sic explendum videtur, quod statuitur lege Philadelphi vectigali [7]): ὅσα δὲ συγγράφονται οἱ οἰκόνομοι κτέ. περὶ τῶ[ν εἰς τοὺς . . .]υς [8]) συγκυρούντων, μὴ πρασσέσθωσαν οἱ πραγματευόμενοι [9]) τῶν συγγραφῶν μηδὲ τῶν συμβόλων [10]) μηδέν.

§ 8. Inusitatum est, quod habet πτῶμα *BGU* 993 IV: solutum esse τὸ ἐγκύκλιον κατὰ τῆς (τοῦ) οἰκονόμου καὶ (τοῦ) τοπο-

---

1) P. Petrie III 57(*b*), 15 (pagg. 166 et XVIII). Anni est ante Chr. 200 (Ostr. I p. 636 not. 2). *BGU* 992 II 11. Anni est 162. Utrubique accedunt τἄλλα τὰ καθήκοντα. *BGU* 1219; 1220 (ante Chr. 200—100) passim. Accedit sexagesima.

2) P. Zoid. (quam venditionem esse demonstrabimus § 19) lin. 4. Est anni 138. De partibus cf. Wilcken, Ostr. I kap. IV § 159 et § 162, atque Grenfell ad P. Hibeh 66 (pag. 213/4).

3) Ita explicat Revillout, *Chrestomathie* (1880) p. XIX sq.: quod non fuerit ἐν Μέμφει vicesima vel decima debita. Quam ipse refellit sententiam *Rev. égyptol.* II (1881) p. 120/1 (ad P. Taur. 10). 4) § 4.

5) Aliter haec interpretatur Wilcken, Ostr. I p. 534 lin. 3 sqq.; *Grundzüge* (1912) p. 184. Propius verum accessit Steiner, *Beitrag zur Interpr. des Steuergesetzes von* Ptolem. Philad. (Diss. Heid. 1910) p. 33, nisi confundit (p. 32) ἐπιδέκατα, quibus permittitur ὑπερβάλλειν (P. Paris. 62 III 13; Elephant. 14, 25/6; *Actenst.* 1 I 26; 3 I 16) et quae debentur (P. Paris, 62 I 15) τῷ ἐγκυκλίῳ (P. Petrie III 57(*b*), 15).

6) Exemplum dedimus § 6 (p. 435). Cf. praeterea Wilcken, Ostr. I p. 410, p. 615; Grenfell ante (i. f.) P. Tebt. 13; P. Tebt. 84, 9/10; Hibeh 77; *BGU* 992 II 7 (*Archiv* V p. 214); 1459, 6/7. 7) *Rev. laws* 20 (i. f.).

8) Expleo ΘΕΟΤΣ. Videtur quidem Wilcken sibi legisse TETO, quocirca edit (Chrestom. I 258): περὶ τῶ[ν κα]τ' ἔτο(ς), quod quia non intelligo, coniecturam nondum cancellavi meam.

9) I. e., οἱ τὴν ὠνὴν πραγματευόμενοι publicani (cf. Grenfell ad *Rev. laws* 7, 2; Wilcken, Ostr. I p. 539). Diversi sunt èt οἱ τὰ βασιλικὰ πραγματευόμενοι (P. Leid. G 4/5) èt οἱ περὶ τὴν ὠνὴν πραγματευόμενοι (*Rev. laws* 10, 3) èt οἱ τὴν δωρεάν (P. Hibeh 66, 1/2). Ceterum in P. Oxy. 34 II 12/3 οἱ πραγματευόμενοι intelligendi sunt οἱ νομικοί (III 3). Rursus in P. Lond. demot. 10463 (*Sammelb.* 5729) ὁ πραγματευόμενος publicanus est. 10) I. e., apocharum.

Digitized by Google

γραμματ(έως), errore, ut videtur [1]), pro: κατὰ τὴν (τοῦ) οἰκονόμου καὶ (τοῦ) τοπογραμματέως διαγραφήν, id est, ex mandato oeconomi et scribae eius toparchiae, non, ut fieri solet, ex mandato publicani, cui subscribat contrascriba. Sed hoc explicari potest ita, ut fuerit Hermonthi anno ante Chr. 127 non elocatum id vectigal, sed ab ipso fisco administratum [2]). In contrariam partem a forma communi remota sunt quatuor πτώματα [3]), in quibus vectigal emptionis non solvitur κατὰ διαγραφὴν τελώνου — ergo ne illa quidem secundaria insunt: ὑφ' ἣν ὑπογράφει ἀντιγραφεύς [4]) — sed διὰ τελώνου [5]). Solvit igitur emptor [6]) publicano, hic trapezitae exactum restituit. Sunt ea ptomata omnium, quae sub Ptolemaeis scripta sunt et supersunt, recentissima paucis exceptis [7]) forma ordinaria, quae coaeva sunt. Apparet igitur sub finem regni veterem ἀκρίβειαν coepisse negligi, magisque iam intelligitur sub Romanis quidni perstiterit [8]).

§ 9. Quia autem nulla vectigalia sponte solvuntur, videndum superest, quo modo quibusve modis Ptolemaei subditos ad solvendum compulerint. Et quidem patet, συγγραφῶν τέλη ut exigantur, duplex via: actionis, id est, aut retentionis. Actionis via est multa, ni quis intra certum tempus professus sit; retentionis, quum monumenta publica denegantur, donec vectigal illatum esse constiterit. Illa ubique, haec patet, ubi sine monumentis contractus stare non possunt. Quod obtinebat sub Ptolemaeis; etenim lege sanctum erat τὰ μὴ ἀναγεγραμμένα Αἰγυπτίοις συναλλάγματα ἄκυρα εἶναι [9]); Graecos autem privatim contractus scriptos, antequam in publico deponerentur, non esse ratos, moribus constabat [10]); ergo potuerunt Ptolemaei praescribere, ne transscriberetur deponereturve, antequam vectigal solutum esset. Maluisse eos altera via uti, eo demonstra-

1) Udalrico Wilcken, *Archiv* II p. 388.
2) Aliter explicat Preisigke, *Girowesen* p. 245.
3) P. Grenf. II 34; 35; Lond. 882; *BGU* 1259 II.
4) Haec tantum desunt *BGU* 1000 II.
5) Hoc quoque deest *BGU* 995 IV; P. Argentor. 84; 86.
6) Τὸ ἐγκύκλιον semper solvit emptor.
7) Veluti P. Grenf. II 32; *BGU* 999 II. 8) § 10.
9) P. Taur. I IV 13—15. 10) Cf. infra: § 12.

Digitized by Google

tur, quod sunt papyri, in quibus nudum est χάραγμα [1]) — id est, transscriptionis notitia — vel praemittitur id ipsum, deinde sequitur [2]) τὸ πτῶμα [3]). Conveniens est, quod publice scriptis perfectis contractibus τὸ πτῶμα saepe [4]) subscribitur et posteriorem [5]) solet habere diem, etiam scriptura interiore [6]), quum instrumentum duplex est. Habent enim interdum papyri [7]), quos quidem Ptolemaeorum tulit aetas [8]), sicut ligna duplicem scripturam [9]), obsignatam alteram [10]) superiore [11])

1) Nudi χαράγματος exempla tria proponit Peyron, *Memorie (Torino)* XXXI p. 159 sq,; accesserunt autem postea quam plurima.

2) Potest quidem, quod loco praecedit, tempore posterius esse (cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 183).

3) Praecedere alias τὸ πτῶμα, alias τὸ χάραγμα, observat Lumbroso, *Recherches* (1870) p. 330 not. 1 (p. 331), in demoticis utique contractibus, nam Graeci, qui utrumque habeant, inventi hactenus non sunt, quod ad demoticos perperam transfert Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 172, et facti commenticii rationem reddit p. 176. — Deprehenditur autem χάραγμα ante πτῶμα: P. Paris. demot. 2410 (*Not. et extraits* XVIII 2 p. 225); *Wien Kais.* 26 (p. 10); P. Gizeh 10262 (sub P. Tebt. 279), non etiam P. Grenf. I 36 (Chrestom. II 155), ex diverso πτῶμα, deinde χάραγμα bis, ubi indicavit Peyron, *Memorie (Torino)* XXXI p. 159: *Sammelb.* 4506 (P. Buttmann); 4507 (Taur. demot. 23). — Sua causa est P. Lond. (Forshall) 41 (Revillout, *Chrestomathie* (1880) p. XX).

4) P. Argentor. 84; 86; 87; *BGU* 993; 994; 995; 999; 1000; P. Grenf. I 27 (Chrestom. II 156); 36 (Chrestom. II 155); II 15; 32; 35; Leid. M; N; Lond. 882 (III p. 13/4); 1204 (III p. 10/1); Paris. 5.

5) Anteriorem semel omnino: P. Grey demot. C.

6) Scriptura interior semel dumtaxat (*BGU* 995) habet posteriorem diem. Sed respondet Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 160, in ceteris instrumentis duplicibus non suo die sed repetito („*zurückdatiert*") datam esse interiorem scripturam, quod ne Friderico quidem Woess (*Münch. Beitr.* VI (1924) p. 15) persuadere potuit. — Responderat Mitteis, *Grundzüge* p. 79[2], excepto P. Grenf. I 27 (Chrestom. II 156) esse ὠνὰς genere ἀποστασίου perficiendas. Quod quum ipse revocat in dubium (*Grundzüge* p. 173/4) tum refellit Schwarz. *Abhandl.* (*sächs. Ak.*) XXXI 3 p. 155/9, tum denique Partsch, *Festschr.* cit. p. 166[1].

7) Etiam demotici: Elephant. 4—7; 11 (*Archiv* V p. 204). Longe vetustius exemplum („*aus der Zeit des* Amasis") laudat Rubensohn, *Elephantine-papyri* pag. 8 (sed it obviam Möller, *Archiv* VI p. 370).

8) Cf. Mitteis, *röm. Privatr.* I p. 301.

9) Schulten, Herm. XXXII p. 284.

10) Quam, ubi in brevius contracta est, appellat Wessely, *Mitth. PR.* V p. 86, „*Vormerkung über den Inhalt* (Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 158: „*Voranschrift*"), confundit autem cum rubrica (cf. Schulten, Herm. XXXII p. 276 not. 1), quin immo (p. 87) cum magistratus censitorisve testandi causa depositum esse subscriptione. Qua de re dicetur § 11.

11) P. Leid. O (Reuvens, *Lettre* III art. 2 p. 18); Lond. 229 (Schulten,

Digitized by Google

vel sinistra [1]) margine, manu plerumque τοῦ χρηματίζοντος [2]), alteram apertam, quae prius scribitur [3]). Apparet igitur, transscribi deponi perfici permissum vectigali non soluto, proinde visam Ptolemaeis actionis viam retentione optabiliorem. Nam contrascribae subscriptio efficiebat quidem, ne plus minusve debito, non vero, ut omnino solveretur. Nihilominus contendit vehementer Partsch [4]), monumenta nulli patuisse, antequam venditionis vectigal solutum esset et valde confidit iure Alexandrino [5]), quum quaestio sit de iure regni.

§ 10. Etiam sub Romanis mercimoniorum [6]) mansisse τὸ ἐγκύκλιον, haud uno genere documentorum declaratur. Veluti supersunt apochae trapezitarum [7]), publicanorum [8]), incertorum [9]); quae partim in ipso principali instrumento subscriptae sunt [10]) veterum πτωμάτων exemplo, partim separatim datae, id est, aut in sua charta [11]) aut in testa [12]), quae proprio

---

Herm. XXXII p. 276); Tebt. 104 (praef.); Reinach passim (pag. 47/8); *BGU* 1278 etc.

1) Cf. Wilcken, *Archiv* V p. 203, VII p. 88; Schönbauer, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXIX p. 236.

2) Exempla dabimus ad § 14 (infra lineam), ubi eadem manus partem interiorem et τὸ χάραγμα scripsit. Accedit teste Ernesto Schönbauer (*Ztschr.* cit. XXXIX p. 235) agoranomicum instrumentum *BGU* 993, cui qui magistratus subscripsit, interiorem partem scripsit.

3) Wilcken, *Archiv* III p. 530, 523.

4) *Festschrift für* Lenel (1921) p. 163: „*sicherlich (war), wie schon aus dem Alexandrinischen Stadtrecht folgt, jedenfalls* (abundat) *eine* (abundat) *Publikation ohne Zahlung der Kaufsteuer nicht zu erlangen*".

5) Intelligit P. Hal. 1 lin. 245/52 (*Festschr.* cit. p. 108/9).

6) Diversum est personarum ἐγκύκλιον τὸ τοῦ δεῖνος ἔτους, quod a praesenti tractatu separamus. Quo pertinent testae 473; 1378; Dend. XII (*Archiv* VI pag. 133).

7) P. Oxy. 99, 13—19; 1284; Tebt. 350; 580; 587.

8) Cum ἐπιτηρητῶν apochis hae sunt: *BGU* 748 II; P. Lond. 1158, 18 (= Chrestom. II 256); Paris 17, 22 sqq.; Ostr. 1051; 1066; 1454.

9) P. Hamb. 79; Lips. 3 I 18 (Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 183); Lond. 297 (*b*) (II pag. 111); 933 (= Chrestom. I 294); Tebt. 351, 5—8.

10) P. Lips, 3 I; Lond. 1158; Paris 17. Nam P. Oxy. 99 ptomatis antigraphum habet sub contractus antigrapho ut P. Lond. 3.

11) *BGU* 748 II; P. Hamb. 79; Lond. 297 (*b*); 933; Oxy. 1284; Tebt. 350; 580; 587. Cum alia apoche cohaeret P. Tebt. 351, 5—8.

12) Ostr. 1051; 1066; 1454.

Digitized by Google

vocabulo appellantur *σύμβολα ἐκδεδομένα* [1]); exstant *διαγραφαὶ τελωνῶν* [2]). id est, accipiendi mandata ad trapezitam [3]); exstant trapezitarum [4]) ad agoranomum *προσφωνήσεις* [5]), id est, testimonia, *τὸ ἐγκύκλιον* solutum esse [6]); sunt denique huius vectigalis passim vestigia [7]). Elocabatur id etiamtunc publicanis, quibus coercendis, ne quid fraudis comminiscerentur, operam dabat in ceteris quidem nomis *ὁ στρατηγός* [8]); in Arsinoite [9]) *ὁ νομάρχης*, itaque dicebantur *ὑπὸ τὸν νομάρχην* — extra Arsinoiten *ὑπὸ τὸν στρατηγὸν* dictum sit oportet — *ἀσχολεῖσθαι* [10]) *τὸ ἐγκύκλιον* [11]). De pretio etiamtunc rei venditae eo nomine solvendum erat *τὸ ἐπιδέκατον*, veluti P. Oxy. 99 propter talenta 32 exiguntur tal. 3 dr. 1200; observatur autem eadem ratio P. Oxy. 242; 333 et Tebt. 580 (ubi pro emptione quadrantis,

---

1) Cf. P. Oxy. 95, 29. Versari hoc genus etiam inter Ptolemaeorum *πτώματα*, docebit Revillout, *Rev. égyptol.* II (1881) p. 114, veluti P. Taur. 10 (*Rev.* cit, II p. 120 not. 7); Tebt. 280; Argentor. 82; 110.

2) P. Oxy. 96; 185. – Ex diverso P. Oxy. 99, 13; 242, 34; 243, 47 *διαγραφὴ* appellatur ipsa vectigalis (P. 99: *τελῶν*) apoche. Nam P. Oxy. 333 *διαγραφὴ* sanum non videtur.

3) Haec ipsa interdum non dabantur *ἄνευ ἐπιστάλματος τοῦ ἐξηγητοῦ*. Quod peti videmus in causa impuberis P. Ryl. 118 (ante Chr. 16). Cf. Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 141, 143 not. 4 (p. 144), 149, qui me iudice aberrat, dum putat ipsi negotio publicanum intervenire.

4) P. Oxy. 243, 45. 5) Cf. P. Oxy. 513, 37.

6) P. Oxy. 242, 31; 243, 45; 333; 343; 345; 348. Haec testimonia ab apochis esse separanda, ipsis demonstratur (veluti 243, 46/7: *τέτακται* ..., *Δίδυμος* .... *καθ' ἣν ἔχει διαγραφὴν κτέ.*).

7) P. Argentor, 122, 11; bibl. Berol. 21, 9; *BGU* 914, 4/5 (*Berichtigungsliste* p. 83); 914, 6 (*τέλος ἐκστάσεως*); 1059, 9 (*τέλος* (*τὸ*) *εἰς τὰ ἀνδράποδα*); P. Flor. 1, 6; 81, 11; Frib. 8, 15; 10, 6; Lips. vet. 5, 5; Lips. 4, 30 (*Archiv* IV p. 459); Lond. 305, 1—3 (ante P. Tebt. 350: *ἐκστάσεως καὶ δεκάτης ἀγορᾶς*); Lond. 1217 (*b*) (*Archiv* IV p. 534); Oxy. 44; 95, 26; 238, 16; 274, 20, 22, 29; 1462, 30; 1472, 24/5; 1523, 4; Paris. inv. 910 (= Chrestom. I 392); Ryl. 215, 6; Ostr. 1599; Inscr. *Sammelb.* 676, 23. 27. 43. — De P. Oxy. 274, 7 (quam huc trahit Lewald, *Beiträge* etc. (1909) p. 65), diximus nos § 2 (p. 423).

8) Cf. P. Oxy. 44.

9) Ubique, docet Wilcken, Ostr. I p. 597; *Grundzüge* (1912) p. 190.

10) „*Verwalten*" vertit Wilcken, Ostr. I p. 388.

11) *BGU* 748 II 3—5 (Wilcken, Ostr. I p. 388); P. Oxy. 44, 6/7. 22/3 (Wilcken, Ostr. I p. 576); P. Oxy. 185. — Habemus praeterea *ἀσχολουμένους τὴν ὁρμοφυλακίαν* (Ostr. I p. 388) vel *τοὺς καταλοχισμούς* (P. Oxy. 45—47) vel *ὠνὴν τραπέζης* (P. Oxy. 513, 37/8) vel simpliciter *ἀσχολουμένους* (Ostr. I p. 387).

Digitized by Google

cuius constat as uno talento dr. 400 penduntur drachmae 160); sed addi videtur P. Oxy. 99, 19 δεκάτης ἐπιδέκα(του), additur certe P. Tebt. 351, 5—8, atque fortasse [1]) P. Lond. 933 (= Chrestom. I 294), quin Ptolemaeorum aetate ἐπίπεμπτον [2]), vel supra [3]), quod fuerat ἐπιδέκατον [4]), ἀλλαγῆς nomine [5]). In donationibus, ut videtur, duplum vectigal exigebatur, id est, pro decima quinta [6]), quod aliter servatum sub Ptolemaeis, exemplis demonstrari potest [7]). At in hypothecis etiamtunc exigebatur sortis quinquagesima [8]); erat praeterea quotannis [9]) hypothecarum nomine solvendum τέλος ἀνανεώσεως [10]) et item post ἐπικαταβολήν, id est, exercitationem legis commissoriae [11]) aliud ἐγκύκλιον [12]), ἐπικαταβολῆς τέλος [13]). Mancipiorum [14]) nunc primum, navicularum [15]) etiamnunc apparet τὸ ἐγκύκλιον. Contrascriba iam invenitur nullus; neque id fortuito accidere crediderim; etenim διαγραφὴ τελώνου, quae integra pervenit [16]), contrascribae subscriptione munita non est [17]). Invenitur, sicut

---

1) Si pretium fuit τριακοσίων [ἑξήκοντα ἓξ].

2) P. Lond. 1204, 29 (III p. 11); 882, 25/6 (p. 14). Utrubique principale τέλος est drachmum 600, auctum 720.

3) *BGU* 995 IV 5/6, ubi principale τέλος est 1600, quod oculatus testis dico, auctum 1950; P. Argentor. 87, 22: principale 1200, auctum 1485. Cf. Kenyon ad P. Lond. 1204, 29 (III pag. 11).

4) P. Ryl. 249, 4.

5) P. Ryl. 249, 4: οὗ ἀλλαγή; *BGU* 995 IV 6: σὺν(?) ἀλλαγῇ; P. Lond. 1204, 29 (*Archiv* IV p. 529): (οὗ) ἀλλαγή. Atqui P. Paris. 5 col. 50, 5 (*Wiener Stud.* III p. 3) = Leid. M col. 2, 13 recte editum est τέλ(ος).

6) Cf. P. Oxy. 1284 (p. Chr. 250), ubi, si quid excedit, compensabitur σπονδῇ. Fit ibi συντίμησις, ut *BGU* 993 IV 4, quia donatio est, necessitate, sed P. Lond. 933 (= Chrestom. I 294), 19/20 fraudis ob suspicionem.

7) Certissimum est exemplum *BGU* 993 IV.

8) P. Oxy. 243.

9) P. Oxy. 1105, 20: κατ' ἔτος.

10) P. Oxy. 274, 20; 1105, 21.

11) Περὶ ἐπικαταβολῆς diximus in observatiunculis de iure Romano (cap. XC).

12) P. Flor. 1, 6; 81, 11.

13) P. Oxy. 274, 22. Cf. Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 151[3]; Schwarz, *Hyp. und Hyp.* (1911) p. 35[5].

14) Ostr. 1066; 1454 (Wilcken, Ostr. I p. 182); P. Oxy. 95; 96; *BGU* 1059, 9; P. Frib. 8, 15; Lips. 4, 30; Hamb. 79.

15) Ostr. 1051. — Ergo Ostr. 1066, 2; 1454, 2 partim suppleo partim emendo: ἀνδραπόδων καὶ πλοιαρίων.

16) P. Oxy. 96 (Wilcken, Ostr. I p. 647).

17) Subscribendum nihilominus a contrascriba fuisse, temere auguratur Wilcken, Ostr. I p. 648 (lin. 3—5).

Digitized by Google

in aliis quamplurimis vectigalibus, *ἐπιτηρητὴς τέλους ἐγκυκλίου* [1]), quem contrascribae dissimilem fuisse puto magisque sub publicano exegisse [2]). Ergo èt publicanorum, quod vidit Revillout [3]), èt *ἐπιτηρητῶν* apochis demonstratur, publicano sub Romanis *τὸ ἐγκύκλιον* recta via, id est, sine trapezitae interventu exigere licuisse. Eodem modo *ἡ ἀπόμοιρα* et *τὸ ναύβιον* poterant aut *πράκτορσι* solvi aut *ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν* [4]). Non tamen propterea credendum est, desiisse fiscum *τῆς προσόδου κυριεύειν*, sed debuisse vel publicanum vel *ἐπιτηρητὴν* vel *πράκτορα*, quod exegisset, id apud mensam publicam deponere ad *διλογισμὸν*, quocirca apochis suis interdum adscribunt: *ἃς καὶ διαγράψομεν* (*δραχμὰς*) *ἐπὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν* [5]). Potuisse utique ex mandato publicani apud trapezitam satisfieri *τῷ ἐγκυκλίῳ*, rebus ipsis et factis, id est, èt illorum *διαγραφαῖς* èt ptomatis sive symbolis declaratur trapeziticis. Formam quod attinet, ptoma unum [6]), quod a trapezita datum est, a prisco more non prorsus abhorret [7]); reliqua vero et quae scripta sunt a publicano sive sub instrumento principali sive separatim, ea vero prorsus sunt soluta. Veluti P. Paris. 17 subscribitur: *ἔσχαμεν παρὰ σοῦ* [8]) *τὸ γεινόμενον τέλος τῆς προκειμένης ὠνῆς* [9]); P. Lond. 1158 (Chrestom. II 256): *σεσημείωμαι τέλος ἀγορασμοῦ τοῦ προκειμένου τρίτου μέρους τιμῆς δραχμῶν τοσούτων* [10]), cui simile videtur *πτώμα*, quod pro parte superest sub P. Lips. 3 I. Ex diverso *BGU* 748 II, quod est *σύμβολον ἐκδεδομένον*, licet cum

---

1) Locos dabit Wilcken, Ostr. I p. 576.

2) Cf. Wilcken, Ostr. I p. 599 sq., atque *BGU* 1062 (maxime lin. 13 sqq.).

3) *Mélanges* (1895) p. 219.

4) P. Fay. 41 I 6, 17 et II 6, 16.

5) Ostr. 662 (I pag. 87); *BGU* 991. Altera est *ἐπιτηρητοῦ*, altera *πράκτορος* apoche. Cf. praeterea *BGU* 414 (Wilcken, *Grundzüge* p. 216 not. 5); 1062, 15/6; P. Fay. 64; 333; Hamb. 42; 44; 45; 80; Oxy. 370; Tebt. 577; 578.

6) P. Oxy. 99.

7) Deest *κατὰ διαγραφὴν τοῦ δεῖνος τελώνου ὑφ' ἣν ὑπογράφει ὁ δεῖνα ἀντιγραφεύς*. Haec iam omittuntur P. Argentor. 84 (ante Chr. 114); 86 (ante Chr. 111), *BGU* 995 (ante Chr. 110) et pro parte (*ὑφ' ἣν* reliqua) *BGU* 1000 (ante Chr. 98).

8) Id est, emptoris.

9) Quae sequitur subscriptio: *Ἀμμών(ι)ος συνεπ(ε)ίσθην* socii est (cf. Wilcken, Ostr. I p. 591).

10) Simillima est *συμβόλου* (Oxy. 1284) subscriptio: *ὁ δεῖνα τραπεζίτης σεσημείωμαι τὰς δραχμὰς τοσαύτας.*

Digitized by Google

principali instrumento postea sit conglutinatum, post annum et diem pergitur: διαγέγραφεν τῷ..... ἀσχολουμένῳ τὸ ἐγκύκλιον..... Πατῦνις Εὐρήμονος [1])..... (τέλος) οἰκίας καὶ αἰθρίων δύο; P. Lond. 933 (Chrestom. I 294): διέγραψε..... Λογγινία κτέ.; P. Oxy. 1284: διέγραψεν τοῖς δεῖνα δημοσί(οις) τραπεζίταις κτέ [2]). Parisino ptomati similes sunt testae 1051; 1066; 1454, quae in hunc ferme modum conceptae sunt: ἔσχον (ἀπέσχον, ἀπεσχήκαμεν) παρὰ σοῦ τὸ καθῆκον τέλος..... (ἀνδραπόδου vel πλοι(α)ρίου), οὗ ἐώνησο [3]) παρὰ τοῦ δεῖνος. Est quoque σύμβολον ἐκδεδομένον P. Lond. 297 (*b*) (II p. 111), Berolinensi (748 II) quodammodo cognatione iunctum, sed ad explicandum difficile. Difficultas in eo consistit, quod solvit ibi διὰ [4]) Κλαυδίου Ἀπολλιναρίου καὶ Φλαουΐου [..]ον [5]) [.....] ου [6]) Πτολλᾶς Ἥρωνος — τέλος ἐγκυκλίου non ὑπὲρ τῆς ὠνῆς, sed (εἰς) νομαρχῶν λόγον. Eodem modo P. Tebt. 580, quae est apoche trapezitica, solvitur διὰ πραγματευτῶν ἐγκυκλίου εἰς τὸν τοῦ νομάρχου λόγον [7]). Ergo aut per abusum dictum est, quo alterius generis apochae [8]) νομάρχῃ habent, vetustiores etiam βασιλεῖ [9]), aut possunt videri iis temporibus, quibus hae apochae emitterentur (p. Chr. 119; 155), vectigalia elocata non fuisse δυσπειθούντων forte τῶν τὸ ἐγκύκλιον ἀσχολουμένων καὶ κινδυνευόντων [10]) μεταστῆ-

---

1) Id est, emptor (P. III 6).

2) In aliis fit πέπτωκεν veluti P. Tebt. 350; 580; 587. Verbum omittitur P. Tebt. 351, 5—8.

3) 1454, 5 suppleo: [οὗ ἐ]ξεχωρήσω [πλ]οίου. Παραχωρεῖσθαι hoc sensu frequens est (veluti P. Oxy. 45; 46; 47). 4) Διὰ incertum est.

5) Τὸ N incertum est. 6) Ergo suppleri nullo modo potest: τελωνῶν.

7) Ex diverso P. Tebt. 350 (quae item est apoche trapezitica) τοῖς τὸ ἐγκύκλιον πραγματευομένοις.

8) *Archiv* I p. 9 (no. 3). — In P. Lond. 933 (Chrestom. I 294) solvitur νομάρχῃ εἰς τὸν τοῦ ἐγκυκλίου λόγον.

9) Wilcken, Ostr. I p. 71 (5). Add. *BGU* 992 I 2 (= *Sammelb.* 4512, 2); P. Fay. 17 (τῷ δεῖνι τραπεζίτῃ ὥστε βασιλεῖ); 18; Hamb. 24, 13/4 (βασιλεῖ διὰ τραπέζης); Lille 9, 16. 26; Lond. 1200, 3; Tebt. 36, 8; 280 (ὥστε βασιλεῖ). Interveniunt diversi generis instrumenta.

10) I. e., παρ' ὀλίγον μελλόντων. Cf. P. Leid. E, 14 (κινδυνεύομεν τὸ ἱερὸν ἐκλιπεῖν) Argentor. 91, 25; Flor. 91, 8; Gizeh 10887 (Thead. 18), 15; Oxy. 488, 1/2; Reinach 18, 22 (= 19, 15); Tebt. 327, 26. Sic P. Rain. 1574 (*Studien zur P. und P.* XX 75) II 24/8 minitatur quis, liturgus opinor: ταῦτα πάντα προέχρησα καὶ ἐδανεισάμην μεθ' ὕβρεως· μὴ οὖν ἀμελήσῃς μ(ου) ἐν τάχει, καὶ (= ἢ) ἐξέρχομαι καὶ καταλείψω τὴν πόλιν.

Digitized by Google

ναι, ut est in P. Oxy. 44, 6—10. Per Aegyptum enim, quia παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἐπαρχειῶν [1]) inviti quoque per iniuriam [2]) ad conductionem trahebantur [3]), qui huic oneri fore videbantur idonei, quod deplorat fierique vetat Tib. Alexander [4]) anno 68, ideo praeter (τὸ) φυγάδας γενέσθαι nihil ab iniuria vindicare poterat τοὺς προσβιβαζομένους [5]). — Ipsum vocabulum πτῶμα imperatoria aetate inventum nondum est, sed supplendum videtur P. Oxy. 238 (p. Chr. 72), quo cavetur: τοὺς ἔχοντας μετεώρους οἰκονομίας, id est, contractus inchoatos [6]), ἔν τε τῷ ἀγορανομ(ε)ίῳ καὶ μνημονείῳ καὶ γραφείῳ — προσέρχεσθαι τοῖς ἀγορανόμοις καὶ τε[λεισῦν], id est, perficiendos curare oportere [7]), καὶ ἐγκυκλι[.....]ματα ἔτι καὶ νῦ[ν ἐπι]φέρειν [8]), modo lacunam explendam esse concedatur [9]) sic: ἐγκυκλί[ου τέλους πτώ]ματα. Iubentur autem haec ideo adferri [10]), quia imperatoria aetate iam non licebat agoranomis privatorum contractus perficere, nisi antea solutum esset τὸ ἐγκύκλιον. Non licuisse demonstratur [11]) testimoniis trapezitarum [12]) ad agoranomum

1) Cf. tamen l. 3 § 6 D. 49, 14 (Ostr. I p. 594) et c. 7 C. 4. 65 nec minus *BGU* 628 (Vo.) II 19, 21. Habet quidem alter edicti textus pro ἐπαρχειῶν: ἐπάρχων, quod probat Wilcken, *Ztschr. der Sav.-St.* 42 (1921) p. 127/8.

2) L. 9 § 1 (sed cf. etiam l. 11 § 5) D. 39. 4; l. 3 § 6 D. 49. 14; c. 11 C. 4. 65. Cf. c. 1 C. Th. 4. 13 (Haen. 12) (= c. 4 C. 4. 61).

3) P. Amh. 94, 16/7 (*Archiv* II p. 132). Cf. P. Oxy. 1279, 24/6.

4) Edicto (CIG 4957, 10—14; P. Berol. 11601 (*Ztschr. der Sav.-St.* 42 (1921) p. 125/7), 26—40). Biennio post fit obviam (P. Ryl. 95, 5) clausula: [ὁμολογοῦμεν].... ἑκουσίως ἐξειληφέναι τὴν ὠνήν.

5) P. Oxy. 44, 14—16. Cf. Wilcken, Ostr. I p. 593 (mavult: τοὺς πρὸς βίαν ἀγομένους).

6) De contractibus inchoatis cf. interim ad ipsum P. cit. (Oxy. 238) editor et Mitteis, *Archiv* I p. 193/5; id. ante Chrestom. II 213; Schwarz, *Festschr. für Zitelmann* (1913) p. 31 (sed etiam p. 53 not. 3 i. f.). Ex iure novo cf. Gallorum *Code de procéd.* art. 841. — Exemplo est συγγραφὴ ἀσφράγιστος, quam sistit P. Magd. 12, 4, iuris enchorii; apud agoranomum scriptus non ab eo subscriptus P. Argentor. 83 (*Archiv* VII p. 88) iuris Graeci.

7) Contractus inchoatos non perficere liberum non fuisse, hinc colligo. Diversa sententia sedit Ludovico Mitteis, *Archiv* I p. 193/5 et ante Chrestom. II 213.

8) νῦ[ν ἐπ]ιφέρειν explevit Mitteis, Chrestom. II 213.

9) Mihi (*Archiv* I p. 316 lin. 2).

10) Antequam contractus perficiatur, non, quod placet Friderico Woess (*Münch. Beitr.* VI p. 147 not. 1), post. Demonstrabimus enim sine ptomate perfici iam non licuisse.

11) Demonstrari vidit Mitteis *Archiv* I p. 194, etsi dissentit Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 144/7.

12) P. Oxy. 243, 45.

Digitized by Google

datis [1]), quibus testabantur vectigal solutum esse. Debebat igitur, qui contractum perfici postulabat aut ptoma [2]), id est, διαγραφήν [3]) sive apochen ostendere sibi emissam, quod distincte loquentibus σύμβολον ἐκδεδομένον appellatur [4]), aut testimonium ad agoranomum scriptum perhibere [5]). Quo, sicut diximus, demonstratur sub imperatoribus, Flaviis utique, in hoc vectigali exigendo praeferri coeptam actionis viae retentionis viam [6]). Quod ius quamdiu in usu mansit, non potuit perfectis utique [7]) contractibus τὸ πτῶμα subscribi. Quae non ideo refellitur opinio, quod P. Oxy. 99 (anni 55) subscriptum habet πτῶμα, est enim èt principalis instrumenti et τελῶν διαγραφῆς (lin. 13) ἀντίγραφον (lin. 1), videntur igitur describendo sic esse iuncta, uti *BGU* 748 I, II conglutinando [8]). Ex diverso P. Par. 17 (anni 153/4), qui contractus apud agoranomum scriptus est Φαρμουθὶ λ', quum subscribatur vectigalis aproche θὼτ sequentis ις', documento est, tunc rursus actionis viam esse praelatam [9]). Est etiam aliud indicium, quod indagavit Mitteis [10]), etsi hodie nollet [11]).

(Continuabuntur).

---

1) P. Oxy. 242, 31/4; 243, 45/9; 333; 343; 345; 348 (p. Chr. 77—100). Cf. P. Oxy. 50 (p. Chr. 100).

2) P. Oxy. 238 cit. (lin. 16/7), si explevimus recte.

3) P. Oxy. 99, 13; 242, 34; 243, 47. 4) Diximus supra (p. 440 lin. 1).

5) Eo pertinere puto P. Oxy. 238, 18: ἢ ὅτι τοῖς α....; suppleo ἀσχολουμένοις, ut hic sensus sit: τὸν τελειώσοντα oportere aut πτῶμα adferre aut publicano satisfecisse se testimonio ad agoranomum dato comprobare.

6) Contrarium obtinuisse sub Ptolemaeis docuimus § 9.

7) Potuit inchoatis vel privatim scriptis vel futurorum contractuum in vacuum ὑπογραφαῖς (Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 183 ad P. Lips. 3 I; Lond. 1158).

8) Quodsi haec vera sunt, verba: ὧν ἐπρίατο.... κατὰ ἀγορανομικὸν χρηματισμόν (P. Oxy. cit. (99) lin. 18/9) et in alio P. (Oxy. 96): οὗ ἠγόρασε.... διὰ.... ἀγορανομείου aut referenda sunt ad contractum inchoatum aut habent aoristum pro futuro, quod fit saepe in trapeziticis diagraphis. Exempla dabimus infra (§ 19).

9) Huic argumento nunc it obviam Mitteis, *Grundzüge* p. 79[2], hac ratione, quod P. Paris. 17 mera sit ὠνή, non καταγραφὴ vel παραχώρησις. Qua de re cf. Schwarz, *Abhandl. (sächs. Ak.)* XXXI 3 p. 209/10; Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 143[4].

10) *Archiv* I p. 194[1]. Cf. praeterea Lewald, *Beitr. zur Kenntniss des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 64[4].

11) *Grundzüge* p. 183[3].

Digitized by Google

QUID FUERIT GR. θησαυρός.

SCRIPSIT

F. MULLER JAC. FIL.

Vocabulum graecum θησαυρός quid primitus significaverit cuiusve rei fuerit appellatio, nondum constat. Boisacq nullam solutionem affert et addit: origine inexpliquée (Dic. etymol. s.v.).

Hoc loco paucis tantum verbis quaerere velim, numforte pristinus vocis sensus fuerit cisternae, qua aquae copiam per longae aestatis siccitatem conservare soliti essent veteres Romani et Graeci. Paulus ex Festo haec tradit (p. 78 Lindsay): *favisae locum sic appellabant, in quo erat aqua inclusa circa templa. Sunt autem, qui putant favisas esse in Capitolio cellis cisternisque* (litteris diductis ita a me impressum) *similis ubi reponi erant solita ea, quae in templo vetustate erant facta inutilia.* Non est cur moneamus eandem olim fuisse historiam Tulliani illius celebris, quod fontis perantiqui quondam domus post carceris officio fungebatur.

Talem mihi etiam θησαυροῦ usum informo: antiquis temporibus θήκη sive ἀποθήκη fuisse videtur aquae, quo officio postmodo inverso rebus magni preti conservandis inservierit.

Ut alibi, ita in lingua graeca olim exstitit vox quaedam αὐρ- „aqua" de qua fusius egi in libro qui inscribitur „Latijnsche woordverklaringen op semantisch-taalhistorischen grondslag" p. 165; nonnulla quae huc pertinent invenias apud Perssonium (Indog. Forsch 35, 200) et apud Fickium (Zeitschr. f. vergl. Sprachforsch. 46, 78). Inde pauca hic repeto. Praesto sunt adiectiva: ἄγλ-αυρος (melius ἀγλᾱυρος < ἀγλᾰ(ϝ)-αυρο-ς?) „aquae limpidae", ἄν-αυρος „aquā carens"; Hesychius haec

Digitized by Google

habet ἐπαύρουσ· τοὺς χειμάρρους ποταμούς; Hesiodus (Theog. 353) duas Oceanidas nomine ornat Γαλαξ-αύρα et Πληξ-αύρα; etiam Κέντ-αυροι fuisse mihi semper visi sunt aquarum sive χαραδρῶν daemones, qui fluminum torrentes imbribus auctos tamquam stimularent (κεντέω) incitarentque. Lingua palaeonorrena nomen habet *aurr* „aqua" (ex germ. **auraz*, indog. **ouros* aut **auros* natum), lituanica *(j-)áuras* „uligo".

Ut Graecis ἑλκεσί-πεπλος fuit ea quae „vestes trahebat", sic Πληξ-αύρα ea quae „aquas verberabat", θησ-αυρός is sive id, quod „aquam pluviam condebat et conservabaf". Accentus mutationem noli gravari; omnem hanc tollit difficultatem Vendryès Mém. de la Soc. de Ling. 13, 131, Traité d'accent. grècque p. 152 sqq.; cf. F. Muller Gr. Wdb. s.v. θησαυρός de re universa.

Ad Suetonium.

Legitur in Suetonii Caligula 34: „De iuris quoque consultis quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus saepe iactavit: se mehercule effecturum, ne quid respondere possint praeter eum". Illud „praeter eum", quod sensu caret, multos vexavit versaque vice a multis vexatum est. Verum videtur „praeter heu". Minatur novus Phalaris omnibus corporis cruciatibus eo se iurisconsultos adducturum, „ne quid respondere possint praeter heu". Ab „heu" per „eu" ad „eum" facilis descensus est.

J. C. N.

Digitized by Google

Ad inscriptionem Pompeianam.

Inscriptio parietaria Pompeiis inventa (CIL. IV 2319, Diehl Pomp. Wandinschr. 665) haec exhibet: „*Tyria lasfe Tyria percisa* Τυρίκ περκισκ *Aephaproditus*" et parvo spatio intermisso „Τυρίκ λάσφη". Quid sibi velit illud λάσφη, *lasfe* non satis apparet. Percidendi vocabulum sensu obsceno adhibitum in Martialis carminibus saepius exstat, e. g. IV, 48:

Percidi gaudes, percisus Papile, ploras eqs. cf. II, 72, 3 et XII, 35, 2. Sed *lasfe*? Sunt qui graecum λάστη et λάσθη comparaverint. Attamen nihil plane his verbis adhibitis proficimus. Λάσταυρος enim occurrit apud Theopompum sensu τοῦ κιναίδου, et apud Hesychium s. v. λάσταυροι· οἱ περὶ τὸν ὄρρον δασεῖς καὶ πόρνοι τινες ὄντες. (Obiter hoc loco monendum esse videtur etymologiam vulgaris quae dicitur latere: nam verba δασύς et λάσιος cum ὀρρός, οὐρά vocabulis grammaticus copulavit). Et λάσφη nihil omnino huc facit, id quod satis iam Hesychi locus demonstrare videtur: λάσθη· χλεύη. λήθη. ὀλιγωρία. αἰσχρολογία. αἰσχύνη. Quod ad sonum attinet, ut gr. θ in λάσθη lat. *f* fieret, non est cur factum esse prorsus negemus; gr. τ vero nullo modo in lat. *f* abire potuit.

Quae cum ita sint, scriptorem tecte his littéris *las/fe felas* significasse suspicor. Saepius nude positum idem occurrit, e. g. CIL. IV, 4185 (= Diehl Pomp. Wandinschr. 659) *Sabina felas, no belle faces*, Martialis II 50, 1, II, 89, 6, cf. CIL. IV, 1389 (Diehl 657) *Nympe felatrix*; CIL. IV 2292 (Diehl 658) *Murtis felatris*. Cur igitur syllabarum ordinem, si modo iure haec disputata sunt, immutavit scurra ille facetus? Suspicari licet novam eum „figuram" depingere voluisse lusu quodam satis puerili. At hanc viam ne longius ingrediamur, deterret non minus argumentum foedum atque invenustum quam rei ipsius ratio incerta. Tollatur aulaeum.

F. M. J. f.

Digitized by Google

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1926.

Digitized by Google

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

Digitized by Google

INDEX

Pag.

De Octaviani Caesaris ante principatum conditum imperio, scripsit B. A. VAN GRONINGEN. . . . . 1—9

Inscriptio Pompeiana restituitur, scripsit F. M. I. f. . . . 9

Ad Vergilii Eclogam quartam, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . 10—18

De Synoecismo Boeotiae post annum 379 peracto, scripsit I. H. THIEL. . . . . 19—28

Liviana II, (Continuantur ex Mnemos. LIII p. 369), scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 29—41

Observatiunculae ad papyros iuridicae (continuantur ex vol. III pag. 445), scripsit I. C. NABER . . . . . 42—76

Propertiana, scripsit C. BRAKMAN I. f. . . . . 77—80

Annotationes ad auctores et papyros nonnullas, scripsit D. COHEN . . . . . 81—87

De Demetrio Phalereo, scripsit D. COHEN . . . . . 88—98

De vocibus latinis *ervilis* et *patruēlis*, scripsit F. MULLER I. f. 99—100

Ad Ursulum Philippum Boissevain septuagenarium epistula de Arriani Periplo Ponti Euxini, scripsit A. G. ROOS . . 101—117

De vocabulis quibus Herodotus in singulis operis sui partibus mentem animumque significat, scripsit M. M. ASSMANN. 118—129

De Kynegetico Xenophonteo, scripsit W. A. BAEHRENS . . 130—145

Quaestiones ad fabulam Plautinam Menaechmos pertinentes, scripsit J. W. BIERMA . . . . . 146—153

ΠΟΛΙΤΕΤΜΑ, scripsit M. ENGERS . . . . . 154—161

De C. I. L. IX 3473, scripsit A. W. DE GROOT . . . . . 162—163

Observationes ad munera nonnullorum temporum latinorum pertinentes, scripsit K. VAN DER HEYDE . . . . . 164—174

De Euripidis Helena, scripsit W. E. J. KUIPER . . . . . 175—188

De fontibus inter se contaminatis apud Livium XXII 4 sqq., scripsit J. JANSSEN . . . . . 189—194

De origine Attali III, scripsit S. KOPERBERG . . . . . 195—205

De nobilitate apud Athenienses, scripsit D. LOENEN . . . 206—223

Digitized by Google

Pag.

De versione graeca Monumenti Ancyrani quaestiones, scripsit A. P. M. MEUWESE . . . . . 224—233

De „historiae" vocabulo atque notione ad Ursulum Philippum Boissevain scripsit F. MULLER I. fil. . . . . 234—257

De Glycera Menandri amoribus, scripsit M. A. SCHEPERS. . 258—262

Varia, scripsit H. SMILDA . . . . . 263—268

De nece vindicanda iure Gortynio, scripsit J. H. THIEL . . 269—278

Iohannes Presbyteros, scripsit SEB. TROMP S. I. . . . . 279—320

De Cassii Dionis Historiis, scripsit G. VRIND . . . . . 321—347

De Aristotelis erga Demosthenem animo, scripsit J. D. MEERWALDT. . . . . 348—369

Soph. El. vs. 772 sq., scripsit I. Errandonea S. I. 370

Cic. Phil. II 34, 87, scripsit I. Errandonea S. I. 371

Cic. Phil. II 35, 88, scripsit I. Errandonea S. I. 372

Ad C. Caecilii Plini Secundi Epistulas, scripsit JOH. P. POSTGATE † . . . . . 373—384

Corrigendum, W. BAEHRENS 384

Varia, scripsit JOH. P. POSTGATE †. . . . . 385—388

ΚΤΑΙΝΔΡΟΣ, scripsit G. V. 389

De Octavia praetexta, scripsit P. J. ENK. . . . . 390—415

De Reguli in Taciti Dialogo partibus, scripsit H. WAGENVOORT. . . . . 416—439

De Virginibus Vestalibus, scripsit H. J. ROSE. . . . . 440—448

Digitized by Google

PERIODICAL R
GENERAL
UNIV. OF

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUARTUM. PARS I.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1926.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
De Octaviani Caesaris ante principatum conditum imperio, scripsit B. A. VAN GRONINGEN.	1—9
Inscriptio Pompeiana restituitur, scripsit F. M. I. f. . . .	9
Ad Vergilii Eclogam quartam, scripsit C. BRAKMAN I. f. . .	10—18
De Synoecismo Boeotiae post annum 379 peracto, scripsit I. H. THIEL.	19—28
Liviana II, (Continuantur ex Mnemos. LIII p. 369), scripsit C. BRAKMAN I. f.	29—41
Observatiunculae ad papyros iuridicae (continuantur ex vol. III pag. 445), scripsit I. C. NABER	42—76
Propertiana, scripsit C. BRAKMAN I. f.	77—80
Annotationes ad auctores et papyros nonnullas, scripsit D. COHEN	81—87
De Demetrio Phalereo, scripsit D. COHEN	88—98
De vocibus latinis *erīlis* et *patruēlis*, scripsit F. MULLER I. f.	99—100

Digitized by Google

DE OCTAVIANI CAESARIS ANTE PRINCIPATUM CONDITUM IMPERIO.

SCRIPSIT

B. A. VAN GRONINGEN.

Qua potestate quove imperio usus per annos ante Christum natum 32—28 bellum contra Antonium gesserit aliasque res perfecerit Octavianus Caesar iam a permultis inquisitum est, manetque etiamnunc dissensio: nuperrime duo viri docti, H. Dessau et U. Wilcken Berolinenses, contraria scripserunt [1]). Unde tam longa et gravis controversia? Quia illis temporibus magnum distabant praecepta et usus, quia antiquae rei publicae formae regulaeque labebant et movebantur. Quid autem difficilius magisque lubricum, quam in transitu rerum definire rerum rationem speciemque? Viris ergo in nostra arte principibus veteranisque certantibus, etiam tironem suis telis utcumque uti nimis audax fortasse videbitur; at certe, si quid acciderit, ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα κεῖσθαι non erit indecorum.

Omnia non expono, quippe qui peritis scribam. Hoc tamen inde ab initio graviter praedico: de formulis ad ius publicum, quale tunc erat, pertinentibus agam; nam id solum ad veritatem nos perducet. Ipsae res quales fuerint silentio praetermittam. Scio sane certamen fuisse Antonii et Caesaris; scio duos

1) Praecipui sunt: Th. Mommsen, *Röm. Staatsrecht* I² p. 671, cf. II² 723 sq. (editio tertia praesto mihi non est); J. Kromayer, *Die rechtliche Begründung des Principats* (1888) p. 10 sqq.; W. Kolbe, in *Hermes* XLIX, 1914 p. 273 sqq.; H. Dessau, *Gesch. d. Röm. Kaiserzeit* I (1924) p. 24 sqq.; U. Wilcken, *Der angebliche Staatsstreich Octavians im Jahre 32 v. Chr.* (Sitz.-Ber. Preuss. Akad. 1925 p. 66 sqq.); cui respondet H. Dessau in *Philol. Woch.* 1925 p. 1017 sqq. (paginarum numeri indicabunt utrum eiusdem auctoris opus significem). Addi possunt permulti, qui tamen nostrae quaestioni vix quicquam attulerunt.

Digitized by Google

viros senatui populoque Romano longe praestitisse; scio legiones, non leges decertavisse. Cum tamen inde ab altero triumviratus quinquennio Caesar, de quo agimus, cum populo Romano [1]) steterit [2]) et pristina iura, quantum fieri posset, observaverit et priscis formulis consuluerit, de eo alia ratione disserendum erit atque de eius adversario. Antonius enim censuit se semper triumvirum mansisse idemque imperium servavisse [3]). Non ita Octavianus; ad id demonstrandum duo notissima documenta nunc sufficiant: per alterum quinquennium se triumvirum rei publicae constituendae iterum dicit [4]), post annum 32um nusquam iam ea appellatione se adornat. Itaque imperium et potestatem, quae post alterum quinquennium habuerit, definituris, si quidem definiri possunt, ipsius rei publicae antiquis institutis neque ulla re praeterea nobis opus erit.

Quae ab aliis demonstrata puto, brevitatis gratia iterare supersedeo. Sufficiat profiteri mihi quoque videri alterum quinquennium usque ad finem anni 32^{i} tenuisse, neque ab Octaviano mense Februario eius anni vim rei publicae illatam esse ullam. [5])

Antonii triumvirali potestate a populo abrogata, solus erat triumvir Caesar. Fieri autem non potuit, ut Wilckenus recte memorat [6]), ut tertium quinquennium unico triumviro tribueretur; itaque aliud ei excogitandum erat. Quae autem idem vir doctus addit [7]), ea potius praetermittam; nam sicut, Lepido demoto, duo viri titulum triumviri servare potuerunt et servaverunt, ita nunc unus; titulus tamen et appellatio minoris

1) Monet sane Dessauius (p. 1018) ne „populo" plus quam par sit, tribuamus. Iure tamen etiamtum valebant comitia. Tum erat communis opinio quaedam et civium consensus.

2) Studium et comprobationem movent, quae Wilckenus p. 71 sqq. luculenter exposuit. 3) Cf. ibidem.

4) Cf. CIL. V 525 = Dessau *Inscr. Sel.* 77: *III vir r. p. c. iter.* (ex anno 33° vel 32°).

5) De quibus Dessauius quoque et Wilckenus consentiunt (alter p. 24 n. 2 et 1018, alter p. 73 sqq.). 6) P. 82.

7) Haec volo: *Ja schon jetzt, im Juli, wurde die Führung des Titels* (triumviri scilicet) *für Octavian widersinnig, wiewohl ihm das Amt bis Ende des Jahres noch zustand.*

Digitized by Google

ponderis; etiamsi ultimis mensibus eiusdem anni id nomen re vitavit Caesar [1]), iure nihil immutatum erat: ad ultimum Decembris triumvir erat, nisi populus lege eius imperium abrogabat. Quod, ut scimus, factum non est. Simul tamen inde sequitur ut triumvirale imperium, i. e. imperium Octaviano triumviro datum, certe kalendis Ianuariis anni 31 non iam fuerit. Minus recta eorum opinio, cui opinioni res quidem favent, sed ius repugnat, videtur, qui putent nescio quo modo illud imperium prorogatum vel continuatum esse [2]). Inde ab illis kalendis, id quod optime vidit Dessauius [3]), summi momenti est consulatus, quem postea sine ulla intermissione Caesar gessit; quibus consulatibus non iam post breve tempus se abdicavit, verum per totos annos functus est; iam statim consulatu per totum annum 31um perducto cuivis demonstravit se triumviratum finitum triumvirique imperium terminatum putare [4]). Cuius enim usus triumviro esset consulis dignitas?

Nisi igitur etiam de tertio quodam nobis verba essent facienda, proclamare sufficeret Caesaris imperium ad pridie kal. Ian. anni 31 fuisse triumvirale, postea autem consulare. Tertium illud tractaturos iuvat ipsa fontium verba proponere. Rerum gestarum divi Augusti duo loci exscribendi; prior (in capite 25) hic: *iuravit in mea verba tota Italia sponte sua, et me belli, quo vici ad Actium, ducem depoposcit. Iuraverunt in eadem verba provinciae Galliae, Hispaniae, Africa, Sicilia, Sardinia. Qui tum iuraverunt in eadem verba, fuerunt senato-*

1) Cf. Dessau p. 24; Wilcken p. 82.

2) Sunt permulti, praeter Kromayerum (l.l.) omnes fere. Solus Mommsenus accuratis iuris formulis utitur in opinione sua defendenda. Quae Antonio quidem valent, sed Octaviano minime conveniunt.

3) Cf. p. 24 et 28.

4) Huius anni consulatus (Dio 50, 10, 1) iam antea Antonio et Caesari datus erat. Interest igitur non quod eum Caesar accipit, sed quod acceptum servat. Cf. infra p. 9. Non video qua ratione ad iuris publici regulas accommodet Dessauius quae scripserit (p. 30): *„Die ihm im J. 43 — — übertragenen Befugnisse hat er weiter unbedenklich in Anspruch genommen und ausgeübt, gestützt auf das — — ohne Unterbrechung geführte Consulat* (quomodo?) *— — Insbesondere hat der Machthaber die ihm im J. 43 zugleich mit dem Triumvirat oder vielmehr als ein wesentlicher Bestandteil desselben für das ganze Reich verliehene oberstatthalterliche (gesteigerte proconsularische) Gewalt — — nicht aus Händen gegeben.* Tale imperium consulis non est. Nonne iniuriam defendit vir doctus?

Digitized by Google

res plures quam DCC; alter in capite 34: *in consulatu sexto et septimo, postquam bella civilia exstinxeram, per consensum universorum potitus rerum omnium, rem publicam ex mea potestate in senatus populique Romani arbitrium transtuli.* Addatur praeterea Suetoni locus (vita Augusti 17) hic: *Bononiensibus publice gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis*; postremo autem Cassi Dionis hic (50, 6): *καὶ τοσαύτῃ γε προθυμίᾳ ἀμφότεροι* (sunt Antonius et Caesar) *ἐμοίωσ ἐχρήσαντο ὥστε καὶ ἐνόρκουσ τὰσ συμμαχίασ σφῶν ἑκατέρῳ ποιήσασθαι.*

Si quid video, a tribus locis, qui de coniuratione sunt, incipiendum, et ex iis promenda quae usui esse poterunt, amovenda autem quae ad propositum non pertinent. Apud Suetonium enim ab iure publico aliena sunt verba, quae sunt „pro partibus suis" [1]). In Dionis loco aestimando noli oblivisci, id quod iam dixi, adversariorum illorum res non unam et eandem rationem publicam habuisse, itaque etiam alterius sacramentum non utique idem valere atque alterius. Nunc videamus quid valeat sacramentum in Caesaris verba ab omnibus civibus et senatoribus et magistratibus, quotquot Urbs et Italia et provinciae ad occidentem vergentes haberent, dictum.

Ducem belli Caesarem depoposcerunt omnes et in verba ducis iuraverunt. Sciebant autem id bellum non paucis mensibus confici posse, sed Caesarem etiam post annum 32um ducem fore, triumvirali imperio finito. Huic autem imperio vix quicquam momenti addidit coniuratio: triumviri quasi infinita erat potestas, ibique cum Dessauio libenter stabo dicente [2]): *„Der Eid, den sich Octavian von ganzen Bevölkerungen leisten liess, stärkte seine Position im Kampfe gegen Antonius moralisch (und indirect auch materiell), fügte aber seiner bereits vorhandenen eminenten Befehlsgewalt nichts hinzu.* Etiam Antonii imperio nil addit suorum iūsiurandum. Post annum 32um consul factus, tamen, ut cuique notum, maius imperium quam pro magistratu exercet Caesar. Quo iure? Nisi coniuratione illa nitebatur id imperium, nulla re nitebatur neque legitimum

1) Iniuria Kolbeus (p. 290) me iudice affirmat: *„Aus Suetons Zeugnis geht hervor, dass die Gemeinden als solche sich Octavian durch einen Eid verpflichteten"*. Nusquam apparet illud „Bononienses" idem esse atque civitatem B. Ceterum vix quicquam novi docet Suetoni locus. 2) P. 1019.

Digitized by Google

erat. Quare inquirendum utrum summum imperium, quale Octavianum exercuisse videamus, e coniuratione duci potuerit, an iterum post duodecim annos rempublicam iniuria affecerit idem. Equidem iniuriam et vim non fuisse puto, his de causis.

Mommsenus iam vidit coniurationem esse conferendam cum tumultu; qui quid fuerit, idem docuit [1]). Itaque scimus in tumultu uni vel pluribus imperium extraordinarium datum esse ad pericula averruncanda. Cum autem necessitas laborante republica summa lex fuerit, arduum, ne dicam stultum, videtur certas regulas incertis rebus quaerere [2]). Maximi nobis ponderis est statui posse rem publicam semper tumultuaria imperia novisse et in rerum discriminibus ea probavisse legitimaque aestimavisse. Quale tamen eiusmodi imperium fuerit, si rogas, haec inter alia animadvertas velim:

1) non semper idem est, quia periculum non semper idem est. [3])

2) non certarum legum auctoritate, sed hominum, sed civium voluntate et fide nititur.

3) eius amplitudo et spatium ex magnitudine et diuturnitate discriminis pendent, vel potius — nam illud minus rectum puto — ex opinione, quam de periculi gravitate et diuturnitate idem cives habeant.

Una enuntiatione ut haec tria complectar, tumultuaria imperia, quippe quae extra ordinem oriantur, talia sunt, qualia civium consensus et conscientia ea in praesentia esse cupiant.

Atqui ex anni 32i coniuratione imperium ducere Caesar potuit, dum cives ne obsisterent. Omnes enim qui iusiurandum dixerunt, ei parere voluerunt itaque debuerunt, sicut milites duci. Si verum quaerimus, Octaviano non iam erant Quirites, non iam erant patres conscripti; erant soli milites. Quin etiam magistratibus, qui se obligaverunt — idque omnes fecere — imperium quidem erat, sicut antea, in ceteros; sed sacramento coacti ipsi id imperium Caesaris iussis obnoxium fecere: quamdiu

---

1) *Staatsrecht* I² p. 662 sqq. 2) Cf. ibid. p. 663.

3) Ita potestas illius Scipionis tribuni militum (Liv. 22, 53, 7) et potestas consulis post senatusconsultum ultimum ambae quidem extraordinariae sunt, sed tamen toto caelo distant.

Digitized by Google

et quibuscumque in rebus huius potestas obloquebatur, latebat ceterorum auctoritas. Cum praeterea universi in eius verba iuraverint et mirabilis fuerit consensus omnium, prorsus nemo inveniri potuit quin Caesaris imperium maximum esse vellet [1]). Itaque infinitum fuit, quia infinitum id esse res publica voluit.

Haec si probes, facere non possis quin mecum inania putes, quae non semel obiciantur. Wilckeni verba e. g. afferre possum haec [2]): *Aber dieses rein militärische Kommando für den Krieg gegen Antonius und Kleopatra konnte ihm noch kein vollgültiger Ersatz für die viel weiter greifende unbeschränkte Gewalt des Triumvirats sein... Mir scheint daher die Annahme geboten, dass er diese triumvirale Gewalt und zwar mit ihren Kompetenzen und ihrer Zweckbestimmung, mit dem Notstandskommando verbinden liess.* Me iudice parum explorate concepta proclamat, quicumque disserit Caesaris tumultuarium imperium nil nisi militare imperium fuisse quodque uni bello adversus Antonium gerendo concessum esset, sicut antea quoque ad singula pericula defendenda instituta essent [3]). Quibus de causis id sentirem, iam legisti. Unum tamen concedam; interest aliquid inter potestatem triumviro rei publicae constituendae causa lege permissam et auctoritatem, quam ex eiusmodi coniuratione hauserit magistratus vel privatus. Ad illam pertinet, ad hanc non pertinet legum latio; qui hanc habet, is etiam contra leges iubet [4]), sed ipse leges non fert. Quid mirum? Coniuraverunt non senatus et populus Romanus; non ipsa respublica sacramentum dixit vinctamque se tradidit. Cives, homines id fecerunt. Itaque res publica quiescit, dum integra restituatur, sed ipsa non iam mutatur. Unde sequitur ut a Kalendis Ianuariis anni 31[i] munus rei publicae constituendae non iam Caesari fuerit. De qua re statim plura addam, sed pauca iis praevertenda. Extraordinarium imperium huius generis finem habere potest duabus rationibus: nam aut ii, qui iura-

1) Cf. Monumenti Ancyrani c. 25 supra (p. 3/4) citatum, et Kromayerum p. 15 sqq., imprimis p. 18—9.

2) Ea scripsit in p. 83.

3) Kromayero id post alios quoque obiecit Wilckenus p. 84.

4) Cf. in loco Dionis Cassi, quem infra p. 7 dedi, verba quae sunt ἀνόμως et ἀδίκως.

Digitized by Google

verunt, se ipsi rei publicae causa (vel nomine) iureiurando solvere possunt, quod erga Caesarem nunquam ne voluerunt quidem; aut is, qui id imperium habet, ei finem imponit; quod eo fit, quod expressis verbis id deponit, pericula et rerum discrimina terminata esse ratus, sive eos, qui iuraverunt, sacramento liberat, sive extraordinarios milites missos facit, sive quibus verbis eandem semper rei publicae restituendae rationem declarare mavis. Certe haec sacramenti solutio pristinas res immutatas restituit; populo sua iterum iura, senatui sua munera, magistratibus sua imperia et potestates sponte redintegrantur. Quae imperator ille extraordinarius decrevit, ea in posterum non valebunt, nisi antiquis legibus semper convenerunt, vel nunc secundum eas moremque patrium a populo nova lege sanciuntur aut senatus consulto confirmantur. Scimus post sextum consulatum, vel potius anni 27^{i} idibus Ianuariis Caesarem rem publicam restituisse [1]). Teste Cassio Dione (53, 4, 3) eo die reddidit libertatem et populi arbitrium, sed etiam τὰ ὅπλα τοὺς νόμους τὰ ἔθνη atque (53, 9, 6) τὰς προσόδους; quae verba nil aliud significant [2]) nisi quod sacramento liberat magistratus omnes, quibus aliqua potestas sit, etiam senatores totamque civitatem, et leges, ut antea, valere et vigere iubet. Quod autem ad alium Monumenti Ancyrani locum, quem adhuc reliquimus intactum [3]), pertinet, eius verba rationi meae non repugnant. Plerique etiam his anni 32^{i} res designari putant [4]). Quae si vera sunt, optime se habent. Nam, qui illud ceteris praestans imperium obtinuit, universis in ipsius verba iurantibus, nonne „omnium rerum potitus" est? Nonne postea sacramento resoluto „ex sua potestate se rem publicam in senatus populique Romani arbitrium transtulisse" proclamare poterit? Sin autem recte contendit Dessauius [5]) — quod equidem pro-

1) Cf. imprimis ipsius Res Gestas (c. 34): *rem publicam .. in S. P. Q. R^{i}. arbitrium transtuli*; etiam Cassium Dionem in oratione quam Caesari tribuit (53, 4, 3 sqq.), versumque Ovidi (*Fast.* 1, 589): *redditaque est omnis populo provincia nostro.*

2) Prius iam reddita Asia (cf. Mommsen, *R. G. D. Aug.*^{i} p. 149.) significat eum, cui ea provincia obveniat, sacramento iam ante ceteros liberari.

3) Cf. supra p. 4.

4) Inde a Mommseno usque ad Wilckenum.

5) P. 1019.

Digitized by Google

bare malim — ad annos 28um et 27um ea verba pertinere, non iam ullius momenti nobis sunt, cum de iure publico minime agantur.

Ipsa fontium verba nos cogere non videntur ut putemus post annum 32um Caesari constituendae rei publicae potestatem remansisse. Eius facta nihil magis nos cogunt: equidem nil tale inveni. Coniuratio omnia mihi explicat. Quin etiam idibus illis Ianuariis rem publicam non constituit, iure dico. Extraordinario enim imperio deposito, consul erat Caesar, nil praeterea. Duo nunc sunt consules, eiusdem potestatis [1]), e quibus alter rogante senatu magnam orbis terrarum partem accipit provinciam. Solebant quidem his temporibus consules domi manere, sed recte militiae quoque magistratu fungi poterant [2]). Usque ad annum 23um imperium consulare exercuit in eas regiones, quas „provincias imperatorias" plerumque dicimus; „provincia", quotannis eidem consuli decreta [3]), erat summa „provinciarum imperatoriarum", si uno vocabulo duobus sensibus, altero legitimo, altero κατακχρηστικῶ sed communi, uti licet. Provincia autem consuli ab senatu decernitur; itaque de populo in hac re sermo nullus [4]). Iure igitur, si non re vera, septimo Caesaris consulatu facta est rei publicae restitutio, non constitutio.

1) Cf. Res Gestas (c. 34): *post id tempus praestiti omnibus dignitate, potestatis autem nihilo amplius habui quam qui fuerunt mihi quoque in magistratu collegae.* Verba gravissima viro docto A. E. R. Boak obloquuntur contendenti (*The extraordinary commands from 80—48 B. C.* in *Amer. hist. Rev.* 24, 1, 1918 p. 23) Caesari fuisse praeter consulatum etiam imperium consulare infinitum in decem annos datum. (*In other words Aug. was consul and held an extraordinary command besides*). Nusquam de tali imperio addito legimus quicquam. Cum senatu convenit se decem annis consulatum gesturum esse; quod satis erat, nam soli senatores consulatum petere poterant. Quotannis autem totum Caesaris imperium instaurabatur.

2) Id teste Mommseno (*Staatsrecht* II^2 p. 90) factum est annis a. C. n. 73 et 60.

3) Cf. supra n. 1. Ceterum de Augusti imperio, quod post annum 28 exercuerit, cf. H. Pelham, *On some disputed points connected with the „Imperium" of Augustus and his successors.* in *J. of Philol.* XVII 1888 p. 27 sqq., imprimis p. 32 sqq.

4) Dum excipias Dionem (53, 12, 1): τὴν μὲν οὖν ἡγεμονίαν τούτῳ τῷ τρόπῳ καὶ παρὰ τῆς γερουσίας τοῦ τε δήμου ἐβεβαιώσατο. Qui tamen plerorumque iudicio fallitur.

Digitized by Google

Paucis mea ut complectar, anno 32° Caesaris potestas erat triumviralis, cui vix addidit quicquam universorum coniuratio; kalendis Ianuariis anni 31[1] non iam exstabat illa potestas, unde factum est ut gravissimum evaderet imperium, quod in praesentia per mirum omnium consensum duci tribuere posset coniuratio. Consulatum tamen semper sibi reservavit, quod is esset ordinarius idemque maximus magistratus, etiam, ni fallor, ne tumultuaria potestate deposita incommode privatus fieret.

Caesarem ne rei publicae vim afferret diligenter cavisse scimus. Ipsum ius si spectamus, in iis rebus, quas tractavimus, ei successisse, quod egerit, videmus.

Inscriptio Pompeiana restituitur.

CIL. IV 64. add. p. 191 legimus: urna aenia pereit de taberna. seiquis rettulerit dabuntur HS LXV. Sei furem dabit, unde r̤[e]m̤ s̤e̤r̤v̤a̤r̤e̤ [p]o̤[ssimus, HS] XX..... Extrema plane desperata esse videntur, id quod movit v. cl. A. Mau, ut in libri notissimi „Pompei in Leben und Kunst" editione altera p. 508 ultimas litteras omitteret. Hoc tantum moneo *rem servare* nec sensum praebere lucidum nec cum praecedentibus bene quadrare. Itaque haud scio an loco nostro *recuperare* sit legendum. Non modo contextus recipiendi vel recuperandi sensum desiderat, sed recuperatorum collegium clare demonstrat iam aetate liberae reipublicae recuperandi verbum etiam hoc sensu iuridico „rem amissam pristino possessori vel domino restituere" esse adhibitum. De hac re cf. quae disseruit F. Girard, Manuel de droit romain, ed. 6ae p. 1025, ann.

F. M. J. f.

Digitized by Google

AD VERGILII ECLOGAM QUARTAM.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Hoc triennio demum nobis contigit studiis eximiis Bollii Nordeni Weberi, ut Vergilii quarta Ecloga, etsi fortasse non ab omni parte minimas res intellegimus, tamen mysteria sua panderet neque iam dubitaremus de poetae consilio aut de origine carminis prorsus singularis. Huius triumviratus praesertim primus [1]) ut res obscuras illius poematis illustraret, ab astrologia opem petivit idemque apte contulit opus Ps.-Callisthenis, quippe cuius narratio ex antiquis fontibus hausta sit. Secundus autem in libro c. t. Die Geburt des Kindes [2]) iure summis laudibus ornatus [3]), cum non minus perspicuitate atque copia excellat quam gravissima argumentatione, et totum carmen pro sua consuetudine dilucide explicat et docet qualis sit ratio intercedens inter res religiosas, quibus nititur poeta Romanus religionemque cum Aegyptiorum vetustam tum Alexandrinorum recentem [4]). Tertius [5]) denique a Nordeni ratione profectus ostendit etiam ea quae de Zarathustrae et Buddhae divino ortu memoriae prodita sunt, lucem afferre aliquot locis huius Eclogae colorem orientalem prae se ferentis. Idem Weber

1) Sulla quarta Ecloga di Virgilio. (Memorie delle R. Academia delle Scienze dell' Istituto di Bologna. Serie II Tome V—VII p. 1—22. Bologna 1923).

2) Studien der Bibliothek Warburg. Teubner 1924.

3) Vid. The Classical Quarterly XVIII 1924 p. 113 H. J. Rose some neglected points in the fourth Eclogue: „Ed. Norden's charming monograph".

4) Ibidem Rose scribit: Norden, in the book already quoted, pleads eloquently and very plausibly in favour of Egypt.

5) Der Prophet und sein Gott. Eine Studie zur vierten Ekloge Vergils. Beihefte zum „Alten Orient". Heft. 3. Hinrichs'sche Buchhandlung. Leipzig 1925.

Digitized by Google

contendit Vergilium postea puerum quidem carminis bucolici in Georgicis et Aeneide non iam respexisse, sed partes illius herois transtulise ad Augustum, cum tamquam vates provideret Caesarem fore κοσμοκράτορα paciferum ideoque eius μῦθον panxisse. Ceterum tres illi interpretes pro se quisque arbitrati sunt in Litteris Sacris quoque non pauca inveniri quae similia sint nonnullis huius poematis locis.

Hic mihi in animo est quae minus recte a Webero videntur disputata esse, refellere conari additis observatiunculis pauculis ab illo triumviratu praetermissis, in fine autem investigandum mihi erit, utrum Horatius in Epodo sexto decimo Vergilium imitatus sit, an Flaccus Epodo prius composito ipse exemplo fuerit Eclogae quartae.

A Vergilio Eclogam quartam ita conditam esse ut in ea regnaret numerus septem primus vidit Boll. Nolo repetere quae partes septenariae secundum illum sibi respondeant. Legentibus vero attendendum est totum carmen continere 63 versus i. e. septies novenos (vel $7 \times 3 \times 3$), septem et tres autem antiquitus numeros fuisse sacerrimos. Meminimus enim astrologos putavisse hominem sexaginta tres annos natum habere tempus climactericum κατ' ἐξοχήν. Vitam porro et originem pueri (quod caput est) tradit poeta versibus quadraginta novem (15—63) i. e. septies septenis. Sed maxime memorabile videtur versu quadragesimo nono (7×7), ubi tamquam cardo ipse poematis reperitur, patefieri summum deum esse patrem pueri tantopere admirandi:

cara deum suboles magnum Iovis incrementum.

Quamquam tresviri illi de summis rebus consentiunt, tamen bis terve a ceteris Weber recedit et quidem locis hisce

6 iam redit et Virgo redeunt Saturnia regna,
iam *nova progenies* caelo *demittitur* alto.
tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto *surget* gens aurea mundo,
10 casta fave Lucina.

De his versibus Weber exponit haec p. 20 (der Dichter verkündet) die Wiederkehr der Göttin, die als letzte die sündige Erde verliesz und des saturnischen Reichs; sie fallen mit der Herabkunft einer neuen *progenies* zusammen, *der Ge-*

Digitized by Google

burt eines Knaben, mit dem allmählich das eiserne Geschlecht verschwinden, das goldene auferstehen wird.

Ad eandem rem redit auctor p. 21 in annotatione sic scribens: Kann die *nova progenies* das vom Himmel gesandte Geschlecht sein? Wohl kehrt die Jungfrau zurück, die als letzte einst die Erde verliesz, das saturnische Reich kommt, aber mit die Geburt des Knaben, wird das eiserne Geschlecht aufhören, *surget gens aurea*, es wird sich auf die Erde erheben, wie es auch im grossen Weltfrühling einst geschah

Georg. II 340 virumque
terrea progenies duris caput extulit arvis.

Qui tamen animum attendit ad versum

8 tu modo *nascenti puero*..... fave Lucina

concedet ibi demum Σωτῆρα induci, cuius divinam originem non ante versum 49. pandendam esse supra vidimus. Usque ad hunc locum poeta nimirum de industria vult legentes suspensos tenere de genere infantis salutiferi. Quoniam autem vates iam mentionem fecit de Astraeae reditu, quae olim scelere populorum offensa terras reliquit, necesse est nunc commemoretur meliores homines generari dignos qui in regnis Saturniis vivant. Quod non neglexit Vergilius nam alludens ad doctrinam Platonicam canit

7 iam nova progenies caelo demittitur alto

i. e. meliores animas de caelo descendunt, ut in corpora humana introeant nascentia. Itaque vs. 7 per epexegesin additus est ad verba (vs. 6): redeunt Saturnia regna. *Progenies* ergo non significat (id quod Weber vult) *puerum*, sed *novum genus humanum.*

Iam vero vehementer miror Weberum

9 toto *surget* gens aurea mundo

ita accipere, quasi hoc novum quoque genus hominum e terris existeret, sicut Georg. II 340 (supra all.) Ibi enim mundi procreatio depingitur secundum omnium fere auctorum [1]) opinionem *proprieque* dicitur

..... progenies ..... caput *extulit* arvis.

---

1) Cf. e. g. Lucret, V 789 sqq.; ibid. 1411 cet.

Digitized by Google

Webero uni quod sciam *surget* idem est atque e terra proveniet, quamquam in Ecloga legimus

9 toto surget gens aurea mundo

i. e. ortum, initium ubique *in* mundo gens habebit. Procreatione nunc opus non est: sunt iam homines, e quibus melior gens nascatur oportet.

Ceterum verba

... nova progenies caelo demittitur alto

iam ante Vergilium quasi verba concepta erant, quibus scriptores saeculi aurei ortum significabant. Itaque ea ipsa [1]) Lucretius irridere potuit II 1153—1154

haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne
aurea de caelo demisit funis *in arva.*

Semper et ubique in Ecloga Weber videt puerum etiam in locutione *decus hoc aevi* occurrens

11 teque adeo *decus hoc aevi*, te consule inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses.

Weber improbans Nordeni interpretationem „eine glanzvolle Zeitperiode" negat omnino locum Senecae (Epist. 87, 10 *saeculi decus*), quamvis sit similis, conferendum esse. Norden nempe putat *inibit* intransitive esse adhibitum, sicut *ineunte vere*, quod non magis Webero placet. Hic enim ait *decus* apud Vergilium semper significare personam, *inibit* autem absolute esse usurpatum non aliter atque apud Tac. Ann. III 11 Drusus rediens Illyrico, quamquam patres censuissent ut ovans *iniret*, prolato honore *urbem* intravit.

Hic auctor videtur parum sibi constare, utpote qui alterum vetet Senecae locum parallelum afferre, cum ipse provocet ad Tacitum. Verum videamus sententiam illum Taciteam. Nonne *iniret* adiecto participio *ovans* alium colorem habet atque *iniret* nostro loco? Praeterea unusquisque agnoscet *urbem* non minus pertinere ad *iniret* quam ad *intravit.* Nihilosetius etsi ipse Weber affirmat *inibit* absolute esse positum, vertit p. 22 diese Leuchte der neuen Zeit wird ihren Einzug *in die Welt halten.*

1) Iniuria Weber confert p. 142 Georgic. III 35—36

Assaraci proles *demissae*que ab Iove gentis
nomina Trosque parens et Troiae Cynthius auctor,

ubi *demissae* sensu positum est *oriundae.*

Digitized by Google

Ergo hic interpres vertens *inibit in mundum* suam ipse rationem evertit.

Quocirca redeundum est ad vulgarem interpretationem: hoc splendens saeculum incipiet [1]), quae confirmatur versu insequenti, ubi more Vergiliano sententia praecedens variatur explicaturque

12 ...et incipient magni procedere menses.

Hic *magni menses* respondent fere verbis *decus aevi*, at *incipient procedere* congruunt cum *inibit*.

De versibus 34—36.

Perspicue utique Weber dicit quae sentit de versibus 7, 9, 11 obscurius e contra exponit haec (p. 77):

Die Politik der Opposition war in ihren gedanklichen Leistungen nicht gerade erfinderisch und ihrer Tat war ein zweifelhafter Erfolg beschieden. Neue Bürgerkriege tobten in Stadt, Land und Reich, wie der nun tote Caesar sie vorausgesehen hatte, wie Vergil später sie als Zorn der Götter deutete (Georg. I 491) und wie er andeutete, als er sang:

alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo
35 delectos heroas; erunt etiam altera bella
atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Hic credo etiam aliis legentibus in primoribus labris versari notissimum illud: Davus sum non Oedipus!

Magna pars interpretum [2]) meritissimo putant in his versibus agi de expeditionibus eiusdem generis atque Argonautarum et de bellis, quale fuit Troicum. Sed qui fit ut Vergilius hic tam peculiariter loquatur et hoc ipso loco eos versus inserat?

Recte observat H. I. Rose (l.l. p. 113), that Vergil took pictnresque ideas wherever he could find them, and wove them into an artistic whole. Quod cadit in hos tres versus. — Meminimus apud Hesiodum homines degenerantes depingentem sibi succedere genus aureum argenteum aeneum, aeneum autem excipi heroum saeculo, post hoc venire ferreum ultimum et pessimum. Heroum genus, quoniam ipse vates Graecus aeneo vocat δικαιότερον καὶ ἄρειον, parum apte insertum est inter aeneum

1) Assentitur H. J. Rose. The Classical Quarterly XVIII p. 114.

2) Etiam recentes editores Plessis et Lejay sic censent, at non apparet, quomodo Iahn eos versus intellegat.

Digitized by Google

et ferreum. Videamus nunc quomodo Vergilius egerit. Intellegimus nostrum indicare homines paulatim meliores fieri inde a versu 18, nam vs. 31 docet pauca modo vestigia fraudis superesse. Ergo versus 33—36 appropinquant descriptioni saeculi aurei a versu 37. incipienti. Ideo poetae Romano iure peridoneum visum est hic suam heroum actatem collocare intermediam tamquam transitum ad optimam.

Etsi et apud Hesiodum et apud Vergilium sermo est de bello Troico non ille fons est huius. Alia hic ratio nostrum movit ut alteram Argo, alterum Tiphyn, alterum bellum Troianum commemoraret. Nunc saltem Servius viam nobis monstrat, nam sic monet: videtur locus hic dictus per apocatastasin id est per omnium rerum revolubilitatem ex siderum ratione.

Astrologia enim docet, cum post permulta saecula praeterita positus caeli siderumque idem futurus sit, qui initio fuerit mundo oriente, omnia prorsus eodem ordine reversura esse quo antea acciderint; Oedipum quidem renasciturum ut iterum exponatur, iterum patrem occidat, iterum matrem uxorem ducat. Itaque secundum hanc doctrinam in fatis est ut Tiphys omnesque delecti illi heroes Graeciae revertantur, qui iterum Argo conscensuri sint et Achilles renascatur Troiae oppugnandae gratia. Cum igitur Vergilius hic ex usu mathematicorum de heroibus loquatur (ter repetens vocem *alter* premensque *iterum*), quodammodo Hesiodum atque astrologiam contaminavit.

De elocutione et figuris.

Maxime laudanda sunt, quae Weber affert de elocutione et metro (p. 14—18). Re vera in quarta Ecloga nihil est quaesitum, omnia sunt apta, nihil nimium, nullus superlativus occurrit praeter *ultima*. Saepissime finis sententiae cum versu congruit, nulla periodus obscura est, una quaeque perspicua. Dactyli superant spondeos, soni clari fuscos, ut totum carmen suavissimum sit. Si usquam in Eclogis, in quarta praecipue deprehendas molle atque facetum illud, quod tantopere Horatius admirabatur.

Operae pretium est figuris quibus poeta utitur, enumerare:

Digitized by Google

Allitterationes: 3 silvas, silvae sint; 22 magnos metuent [1]); 36 magnus mittetur; 45 sponte sua sandyx; 51 terrasque tractusque; 60 (= 62) parve puer;

Anaphorae 6 redit... redeunt; 4—6—7 iam... iam... iam; 24—25 occidet-occidet; 34—35 altera-altera-altera; 40 non... non; 43—44 iam... iam; 32—33 quae... quae... quae;

Ἐπαναλήψεις 58—59 Pan etiam Arcadia... Pan etiam Arcadia; 60—62 incipe parve puer... incipe parve puer;

Traductiones (διαφοραί) 3 silvas silvae; 39 omnis... omnia; 64—65 matrem matri.

Mihi vero nihil elegantius videtur quam

3 si canimus silvas, silvae sint consule dignae,

ubi unaquaeque vox habet sonum *s* praeter ultimam, et sonum *i* praeter paenultimam. Nonne voluit Maro ramorum foliorumque strepitum versu quoque imitari? Eiusdem generis est

45 sponte sua sandyx pascentes vestiet agros,

qui versus descriptionem saeculi aurei terminat sic, ut quasi oves audias gramen carpentes.

De Vergilii Ecloga quarta et Horatii Epodo sexto decimo.

Quartam Eclogam et Epodum sextum decimum similem materiam dissimili modo tractare, cum tamen nonnulli versus manifesto aliquot similitudines [2]) habeant, quis est qui nesciat?

Quaerendum est igitur utrum carmen prius conditum alteri fuerit exemplo. Norden de hac re principio libri (p. 6 in annotatione) haec tantum scribit: Wenn meine Datierung der Ekloga auf die Wende der Jahre 41—40 sich bewährt, so

---

1) Hanc eandem allitterationem invenimus Aen. IX 346 *magnum metuens.*

2) Conferendi sunt praesertim hi loci

Ecl. 4, 22 nec metuent armenta leones	Ep. 16, 33 nec.. timeant armenta leones;
21 ipsae lacte domum referent distenta capellae	49 iniussae veniunt ad mulctra capellae;
24 occidet et serpens	52 nec intumescit alta viperis humus;
34 altera vehat Argo... heroas	57 non huc Argoo intendit remige primus;
8—9 ferrea primum desinet ac toto surget gens aurea mundo;	64 inquinavit aere tempus aureum;
4 ultima... aetas;	1 altera..... aetas.

Digitized by Google

gewinnt die Annahme ihrer Priorität gegenüber dem horazischen Gedicht, wofür auch sonst viel geltend gemacht worden ist, noch an Wahrscheinlichkeit. Qui profecto perlectis Bollii Nordeni Weberi libris didicit, quam plena haec Ecloga materiae sit religiosae non modo Aegyptiorum caerimoniis cognatae, sed etiam Persarum Indorumque historiae sacrae, quantopere imbuta sit rebus astrologicis, a quo venerabili Sibyllino proficiscatur, non potest non fateri vi, gravitate, dignitate, altitudine carminis bucolici epodum longe superari. Epodus ille quamvis sit egregius a re metrica pertinet ad genus, quod nos dicimus Utopiae [1]). Num igitur verisimile est Horatium Vergilio fuisse exemplo? Nihilosetius Skutsch [2]) et Iosephus Kroll [3]) Vergilium non pauca ab Horatio mutuatum esse conati sunt probare. Tota res vertitur in duobus versibus vel potius verbis (*metuent-timeant*):

Ecl. 4, 22 ...nec magnos *metuent* armenta leones

Ep. 16, 33 credula nec ravos *timeant* armenta leones [4]).

Skutsch autem sic ratiocinatur: si Ecloga prius scripta esset, Horatius, cui coniunctivo opus erat, posuisset *metuant*, sed placuit ei usurpare *timeant*, ergo e Vergilio nihil hausit. — At Vergilio opus erat futuro, metro tamen vetitus erat *timebunt* adhibere: haec est causa, cur elegerit *metuent*. Epodus ergo ante Eclogam compositus est.

Ios. Kroll l.l. p. 600 de hac argumentatione sic iudicat: ein Muster von feinsinniger Untersuchung. Cras credam, hodie nihil! Plerique lectores sine dubio cum Heinzio facient negante talibus argumentis ullam vim inesse.

Nordeni ratio Vergilium carmen suum, quo celebraret Asinium Pollionem, cum hic Kal. Ian. 40. consulatum initurus esset, panxisse anno 41 exeunte, permultis [5]) probata est. At

1) Cf. Helm, Utopia (Rostock 1921) p. 5 et passim.

2) Neue Jahrb. XXIII (1909) Sechzehnte Epode und vierte Ekloge p. 23—35; imprimis a p. 28.

3) Hermes 57 (1922) Horazens 16. Epode und Vergils Bukolika p. 600—612.

4) Fieri non potest ut simplicia Vergilii verba scripta sint post Horatii artificiosa: vel ipsum epitheton *ravos* quaesitum est, ut obscuraretur ratio inter duos illos locos intercedens; ceterum allitteratio *magnos metuent*, quae propria Vergilii est (cf. Aen. IX 346) declarat vatem Mantuanum nihil mutuatum esse a Venusino.

5) In quibus sunt Boll, Weinreich, Weber, Rose cet.

Digitized by Google

Horatii Epodus sextus decimus pertinere videtur ad mensem Martium fere anni 40, quo tempore bellum Perusinum finitum erat novumque bellum civile imminebat, quod primi versus quasi exclamant:

altera iam teritur bellis civilibus aetas
suisque et ipsa Roma viribus ruit.

Vatis animum pertristis et desiderium Insularum Beaturum satis indicant pericula ingruere maxima. Ex Ecloga quarta elucet tunc nondum ad tantum cardinem rerum ventum esse, unde facile poetae laetitiam spem fiduciam colligas. Cui constat Eclogam quartam prius esse compositam, is secum reputat ab Horatio, qui quinque annis minor erat, amicum maiorem diligenter atque pie semper cultum esse concluditque Flaccum in honorem atque observantiam Maronis e sex fere versibus tam pulchri poematis unum plurave verba in suum transtulisse. Eodem modo aliquotiens et Vergilius et Horatius Lucretium reveritus est. Denique quod Epodus sextus decimus praestat inter ceteros optime explices sumendo eius auctorem instinctum esse carmine bucolico illo!

Digitized by Google

DE SYNOECISMO BOEOTIAE POST ANNUM 379 PERACTO.

SCRIPSIT

J. H. THIEL.

Antequam ad ipsam quaestionem expediendam aggrediamur, quae fuerit forma τοῦ κοινοῦ τῶν Βοιωτῶν post annum 379 constituti, pauca liceat praefari de statu rei publicae Boeoticae, qualem per annos praecedentes valentem reperimus.

Per annos 447—386 a. Chr. n. (i. e. a pugna apud Coroneam facta usque ad pacem Antalcideam) res publica Boeotia formam eius modi foederis exhibet, quod a Graecis συμπολιτεία, vernacule *bondsstaat* appellatur. Rem revocasse sufficiat ad fragmentum illud papyraceum, ante viginti fere annos in Aegypto repertum [1]), quod praeter multa alia haud parvi aestimanda excursum quoque accuratissimum continet de huius aetatis institutis Boeoticis [2]); unde licet colligere foedus Boeoticum id temporis constitutum fuisse ex decem liberis civitatibus (πόλεις), quae ab optimatibus regerentur: pauperibus curia clausa erat, ii cives, qui inter hoplitas stipendia merebant, βουλὰς urbanas efficiebant, quae singulis urbibus praeëssent; non penes arctam igitur factionem paucorum nobilium regimen urbium Boeotarum erat, sed ἰσόνομος erat ὀλιγαρχία. Singulae autem urbes pro numero civium certum quendam

1) *Hellenica Oxyrhynchia* c. 11 (*Oxyrhynchus Papyri* V, 1908; post Huntium et Meyerum postremum edidit Lipsius, *Cratippi Hellenicorum fragmenta Oxyrh.*, Bonnae 1916). Sitne Theopompus auctor an Cratippus an Ephorus, haud facile discernas; vide tamen optimum Walkeri librum (*Hell. Ox.*, Oxonii 1913), quo Ephori causam me quidem iudice egregie oravit.

2) Cf. Meyer, *Theopomps Hellenika* (Halis 1909), p. 92 seq. et Walker, *l.l.*, p. 134 seq.

Digitized by Google

numerum bouleutarum Thebas mittebant, ubi cum Boeotarchis, qui foederi Boeotio praecerant, de negotiis publicis deliberarent: Thebae ducentos et quadraginta, Orchomenus Thespiaeque centenos vicenos, Tanagra sexaginta, ceterae sex urbes vicenos bouleutas legabant; sescenti et sexaginta igitur urbium legati τὸ κοινὸν συνέδριον efficiebant. Eadem ratione a Thebanis quattuor Boeotarchae creabantur, ab Orchomeniis Thespiensibusque bini, unus a Tanagraeis, unus ab Haliartiis, Coronaeis, Lebadensibus vicissim, item a ceteris tribus urbibus unus vicissim; undecim igitur Boeotarchae erant. Ius decidendi omnia negotia et urbana et Boeotica optimates urbani habebant; nam neque bouleutae sine certis mandatis ab iis Thebas legabantur et si quando a Boeotarchis res ad eorum consilium relata erat, de qua mandata non accepissent, ad singulas βουλὰς urbium erat reicienda [1]). Optimates Thebanos ceteros omnes auctoritate atque potentia superavisse nemo non videt: et in collegio Boeotarcharum et in consilio Boeotico plus tertia pars suffragiorum iis in manibus erat.

Anno 386 foedus Boeoticum iussu Lacedaemoniorum ex pacis Antalcideae condicionibus dissolutum est, cf. Xen. *Hell.* 5, 1, 33 Θηβαῖοι εἰς τὰς σπονδὰς εἰσελθεῖν ἠναγκάσθησαν, αὐτονόμους ἀφέντες τὰς Βοιωτίας πόλεις. Dehinc omnes Boeotiae πόλεις nummos ipsae cudere, quod aetate foederis facere desierant, denuo coeperunt [2]). Tamen nomine tantum liberae erant: δυνασταῖσι perpaucorum optimatium Spartae faventium ubique praesidiis Lacedaemoniis adiuvantibus dura imperia exercebant (Xen. *Hell.* 5, 4, 46). Thebani soli pristinam oligarchiam moderatam aliquamdiu servarunt (Xen. *Hell.* 5, 2, 29 ἡ βουλή); duae optimatium factiones, altera Spartae favens, altera, cui praeerat Ismenias, Atheniensibus iuncta (*Hell. Ox.* 12, 1) foederisque Boeotici desiderans de principatu inter se contendebant. Anno autem 382 Cadmea a Lacedaemoniis occupata,

1) Cf. Thuc. 5, 38, 2, quem locum mox fusius tractabo in bibliotheca disciplinae historicae dedita, cui nomen *Tijdschrift voor Geschiedenis*. Vide etiam Walker, *l.l.*, p. 141.

2) Vide Pauly-Wissowa, *Real-Enz.*, s. v. *Boeotia*, col. 650 et Gardner, *a history of ancient coinage* (Oxonii 1918), p. 357—'58. Etiam Plataeae, quae per tempus foederis a Thebanis plane absumptae fuerant, tum restitutae.

Digitized by Google

Spartae fautores rerum potiti, principes alterius factionis partim necati, partim pulsi (Xen. *Hell.* 5, 2, 25 seq.). Per quattuor ferme annos Thebani quoque δυναστείας Lacedaemoniis obstrictae duro imperio obnoxii fuerunt; hieme anni 379—'78 exules redierunt tyrannisque interfectis copias Lacedaemonias Cadmea depulerunt.

Viri, qui Thebas tyrannide liberarant, antea Ismeniae asseclae fuerant; imperio potitos ad effectum eos adduxisse quae semper appetivissent non est quod miremur. Quare in vota optataque pristinarum Ismeniae partium paulo accuratius inquirere non prorsus inutile videtur. Haec factio, quae inde a fine belli Peloponnesiaci usque ad annum 382 et Thebis et in ceteris urbibus Boeotiae multum auctoritate valuit [1]), foedus Boeoticum, ut supra iam indicavimus, conservare atque sustinere summa vi semper studuit postque annum 386 id egit ut restitueretur. Id ipsum Lacedaemonios ut Cadmeam occuparent adversariisque Ismeniae Thebas dederent, stimulavit; timor enim iis incesserat ne foedus Boeoticum auctore Ismenia restitueretur. — Tum hoc tenendum, Ismeniae amicos, quamquam optimatibus annumerandos [2]), moderatos fuisse neque a re publica populari ratione constituenda prorsus abhorruisse [3]): Lacedaemonios oderant, cum Atheniensibus arctissime iuncti erant neque dubitandum quin adversarios impugnando magna ex parte vulgo nixi sint. Accedit quod anno 382 a paucis nobilibus plebs in duram servitutem redacta, ipsi in exsilium acti erant. Quibus anno 379 interfectis et exsules reduces et vulgus Thebanorum duas res ante omnia egisse: ut omnes Boeoti in unius populi corpus coalescerent utque regimen Boeotiae τῷ δήμῳ traderetur, facile intellegitur. Libenter igitur Plutarcho credimus tradenti post necem oligarchorum τὸν δῆμον εἰς τὴν ἐκκλησίαν convenisse ibique Pelopidam, Melonem, Charonem *Boeotarchas* creatos esse (*Pelop.* 12, 13). Nam Boeo-

1) De illius aetatis factionibus Thebanis vide *Hell. Ox.* c. 12. In ceteris Boeotiae urbibus utraque multos fautores habuit, *l.l.* 12, 2.

2) Vide Meyer, *l.l.*, p. 81.

3) Omnino in Graecia antiqua populares societatibus, foederibus, synoecismis favebant, denique id appetere solebant, quod apud nos *centralisatie* audit; optimates contra ab hisce rebus quam maxime abhorrebant.

Digitized by Google

tarchas [1]) creando Thebani significare voluerunt *Boeotorum* rem publicam, anno 386 iussu Agesilai dissolutam, *iure* restitutam esse. Omnes ceterae urbes Boeotiae Lacedaemoniis obnoxiae erant (Xen. *Hell.* 5, 4, 46. 49 et vide supra) neque ante annum 376 Thebanis contigit ut Boeotos sibi adiungerent; anno 379—'78 Thebani igitur soli sui iuris erant: res publica Boeotiae Thebis id temporis continebatur. *Re Thebanorum* vulgus Pelopidam, Charonem, Melonem Boeotarchas creavit, *iure* populus *Boeotorum* [2]). Sane in decreto populi Atheniensium initio anni 377 facto (Dittenb. *Syll.* I^3, 147) *Thebani*, non *Boeoti* inter socios Atheniensium enumerantur; sed non obliviscendum Athenienses in societate maritima constituenda quam diligentissime cavisse ne pacis Antalcideae condiciones violarent, vide e. g. tituli supra laudati v. 18.

Iam anno 378 Thebani urbes Boeotiae Lacedaemoniis eripere sibique adiungere conati sunt, cf. Xen. *Hell.* 5, 4, 42. 46. Urbes expugnare non potuerunt, quippe quae ab harmostis Lacedaemoniis defenderentur; sed *ὁ δῆμος ἐξ αὐτῶν*, ut dicit Xenophon (*l.l.*), *εἰς τὰς Θήβας ἀπεχώρει*. Hi fautores illi Ismeniae erant, quos in omnibus urbibus Boeotiae multos eum habuisse supra iam indicavimus. Per complures annos gravi servitute ab oligarchis oppressi tunc Thebas liberatas plebique traditas migrarunt [3]). Quae res initium fuit illius synoecismi Boeotorum, quem per annos 376—'75 Thebani vi armorum obtinuerunt. Hosce enim per annos Lacedaemonii, qui hactenus optimatibus urbium strenue succurrissent, domi manserunt: Agesilaus morbo affectus erat, Timothei expeditione maritima ipsorum patria in periculo versabatur, Athenienses Thebanique Cithaeronis fauces occupando Boeotia eos intercluserant. Ita

1) Boeotarchae magistratus *Boeotiae* erant; ergo per annos 386—379 Boeotarchae non fuerant, sed *urbium* tantum magistratus. Thebis e. g. polemarchi hosce per annos praefuerant, de quibus cf. Gilbert, *Griech. Staatsalt.* II, p. 61^4.

2) Haud suo iure Belochius (*Griech. Gesch.* III^1, 145^2) Pelopidam, Melonem, Charonem *polemarchos* creatos esse confirmat, vocem *βοιωτάρχης* Plutarchi errori tribuens. Fueritne etiam Gorgidas eo anno boeotarches, id quod dicit Plutarchus (*Pel.* 14), an hipparchus, quod contendit Belochius, discernere non audeo. Locus Polyaeni 2, 5, 2 neque hoc neque illud demonstrat.

3) Tamen etiam anno 377 factiones utique Thespiis infense inter se contendisse e loco Xen. *Hell.* 5, 4, 55 apparet.

Digitized by Google

factum est ut urbes Boeotiae, defensoribus nudatae, Thebanis succubuerint, cf. Xen. *Hell.* 5, 4, 63; 6, 1, 1. Plataeae, Thespiae, Orchomenus ceteris paulo diutius Thebanis restiterunt: Plataeae anno 374—'73 (Diod. 15, 46, 4) aut anno 373—'72 (Pausan. 9, 1, 8) captae dirutaeque, Plataeenses Athenas confugerunt; Thespias brevi post expugnatas esse ex locis Diod. 15, 46, 6 et Xen. *Hell.* 6, 3, 1 apparet; de Orchomeno, quae usque ad finem anni 371 libertatem servavit, vide infra.

Quaerendum nunc est, quae indoles rei publicae Boeotorum hisce temporibus fuerit. Isocrates (14, 9) dicit Thebanos Thespienses Tanagraeosque coegisse *συντελεῖν εἰς τὰς Θήβας* idemque tradit Diodorus de universa Boeotia (15, 50, 4 *Θηβαῖοι .... τὴν Βοιωτίαν ὑπὸ μίαν ἄγοντες συντέλειαν*, cf. etiam 15, 38, 3). *Συντελεῖν* quid est? Rem reicere liceat ad locum *Hell. Ox.* 11, 3 *Θηβαῖοι μὲν τέτταρας* (Βοιωτάρχας) *συνεβάλλοντο, δύο μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως, δύο δὲ ὑπὲρ Πλαταιέων καὶ Σκώλου καὶ Ἐρυθρῶν καὶ Σκαφῶν καὶ τῶν ἄλλων χωρίων τῶν πρότερον μὲν ἐκείνοις* (i. e. Plataeensibus) *συμπολιτευομένων, τότε δὲ συντελούντων εἰς τὰς Θήβας.* Plataeae, Erythrae, etc. ante annum 386 non sui iuris erant, sed in Thebanorum *πόλιν* plane abierant neque ipsae *πόλεις* erant [1]). Quod Thebani antea finitimis tantum oppidis intulerant, post annum 379 toti Boeotiae iniunxerunt: sibi arctissime conectere studuerunt; itaque *συντελεῖν εἰς τὰς Θήβας* vertendum est: *abisse in Thebanorum civitatem*, *ὑπὸ μίαν ἄγειν συντέλειαν* prorsus idem est atque *συνοικίζειν*. Res publica Boeotia Epaminondae aetate optime igitur comparari potest cum Atticae statu: ut omnes demotae Attici unius *πόλεως* cives fuerunt, ita omnes incolae Boeotiae in Boeoticam *συντέλειαν* abierant [2]). Quare minus recte loquaris de *foedere* post annum 379 restituto, sed praestat dicere *synoecismum* [3]); vide quod dicit Francottius (*la polis grecque*, p. 150): „*Par là se marque la distinction entre le synoecisme: un droit de cité unique, et la confédération: des droits de cité particuliers*

1) Vide Meyer, *l.l.*, p. 98.

2) Thucydides, ubi loquitur de synoecismo Atticae (2, 15, 2), et *συνοικίζειν* dicit et *συντελεῖν*.

3) Cf. Dio Chrysost. 45, 13 *ὥσπερ Ἐπαμεινώνδας ποτὲ τὴν Βοιωτίαν εἰς τὰς Θήβας συνῴκισεν.*

Digitized by Google

coexistants avec un droit de cité commun." Itaque tota Boeotia illa aetate, ut Attica, in formam unius πόλεως redacta erat. De *domicilio* autem civium verbum συντελεῖν nil dicit neque cum synoecismo migratio semper coniuncta esse debet [1]). Optime enim dicit Francotte (*l.l.*, p. 105): „*Quel est le résultat du synoecisme? C'est la fondation d'un Etat. Le synoecisme est donc essentiellement une opération politique.*" Equidem non credo Thebanos Tanagra Thespiisque solo aequatis incolas Thebas transportasse; quod ne ex Xenophontis quidem verbis Thespienses ἀπόλιδας nominantis (6, 3, 1) concludere licet. Hoc id ipsum est quod verbo συντελεῖν significatur [2]): Graeca πόλις sui iuris est; si in maius κοινὸν abiit, non iam πόλις est. Thespienses igitur ἀπόλιδες sunt quoniam συντελοῦσιν εἰς τὸ κοινὸν τῶν Βοιωτῶν, neque hinc efficiendum Thespias a Thebanis deletas esse. Moenia tantum Thebanos diruisse mihi quidem veri simile videtur [3]). Ante pugnam enim apud Leuctra factam Epaminondas Thespienses etiamtum Lacedaemoniis faventes dimisit εἴκαδε (Paus. 9, 13, 8; 14, 2). Post illam pugnam demum Epaminondas acerbiora remedia adhibuit (Paus. 9, 14, 4). Diodorus igitur (15, 46, 6) Thespias anno 374 deletas esse tradens rem auget: moenia tantum diruta. — Tanagrae Thespiarumque tantum synoecismum Isocrates 14, 9 memorat. Sed etiam reliquas Boeotiae πόλεις ἀπόλιδας factas esse ex aliis locis concludere licet: Diod. 15, 50, 4 (vide supra); Isocr. 14, 35 τῶν μὲν τὰ τείχη κατεσκάφασι, τῶν δὲ καὶ τὴν χώραν ἀπεστερήκασιν; 14, 8 οἵτινες τὰς μὲν ἰδίας ἡμῶν ἑκάστων πόλεις ἀφανίζουσι (= συντελεῖν ἀναγκάζουσιν), τῆς δὲ σφετέρας αὐτῶν πολιτείας οὐδὲν δεομένους κοινωνεῖν ἀναγκάζουσιν. Equidem igitur non credo Thebanos Boeotiae urbes delevisse [4]) incolasque Thebas συνοικίσαι ut Dionysius tyrannus urbes Siculas Syracusas transportavit, sed omnes Boeoti me iudice συντελεῖν tantum coacti sunt, i. e. τῷ δήμῳ τῶν Βοιωτῶν

1) Plebs sane oppidorum Boeotiae anno 378 Thebas migravit (v. s.) atque etiam e. g. *Hell. Ox.* 12, 3 eiusmodi synoecismus traditur; tamen Thucydides (*l.l.*) et συντελεῖν et συνοικίζειν dicit de Atticae civibus.

2) Etiam id quod dicit Xenophon 6, 3, 5: Θεσπιῶν ἀναίρεσις idem valet.

3) Cf. Isocr. 14, 35.

4) Plataeae tantum solo aequatae sunt, vide supra.

Digitized by Google

ascripti sunt, qui Thebas in ecclesiam [1]) conveniret. Tota Boeotia iam πόλις magna erat ut Attica, quae et ipsos Thebanos absorbuerat. Nummi enim quoque Boeoti, qui per annos 447—386 semper Thebarum nomen exhibuerant (ΘΕ, vide Gardner, *l.l.*, *tab.* X[3]), post annum 379 *Boeotarchae* tantum nomen praebent, non urbis Thebanorum [2]). Quamquam Boeotarchas id aetatis non ut ante annum 386 a decem liberis civitatibus foederis Boeotici (v. s.) delegatos, sed in ecclesia, quae Thebas conveniret, a populo Boeotorum creatos esse his de causis verisimillimum videtur:

1°. non iam *undecim* erant, ut temporibus foederis, sed *septem*, cf. *I. G.* VII, 2407. 2408; Diod. 15, 52, 1; 53, 3; Paus. 9, 13, 7. Quos singulis urbibus probabiliter dividere haud facile.

2°. Boeotarchis *a populo* imperium abrogari potuisse apparet e Diod. 15, 72, 2, Plut. *Pel.* 25, Nep. *Epam.* 7, 4. Singulae urbes suam ecclesiam habuisse non traduntur [3]). Ergo Boeotarchae et creabantur et imperio demovebantur a populo Boeotorum [4]), de qua re comparentur etiam quae supra de Boeotarchis fine anni 379 creatis disputavimus.

Itaque Thebani hisce temporibus *iure* tyranni Boeotiae non fuerunt: aequum ius omnibus Boeotis erat. Tamen *re* ceteris Boeotis potentia Thebani praestiterunt, quoniam incolae urbium, quae a Thebis multum distarent, Thebas ad ecclesiam venire non semper poterant; insuper plebs urbium Thebanis favebat iamque anno 378 Thebas migraverat (v. s.). Sed *nomine* omnes aequi erant. Itaque si apud scriptores rerum invenimus ἡ συντέλεια τῶν Θηβαίων vel οἱ Θηβαῖοι pro οἱ Βοιωτοί (Isocr. 14, 9; Paus. 9, 1, 6; Diod. 15, 38, 3; 52, 1; 78, 4; 79, 1; Dem. 4, 48; etc.), minus accurate hic loqui auctores putemus necesse

1) De demo ecclesiaque Boeotorum vide *I. G.* VII, 2407. 2408; Diod. 15, 80, 2 (συναχθείσης τῆς κοινῆς συνόδου τῶν Βοιωτῶν); Thebas eam convenisse apparet e loco Aeschin. *Ctes.* 142, de quo vide infra. Ut Athenis, sic in Boeotia iuxta ecclesiam βουλὴν quoque fuisse apparet ex loco Xen. *Hell.* 7, 3, 5.

2) Cf. Gardner, *l.l.*, p. 358—'59.

3) Vide etiam Isocr. 14, 8.

4) Interdum minus accurate populus *Thebanorum* dicitur, de qua re vide infra.

Digitized by Google

est. Quod facillime fieri potuit [1]), quoniam Thebae cardo Boeotiae erant Thebanique re vera ceteros opprimebant. Recte dicit Diodorus (15, 80, 2) ἡ κοινὴ [2]) σύνοδος τῶν Βοιωτῶν, τὸ κοινὸν τῶν Βοιωτῶν (16, 85, 3), vide etiam 16, 25, 1. Itaque ii qui Βοιωτοὶ dicebant, rei publicae *legitimum* statum spectabant, qui Θηβαῖοι, *verum*. Quod optime illustrat Aeschines *Ctes.* 142, quem locum iam leviter tetigimus. Demosthenes legitime accurateque ἐν τῷ ψηφίσματι scripserat βοηθεῖν Ἀθηναίους Βοιωτοῖς τοῖς ἐν Θήβαις, i. e. populo Boeotorum, qui Thebas in ecclesiam convenire soleret; quod tamen Aeschines fallaciter dictum contendit, cum *re* Thebani in ecclesia illa plurimum valerent. Eandem viam ingredi necesse ad ea verba explicanda, quibus Epaminondas Spartae anno 371 in Lacedaemonios invectus est, statum urbium Boeotiae cum perioecis Laconicis comparans [3]). Sive synoecismi indolem rem publicam Boeotiae id aetatis exhibuisse contendas, sive foederis, sive societatis, comparatio illa semper claudicat, si *legitimum* rei publicae statum spectas. *Nomine* omnes Boeoti aequi erant neque perioecis Laconicis comparandi; *re*, sicut perioeci a Spartiatis, a Thebanis Boeoti vi subacti erant [4]) eorumque imperio obnoxii. Quod comparatione illa concessisse Epaminondae haud merito obicias; eo enim res pervenerat ut controversia componi paxque servari non iam posset; bene intellexit Epaminondas rem armis decernendam fore. Accurate prudenterque loqui quid igitur interfuit?

Pauca iam nobis dicenda sunt ad eos redarguendos, qui aut, ut Belochius, rem publicam Boeotiam post annum 379 formam *foederis* exhibuisse contendunt aut, ut Francottius, *societatis*. Quae Belochius dicit [5]), haec sunt: „Ein Einheitsstaat in der Art wie Attika wurde Boeotien aber durch das alles keineswegs, vielmehr behielten die Einzelstädte eine gewisse Auto-

1) Iam ante annum 386 hoc fieri solebat, de qua re vide Freeman, *a history of federal government in Greece and Italy* (Londinii 1893), p. 125.

2) Sed 80, 1 ipse dicit Θηβαίους; de eadem re Plut. (*Pel.* 31) Θηβαῖοι.

3) Plut. *Ages.* 27 seq., Paus. 9, 13, 2; de pace illo anno Spartae composita vide Meyer, *Gesch. des Alt.* V, p. 406.

4) Xen. *Hell.* 6, 1, 1 κατεστρέψαντο τὰς ἐν τῇ Βοιωτίᾳ πόλεις.

5) *Gr. Gesch.* III[1], p. 160[4].

Digitized by Google

nomie, und namentlich das Bundesheer bestand nach wie vor aus den Kontingenten der einzelnen Gemeinden (Paus. 9, 13, 8, Diod. 15, 79)". Apud Pausaniam haec leguntur: *ἀποχώρησιν παρεῖχεν ἀπὸ στρατοπέδου* [1]) *τοῖς ἐθέλουσιν οἴκαδε· καὶ οἱ Θεσπιεῖς τε ἀπαλλάσσονται πανδημεὶ κτλ.* — „Kontingente der einzelnen Gemeinden" frustra hic quaeras, neque omnino hac re Belochius demonstrare potest urbes Boeotiae libertatem quandam retinuisse. Nam hoc rogo: nonne fieri potest ut urbs, quae multis hominibus domicilio est, sed *πόλις* libera non est, certum numerum militum *τῷ κοινῷ* mittat? Quod autem attinet ad locum Diod. 15, 79, in errorem Belochius hic incidit. Nam Orchomenus, usque ad finem anni 371 libertate servata, post pugnam apud Leuctra factam a Thebanis auctore Epaminonda coacta non est *συντελεῖν εἰς τὸ κοινὸν τῶν Βοιωτῶν*, sed *socia* tantum facta, cf. Diod. 15, 57, 1 *εἰς τὴν τῶν συμμάχων χώραν κατέτιξεν*. Duae enim res acriter sunt distinguendae: *τὸ κοινὸν τῶν Βοιωτῶν* et societas, quam Boeoti usque ab anno 371 cum compluribus urbibus et civitatibus fecerunt [2]). Itaque Orchomenii inde ab anno 371 usque ad annum 364 [3]) socii Boeotorum fuerunt ut Phocenses, Aetoli, alii. Neque enim Orchomenus, ut ceterae urbes Boeotiae (v. s.), hisce annis nummos ipsa cudere desiit [4]). Pro *societate* igitur equites ab Orchomeniis Thebanis mittebantur.

Quod autem dicit Francottius (*la polis grecque*, p. 178 seq.): rem publicam Boeotiam *societatis* formam illis temporibus exhibuisse, id haud minus debili argumento nititur. Ipse enim Francottius societates nunquam ecclesiam, *συνέδριον* tantum proprium habuisse iure contendit [5]). Populum Boeotorum illis temporibus Thebas in ecclesiam convenisse supra iam vidimus. Hic rem reiecisse liceat ad titulos duos decreta populi Boeo-

1) Non ex acie, vide etiam Xen. *Hell.* 6, 4, 9.

2) Cf. Diod. 15, 57, 1; Xen. *Hell.* 6, 5, 23; 7, 5, 4; *Ages.* 2, 24; Dittenb. *Syll.* I³, 201, v. 11 (Byzantium).

3) Eo anno tota urbs solo aequata est omnesque cives trucidati, cf. Diod. 15, 79, 6.

4) Vide Gardner, *l.l.*, p. 357: *this coinage may go on until the destruction of Orchomenus by Thebes.*

5) P. 162: *surtout pas d' assemblée générale.*

Digitized by Google

torum continentes [1]). Iuxta Boeotorum ecclesiam συνέδριον [2]) sociorum fuisse non est quod miremur; Boeotos enim cum compluribus gentibus societatem coniunxisse iam indicavimus.

Priusquam finem faciamus, breviter inquirendum est, quibus de causis foedus Boeoticum, quod ante annum 386 floruerat, post annum 379 restitutum non sit. Aetate foederis negotia publica procul dubio tardissime transacta semper erant; optimates enim singularum urbium consulendi fuerant (v. s.). *Synoecismum* Boeotiae post annum 379 pervincentes hoc ante omnia egerunt Thebani ut negotia publica celerius absolverentur; quod Boeoti synoecismi potissimum aetate hegemoniam Graeciae adepti sunt, casui vix tribuendum. Quamquam iam ante annum 386 complura oppida parva in Thebanorum πόλιν plane abierant; iam tum plus tertia pars Boeotiae in unum prorsus coaluerat [3]). Si post annum 379 Thebani *totam* Boeotiam in formam unius magnae πόλεως redigere studuerunt, quid mirum?

1) *I. G.* VII, 2407. 2408.
2) De quo vide Dtb. *Syll.* I³, 201, v. 11.
3) *Hell. Ox.* 11, 3 et vide supra.

Digitized by Google

LIVIANA II.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

(Continuantur ex Mnemos. LIII p. 369).

Vibius Virrius, qui defectionis auctor ab Romanis fuerat, Capuae ait in senatu, ubi patria sua rursus sub imperio atque dicione populi Romani fuerit, se mortem sibi consciturum esse. Haec verba laudanda sunt:

XXVI 13, 14 itaque quoniam aliter dis immortalibus est visum, cum mortem ne recusare quidem debeam, cruciatus contumeliasque, quas parat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte, praeterquam honesta, etiam leni possum. § 15 non videbo Ap. Claudium et Q. Fulvium victoria insolenti subnixos, neque vinctus per urbem Romanam triumphi spectaculum trahar, ut deinde in carcerem ⟨*conditus exspirem*⟩ aut ad palum deligatus lacerato virgis tergo cervicem securi Romanae subiciam.

Hanc lectionem Heraeo praeeunte recepit H. I. Mueller, at Mauritius participium minus recte omisit. Sed verba et *ad palum deligatus* et *lacerato tergo* et *cervicem securi subiciam* suadent, ut sumamus Virrium de crudelissima nece etiam in carcere subeunda locutum esse. Quare scribendum censeo: ut deinde in *carcere* ⟨*strangular*⟩. *Carcere* exhibent codices recentiores, *strangulandi* autem vocis praeclara exempla leguntur Plin. Epist. II 11, 8 erat enim fustibus caesus, damnatus in metallum, *strangulatus in carcere*; Flor. II 12, 10 (Rossbach p. 138) *in carcere* parricidae *strangulantur* [1]) cet.

1) Comparanda sunt Mommseni quoque verba (R. G. II p. 138): auf seinen Befehl starb der Sohn der Wüste (Jugurtha)... in dem unterirdischen Stadt-

Digitized by Google

Philippus V. rex Macedonum Aetolos quidem bello persequitur, sed prius gens vicina punienda est. De hac re Livius narrat:

XXVI 25, 5 relicto ad fauces Thessaliae Perseo cum quattuor milibas armatorum ad arcendos aditu Aetolos, § 6 ipse, priusquam maioribus occuparetur rebus, in Macedoniam atqae inde in Thraciam exercitum ac Maedos duxit. § 7 incurrere ea gens in Macedoniam solita erat, ubi regem occupatum externo bello ac sine praesidio esse regnum sensisset. § 8 ad frangendas igitur..... vastare agros et urbem Iamphorynnam, caput arcemque Maedicae, oppugnare coepit.

Illud *incurrere* satis indicat sermonem esse de populatoribus, qui incompositi atque inordinati in Macedoniam invadebant, ut praedam agerent. Itaque rex Phillppus ut latrociniis palantium illorum hostium finem faceret devictosque cogeret pace uti, eorum agros vastavit urbemque aggressus est. In lacuna ergo supplenda videntur: ad frangendas igitur ⟨*vagas* [1]) *manus*⟩ vastare agros e. q. s. Librarius similitudine deceptus a *vagas* transiluit ad *vastare*.

H. I. Mueller sine ulla specie veritatis edidit: ad frangen*dos* igitur *eius spiritus*, at Mauritius satis habuit addere *vires*, quod ambiguum est.

De rebus gestis M. Laevini Valerii propraetoris multa Livius tradit, nobis pauca afferenda sunt de obsidione Anticyrae, quam urbem dux ille coniunctus cum Aetolis expugnavit. Legimus autem:

XXVI 26, 3 itaque intra paucos dies recepta urbs per deditionem Aetolis traditur, praeda ex pacto Romanis cessit. ⟨*set*⟩ litterae Laevino redditae consulem eum absentem declaratum, et successorem venire P. Sulpicium. ceterum diuturno ibi morbo inplicitus serius spe omnium Romam venit.

Inserui *set* — omissum post *sit* — quoniam noster haec dicere vult: Laevinus tamen non potuit bene coepta belli per

---

gefängnisz, dem alten Brunnenhaus am Capitol, dem „eisigen Badgemach", wie der Africaner es nannte, als er die Schwelle überschritt, um daselbst sei es *erdrosselt* zu werden, sei es umzukommen durch Kälte und Hunger.

1) Cf. *vagos* milites XXVIII 22, 3 cet.

Digitized by Google

ficere, quia consul creatus Romam debebat proficisci. H. I. Mueller addidit *ibi*, quamquam hoc adverbium mox sequitur, Mauritius melius supplevit *interea* post *litterae*.

Q. Fulvius Flaccus multis nobilibus Campanis securi percussis sic se defendit:

XXVI 27, 11 Flaccus sibi privatam simultatem cum Campanis negare ullam esse; publicas inimicitias et esse et futuras, quoad eo animo esse erga populum Romanum sciret. § 12 nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini Romano, ideo se moenibus inclusos tenere eos, *quia*, si qui evasissent aliqua, velut feras bestias per agros *vagari* et *laniare* et *trucidare* quodcumque obvium detur.

H. I. Mueller recepit *quippe*, at Mauritius merito traditam coniunctionem *quia* servavit. Ceterum non modo H. I. Mueller, verum etiam Madvig, Wesenberg, Novak, alii offenderunt in lectione P, codicis bonae fidei. Scimus nunc in omni Latinitate et aurea et argentea et vulgari nonnumquam etiam post coniunctiones *quia*, *quoniam*, *quod*, *quamquam* cet. in oratione obliqua infinitivum inveniri. De hoc infinitivi usu fusius egerunt Kühner-Stegmann II p. 545—547, brevius Schmalz p. 438.

XXVI 32, 8 legatique benigne appellati ac dimissi ad genua se Marcelli consulis proiecerunt ⟨*obtestantes*⟩ et obsecrantes, ut, quae deplorandae ac levandae calamitatis causa dixissent, veniam eis daret et in fidem clientelamque se urbemque Syracusas acciperet.

Verbo synonymo opus esse declarat primum coniunctio *et*, deinde emphasis sententiae. Cum Livius ubique coniunctione *atque* copulet verba, quae sunt *orare* et *obsecrare*, hic supplevi *obtestantes* (cf. XXVI 49, 11; XXX 12, 16 cet.).

XXVI 39, 18 ita in medio circumventa Romana navis capitur. hinc ceteris terror iniectus, *utin* praetoriam navem captam videre; fugientesque passim aliae in alto mersae, aliae in terram remis abreptae mox praedae fuere Thurinis Metapontinisque.

Codicis scripturam *utin* neque cum H. I. Muellero mutare licet in *ut* neque cum Mauritio in *ubi*, quod neutra lectione

Digitized by Google

vitium explicatur. Equidem conicio in archetypo fuisse *statim ut*. Hoc fortasse primum mutatum est in *ut statim*, deinde corruptum per haplographiam in *utin*. Meminimus autem *ut* et *at* in litteris, quae dicuntur, cursivis ante saeculum undecimum frequentissime confusa esse, cum littera *a* scriberetur eodem fere modo quo *u*.

Statim ut utitur Cicero Verr. V 55; cf. Kühner-Stegmann II p. 365.

XXVI 40, 10 atque ille, cum ei multitudo maior quam Numidarum procul *visa*, et clamor Romanus haudquaquam ignotus ad auris accidisset, priusquam ad ictum teli veniret, capessit fugam.

Optima clausula (*-rum procul visa*) i. e. creticus et trochaeus tuetur tradita verba a mutatione, iniuria igitur H. I. Mueller edidit: visa⟨*esset*⟩; practerea sescenties verbum substantivum omittitur.

Cum propter alias rationes tum propter bonam clausulam praeferenda est lectio XXV 40, 7 quod longe aliter *evenit* (quod Σ exhibebat, cum in P exaratum sit *venit*).

XXVI 49, 11 inter haec e media turba obsidum mulier magno natu, Mandoni uxor, qui frater Indibilis Ilergetum reguli erat, flens ad pedes imperatoris procubuit obtestarique coepit, ut curam cultumque feminarum impensius custodibus commendaret. § 12 cum Scipio nihil defuturum iis profecto diceret, tum rursus mulier: „haud magni ista facimus" urquit; „quid enim huic fortunae non satis est? alia me *cura* aetatem harum intuentem — nam ipsa iam extra periculum iniuriae muliebris sum — *stimulat*".

Sauppe et Leo de integritate vocis *stimulat* dubitaverunt suasque coniecturas non continuerunt. Immerito, nam Livius persaepe usurpat *stimulare* (XXX 9, 9 de fortuna; XXX 36, 10 de ira; XXX 44, 9 de pecuniae damno), huc imprimis facit XLIV 44, 1 consulem, cum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, *cura* de minore filio *stimulabat*.

XXVI 51, 6 remigium classicique milites tranquillo in altum

Digitized by Google

evecti agilitatem navium *simulacris navalis pugnae* experiebantur.

Idem fere legimus XXXV 26, 2 harum novarum navium agilitatem ut experiretur, simul ut omnia satis apta ad certamen essent, provectos in altum cotidie remigem militemque *simulacris navalis pugnae* exercebat.

Huius generis proelia noster saepius commemorat e. g. XXIX 22, 2 hospitio comiter acceptis, postero die terrestrem navalemque exercitum, non instructos modo, sed hos decurrentes, classem in portu *simulacrum* et ipsam edentem *navalis pugnae* (= spiegelgevecht), ostendit; XL 6, 5 mos erat lustrationis sacro peracto decurrere exercitum et divisas bifariam acies concurrere ad *simulacrum pugnae.*

Videntur Livio obversata esse Vergilii verba (Aen. V 585):

pugnaeque cient simulacra sub armis.

At Vergilius ipse imitatus est Lucret. II 40—41

si non forte tuas legiones per loca campi
fervere cum videas, *belli simulacra cientis*....

XXVII 20, 6 itaque, etiam si senatus Carthaginiensium non censuisset, eundum tamen Hasdrubali fuisse in Italiam, ubi *belli caput* rerumque summa esset....

Hic igitur Italia *caput belli* vocatur, alibi autem Roma:

XXVI 7, 3 multa secum, quonam inde ire pergeret, volventi subiit animum impetus *caput ipsum belli* Romam petendi....

Denique eadem illa verba pertinent ad unum Hannibalem:

XXVIII 42, 16 non potes ne ipse quidem dissimulare, ubi Hannibal sit, ibi *caput atque arcem huius belli* esse.

Ceterum locutio ipsa hausta est ex Vergil. Aen. XII 572 (de Laurento):

hoc *caput,* o cives, haec *belli summa* nefandi.

Livium imitatus est Florus I 18, 21 iam ipsam, *caput belii,* Carthaginem urguebat obsidio (sc. Regulus),

at Vergilium non minus manifesto Ovidius Ex. Pont. II 1, 46

in quibus et *belli summa caputque* Bato.

XXVII 25, 14 in eandem regionem et Hannibal redit averso

Digitized by Google

ab Locris bello, ibi consules ambo ingenio feroces prope cotidie in *acieheare* haud dubia spe, si duobus exercitibus consularibus iunctis commisisset sese hostis, debellari posse.

Litterae exaratae in P ducunt ad: *in aciem meare*, at recentiores codices (more suo faciliore lectione substituta difficiliori) exhibent *in aciem exire*, quod legimus in Teubneriana et in Weidmanniana. Conferas quaeso Curt. VIII 4, 3 tertio (sc. die) ab omni parte caeli emicare fulgura et nunc internitente luce, nunc condita, non oculos modo *meantis* exercitus, sed etiam animos terrere coeperunt.

XXVII 27, 12 multos circa unam rem ambitus fecerim, si, quae de Marcelli morte variant auctores, omnia exequi velim. § 13 ut omittam alios Coelius triplicem gestae rei *ordinem* edit: unam traditam fama, alteram scriptam in laudatione fili, qui rei gestae interfuerit, tertiam quam ipse pro inquisita ac sibi conperta adfert.

Voces femininae *unam traditam*, *alteram* cet. declarant *ordinem* depravatum esse. Equidem credo librarium genuinam lectionem *historiam* tamquam vocabulum Graecum mutasse in *ordinem*.

Agmen Claudii Neronis profecti ut se coniungeret cum exercitu Livii (Salinatoris) unaque contra Hasdrubalem pugnarent, usquequaque a sociis hospitaliter accipiebatur. Noster haec tradit:

XXVII 45, 10 invitare inde pro se quisque et offerre et fatigare precibus, ut, quae ipsis iumentisque usui essent, ab se potissimum sumerent; benigne omnia cumulata dare. § 11 modestia certare milites, ne quid ultra usum necessarium sumerent; nihil morari, nec ab signis ⟨*absistere*⟩ nec *subsistere* cibum capientes:

Supplevi *absistere*, quia mox sequitur *subsistere*: proprium est enim Livii in compositis vicinis variare praeverbium. Operae pretium est attendere haec exempla:

XXV 37, 12 inde verso repente in iram luctu *discurrunt* ad arma, ac velut accensi rabie *concurrunt* ad portas et in hostem neglegenter atque incomposite venientem *incurrunt*.

XXVIII 12, 6—7 post Hasdrubalis vero exercitum cum

Digitized by Google

duce, in quibus spes omnis reposita victoriae fuerat, deletum *cedendo*que in angulum Bruttium cetera Italia *concessum*, cui non videatur mirabile nullum motum in castris factum? nam ad cetera id quoque *accesserat*, ut ne alendi quidem exercitus nisi ex Bruttio agro spes esset.....

XXVIII 30, 6 iam fretum intrabat quinqueremis, cum Laelius et ipse in quinqueremi e portu Corteiae sequentibus septem triremibus *evectus* in Adherbalem ac triremes *invehitur* cet.

Supra H. I. Mueller edidit: nec ⟨*ire*⟩ ab signis, at Mauritius: nec ab signis ⟨*abire*⟩ e. q. s.

XXVII 49, 1 elephanti plures ab ipsis rectoribus quam ab hoste interfecti. fabrile scalprum cum malleo habebant; id, ubi saevire beluae ac ruere in suos coeperant, magister inter aures positum, ipso in articulo, quo iungitur capiti cervix; quanto maximo poterat ictu adigebat. § 2 ea celerrima via mortis in tantae molis belua inventa erat, ubi *regendis pervicissent*, primusque id Hasdrubal instituerat.

Haec est lectio codicis P, at in Σ exarata erant: *ubi regendi spem vicissent*. Hinc facile apparet servandum esse verbum *pervicissent*, sed vitium latere in priore vocabulo. Verisimillimum est auctoris verba fuisse: ubi *regimen* pervicissent e. q. s. Cf. Tacit. Ann. XIII 3 Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit: caelare pingere, cantus aut *regimen equorum* exercere.

Non quidem eodem attamen simili sensu *regimen* positum est Liv. III 33, 7 *regimen* totius magistratus penes Appium erat favore plebis.

H. I. Mueller: *ubi regendi spes incisa esset* edidit, at Mauritius: *ubi regentis imperium sprevissent*. Uterque ergo vix ullam rationem habuit verborum traditorum.

Cives urbis Astapae quamvis pertinaciter pugnavissent, tandem omnes victi et occisi erant. De his rebus in Hispania gestis multa mihi describenda sunt, licet emendatio facilis sit.

XXVIII 22, 15 conatus (sc. vetus miles) paulo post ultro inferre pedem, ut neminem cedere atque obstinatos mori in vestigio quemque suo vidit, patefacta acie, quod ut facere

Digitized by Google

posset multitudo armatorum facile suppeditabat, cornua hostium amplexus, in orbem pugnantes ad unum omnes occidit. cap. 23 § 1 atque haec tamen ⟨*manibus*⟩ hostium iratorum ac tum maxime dimicantium iure belli in armatos repugnantisque *edebantur*, § 2 foedior alia in urbe trucidatio erat, cum turbam feminarum puerorumque inbellem inermemque cives sui caederent et in succensum rogum semianima pleraque inicerent corpora, rivique sanguinis flammam orientem restinguerent; postremo ipsi, caede miseranda suorum fatigati, cum armis medio incendio se iniecerunt.

Manibus (vel potius *manib.*) supplementum meum est: manifesto apparet nostrum caedem in acie opposuisse caedi in urbe ab oppidanis ipsis perpetratae. H. I. Mueller inseruit *furore* post *dimicantium*, quod melius quadrat in hostem, cf. paulo supra 22, 14 *caeci furore*, quam in Romanos; at Mauritius post *tamen* supplevit: *caedes ab impetu. Edebantur* exaratum erat in Σ, cum P exhibeat *edebatur*.

E Scipionis oratione in senatu habita laudanda sunt haec: XXVIII 44, 5 ad hoc nos, etiam deserti ab sociis viribus nostris, milite Romano stetimus; Carthaginiensi nihil civilis roboris est, mercede paratos milites habent, Afros Numidasque, levissima fidei mutandae ingenia. § 6 hic modo nihil morae sit: una et traiecisse me audietis et ardere bello Africam et *molientem* hinc Hannibalem et obsideri Carthaginem.

Participium *molientem* iuxta tres infinitivos (traiecisse, ardere, obsideri) pendentes ab *audietis* defendi nequit, frustra insuper relegat H. I. Mueller ad Terent. Heaut. 240. Mauritius autem molesta verba: *et molientem hinc Hannibal* cancellat, quamquam hic maximi sunt momenti. Nimirum hoc quoque loco verbum praetermissum est: restituendum videtur *et* ⟨*facessere*⟩ *molientem hinc Hannibalem*. Cf. Liv. I 47, 5 facesse hinc Tarquinios aut Corinthum; IV 58, 7 ni facesserent (sc. legati) propere ex urbe finibusque; Terent. Phorm. 635 haec hinc facessat; Plaut. Rud. 1062 hinc facessas cet.

XXVIII 44, 5 ad hoc nos, etiam deserti ab sociis, viribus nostris, milite Romano stetimus.

Digitized by Google

Hic Livius Scipionem inducit alludentem ad Ennianum illud:

moribus antiquis res stat Romana virisque.

Adiungamus nostrum Fabii Maximi laudationem sic terminare XXX 26, 9 nihil certius est quam unum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait.

Livii elocutionis poeticae multa exempla interpretes attulerunt, sed omiserunt:

XXVIII 45, 21 ipse ita *institit operi,* ut die quadragesimo quinto .... naves instructae armataeque in aquam deductae sint.

Conferenda sunt Vergilii verba (Aen. I 503—504):

talis erat Dido, talem se laeta ferebat
per medios instans operi regnisque futuris.

XXIX 5, 8 interim Mago milites Gallos dimissis clam per agros eorum mercede conducere, commentus quoque omnis generis occulte ad eum a Gallicis populis mittebantur.

Hic utique conspirant H. I. Mueller et Mauritius. Nihilominus in fine libri p. 185 ille improbat ipse suam explicationem, quae legitur p. 11. Flagitat autem sententia:

interim Mago milites Gallos dimissis ⟨*conquisitoribus*⟩ clam per agros eorum mercede conducere.

Movit me locus simillimus XXI 21, 13 simul *conquisitoribus* in civitates missis quattuor milia conscripta delectae iuventutis (cf. etiam XXX 7, 10; XXIII 32, 19; XXIV 42, 6 cet.).

Romani iussi sunt a Pythio Apolline Matrem Idaeam Pessinunte Romam transferre. Quomodo igitur dea transportanda sit, patres cogitant. Haec sunt auctoris verba:

XXIX 11, 1 nullasdum in Asia socias civitates habebat populus Romanus, tamen memores Aesculapium quoque ex Graecia quondam hauddum ullo foedere sociata valetudinis populi causa arcessitum, tunc iam cum Attalo rege propter commune adversus Philippum bellum coeptum amicitiam esse, ⟨*confisi*⟩ facturum eum, quae posset, populi Romani causa legatos ad eum decernunt e. q. s.

Post *esse* facile excidere potuit *c̄fisi* i. e. *confisi* quod supplevi. H. I. Müller saltem inseruit *rati* post *eum*, at Mauritius nihil

Digitized by Google

addens videtur tradita verba pro integris habere. Quod iure mireris, nam tum *facturum* (esse) nihil habet, unde pendeat.

XXIX 17, 6 in discrimine est nunc humanum omne genus, utrum vos an Carthaginienses principes orbis terrarum videat.

Cum his verbis oportuit interpretes conferre celeberrimos illos versus Lucretii 836—837

in dubioque fuere utrorum ad regna cadendum
omnibus humanis esset terraque marique.

qui versus et ipsi aut Ennium aut Naevium habent auctorem. (Cf. Munro, p. 213).

In depingendo Q. Pleminio Scipionis legato, qui Locrenses omnibus iniuriis affecit, Livio fuit exemplo imago Verris, quam Cicero in quinto libro actionis secundae expressit. Comparanda autem sunt:

XXIX 17, 12 (Pleminius) pestis ac belua inmanis, quales fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ad perniciem navigantium circumsedisse fabulae ferunt.

In Verr. V 145 versabatur in Sicilia..... quoddam novum monstrum ex vetere illa immanitate, quae in isdem locis versata esse dicitur. § 146 non enim Charybdim tam infestam neque Scyllam nautis quam istum in eodem freto fuisse arbitror; hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus et immanioribus canibus succinxerat.

XXIX 17, 7 neque ego exsequi possum nec vobis operae est audire, singuli quae passi sumus; communiter omnia amplectar.

In Verr. V 143 nam quid ego de ceteris civium Romanorum suppliciis singillatim potius quam generatim atque universe loquar?

XXIX 17, 20 omnia quae crudelissimi atque inportunissimi tyranni scelera in oppressos cives edunt, Pleminius in nos liberosque nostros et coniuges edidit.

In Verr. V 143 carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis e. q. s.

ibid § 146 Cyclops alter, multo importunior e. q. s.

Describens Scipionis profectionem e portu Lilybaei, qui

Digitized by Google

magna classe et exercitu Africam aggressurus erat, Livius videtur memor fuisse loci Thucydidei, ubi discessus classis Atheniensis e Piraeo, quae Siciliam peteret, depingitur. Componi apte possunt:

XXIX 26, 7 concurrerat ad spectaculum in portum omnis turba non habitantium modo Lilybaei, sed legationum omnium ex Sicilia, quae et ad prosequendum Scipionem officii causa convenerant et praetorem provinciae M. Pomponium secutae fuerant.

Thuc. VI 30, 2 *ξυγκατέβη δὲ καὶ ὁ ἄλλος ὅμιλος ἅπας ὡς εἰπεῖν ὁ ἐν τῇ πόλει καὶ ἀστῶν καὶ ξένων, οἱ μὲν ἐπιχώριοι τοὺς σφετέρους αὐτῶν ἕκαστοι προπέμποντες* (sc. *ἐς τὸν Πειραιᾶ*) e. q. s. 31, 1 *καὶ ὁ ἄλλος ὄχλος κατὰ θέαν ἦκεν.*

XXIX 27, 1 ubi illuxit, Scipio e praetoria nave silentio per praeconem facto „divi divaeque", inquit, „qui maria terrasque colitis, vos precor quaesoque e. q. s.

VI 32, 1 *ἐπειδὴ δὲ..... ἔμελλον ἀνάξεσθαι, τῇ μὲν σάλπιγγι σιωπὴ ὑπεσημάνθη, εὐχὰς δὲ τὰς νομιζομένας.... ἐποιοῦντο.*

XXIX 27, 5 secundum has preces cruda exta caesa victima, uti mos est, in mare proiecit tubaque signum dedit proficiscendi.

VI 32, 3 *παιανίσαντες δὲ καὶ τελεώσαντες τὰς σπονδὰς ἀνήγοντο.*

Scipio identidem ad Syphacem callide legatos de pace miserat, qui regis castra cognoscerent omniaque specularentur. Legimus autem

XXX 4, 4 cum saepius agitata res certiorem spem pacis in dies et Syphaci et Carthaginiensibus per eum faceret, legati Romani vetitos se reverti ad imperatorem aiunt, nisi certum responsum datum: § 5 proinde seu ipsi staret iam sententia, ⟨*ederet*⟩, seu consulendus Hasdrubal et Carthaginienses essent, consuleret.

Vox a me inserta rege dignior est [1]) quam *expromeret* (supplementum H. I. Muelleri) aut *promeret* (supplementum Mauritii), praeterea melius congruit cum: (responsum) *detur*, etsi non ad eandem radicem pertinet.

Post Syphacis et Carthaginiensium castra a Scipione incensa

1) Cf. Solis verba apud Ovidium, Met. II 43 Clymene veros *edidit* ortus.

Digitized by Google

Carthagini senatus est habitus, de quo Livius haec refert: XXX 7, 4 quo (sc. Carthaginem) tantus primo terror est adlatus, ut omissa Utica Carthaginem crederent extemplo Scipionem obsessurum. senatum itaque sufetes, quod velut consulare imperium apud eos erat, vocaverunt. § 6 ibi tribus ⟨*variatum sententiis*⟩; una de pace legatos ad Scipionem decernebat, altera Hannibalem ad tuendam ab exitiabili bello patriam revocabat, tertia Romanae in adversis rebus constantiae erat e. q. s.

Meum supplementum nititur XXII 60, 2 senatus submotis arbitris consuli coeptus. § 3 ibi cum *sententiis variaretur* e.q.s.

Pugnam, in qua Syphax captus est, narrare noster incipit sic: XXX 11, 8 ac dum sincerum equestre proelium erat, multitudo Masaesuliorum, ingentia agmina Syphace emittente, sustineri vix poterat; § 9 deinde, ut pedes Romanus repentino per turmas suas viam dantes intercursu stabilem aciem fecit absterruitque effuse invehentem sese hostem primo barbari segnius permittere equos, dein stare ac *propere* turbati novo genere pugnae, postremo non pediti solum cedere, sed ne equitem quidem sustinere peditis praesidio audentem.

De integritate vocum *stare* et *turbati* dubitandum non est, quocirca H. I. Muellerum *perturbari* edentem non sequimur. Verum saepissime in descriptionibus pugnarum occurrit *percellendi* verbum, quod et huc optime quadrat. Gradatio enim nunc oritur: equites permittere — stare — percelli — cedere. Genuina autem lectio *prope percelli turbati* quam facile abire potuerit in: *propere turbati* nemo non videt. Huius vocis illustre exemplum invenimus, ubi Livius pugnam ad lacum Trasumennum depingit XXII 5, 1 consul *perculsis* omnibus ipse satis, ut in re trepida, inpavidus turbatos ordines, vertente se quoque ad dissonos clamores, instruit. Cf. etiam XXX 33, 13 addidit facile Masinissa *perculsis* terrorem nudavitque ab ea parte aciem equestri auxilio (cf. ibid. § 16); XXX 34, 8 cet.

XXX 29, 4 Hannibal nihil *quidem* eorum, quae nuntiabantur — nam et Masinissam cum sex milibus peditum, quattuor equitum venisse eo ipso forte die adferebant —, laeto

Digitized by Google

animo audivit, maxime *si* hostis fiducia *que* non de nihilo profecto concepta, perculsus est.

Haec sunt verba in P tradita, at Σ exhibebat *quae*, quod servandum est. Illud *si* ortum videtur ex *s̄* i. e. *sed*, quod transponendum videtur, ut veram recuperemus lectionem: *sed* maxime hostis fiducia, *quae* non de nihilo profecto concepta, perculsus est.

Sed referendum est ad *quidem*.

H. I. Mueller et Mauritius vocem *si* praetermiserunt, ceteroquin discordant, nam ille edidit: *maxime⟨spe⟩ hostis fiduciaque*, hic *maxime hostis fiducia⟨audacia⟩que*.

XXX 45, 6 Africani cognomen militaris prius favor an *popularis aura* celebraverit an..... parum compertum habeo.

Non semel apud Livium occurrit poetica locutio *popularis aura*; legitur enim:

XXIX 37, 17 ea res consensu patrum discussa est, ne postea obnoxia *populari aura* censura esset;

XXII 26, 4 haud parum callide *auram favoris popularis* ex dictatoria invidia petiit (sc. Varro) cet.

Hic Horatius videtur exemplo fuisse C. III 2, 17—20:

virtus repulsae nescia sordidae
intaminatis fulget honoribus
nec sumit aut ponit securis
arbitrio *popularis aurae*.

(Continuabuntur).

Digitized by Google

OBSERVATIUNCULAE AD PAPYROS IURIDICAE.

SCRIPSIT

J. C. NABER.

(Continuantur ex vol. LIII pag. 445).

§ 11—14. ΠΕΡΙ ΧΑΡΑΓΜΑΤΩΝ: I.

(Rescriptae).

§ 11. De ptomatis absolutum est, dicendum igitur *περὶ χαραγμάτων*. Et est *χάραγμα* magistratus eius, qui contractibus praesideat, subscriptio praescriptiove [1]) vel denique interscriptio [2]) declarandi causa instrumentum sibi oblatum et a se in monumenta publica receptum esse. Quibuscum *χαράγμασι* neque est confundenda censoria *σημείωσις* [3]), id est, censitoris [4]) adiutorisve in professionibus similibusque posita subscriptio [5]) prae-

1) Praescribitur P. Amh. 112; *BGU* 472 I; 813; P. Frib. 10; Gizeh 10871 (Thead. 2); Lond. 303 (Chrestom. II 160); Lond. inv. 1897 (*Archiv* VI p. 106). Rain. 1577 (*Stud. zur P. u. P.* XX 16); Ryl. 179; Tebt. 397.

2) Interscribitur *BGU* 989 (Chrestom. II 136), 4; P. Fay. 89 (Chrestom. II 166), 6/7 et fortasse *BGU* 174, 5; 189, 1 (*Archiv* V p. 205 not. 3).

3) *BGU* 536, 16 (Lewald, *Beitr. z. Kenntniss des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 9 not. 3); P. Lond. 941, 16 (III pag. 119) (Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 149/50); Argentor. 56, 10. — Trapezitica *σημείωσις* describitur P. Oxy. 269, 20.

4) Censorem hic quidem appello, quisquis professiones accipit.

5) P. Argentor. 34; *BGU* 28; 53; 95; 243; 447; 524 (Wilcken, Ostr. I p. 474); 536; 907; P. Fay. 33; Genev. 33; Lips. 3 II 9; Lond. 940; 941; 942; 945 (III pag. 118—121); Oxy. 478; 714; 715; 786; Ryl. 153; Tebt. 318. His foret adiungendus P Hamb. 15, si recte expleta esset lin. 22, sed videtur potius esse *χάραγμα* (cf. Partsch, *Sitzungsber. (Heidelb.)* 1916. 10 pag. 38).— Non *σημείωσις* sed *ἐπίσταλμα* subscribitur P. Oxy. 483.

Digitized by Google

scriptiove [1]) sive subscriptio praescriptioque [2]) vel denique adscriptio [3]) declarandi causa in censum delatum esse, cui solemne verbum est σεσημείωμαι vel ἐσημειώθη [4]) vel denique ἐσημειωσάμην [5]), sed occurrit etiam κατεχώρισα [6]) et κατακεχώρικα [7]) et κατακεχώρισται [8]) et κατεχωρίσθη [9]) et παρετέθη [10]) et ἔσχον ἴσον [11]) variis interdum cum adiectionibus veluti πρώτως [12]); ἀδικκ(ρίτως) [13]); παρακειμένου τῷ ὀνόματι τοῦ πατραδέλφου ὑμῶν μηδὲν αὐτὸν τὸ σύνολον λοιπογραφεῖσθαι καὶ ἀδήλου ὄντος εἰ ὑμῖν διαφέρει ἡ κληρονομία [14]); ἐπὶ τοῖς προεκδοθεῖσί σοι ἐν σημειώσει [15]) ἀπογραφῆς σὺν τῷ ἀδελφῷ τοῦ δικαίου τῆς κληρονομίας [16]); παρακειμένου τῷ ὀνόματι τοῦ ἀποδομένου μηδὲν ⟨αὐτὸν τὸ σύνολον λοιπογραφεῖσθαι⟩ [17]); κινδύνῳ τοῦ ἀπογραφομένου πρωτοπραξίας φυλασσο-

---

1) *BGU* 51; 459; P. Fay. 31; 32; 216; Genev. 27; Giss. 43; Hamb. 7; Lips. inv. 561 (Chrestom. I 217); Lond. 299 (II pag. 151); 300 (pag. 151/2); Oxy. 1268; 1475; 1547; 1552; Rain. 1523 (*Stud. z. P. u. P.* XX 12); Rain. *Stud.* cit. XXII 85; 86; *Soc. ital.* 314. Cf. *BGU* 379, 1 (Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 82 not. 5); P. Oxy. 247, 1 (Eger, op. cit. p. 146 not. 1).

2) P. Genev. 44 (*Archiv* III p. 397); Hamb. 16; Oxy. 713 (Eger, op. cit. p. 146); Ryl. 107; Tebt. 323 (Eger, op. cit. p. 145⁵, perperam huc qui laudat *BGU* 459; P. Fay. 32; 216; Genev. 27, ubi aut nulla est (Fay. 32) aut certe periit subscriptio).

3) P. Rain. 1436 (*Studien zur P. und P.* XX 26), 51/6, ubi tamen (ex Chrestom. II 200) retinendum (lin. 56) τῦβι λ' (propter lin. 45: τῦβι κ').

4) Cf. *BGU* 51, 1 (I pag. 354); P. Giss. 43, 1.

5) Cf. P. Hamb. 7, 1. 6) *BGU* 243; 907; P. Hamb. 16, 24/5.

7) *BGU* 536, 17 (Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 9 not. 3); P. Oxy. 715, 36; Ryl. 107, 25. 8) P. Tebt. 323; Hamb. 62, 26.

9) P. Genev. 33 (*Archiv* III p. 391): γραμματεῖ; P. Oxy. 714 (et fortasse 478): ἐπικρίταις; P. Oxy. 786: λαογράφοις.

10) P. Lips. inv. 561, 1 (Chrestom. I 217); Oxy. 713, 1; 1268, 1; 1475, 1; 1547, 1; 1552, 1. Cf. quoque P. Oxy. 494, 44 (V p. 314).

11) P. Argentor. 34, 23/8; *BGU* 28, 21; P. Lips. 3 (Chrestom. II 172) II 22/5; 9, 30/4; Lond. 940; 941; 942; 945 (III pag. 118/21). Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 146/53. — Omne verbum deest: P. Ryl. 153, 52. Sciendum est praeterea ἔσχον ἴσον etiam subscribi P. Oxy. 1690 a locatore.

12) P. Tebt. 323, 18. Cf. Eger, op. cit. p. 145 ima.

13) P. Oxy. 715. Cf. Wilcken, *Archiv* IV p. 254 summa.

14) P. Lond. 940. Cf. Eger, op. cit. p. 147/9 (quem puto (p. 148 not. 4) errare et editorem vidisse verum).

15) Cf. P. Oxy. 1220, 3/4: ἀνέπεμψά σοι διὰ σημειώσεως.

16) P. Lond. 941 (δικαίου pendet ab ἀπογραφῆς, ἀπογραφῆς ab ἔσχον ἴσον). Cf. Eger, op. cit. p. 149/50.

17) P. Lond. 945. Supplevi ex P. Lond. 940. Cf. Eger, op. cit. p. 151.

Digitized by Google

μένης..... οἷς δέον ἐστίν [1]); τῶν ἀπογραφομένων ἀφηλικῶν τριῶν οὐ διακειμένων ἐν ὀνόματι τῆς ὑποχρέου καὶ [2]) κυρίων ὄντων τῶν διὰ τῆς διαθήκης δηλουμένων πάντων ἀκολούθως [3]) τῇ τῆς διαγραφῆς ἐγλήμψει πρωτοπραξίας κτέ. [4]); μετὰ τὸ πεπρακέναι τῷ δεῖνι et post maiorem lacunam: ὑπὲρ ἀπογραφῆς ὁλοκλήρου οἰκίας καὶ αὐλῆς οὐ διακειμένων ἐν ὀνόματι τῆς ἀποδομένης [5]) — neque apparitoris declarandi causa sibi traditam professionem εἰς ἐξέτασιν [6]) — neque vasariorum ab eo cui servanda mandantur [7]) testandi causa depositum esse [8]) — neque antigraphorum ab eo qui autographa recipit testandi causa συμφωνεῖν [9]) — neque decretorum a scriba [10]) testandi causa genuina esse [11]) — neque eorum, quae proponi solent, veluti ὑπομνηματισμῶν [12]), ἀναδόσεων [13]), προσαγγελμάτων [14]), μισθώσεων [15]), post propositionem ab apparitore subscriptio: ὁ δεῖνα ὑπηρέτης προθεὶς δημοσίᾳ κατεχώρισα [16]) vel: δημοσίᾳ προετέθη καὶ κατεχωρίσθη [17]). Sed ne ipsius quidem magistratus subscriptionem testandi causa instrumentum apud se scriptum esse [18]) χειρόγραφος vocabulo comprehendendam censeo. Etsi est persaepe valde res ambigua, utrum testandi causa depositum esse an testandi causa apud se scriptum esse magistratus subscripserit [19]). Fit iustum χάραγμα his

---

1) P. Argentor. 34. Cf. Eger, op. cit. p. 153. Est similis P. Argentor. 56, 10/1 (sed res perplexa).

2) Καὶ non legitur et videtur potius convenire καίπερ.

3) Ἀκολούθως posui ex coniectura.

4) P. Lips. 9. Cf. Eger, op. cit. p. 152/3 (qui p. 153 lin. 9 scribere debuerat „(nicht) eingetragen").

5) P. Lips. 3 (Chrestom. II 172) II.

6) Exempla dabit Wilcken, Ostr. I p. 474 (*BGU* 97; 577).

7) In proposita specie est ὁ βασιλικὸς γραμματεύς,

8) P. Lond. 261, 27 (III p. 382); Rain. sine no. (Wessely, *Studien z. Palaeogr.* (4) p. 67—72) lin. 98 (κατακεχώρισται), 151 (ἐντέτακται), 206[b] (κατακεχώρισται).

9) P. Oxy. 1115, 18/9.

10) Dat hoc ὑπηρέτῃ Gradenwitz, *Einf.* I p. 39.

11) *BGU* 614, 9; 578, 8. Utrubique est σεσημείωμαι.

12) P. Paris. 69.

13) *BGU* 18.

14) P. Flor. 2; Oxy. 1254.

15) P. Amh. 85, 19; Oxy. 1633.

16) *Archiv* IV p. 424/5.

17) P. Oxy. 1633, 37/9.

18) De hoc genere subscribendi dicemus § 15.

19) Ergo nos secuti sumus inprimis naturalem verborum intellectum, velut ἀναγέγραπται, ἐντέτακται, κεχάρακται, et ex diverso ἐγράφη. Ambigua vocabula velut κεχρημάτικα, prout in ipso contextu esset deesset διὰ τοῦ γραφείου vel ἐπ' ἀγορανόμου similisve nota, ita ad utrum genus retulimus.

Digitized by Google

verbis: *ἀναγέγραπται* [1]) vel *τέτακται εἰς ἀναγραφὴν* [2]) vel *ἐχρηματίσθη* [3]) vel *κεχρημάτισται* [4]) vel *κεχρημάτικα* [5]) vel *σεσημείωμαι* [6]) vel *μετείληφα* (sive *μετεῖχον*) *εἰς ἀναγραφὴν* [7]) vel *ἐντέτακται* [8]) vel *κεχάραχται* [9]) vel *κατακεχώρισται* [10]) vel *κατεχωρίσθη* [11]) vel *κατεχώρισεν εἰς ἀναγραφὴν* [12]) vel *πέπτωκεν εἰς ἀναγραφὴν* [13]), *πέπτωκεν εἰς κιβωτὸν* [14]), *ὁμολογῶ πεπτωκέναι* [15]), vel denique *ὑπεχειρογράφησεν ὁ δεῖνα* [16]), quae singula plerumque subscribuntur, interdum, ut dicebam (p. 42), praescribuntur interscribuntur exemplari, quod reddetur. Reddi volet *ἡ κυρία*, id est,

---

1) Exempla sunt innumerabilia. Cf. e.g. *Rev. égyptol.* II (1881) p. 121[2] (Revillout). Accessit nuper CPR I 1, 38 (Chrestom. II 220).

2) P. Tebt. 104, 42; 105, 64, nisi edendum erat *πέπτωκεν εἰς ἀναγραφήν* (*Archiv* V p. 230 ima).

3) P. Petrie II 47, 34 (additur *ἀνενεχθέν*).

4) P. Oxy. 320; 513, 64/5; Lond. 1168, 16/7 (pag. 137). Dissentit (de P. 513) vel dubitat (de P. 320) Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIX, p. 5/6, 6[2].

5) P. Taur. dem. 23, 5 (*Sammelb.* 4507); P. Paris. demot. 2410 (*Not. et extr.* XVIII 2 p. 225); P. *Wien. Kais.* 26 (pag. 10); P. Grenf. II 70, 24. — Alioquin solet *κεχρημάτικα* non *transscripsi* significare sed *scripsi*.

6) CPR I 11, 40 (et Vo.); 29, 33 (*Berichtigungsliste* p. 117); 140, 1; P. Rain. 1577 (*Stud. zur P. u. P.* XX 16), 4; *BGU* 748 I; 748 II; 989, 4.

7) P. Leid. I. 375 (p. 89). Quatuor exempla exhibet Peyron, *Memorie (Torino)* XXXI p. 159/60 (*Sammelbuch* 4506 (= P. Buttmann); 4508; 4509; 4510).

8) *BGU* 87, 33; 350; 446; 538; 664; 910 II; 1045; P. Amh. 111; 112; Fay. 91; 92; Lond. 303; 308; 311; Tebt. 311, 45; 388, 38; 392, 39; Ryl. 155, 24; 160 (c) II 45; 161, 32; 162, 38; 179, 1.

9) P. Frib. 10, 1.

10) P. Oxy. 268, 20; Frib. 8, 32.

11) P. Gizeh 10871 (Thead. 2), 1 (*Ztschr. der Sav.-St.* XXXII p. 345); Lond. inv. 1897, 1 (*Archiv* VI p. 106); *Sammelb.* 5155; CPR I 27, 32 (*Berichtigungsl.* p. 452); P. Tebt. 397, 1.

12) P. Hamb. 58, 8 (subiectum exulat).

13) P. Tebt. 571; *Sammelb.* 4459; 4460; 4463; 4464; 4465; 4466; 4467; 4468; 4473; 4476; 4478; 4479; P. Gizeh 30616[b]; 30627. Additur interdum (*Sammelb.* 4460; 4464; 4465; 4466; 4467; 4473; 4476; 4478; 4479) *α'* = *μόνος*.

14) P. Tebt 279 (= Gizeh 30604) et, quod adiungitur, P. Gizeh 10262 (lin. 1/2). Accedunt Leid. I. 379 (*Archiv* V p. 231); *Sammelb.* 4511; 5710—5713, et, quod post *πέπτωκεν εἰς κιβωτὸν* habet *ἐχρημάτισεν ὁ δεῖνα*, demot. Paris. 2433 (*Archiv* V p. 231). Esse *χαράγματα* hodie constat (Partsch, *Festschr. für Lenel* (1921) p. 152). Notandum denique etiam apud Anglos *πτῶσιν εἰς κιβωτὸν* aliquando instar fuisse *δημοσιώσεως* (Pollock et Maitland, *Hist. of english law* I (1895) p. 452/3), apud Delphos denique *τοὺς καταδίκους ἐμβάλλεσθαι* solitos *εἰς κιβώτιον* (Michel 247, 7).

15) *Sammelb.* 4477.

16) P. Revillout, *Mélanges* p. 205 (not.) = *Rev. égyptol.* II (1881) p. 121.

Digitized by Google

autographum [1]), sin antigraphum, id ipsum τῷ χαράγματι comprehendi oportet, quemadmodum praescribitur papyro cuidam [2]) ex Oasi maiore: ὁμολογεῖ [3]) ὁ δεῖνα ἀ(ναφέρ)ειν [4]).... τὴν γενομένην αὐτῷ χάριν, ἧς ἐστὶν ἀντίγραφον κτλ., quod singulare quidem est, sed novimus papyros eius regionis a reliquis sui quemque generis haud uno modo discrepare [5]). Habere solet τὸ χάραγμα subscribentis nomen, magistratus eius titulum, annum praeterea et diem, velut hoc modo: (P. Buttmann) Ἀπολλώνιος ὁ πρὸς τῷ γραφείῳ τοῦ Περιθήβας μετείληφα εἰς ἀναγραφὴν ἔτους λς′ τῦβι ε′, nisi forte aut nomen omittitur [6]) aut titulus [7]) aut èt nomen èt titulus [8]) aut verbum [9]) aut omnia praeter annum et diem [10]) vel nomen [11]), aut ex diverso additur [12]) ipsius cautionis in breve coactio velut hoc modo: (Spec. Wesselyi (6) 6, 11/2 = P. Lond. 262, 1/2) ἀναγέγραπται ἐν Ψιναχ-

---

1) Modo autographum adlatum sit (cf. § 18).

2) P. Grenf. II 70, quocum conferri P. Oxy. 1208 iubet Hunt (ante P. Oxy. cit.).

3) Aut excidit aut praecessit. Cf. § 23.

4) Ἀναφέρειν solet esse = *publicare* (δι' ἀγορανομείου κτέ.), sed hic potius est = *adferre* (ἐπιφέρειν) publicandi gratia.

5) Veluti, quod habent παραναγνόντα (P. Grenf. II 68, 16; 69; 70; 71) et subscriptiones testium, quae deesse solent alibi (cf. infra § 22), et quod in volumina publica recipit ὁ χρηματιστής (P. cit. 70, 24). Cf. Jörs, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXIV p. 128[3].

6) Veluti: ἐντέτακται διὰ γραφείου τῆς δεῖνα κώμης (*BGU* 87; 350; 446; 538), quod sine dubio restituendum est *BGU* 183, 47 et P. Fay. 260, 42 (nisi quod hic pro ἐντέτακται habet ἀναγέγραπται). Add. P. Fay. 89, 6/7; Tebt. 311; 312.

7) Veluti: Σαραπίων μετείληφα εἰς ἀναγραφήν (*Sammelb.* 4508); πέπτωκεν εἰς κιβωτὸν διὰ τοῦ δεῖνος τοῦ παρὰ Φιλωνος (*Sammelb.* 5710—5713).

8) P. Tebt. 104, 42; 105, 64; 397, 1; Gizeh 10871 (Thead. 2), 1; Lond. inv. 1897, 1 (*Archiv* VI p. 106); CPR I 27, 32 (*Berichtigungsliste* p. 452); *Sammelb.* 5155. Hic ubique etiam locus deest, sed exprimitur *Sammelb.* 4511: πέπτωκεν εἰς κιβωτὸν ἐν τοῖς Μεμνονείοις; Spec. Wess. (6) 6, 11/2 = P. Lond. 262, 1/2: ἀναγέγραπται ἐν Ψιναχει.

9) P. Rein. demot. 1 (δι' Ἀπολλωνίου), Fay. 98, 28. Etiam praepositio deest P. Oxy. 489, 31 (adn.); 491; 492 (μνημονείου), quibus adiungendus videtur (*Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 293 not. 1) Oxy. 105. (Errat Mitteis ad Chrestom. II 303, 20 propter non lectam adnotationem editoris ad P. Oxy. 489, 31).

10) *Sammelb.* 4469. Est similis P. Rein. 22, 36, sed addit ἐν κώμῃ τῇ δεῖνι.

11) *Sammelb.* 4458.

12) Interdum sola venit: *Sammelb.* 4475 (Sethe-Partsch, *Bürgschaftsrecht* p. 142); P. Elephant. 6, 1—11 (ibid. p. 325 iis. 323, 563, 638/40) atque, si est χαραγμα, P. Hibeh 164.

Digitized by Google

χει πρᾶσις καὶ ἀποστασίου [1]) οἰκίας κτέ., ἃς ποιεῖται ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι [2]), vel (P. Revillout, *Mélanges* p. 205 adn.) ὑπεχειρογράφησεν ὁ δεῖνα συγγραφῇ ὁ δεῖνα τῷ δεῖνι [3]), vel (P. Rain. 1577 (*Stud. zur P. u. P.* XX 16), 2/3) ἐξαμάρτυρον Ὧρος ὡς ἐτῶν λβ' ἄσημος· Αἰλουρίων Δη(μητρίου) σεσημείωμαι [4]). Additur quoque semel, quod observavit Mitteis [5]), numerus exemplarium editorum: (πέντε) ἐξεδόθησαν ἑνὶ [6]) ἑκάστῳ [7]). Annus et dies raro omittitur [8]), solus dies frequenter [9]) supplente annum dumtaxat signo anniversario [10]), quo de signo supra [11]) èt nos diximus nec ante nos Wilcken [12]). Ceterum est [13]), ubi annum suppleat signum anniversarium nec tamen eo minus τὸ χάραγμα diem exprimat. Loci designatio inesse solet [14]) magistratus titulo, sive nomen abest, veluti: ἀναγέγραπται vel ἐντέτακται διὰ τοῦ ἐν τῇ Σοκνοπαίου Νήσῳ γραφείου [15]), sive nomen subicitur titulo veluti: (P. Buttmann) Ἀπολλώνιος ὁ πρὸς τῷ γραφείῳ τοῦ Περιθήβχς μετείληφα κτλ.; ergo, quum titulus omittitur, solet suppleri locus, velut: ὁ δεῖνα· ἀναγέγραπται ἐν τῷ ἐν [16]) Μέμφει Ἀνουβιείῳ [17]) — plenior forma est: ὁ δεῖνα· ἀναγέγραπται διὰ

1) Ἀποστασίου (P. Grenf. I 11 I 20, II 19; Spec. Wesselyi (1900) passim) vel ἀποστασίου συγγραφὴ (Spec. cit. (13) 29, 11; *BGU* 1002, 16) cum ipso venditionis instrumento dabatur emptori (itaque Spec. cit. (5) 5, 22 = (9 + 10) 15 + 16, 20 pro ἔχει legendum potius videtur ἔχω),

2) Similiter fit P. Ryl. 160, 9—14; 160 (*a*); 160 (*b*).

3) I. e., ἣν ποιεῖ ὁ δεῖνα τῇ δεῖνι. Add. P. Tebt. 279 (*Archiv* V p. 231) et, quod adiungitur, P. Gizeh 10262 (lin. 1/2); Oxy. 489, 31—33; 491, 26—28.

4) Est similis *BGU* 989 (Chrestom. II 136), 2/4, nisi quod 2/3 non scripsit publica manus.

5) *Grundzüge* p. 63[1]. 6) Nonne: ἓν?

7) P. Tebt. 397, 1. Non multum abludit CPR I 27, 32 (*Berichtigungsliste* p. 452): Δὸς ἴσον. Ἐξεδόθη.

8) Omittitur uterque P. Frib. 8, 32; Oxy. 268, 20; Ryl. 161, 32; 162, 38; *Sammelb.* 4458. Mensis retentus est *Sammelb.* 5155, etiam dies P. Frib. 10, 1; CPR I 29, 33 (*Berichtigungsliste* p. 117).

9) *BGU* 87; 183; 350; 446; 472 I; 538; 748 I (Vo.); 748 II (Vo.); 910 II; CPR I 1 (Chrestom. II 220).

10) *BGU* 87 (III pag. 353); 183; 748; CPR I 1. In ceteris evanuit signum.

11) § 1. 12) *Archiv* I p. 76[1] (me laudat).

13) CPR I 11. 14) Fit secus P. Oxy. 492, 25.

15) E. g. P. Ryl. 160 (*c*) I 21/2; 160 (*c*) II 43/6; 160 (*d*) I 8/9; 160 (*d*) II 37/40; 161, 32; 162, 38.

16) Rectius habet: πρός (Wilcken, *UPZ* I p. 27).

17) Cf. Wilcken, *UPZ* I p. 16, p. 14.

Digitized by Google

τοῦ ἐν τῷ Ἀνουβιείῳ γραφείου [1]), non: γραφέως [2]) — vel transposito nomine proprio: ἀναγέγραπται ἐν τῷ Ἀνουβιείῳ (vel ἐν Μέμφει vel ἐν τῇ ὑποκάτω Μέμφεως φυλακῇ vel ἐν Τήνει τοῦ Μωχίτου) διὰ τοῦ δεῖνος [3]). Ponitur etiam omisso quum titulo tum nomine per se locus veluti: (*Sammelb.* 4511) πέπτωκεν εἰς κιβωτὸν ἐν τοῖς Μεμνονείοις [4]), (Spec. Wess. (6) 6, 11/2 = P. Lond. 262, 1/2) ἀναγέγραπται ἐν Ψιναχει, vel sine verbo: (P. Rein. 22, 36) ἐν κώμῃ τῇ δεῖνι. Inveniuntur quidem, ubi titulo omisso, nomine omisso vel retento, ne locus quidem suppleatur, χαράγματα complura [5]). Quod tunc minus refert, quum propter genus instrumenti tamen constat, ubi a quo signatum sit. Sic duobus instrumentis [6]) tantum subscriptum est: Ἀπολλώνιος· κατακεχώρισται, sed, quia utraque est συγχώρησις archidicastae data, oportet subscriptum sit Alexandriae ἐν τῷ καταλογείῳ ὑπὸ γραμματέως [7]). Alia duo [8]), quia scripserunt agoranomi vel διέποντες τὰ κατὰ τὸ ἀγορανομεῖον, vix est, ut alii transscripserint [9]). Sed de tertio pari [10]) minus certa res est, de altero [11]), quia instrumentum est nomographicum, ignoratur autem [12]), utrum nomographus scripserit tantum, an etiam perfecerit instrumenta; de altero [13]), quia neque τὸ σῶμα eius

---

1) *Archiv* III p. 146.

2) Ita editur P. Leid. I. 380 (pag. 90), ubi Ἄρειος pro Χρεῖος iam revocavit Revillout, *Rev. égyptol.* II p. 121[2].

3) Locos ministrabunt Revillout, *Rev. égyptol.* II p. 121[2], et Reinach, *Papyrus grecs* (1905) pag. 44, 45, 46 (ia. 47). Malo tamen fit exemplo, quod hic uterque solvit ἀναγεγρα(μμένον) pro ἀναγέγρα(πται) (*Archiv* III p. 525). Add. P. Tebt. 279 et, quod adiungitur: P. Gizeh 10262 (lin. 1/2) et item *Sammelb.* 4457; P. Gizeh 30602.

4) Περὶ Μεμνονείων cf. Peyron, *Memorie* (*Torino*) XXXIII p. 39 sqq.

5) P. Revillout, *Mélanges* p. 205 (not.); Tebt. 104; 105; *Sammelbuch* 4458—4469; 4473; 4508; 4510; 5710—5713; P. Gizeh 30616*b*; 30627; *BGU* 719; CPR I 27, 32 (*Berichtigungsliste* p. 452).

6) P. Oxy. 268 (p. Chr. 58); Frib. 8 (p. Chr. 143). In ceteris id genus nunc deest subscriptio, sed fuisse utique videtur in *BGU* 729 (cf. *Archiv* II p. 33 not. 6).

7) Cf. P. Oxy. 34 II 4, quo remittebam, *Archiv* II p. 33[5]. Quamquam „*im Gau*" putat Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 58/9.

8) P. Frib. 10; Lond. inv. 1897 (*Archiv* VI p. 106),

9) Ita censet de P. Frib. 10 Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 47.

10) P. Tebt. 397; Gizeh 10871 (Thead. 2). Huc trahit Woess, l.l. (*Münch. Beitr.* VI p. 47).

11) P. Tebt. 397.

12) Cf. infra (§ 17).

13) P. Gizeh 10871 (Thead. 2).

Digitized by Google

ullam habet mentionem τοῦ ἀγορανομείου [1]), neque de subscriptione, ut videtur Victori [2]), magistratus eius qui scripsisset (lin. 18), satis constat [3]), cuia sit.

§ 12. Χαραγμάτων fastos, universorum utique [4]), nondum quis confecit. Quocirca spero meos, quos subieci, qualesquales si minus grato, tamen aequo animo lectores accepturos. In quos retuli fastos Graeca quum demoticorum tum Graecorum instrumentorum χαράγματα [5]); demoticis abstinui [6]).

I. Χαράγματα Graeca contractuum demoticorum.

Numerus.	*Annus ante Chr.*	*Instrumentum (P.)*
1	257	Leid. I. 379 (*Archiv* V p. 231).
2	253	Paris. 2433 (*Archiv* V p. 231).
3	245/4	*Sammelb.* 4470 (Gizeh 30701).
4–7	241/0	*Sammelb.* 5710—5713.
8	235	*Sammelb.* 4511.
9	234	Revillout, *Mélanges* p. 205 (not.) = *Rev. égypt.* II p. 121.
10	231	Tebt. 279 (Gizeh 30604).
11	231	Gizeh 10262 (sub Tebt. 279), 1/2.
12	± 230	Hibeh 164, si est χάραγμα.
13	228/7?	*Sammelb.* 4480 (Gizeh 50013).
14	225/4	Elephant. 6, 1—11 (Sethe-Partsch, *Bürgschaftsrecht* p. 325 iis. 322, 563).
15	174/3	*Sammelb.* 4476 (Gizeh 31218).
16	157/6	*Sammelb.* 4458 (Gizeh 30605).
17	145 vel 135	Buttmann, 4 (*Sammelb.* 4506).
18	131	Leid. I 373 (*Sammelb.* 3).

1) *Ztschr. der Sav.-St.* XXXII p. 345[2].

2) *Studien zur Palaeogr. und Papyrusk.* (17), p. 2.

3) Jouguet pag. 53.

4) A se publicatorum inchoavit Preisigke, *Sammelb.* II pag. 179 (no. 16).

5) Quum sit persaepe valde res ambigua, utrum testandi causa transscriptum vel apud se depositum esse, quod proprie χάραγμα dicitur, an testandi a se scriptum esse magistratus subscripserit, in ea re diiudicanda secutus sum inprimis naturalem verborum intellectum velut ἀναγέγραπται, ἐντέτακται, κεχάρακται et ex diverso ἐγράφη. Ambigua vocabula, velut κεχρημάτικα, prout in ipso contractu esset deesset διὰ τοῦ γραφείου vel ἐπ ἀγορανόμου similisve nota, ita ad utrum genus retuli.

6) Demoticorum instrumentorum demotica χαράγματα indicavit Revillout *Revue égyptol.* II (1881) p. 120 circa notam 6.

Digitized by Google

Numerus.	*Annus ante Chr.*	*Instrumentum (P.)*
19	129/8	*Sammelb.* 4459 (Gizeh 30607).
20	127	*Sammelb.* 4507 (Taur. 23, 5).
21	126	*Sammelb.* 4509 (Paris. sine no.).
22	125	Leid. I 375 (p. 89).
23	124	Forshall 41 (*Sammelb.* 5634).
24	122	*Wien. Kais.* 26 (p. 10), 1.
25	121	Paris. 2410 (*Not. et extr.* XVIII 2 p. 225), 1.
26	120/19	*Sammelb.* 4467 (Gizeh 30628).
27	118/7	*Sammelb.* 2051 (Argentor. 56).
28	118/7	*Sammelb.* 4510 (Taur. sine no.).
29	116/5	Gizeh 30602.
30	116/5	*Sammelb.* 4457 (Gizeh 30603).
31	110	Rein. 1.
32	108	Rein. 3.
33	108	Rein. 4.
34—36	106	Rein. 5—7.
37	106/5	*Sammelb.* 4473 (Gizeh 31079).
38	106/5	*Sammelb.* 4479 (Gizeh 31254).
39	102/1	Gizeh 30627.
40	100/00	Tebt. 571.
41	100/99	*Sammelb.* 4466 (Gizeh 30620).
42	98/7	*Sammelb.* 4462 (Gizeh 30615).
43	98/7	*Sammelb.* 4464 (Gizeh 30617*a*).
44	98/7	*Sammelb.* 4465 (Gizeh 30617*b*).
45	97/6	*Sammelb.* 4460 (Gizeh 30612).
46	97/6	*Sammelb.* 4469 (Gizeh 30632).
47	94/3	*Sammelb.* 4461 (Gizeh 30613).
48	90/89	*Sammelb.* 4468 (Gizeh 30630).
49	79	Revillout, *Précis* p. 1028[1] (*Sammelb.* 5).
50	79/8	*Sammelb.* 4463 (Gizeh 30616*a*).
51	79/8	Gizeh 30616*b*.
52	75	*Sammelb.* 1171 (*Archiv* III p. 146).
53; 54	68	Paris. bibl. 224; 225 (*Sammelb.* (2) I pag. 663).
55	3/2	Spec. Wess. (13) 29, 23 (ubi editur διὰ Λεωνίδου κτέ.)
56	inc.	*Sammelb.* 4297.
57	»	*Sammelb.* 4471 (Gizeh 31020*b*).
58	»	*Sammelb.* 4475 (Gizeh 31191).
59	»	*Sammelb.* 4477 (Gizeh 31227).
60	»	*Sammelb.* 4478 (Gizeh 31228).
61	»	*Sammelb.* 4508 (Paris. 2422).
62	»	Forshall 42 (*Sammelb.* 5635).
63	»	Leid. I. 380 }
64	»	Paris. 2411 } *Rev. égyptol.* II p. 121[2].
65	»	Paris. 2464 }

Digitized by Google

Numerus.	*Annus ante Chr.*	*Instrumentum (P.)*
66	inc.	*Rev. égyptol.* III suppl. (nº. 1) pag. 7.
67	»	Petrop. sine no. (*Rev. égyptol.* II p. 121 not. 2).
68	»	Vatic. sine no. (*Rendic. Lincei* 5 II p. 830).
	post Chr.	
69	11	Lond. 262, 1/2 (Chrestom. II 181).
70	29	Ryl. (Gr.) 160 (*Sammelb.* 5108), 9—14.
71	32	Ryl. (Gr.) 160(*c*) I 21/2.
72	14/37	Ryl. (Gr.) 160(*a*), 10—17.
73	37	Ryl. (Gr.) 160(*b*), 7—12.
74	42	Ryl. (Gr.) 160(*d*) I (*Sammelb.* 5109), 8/9.
75	44	*BGU* 854, 11.
76	47	Spec. Wess. (14) 30, 34.
77	55	*Sammelb.* 5117, 13/4.

II. Χαράγματα Graeca contractuum Graecorum.

Numerus.	*Annus ante Chr.*	*Instrumentum (P.)*	Χρηματίζοντος (-ζούσης)
78	210/9 [1])	Petrie II 47, 34/7 (Chrestom. II 135)	
79	113	Rein. 34, 4	
80	112	Rein. 9, 37	
81	111	Rein. 10, 32	
82	110	Rein. 14, 39	
83	108	Rein. 20, 40	
84	107	Rein. 22, 36	
85	105	Rein. 23, 35	
86	103	Tebt. 105, 64	
87	? —100	Rein. 29, 21	
88	? —100	Rein. 30, 16	
89	92	Tebt. 104, 42	
90	89	Leid. O, 36	φυλακῆς [2])
	post Chr.		
91	9	Fay. 89, 6	γραφείου
92	23	Lond. 277, 20/3 (p. 218)	γραφείου
93	32	Ryl. 160(*c*) II 43/6	γραφείου
94	43	Ryl. 160(*d*) II 37/40 *Sammelb.* 5110)	γραφείου
95	44	Lond. 1168, 16/7 (p. 137)	ἀγορανόμου
96	44/5	*BGU* 987, 26.	γραφείου?
97	46	Tebt. 383, 59—62	γραφείου
98	52/3	CPR I 4, 37/8	γραφείου

1) De tempore cf. Wilcken, *GGA* 1895 p. 164.
2) Cf. infra (p. 57, 8).

Digitized by Google

Numerus.	*Annus post Chr.*	*Instrumentum (P.)*	Χρηματίζοντος.
99	58	Oxy. 268, 20	καταλογείου [1]
100	59	Oxy. 320	ἀγορανόμου
101	68	Lond. 154, 28 (p. 180)	γραφείου
102	71	*BGU* 910 II 45	γραφείου?
103	71	Ryl. 161, 32	γραφείου
104	78	Fay 97, 45/7	γραφείου
105	83/4	CPR I 1, 38 (Chrestom. II 220)	γραφείου
106	85	*BGU* 183, 47	γραφείου
107	91	Lond. 289, 38/9 (p. 185)? [2]	γραφείου?
108	95	Lond. 142, 27 (p. 204)	γραφείου
109	97	Lond. 143, 36 (p. 205)	γραφείου
110	98	Tebt. 388, 38	γραφείου
111	99	Fay. 91, 46/7	γραφείου
112	99	Ryl. 173(*a*), 29/31	γραφείου
113	100	*BGU* 538, 38	γραφείου
114	1—100	*BGU* 664, 9	γραφείου?
115	101	Tebt. 527	γραφείου
116	104	Tebt. 596	γραφείου
117	108	CPR I 11, 40 et Vo.	?
118	109/10	Fay. 260, 42	γραφείου
119	114	Lond. 293, 33 (p. 188)	γραφείου
120	117	Oxy. 489, 31/3	μνημονείου
121	98–117	*BGU* 350, 26	γραφείου
122	123	Fay. 98, 28/9	γραφείου
123	123	Hamb. 62, 20	γραφείου
124	123/4	Tebt. 312, 25	γραφείου
125	126	Fay. 92, 31	γραφείου
126	126	Oxy. 491, 26/8	μνημονείου
127	126	Oxy. 634	μνημονείου
128	127	Ryl. 179, 1	γραφείου
129	128	Amh. 112, 1/2	γραφείου
130	108/28	Tebt. 445	γραφείου
131	130	Oxy. 492, 25	μνημονείου
132	132	Amh. 111, 27	γραφείου
133	134	Tebt. 311, 45	γραφείου
134	134/5	Tebt. 392, 39	γραφείου
135	117/37	Oxy. 105, 21	μ(ν)ημονείου [3]
136	139	*BGU* 472 I 1	γραφείου
137	141	*Gr. Texte* 13, 26	γραφείου
138	142	Lond. 303, 1 (p. 195)	γραφείου

1) Diximus supra (p. 48).

2) Cf. Wilcken, *Archiv* I p. 157; Gradenwitz, *Einführung* p. 196.

3) Vidit W. (ad Chrestom, II 303, 20).

Digitized by Google

Numerus.	*Annus post Chr.*	*Instrumentum (P.)*	Χρηματίζοντος
139	142	*Stud. z. P. u. P.* XXII 22, 21	γραφείου
140	143	Frib. 8, 32	καταλογείου [1])
141	144	*BGU* 87, 33	γραφείου
142	145	Lond. 308, 26 (p. 219)	γραφείου
143	146/7	Tebt. 524	γραφείου
144	149	Lond. 311, 26 (p. 220)	γραφείου
145	152	*BGU* 153, 44/5	γραφείου
146	154	*BGU* 1045, 23/4	γραφείου
147	158/9	*BGU* 446, 27	γραφείου
148	159	Ryl. 162, 38	γραφείου
149	138/61	Ryl. 155, 24	γραφείου
150	166	*Stud. z. P. u. P.* XXII 45, 30 [2])	γραφείου
151	177	Lond. inv. 1897, 1 (*Archiv* VI p. 106)	ἀγορανομείου [3])
152	184	Oxy. 513, 65	
153	184	CPR I 29, 33	
154	190	CPR I 27, 32 (*Berichtigungsl.* p. 452)	
155	193	Rain. 1577 (*Stud. z. P. u. P.* XX 16), 1—4.	
156	195/6	Frib. 10, 1	ἀγορανόμου [4])
157	198	Tebt. 397, 1	
158	1–200	*BGU* 813, 1	
159	1—200	*BGU* 719, 17	
160	209	Hamb. 15, 22 [5])	
161	226	*BGU* 989, 4 (Chrestom. II 136)	ἐπιτηρητοῦ συναλ-
162	200–250 [6])	CPR I 140, 1 (*Berichtigungsl.* p. 120)	[λαγμάτων.
163	269	Grenf. II 70, 24	χρηματιστοῦ
164	305	Gizeh 10871 (Thead. 2), 1	

ELENCHUS FONTIUM (HORUM FASTORUM).

Papyri.	num.		num.
Amh.		*BGU*	
111, 27	132	183, 47	106
112, 1/2	129	350, 26	121
Argentor.		446, 27	147
demot. 56	27	472 I 1	136
BGU		538, 38	113
87, 33	141	664, 9	114
153, 44/5	145	719, 17	159

1) Diximus supra (p. 48). 2) Fallit vocabulum ἐγράφη.
3) Diximus supra (p. 48). 4) Dictum supra (p. 48).
5) Cf. Partsch, *Sitzungsb.* (Heidelb.) 1916. 10 pag. 38).
6) CPR I pag. 297.

Digitized by Google

BGU	num.
813, 1	158
854, 11	75
910 II 45	102
987, 26	96
989, 4	161
1045, 23/4	146
Buttmann, 4	17
Droysen 36 = Buttmann	
Elephant.	
6, 1—11	14
Fay.	
89, 6	91
91, 46/7	111
92, 31	125
97, 45/7	104
98, 28/9	122
260, 42	118
Forshall	
41	23
42	62
Frib.	
8	140
10	156
Gizeh	
10262, 1/2	11
10871	164
30602	29
30603	30
30604	10
30605	16
30607	19
30612	45
30613	47
30615	42
30616	50; 51
30617	43; 44
30620	41
30627	39
30628	26
30630	48
30632	46
30701	3
31020*b*	57
31079	37
31191	58
31218	15

Gizeh	num.
31227	59
31228	60
31254	38
50013	13
Grenf.	
II 70, 24	163
Gr. texte	
13	137
Hamb.	
15	160
62	123
Hibeh	
164	12
Innsbrück.	
demot. sine no. = *SB* 1171.	
Leid.	
I. 373	18
I. 375	22
I. 379	1
I. 380	63
O, 36	90
Lond.	
142, 27	108
143, 36	109
154, 28	101
262, 1/2	69
277, 20/3	92
289, 38/9	107
299, 33	119
303, 1	138
308, 26	142
311, 26	144
1168, 16/7	95
inv. 1897, 1	151
Mél. Nic.	
187 = *SB* 4297	
Oenip. = *Innsbrück.*	
Oxy.	
105, 21	135
268, 20	99
320	100
489, 31/3	120
491, 26/8	126
492, 25	131
513, 65	152
634	127

Digitized by Google

Paris. demot.	num.
sine no.	21
2410, 1	25
2411	64
2422	61
2433	2
2464	65
bibl. 224	53
bibl. 225	54
Petrie	
II 47, 34/7	78
Petrop. sine no.	67
CPR I	
1, 38	105
4, 37/8	98
11, 40 et Vo.	117
27, 32	154
29, 33	153
140, 1	162
Rain. extrav.	
1577, 1—4	155
Reinach	
9, 37	80
10, 32	81
14, 39	82
20, 40	83
22, 36	84
23, 35	85
29, 21	87
30, 16	88
34, 4	79
Rein. demot.	
1	31
3	32
4	33
5—7	34—36
Revillout	
Mél. p. 205 (not.)	9
Précis [225 p. 1007[1] = Paris. bibl. 224; p. 1028[1]	49
Revue	
II p. 114 = SB 4511; Par dem. 2433.	
II p. 121	9
III suppl. 1 p. 7.	66
Ryl. (Gr.)	
155, 24	149

Ryl. (Gr.)	num.
160, 9/14	70
160(*a*), 10/7	72
160(*b*), 7/12	73
160(*c*) I 21/2	71
160(*c*) II 43/6	93
160(*d*) I 8/9	74
160(*d*) II 37/40	94
161, 32	103
162, 38	148
173(*a*), 29/31	112
179, 1	128
Sammelbuch (SB)	
2	53; 54
3	18
5	49
1171	52
2051	27
4297	56
4457	30
4458	16
4459	19
4460	45
4461	47
4462	42
4463	50
4464	43
4465	44
4466	41
4467	26
4468	48
4469	46
4470	3
4471	57
4473	37
4475	58
4476	15
4477	59
4478	60
4479	38
4480	13
4506	17
4507	20
4508	61
4509	21
4510	28
4511	8
5108	70

Digitized by Google

Sammelbueh (SB)	num.
5109	74
5110	94
5117, 13/4	77
5634	23
5635	62
5710—5713	4—7
Stud. zur P. u. P.	
XX 16, 1—4	155
XXII 22, 21	139
XXII 45, 30	150
Taur. demot	
sine no.	28
23, 5	20
Tebt.	
104, 42	89
105, 64	86
279	10
311, 45	133

Tebt.	num.
312, 25	124
383, 59—62	97
388, 38	110
392, 39	134
397, 1	157
445	130
524	143
527	115
571	40
596	116
Thead. 2, 1	164
Vat. demot. sine no.	68
Wess. Spec.	
(13) 29, 23	55
(14) 30, 34	76
Wien. Kais.	
26 (p. 10), 1	24

Incipiunt, demoticum Amyrtaei [1]), quod potest πτῶμα esse [2]), ne computemus, ab anno 257 ante Chr. in contractibus demoticis, et est in eo genere hactenus novissimum anni 55 p. Chr.; eadem in contractibus Graecis decurrunt ab anno 210 ante Chr. ad annum 305 post Chr. Contractibus enim adhaerent χαράγματα quum Graecis tum Aegyptiis, quod Graecorum contemplatione prima facie potest videri mirificum. Etenim de Aegyptiis quidem instrumentis erat cautum τὰ μὴ ἀναγεγραμμένα [3]) ἄκυρα εἶναι [4]), institutumque primum per singulos νομούς [5]),

1) Revillout, *Précis* p. 572. 2) Dixi § 2 (p. 423/4).

3) Αἰγυπτία συναλλάγματα.

4) P. Taur. I IV 13/5. — Ubi locorum fuerit transscribendum, quaerit Wilcken, *Archiv* III p. 528, et respondet adhibitis P. Rein. demot. 7 et 6: non, quo loco comparator resideret, sed potius, ubi alienator, laudaturus nunc P. Oxy. 1462 II, ubi comparat incola (τοῦ Ὀξυρυγχίτου) διὰ τοῦ τῆς Νώεως καὶ ἄλλων κωμῶν τῆς Ἀλεξανδρέων χώρας; sin quis diceret, quo loco res sita esset, P. Rain. 1436 (*Stud. zur P. und P.* XX 26), ubi praedium unum et idem modo transscribitur δι' ἀγορανομίας περὶ Πόλιν (lin. 18), modo περὶ Τέκμει (lin. 12, lin. 26). Transscribendum fuisse, quo loco contractum esset („*im Grapheion des Errichtungsortes*"), docet Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 198 lin. 3, fide P. Frib. ined.

5) P. Paris. 65 (anni 146 vel 135 ante Chr.), qui pertinet ad τὸν Περιθήβας. Cf. P. Buttmann (qui cum illo congruit ad diem) et *Rev. égyptol.* II p. 127[6]. Ergo in veteri charagmate anni 253 (demot. Paris. 2433), quum nondum erat τὸ γραφεῖον, subscribentis vice fungitur (ἐν Διοσπόλει τῷ μεγάλῃ) ὁ προχειρισθεὶς ὑπὸ τοῦ οἰκονόμου (*Archiv* V p. 231).

Digitized by Google

postea vero per singulas μητροπόλεις [1]) atque κώμας [2]), ubi per indicem transscriberentur [3]), τὸ γραφεῖον [4]). Graeci autem contractus fieri consueverant [5]) ἐπὶ τοῦ ἀρχείου [6]), id est, ἐπ' ἀγορανόμου [7]) vel ἐπὶ τῆς (συγγραφο)φυλακης [8]), itaque vi ipsa

---

1) Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 59[5], atque P. Rain. 2082 = *Stud. zur P. u. P.* XX 14 (*Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 299 not. 2); Oxy. 1725, 6. 10; 1724, 5/6; Fay. 23 I 25 (praef.). — Proprium habebat γραφεῖον τὸ ἐν Μέμφει Ἀνουβιείου (*Sammelb.* 1171; P. demot. Paris. bibl. 224; 225 (*Rev. égyptol.* II p. 121 not. 2) = *Sammelb.* 2).

2) Cf. e.g. *BGU* 135, 5; 350, 25; 514, 14; P. Lond. 289, 11/2 (pag. 185); 341, 7 (pag. 213); Oxy. 808 et quos praeterea laudat Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 295, 298. Erant nonnumquam binae vel ternae in unum γραφεῖον contributae (Koschaker, l.l. p. 299). Alioquin in singulis κώμαις fuisse γραφεῖα, observavit Mitteis, *Archiv* I p. 190[3], idque mature (minimum ante 113 ante Chr.) usu venisse probabile reddit Reinach, *Papyrus grecs* (1905) pag. 44/5 ia. 27. Quod interdum unus totius nomi τὰ γραφεῖα administrabat (P. Rain. 2082 = *Studien zur P. u. P.* XX 14 = *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 299[2]: τῆς μητροπόλεως καὶ τῶν μερίδων), id fortasse solum potest explicare, quomodo τοπαρχίας γραφεῖον aliquando extiterit (P. Flor. 357, 3).

3) Ad hoc institutum pertinet P. Paris. 65, quem interpretatus est Mitteis, Herm. XXX (1895) p. 597, atque mutatis quibusdam, ut mihi videtur, in deterius, ibid. XXXIV p. 97; *Grundzüge* p. 81. Cf. praeterea Peyron, *Memorie* (*Torino*) XXXI p. 157; XXXIII p. 72; Revillout, *Rev. égyptol.* II p. 127[6]; id., *Précis* (1903) p. 1339 lin. 5—12 (= *Rev. égyptol.* II p. 122).

4) Ab initio sic appellatum est: P. Buttmann; Taur. 13, 9.

5) Ab anno utique ante Chr. 174 (Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 58).

6) P. Grenf. I 26, 6; 28, 11; II 19, 12/3 et alibi (Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 295 not. 1). Intelligi quidem solet agoranomicum ἀρχεῖον, sed cf. tamen CPR I 223, 20 (Mitteis, *Archiv* I p. 191 not. 2); P. Lond. 154, 13 (διὰ μηδενὸς ἀρχείου); *BGU* 50, 15 (Mitteis, l.l.) (τὰ ἀρχεῖα); 1130, 22/3 (διὰ τῶν.... ἀρχείων); 1131, 14 (διὰ τοῦ πολιτικοῦ ἀρχείου); 1151, 7/8 (διὰ τοῦ τῶν Ἰουδαίων ἀρχείου); 1158, 6 (διὰ δημοσίου ἀρχείου); P. Tebt. 166 (Reinach, *Papyrus grecs* (1905) pag. 50) (ἀρχεῖον τῶν μνημόνων); Ryl. 163, 14; 164, 11 (διὰ τῶν.... ἀρχείων).

7) Locos adferre ad imperatoriam aetatem pertinentes putidum foret (cf. Mitteis, Herm. XXX (1895) p. 596 not. 2). Agoranomicorum instrumentorum sub Ptolemaeis factorum fastos composuit Gerhard, Philol. 63 (1904) p. 508—513. Erant tunc 78 (annorum ante Chr. 174—88) omnia de Thebaide. Indidem nunc accesserunt *BGU* 1249; 1259; 1260; P. Lips. 1; 2; 7; Lond. 676; 678; 682; 879—883; 1203—1209 (annorum 148—88). Cf. praeterea Mitteis, *Grundzüge* p. X (ad pag. 58).

8) P. Leid. O. Dissentit a me Gerhard, Phil. 63 (1904) p. 514[36]: „*es handelt sich hier, wie im Registervermerk* (Z. 36) *um eine pure Lokalbezeichnung* („*Wache*"). *Vgl. schon* Droysen, *Kl. Schr.* II p. 394 *Anm.* 40". Quem refellere non est opus, quia ipse se refellit et ducem suum (vv. *wie im Registervermerk*).

Digitized by Google

publice [1]) nec alia ulla requirebatur a contrahentibus [2]) δημοσίωσις. Atqui etiam Graeci contractus nonnumquam privatim scribebantur, erant igitur magistratibus offerendi, interdum intra certum tempus [3]), ut possent ad omnia rati esse [4]), vel certe, quod rarius factum videtur, ἐκμαρτυρη(τέοι) διὰ δημοσίας ὁμολογίας [5]). Quocirca minus est mirandum [6]), cur συγγραφῆς interdum δημοσίωσις fiat [7]) atque ὁμολογίας [8]). Publicatur enim συγγραφὴ ἰδιόγραφος [9]), quae nihil distat a chirographo [10]), ne

1) Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 59: „*Notariatsurkunden (genossen) von vornherein Publizität.*" Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 82[2].

2) Magistratibus tamen utique sub Augusto (Specim. Wess. (7) 8) praescribi coepit, ut exemplaria deponerent (lin. 32) ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ, id est, (P. Oxy. 34 I 3) εἰς τὸ Ναναῖον Alexandriae ἐντὸς ἡμερῶν ῥητῶν (*BGU* 1210 § 100).

3) P. Oxy. 533, 3—6 (quamquam cf. Mitteis, *Grundzüge*, p. 85[3], 126). — Oblatio fit vel facta commemoratur post quatuor menses P. Oxy. 719; post sex menses P. Oxy 1200; post septem P. Oxy. 1208; post biennium *BGU* 578; post duodecim annos *BGU* 970, 14. 21; post quadraginta P. Grenf. II 70 (cf. P. Oxy. IX pag. 227 not. 1); post sexaginta duo P. Lips. 10 (cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 15 not. 1). Fit interdum post abalienationem veluti P. Ryl. 163, 15; *BGU* inv. 11644 (Schwarz, *Abhandl.* (*sächs. Akad.*) XXXI 3 p. 268/71).

4) Πρὸς τὸ μένειν . . . τὰ ἀπ' αὐτ(ῶν) δίκαια (P. Lips. 10 II 26/7; Oxy. 1200, 50; 1475, 45). Paulo aliter habet P. Oxy. 1473, 42. — Apparet τὰ μὴ ἀναγεγραμμένα non tota irrita esse, alioquin ipsa ἀναγραφὴ inutilis futura erat (Lewald, *Beitr. zur Kenntniss des röm.-aeg. Grundbuchrechts* p. 35; Mitteis, *Archiv* III p. 177 not. 1). Itaque videndum, quid extrinsecus adferat ἡ δημοσίωσις. Quod quaesiverunt Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 83/4; Jörs, *Ztschr.* cit. XXXIV (1913) p. 139/51; Schwarz, *Abhandl.* (*sächs. Akad.*) XXXI 3 (1920) p. 27—297; Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 178/83, 185/6, 192[1]; Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 25. Cf. praeterea quum editoris nota tum Ludovici, *Ztschr. der Sav.-St.* XXXVIII p. 295[2], ad P. Oxy. 1408, 5.

5) *BGU* 619, 16; 1155, 15/6. Exemplo est P. Oxy. 95. Ex diverso P. Oxy. 1208, 4 (ia. 24); 1562, 3; 1199, 19; 1649, 24 ἐκμαρτυρεῖσθαι aliud est nihil quam ἀναφέρειν διὰ δημοσίου, id est, publicandum offerre. Cf. Jörs, *Ztschr.* cit. XXXIV p. 122/3, 134/6, 156; Schwarz, *Abhandl.* (*sächs. Akad.*) XXXI 3 p. 3[1] (et p. 150).

6) Mirabatur Mitteis, *Ztschr.* cit. XXX p. 401/2 (cf. *Grundzüge* p. 86, p. 126) nondum invento P. Oxy. 1266.

7) P. Oxy. 906; 1273, 37/8; 1473, 17.

8) CPR I 155. — Χρηματισμοῦ συμπαραταξέντος (P. Oxy. 1649, 24) δημοσίωσις foret mirabilis, si χρηματισμός utique intelligendus esset δημόσιος, quod certum videtur Friderico Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 32[2], 59[2].

9) P. Oxy. 1266, 17/9 (atque ibi Hunt). Sed erat συγγραφὴ ἰδιόγραφος pridem cognita (P. Oxy. 259, 10/1).

10) Nihil distare negat Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 32[2], quin dubitat,

Digitized by Google

ὁμολογία quidem [1]). Publicantur etiam ἐξαμάρτυροι [2]), quas inter et nuda chirographa interest quidem [3]) sed facilitate probandi [4]) non vi ac potestate obligandi, proinde post, non ante, depositionem [5]). Etenim privatim scriptos Graecos contractus [6]), imperatoria utique aetate, antequam deponerentur, ratos non fuisse, ipsa fictione [7]) demonstratur [8]), qua nulla frequentior [9]) etiam in Oase maiore [10]), quin leviter immutata etiam posterioribus saeculis [11]): ἡ (συγγραφὴ) κυρία ἔστω ὡς [12]) ἐν δημοσίῳ κατακει-

---

sitne „*Privaturkunde*", propterea quod testamentum Acusilai (P. Oxy. 494) sit ἰδιόγραφον (lin. 31), idem vero publice factum (p. 38: „*notariell*"). Quae quidem opinio niti videtur vocabulo ἐν ἀγυιᾷ (lin. 3), de quo dicemus infra (61, 4).

1) *BGU* 405, 16/7; cf., quo remittunt Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 2[2]; Jörs, ibid. XXXIV p. 108 not. 3 (109): P. Oxy. 731, 13. Hic manus dat etiam Woess, op. cit. p. 38: „*auch Handscheine können so genannt worden sein*".

2) P. Petrie II 47, 36 (ante Chr. 210); P. Rain. 1577 (*Studien zur P. und P.* XX 16), 2 (post Chr. 193); *BGU* 989 (Chrestom. II 136), 2 (post Chr. 226). — Exempla requirit Woess, op. cit. p. 32[2]. 3) *BGU* 260 (Chrestom. II 137).

4) Vidit Mitteis, *Grundzüge* p. 55 lin. 7—10.

5) Ἐξαμάρτυρα non esse publica instrumenta, concedit Woess, op. cit. p. 37.

6) Etiam civium Romanorum (Mitteis, *Grundzüge* p. 84 not. 1).

7) Mitteis, Herm. XXX p. 599: „*die (blos) phraseologische Bemerkung*".

8) Demonstrari dicebam *Archiv* I p. 318, nunc dicit Mitteis, *Grundzüge* p. 83.

9) Occurrit (cf. Jörs, *Ztschr.* cit. XXXIV p. 112/3) extra Oasin in P. Amh. 99 (a), 22; 99 (b), 22; *BGU* 50, 18—20; 69, 14/5; 71; 260; 272; 520; 578; 666; 717; 942; 981 I et II; P. Flor. 62; 96; Genev. 9; Goodsp. 13; *Griech. Texte* 25; Hamb. 32; 70; 102; Lips. 6; 10; 11; 29; Lond. 178 (II p. 207); 870 (*Abhandl. (sächs. Akad.)* XXXI 3 p. 8 not. 5); 978 (III pag. 233); Oxy. 719; 731; 1040; CPR I 9; 10; P. Rain. 1530 (*Studien zur P. und P.* XX 45); PR *Stud.* cit. XXII 69; P. Ryl. 163; 323; *Sammelb.* 4652; 4654; 4655; 4656; Tebt. 391; 396 ab anno post Chr. 8 (P. Oxy. 731) vel certe 79 (*BGU* 981 II) ad annum 341 (P. Goodsp. 13).

10) P. Grenf. II 68; 70; 71; 75; 76; *Sammelb.* 5679. Annorum 244—308.

11) P. Guimet 2, 27 (*Bull. dell' istit. di dir. rom.* XIV p. 100. Restituendus est locus ad *Sammelb.* 5763, 91. Utcumque restituis — Ruggiero: μένειν τήνδε τὴν πρᾶσιν κυρίαν οὖσαν καὶ βεβαίαν πανταχοῦ ἐπιφερομένην ἐν (Wilcken: ὡς ἐν) δημοσίῳ ἀρχείῳ τε γεγραμμένην — potest esse fictio, etsi non putat Ruggiero (*Bull.* cit. XIV p. 286 not. 1), τὸ ἐν δημοσίῳ ἀρχείῳ τε γεγράφθαι) atque, modo habentes modo omittentes indicans fictionem ὡς, de quibus egit Druffel (*Münch. Beitr.* I (1915) p. 70/2): P. Lond. 209 (*Sammelb.* 5114), 46; 210 (*Sammelb.* 5112), 65; 1731, 31/2; Monac. Byz. 4, 38; 11, 60; 12, 46; *Sammelb.* 5763, 91. Annorum sunt 454 (P. Guimet 2) —647 (*Sammelb.* 5763). Accedit P. Gizeh 67169 (*Berichtigungsl.* p. 109) anni 569 (P. (III) 67169bis). Ex quibus quia *Sammelb.* 5763 èt νομικὸν habet èt ὡς omittit, potest vera esse sententia (*Litzty.* 38 (1917) p. 1014) ἀρχεῖον intelligentis stationem tabellionis, etsi mihi non probatur (cf. l. 9 § 6 (ia. § 4) D. 48. 19). 12) Ὡς omittitur *BGU* 71.

Digitized by Google

μένη. Etsi fictionem esse negabat aliquando [1]) Gradenwitz eo, quod in fictione requiratur καθάπερ, non ὡς. Quasi non alternentur in syngraphe Alexandri cum Arcesinensibus [2]) καθάπερ et ὡς, aut non sint aliae fictiones, quae ab articulo ὡς exordium capiant [3]). Qui, praeterquam quod refutavit eum Wilcken [4]), postea [5]) ultro probavit sententiam, quam nos quoque sequimur, Ludovici [6]). Esse autem revera fictionem, vel eo confirmatur [7]), quod post clausulam κυρία ἔστω ὡς ἐν δημοσίῳ κατακειμένη interdum subiungitur ἧς καὶ τῇ ἐσομένῃ δημοσιώσει ἐντεῦθεν εὐδοκῶ [8]) vel sic: ἐὰν δέ τις ἀνάγκη γένηται, προσφωνήσω τὸ ἴσον ὥστε γενέσθαι διὰ δημοσίου χρηματισμοῦ ἀνυπερθέτως [9]), quae verba sunt alienantis vel se obligantis τὴν δημοσίωσιν permittentis. Ex diverso alibi [10]): βούλομαι ἐν δημοσίῳ γενέσθαι τὸ.... χειρόγραφον verba sunt creditoris τὴν δημοσίωσιν exigentis [11]). Est autem adeo vulgaris fictio depositionis, ut oppona-

1) *Einf. in die Papyrusk* I (1900) p. 92[1].

2) *Inscr. jur. grecq.* XV B lin. 15, 31 (καθάπερ), lin. 40 (ὡς).

3) Fictionum ὡς ἐκεῖ τοῦ συναλλάγματος γεγενημένου, ὅπου ἂν ἐπιφέρῃ servant P. Elephant. 1, 14 et 2, 16; fictionem ὡς δ' εἶναι τῇ διαθήκῃ ἐγγεγραμμένα P. Oxy. 494, 27; 495, 16.

4) *Litztg.* XXI (1900) p. 2468/9.

5) *Festschr. f. Koch* (1903) p. 266[1].

6) Permutat auctores et sententias Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXIX p. 2[1].

7) Iam vidit Wilcken.

8) P. Flor. 96; Goodsp. 13; Lips. 6; Lond. 978; CPR I 9; 10 (annorum 271—341). Per se occurrit inferior clausula similisve (ὁπηνίκα ἂν αἱρῇ, δημοσιώσεις) P. Argentor. 29, 46; Flor. 47, 21—42; 50, 117; Oxy. 1200, 34/7; 1208, 24/5; 1273, 37/40; 1276, 18/20; 1473, 17; 1475, 33/4; 1561, 3/6; 1636, 33/4; 1638, 30/1; 1698, 24/5; 1700, 24/6; 1702, 15/7; 1704, 20/2; 1717, 5/7; *Soc. ital.* 198 (annor. 201—298) et fortasse CPR I 155. Cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 1[1]; Jörs, ibid. p. 2[2] et XXXIV p. 115[2], qui praeterea observat (p. 116/7) non concurrere clausulam κυρία ὡς ἐν δημοσίῳ et ὁπηνίκα ἂν αἱρῇ, quod videtur fortuitum esse, quia geminum par concurrit. — Huic similem clausulam Byzantinam (e. g. P. Monac Byz. 13, 66): πεποιήμεθα.... τὴν παροῦσαν.... ἀπανταχοῦ προφερομένην καὶ δημοσιευομένην vel (P. Monac. Byz. 11, 66/7; Lond. 1731, 35) ἐμφανιζομένην tractavit Druffel, *Münch. Beitr.* I (1915) p. 72/3. Add. Wilcken, *Archiv* VI p. 443.

9) P. Hamb. 70 circa p. Chr. 145. Est similis P. Oxy. 1697, 31 (p. Chr. 242): ὁπηνίκα ἂν αἱρῇ, ποιήσομαί σοι διὰ δημοσίου.

10) *BGU* 578, 17; P. Lips. 10 II 19/20; Oxy. 719, 29/30; 1200, 44; 1473, 37; 1475, 41; 1561, 11.

11) Mirum in modum omnes has clausulas permiscet Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 2[2], cui tamen unum alterumque locum debeo.

Digitized by Google

tur — licet non semper [1]) — χειρόγραφον δεδημοσιωμένον, id est, quod fictam habeat δημοσίωσιν [2]), χρηματισμῷ vere δημοσίῳ [3]). Ceterum potest esse valde dubium, utrum contractus publice an privatim sit scriptus, ubicumque solemnis nota ἐπ' ἀγορανόμου vel διὰ τοῦ γραφείου vel similis clausula [4]) deest. Nam putat quidem Koschaker [5]), omnia instrumenta esse publica, in quibus tertia verbi persona reus utatur, sive hac forma: ὁ δεῖνα ὁμολογεῖ, sive hac: ὁ δεῖνα ἐπρίατο, ἐδανείσατο, ὑπέθετο [6]), iis quidem exceptis, in quibus συγγραφοφύλαξ [7]) interveniat; ex diverso, in quibus instrumentis συγγραφοφύλαξ interveniat, et in quibus prima verbi persona reus utatur (velut ὁμολογῶ ἔχειν), ea omnia esse privatim scripta [8]). Quem, quod attinet ad id genus instrumentorum, in quibus συγγραφοφύλαξ intervenit, refutat P. Leid. O, qui factus est ἐπὶ τῆς (συγγραφο)φύλακῆς [9]) et nihilominus habet privatum συγγραφοφύλακα (lin. 30). Similiter in eorum causa, in quibus prima verbi persona reus

---

1) P. Lond. 1164 (*d*), 6/8.

2) Alioquin dicendum foret, quod tecte significat Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 110: deposita perinde esse ἄκυρα („*nicht genüg(end)*") ut non deposita (Lewald, *Beitr. zur Kenntniss des röm.-aeg. Grundbuchrechts* p. 42 not. 9 (p. 43): „*vielleicht*"). Quod ne ipsi quidem illi verisimile videtur, quocirca quaerit semitam sibi. Quam quia recte aspernatur Schwarz (*Abhandl.* (*sächs. Akad.*) XXXI 3 p. 273 not. 3), ideo sententiam ab illo quodammodo derelictam suam facit (p. 273; cf. p. 271/2), sed nihilominus ipse quoque aliquam semitam circumspicit (p. 273 not. 1). Ex diverso Mitteis, *Grundzüge* p. 83 lin. 11/3, non dubitat, quin χειρόγραφον ἔργῳ δεδημοσιωμένον plenam vim habeat („*volle Qualität erlangt*"), et, ne semita opus sit, sapienter e conspectu aufert (not. 2) papyrum, qui negotium facit (*BGU* 50).

3) Sic fit *BGU* 50, 3—10. Incerta res est de *BGU* 455, 25.

4) Veluti in P. Flor. 1, 11: συνεχρηματίσθη κτλ. Parem vim habere non puto (habere putant Wilamowitz, *GGA* 166 (1904) p. 663; Grenfell ad P. Oxy. 722, 12; Arangio-Ruiz, *Success. testam.* p. 126; Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 293; XXIX p. 6) clausulam ἐν ἀγυιᾷ, quae frequens est in papyris Oxyrrhynchitis. Quacum conferenda Byzantina clausula ἐν δημοσίῳ τόπῳ (e. g. P. Lond. 1723, 26/7; 1724, 80/1; 1729, 47) ἀρχειαίῳ (*Sammelb.* 4669, 4), quam tractavit Druffel, *Münch. Beitr.* I (1915) p. 69/70.

5) *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 282—288. Adstipulatur Mitteis, *Grundzüge* p. 62.

6) De hoc discrimine cf. Wilcken, *Litztg.* XXI (1900) p. 2467/8; *Archiv* II p. 388/9; Mitteis, *Grundzüge* p. 74/5.

7) Privatus utique.

8) *Ztschr.* cit. XXVIII p. 283 post notam 3.

9) Dixi supra (57, 8).

Digitized by Google

utitur, refutat eum P. Hamb. 2, qui èt est ἐπὶ τῆς ἀρχῆς scriptus èt habet ὁμολογοῦμεν, non ὁμολογοῦσιν [1]). Ne illud quidem perspicio, cur utique sint publica, in quibus tertia persona ponitur [2]). Quin observavit Hunt, esse papyrum, ubi tertia persona ponatur atque nihilominus futura δημοσίωσις prospiciatur [3]). Quod quomodo procederet in confecto publice? Fatetur Schwarz [4]) et in traditis perseverat, quatenus ipsi commodum est [5]).

§ 13. Non dubitaverunt οἱ πρὸς τῷ γραφείῳ [6]), licet essent demoticis contractibus recipiendis praepositi [7]), etiam Graecos contractus privatim scriptos in publica monumenta referre [8]), quin immo ne dubitaverunt quidem èt Graecos [9]) et, quorum scriptio spectabat proprie τὸν μονογράφον [10]), nisi privatim scribe-

1) Hoc exemplum indicavit Mitteis, *Ztschr.* cit. XXXII p. 341, sed iam ante non dubitabat (*Grundzüge* p. 66), quin συγχωρήσεις omnes essent ἐπὶ τῆς ἀρχῆς scriptae, licet haberent nonnullae primam personam (συγχωρῶ). Eodem loco habet editor P. Hamb. 38. Ipse quidem Koschaker (*Ztschr.* cit. XXIX p. 6) huc referre cogitur P. Oxy. 494 (propter clausulam, quam supra (61, 4) tetigimus: ἐν ἀγυιᾷ).

2) Ergo iurent alii in verba Ludovici, *Grundzüge* p. 62: „*das ganze Wesen der Objektivurkunde (ist) gerade dadurch bedingt, ... dass sie vor .... Urkundspersonen errichtet wird*".

3) Oxy. 1273. 4) *Abhandl.* (*Sächs. Ak.*) XXXI 3 (1920) p. 5.

5) Sin minus, αὐτομολεῖ (ibid. p. 58 not. 5). Terga dat Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 38.

6) Cf. ad § 3 (p. 429, 2). 7) Cf. § 12 (p. 56/7).

8) Charagmata Graecorum contractuum imperatoriae aetatis, quae quidem habent magistratus titulum, pleraque sunt τοῦ γραφείου. Nihilominus non putat Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 284—287; XXIX p. 4, adstipulante Ludovico, *Grundzüge* p. 82[4], imperatoria aetate privatim scriptos contractus recepisse umquam τὸ γραφεῖον, itaque omnia huius charagmata esse aut legentium erroribus debita (ibid. XXIX p. 5: *BGU* 453 = Chrestom. II 144) aut alio modo fallere. Qua de re cf. nostra § 14 (p. 65/6).

9) *BGU* 297, 3 (διὰ τοῦ πρὸς τῷ γραφείῳ); 86, 11; 135, 5; 191, 5/6; 196, 18/9; 394, 10/1; 622, 5; P. Lond. 142, 9 (p. 203); 289, 11/2 (p. 185); 334, 3 (p. 211); 918, 5 (p. 171); CPR I 215, 7; P. Rain. 2304 (*Studien zur P. und P.* XX 50), 2; qui habent omnes διὰ τοῦ (vel διὰ) γραφείου. Cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 284[2], 285[2]; Mitteis, *Grundzüge* p. 60; Woess, *Münch. Beitr.* VI (1924) p. 34[1].

10) P. Paris. 65, 12; 49, 18; Giss. 37 I 21, II 4, 16; 38; 39; 108 (*Jur. Pap.* 29, 23—32); Grenf. II 25, 11—13; Lond. 3, 28—30; cf. Grenf. I 17, 26. Est quidem διὰ συνκλλαγματογράφου perfectus demoticus P. Tebt. 386, et item Spec. Wess. (6) 6 (cf. (7) 8, 10). Qua de re cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 53[5].

Digitized by Google

bantur [1]), Aegyptios [2]) contractus ipsi scribere, adeo, ut sub Romanis contractus ἐπὶ τῆς ἀρχῆς [3]) factus iam intelligendus sit ἐπὶ τοῦ γραφείου [4]). Nihilomagis agoranomi plane desierunt contractus aut scribere aut suscipere, quamquam suscipere putat Mitteis [5]) proprium esse τοῦ γραφείου, nam ab agoranomo scribi tantum („*der Agoranom tritt, soweit unsere Urkunden reichen, uns durchaus in der Function eines die Urkunde vollziehenden Beamten.... entgegen*"). Quem refutavit Grenfell [6]) demonstratis ad agoranomum datis epistalmatis [7]), quibus hic iubetur ἀναγράφειν [8]). Quae illi nota esse nondum poterant et sunt praeterea potius ambigua [9]); extat tamen agoranomicum χάραγμα ad privatim scriptum [10]) instrumentum P. Lond. 1168 I, alterum, ut videtur [11]), ad P. Oxy. 320. Quocirca probabilius videtur, sicut ὁ πρὸς τῷ γραφείῳ non tantum suscepit sed etiam ipse scripsit, sic agoranomum non tantum scripsisse, sed etiam suscepisse.

§ 14. Supervacaneum esse τὸ χάραγμα, id est, publicationis testimonium in iis apparet instrumentis, quae apud magistratum

---

1) Privatim scribi solitas docet Revillout rei minoris cautiones (*Chrestomathie* (1880) p. x ima: „*l'on se passait généralement des notaires pour les actes peu importants*").

2) Veluti *BGU* 580 (anni p. Chr. 2). Accedunt, quae aliunde apparent ἐπὶ τοῦ γραφείου scripta esse, Spec. Wess. (13) 29; (14) 30, de quibus dicemus § 14 (p. 65, 4). Quocirca refellitur Woess, quum doceat (*Münch. Beitr* VI p. 37) omnia Αἰγύπτια συναλλάγματα aut a monographo aut privatim scripta esse.

3) *BGU* 86, 25; 183, 10; 251, 8; 252, 11; Mitteis, Herm. XXX p. 596.

4) *BGU* 86, 11 (ia. 25).

5) Herm. XXX (1895) p. 597 (ubi mutatum τοῦ πρὸς τῷ γραφείῳ officium exponit). 6) Ad P. Oxy. 238.

7) P. Oxy. 241; 243; 1105. Cf. praeterea Partsch, *Festschr. für* Lenel (1921) p. 136 (ad P. Magd. 31).

8) συγγραφὴν ὑποθήκης (vel δανείου), ὧν ὑπέθετο τῷ δεῖνι ὁ δεῖνα. Erat igitur aut transscribendum instrumentum factum aut ὑπέθετο = ὑποθήσεται. Cuius rei exempla dabuntur § 19. Cf. Lewald, *Beitr. z. Kenntniss des röm.-aeg. Grundbuchrechts* (1909) p. 66[3]; Mitteis ante (i. f.) Chrestom. II 182.

9) Quia concurrit (P. Oxy. 170; 327; 328) verbum καταγράφειν (ὠνήν). Cf. Koschaker, *Ztschr. der Sav.-St.* XXVIII p. 292[1]; Eger, *Zum aeg. Grundbuchw.* (1909) p. 144; Mitteis, *Grundzüge* p. 82[2].

10) Deest ἐπ' ἀγορανόμου similisve nota.

11) Quia secundum descriptionem adhaeret chirographo. Cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 6[2], qui vel sic dubitat.

Digitized by Google

scribuntur [1]); haec enim, ut supra [2]) quoque dictum est, vi ipsa publica sunt. Nihilominus semel iterumque in ea specie invenitur veluti in P. Leid. O, quem novis supplementis auxerunt quum Wessely in *Mitth. PR.* V p. 85 (not. 1) tum Wilcken [3]) in *GGA* 1895 p. 165; Ostr. I p. 722 (not. 1) tum Grenfell [4]) ad P. Tebt. 105, 53. Est contractus ἐπὶ τῆς ὑποκάτω Μέμφεως φυλακῆς [5]) scriptus et statim in eadem statione transscriptus. Alterum est exemplum *BGU* 1045, qui contractus διὰ γραφείου Ἀλαβανθιδος factus est (I 4) atque ἐντέτακται (II 23), tertium P. Lond. inv. 1897 (*Archiv* VI p. 106), qui factus est ἐπὶ τῶν διεπόντων τὰ κατὰ τὸ ἀγορανομεῖον (lin. 6/7) et κατεχωρίσθη [6]) (lin. 1); quartum P. Frib. 10, cui intervenit ἀγορά̀νομος (lin. 14) et κεχάρακται idem (lin. 1). Diversa causa eorum est contractuum, qui a magistratu scripti quidem sunt, sed ita, ut ministerium duntaxat interponeret, non auctoritatem, id est, a quibus solemnis nota ἐπὶ τῆς φυλακῆς vel διὰ τοῦ γραφείου abest, aliunde tamen et quasi fortuitu colligitur ἐπὶ τῆς ἀρχῆς scriptos esse, veluti quod in ipso instrumento commemoratur aliud διὰ τοῦ αὐτοῦ γραφείου τελειωθέν [7]), vel

1) Perinde est supervacanea commentariorum (P. Paris. 69) subscriptio testandi causa deposita esse. Qua de re diximus § 11 (p. 44). 2) § 12 (p. 57/8).

3) Non convenit inter Carolum Wessely et Udalricum Wilcken, sitne legendum (lin. 30): οἱ ἐξ μάρτυρες, au οἱ ἐξ Μακεδόνες (legerat Leemans: .....νες). Priorem formulam esse testatur Wessely (l. l. p. 88 et *Sitzungsber. (Wien)* 124 IX p. 30) etiam in P. Rain. 1576. Sed habet P. Gizeh 10388, 31 (*Archiv* I p. 65): οἱ ἐξ τακτόμισθοι, et item P. Amh. 43, 17: οἱ ἐξ τῶν ἐν τῇ Σ. Ν. φρουρούντων καὶ μισθο(φορούντων) et item P. Tebt. 104, 35: οἱ ἐξ Μακεδόνες. Cf. praeterea P. Petrie II 47, 29. 31; Grenf. I 12, 26; Tebt. 105, 52/3.

4) De supplenda lin. 3 et 35 ne huic quidem cum Wesselyo convenit.

5) Vid. infra textum § 12 (p. 57, 8).

6) Eandem nactus est praescriptionem P. Gizeh 10871 (Thead. 2), sed neque τὸ σῶμα eius habet mentionem ullam τοῦ ἀγορανομείου (*Ztschr. der Sav.-St.* XXXII p. 345 not. 2) neque de subscriptione, ut videtur Victori (*Studien zur Palaeogr. und Papyrusk.* (17) p. 2), magistratus (lin. 18) satis constat (Jouguet pag. 53), cuia sit. Ex diverso P. Tebt. 397, cui similiter praescriptum est κατεχωρίσθη, habet quidem subscriptionem certam nomographi, sed ignoratur, utrum hic perficiat an tantum scribat instrumenta. Cf. infra (§ 17).

7) E.g P. Lond. 143, 17 (II p. 204). Quod habet P. Lond. 348, 11 (Chrestom. II 197): διὰ τοῦ αὐτοῦ τῆς μητροπόλεως γραφείου, suspectum est Paulo Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 301[1], non iure (cf. Pap. Tebt. II pag. 398). Quodsi αὐτοῦ iure cancellaret, consequens esset, ibid. p. 285[4] hunc P. de numero esse eximendum.

Digitized by Google

quod ὁ γρα(μματεὺς) sive supplendum est γρα(φεὺς) τοῦ προκειμένου γραφείου vice functus est ὑπογραφέως [1]), vel quod eadem manus instrumentum scripsit et τὸ χάραγμα [2]), vel quod testes instrumenti similesve personae ἐπὶ τῆς ἀρχῆς intervenire perhibentur [3]), vel quod subscriptio contrahentis habet: ἐπιτέταχα.... τῷ πρὸς τῷ γραφείῳ χαράξαντι ἀποδοῦναι [4]), vel, quod idem instrumentum alibi tamquam δημόσιον laudatur [5]), quorum generum speciebus iunctis haud pauca colliguntur exempla [6]). His igitur quasi privatim scriptis [7]) auctoritate publica destitutis non ex abundanti praescribitur [8]) subscribiturve τὸ χάραγμα. Foret autem numerus multo maior, si vera esset Pauli Koschaker [9]) opinio: imperatoria aetate τὸ γραφεῖον, sicut quamlibet κατὰ τὴν χώραν ἀρχήν, privatim et Graece scriptos contractus in monumenta referre desiisse, proinde omnia instrumenta, quae χάραγμα habeant, necessarie ἐπὶ τῆς ἀρχῆς esse scripta. Pro qua sententia etiam aetatum discrimine remoto prima quidem

---

1) E.g. P. Lond. 303, 30/2; Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 286[3].

2) Multa sunt exempla apud Paulum Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 286 not. 3 (i. f.). Quibus accedunt P. Lond. 1168 I (III pag. 136/7); Ryl. 160 (*d*) II (pag. 177); 173 (*a*). — Medium genus est eorum, quorum eadem manus partem interiorem (cf. § 9: p. 438) dumtaxat et τὸ χάραγμα scripsit (*Archiv* III p. 523: P. Leid. O; Tebt. 104; 105; Rein. 14 etc. [pag. 47]). Ex quibus constat (cf. supra: 57, 8) P. Leid. O ipsum quoque ἐπὶ τῆς (ἀρχῆς) scriptum esse. De reliquis cf. Wilcken, *Archiv* V p. 204/5.

3) E.g. *BGU* 86; Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 285; Mitteis, *Privatrecht* I p. 310[71].

4) Spec. Wesselyi (14) 30, 22; (13) 29, 22 (ad P. Ryl. 160, 6).

5) Sic laudatur P. Hamb. 15 in P. 16, 16/7.

6) Supersunt (cum charagmate): P. Amh. 111; 112; *BGU* 183; 1037; P. Fay. 91; 98; Hamb. 15 (cf. Partsch, *Sitzungsber. Heidelb.* 1916. 10. pag. 38); Lond. 143 (II p. 204); 303 (p. 195); 308 (p. 218); 311 (p. 219); 1168 I (III p. 136/7); CPR I 11; P. Ryl. 160 (d) II (pag. 177); 173 (a); Tebt. 383; Spec. Wesselyi (14) 30; (13) 29 (ubi editur: (lin. 23) διὰ Λεωνίδου μονογράφου κτέ). Et item (sine charagmate): P. Amh. 110; 113; *BGU* 86; 196: 251; 252; 394; P. Lips. 27. Eandem esse causam ex coniectura docent editores P. Lond. 313 (II p. 197); Rein. 8; 21; 26; 31 (pag. 49/50) charagmate destitutorum omnium.

7) *Archiv* I p. 320; V p. 206/7; Mitteis, *Grundzüge* p. 61/2;

8) P. Lond. 303 (II p. 195).

9) *Ztschr.* cit. XXVIII p. 284/7; XXIX p. 4. Adstipulatur huic tacite Eger, *zum ueg. Grundbuchw.* p. 112[4], aperte Mitteis, *Grundzüge* p. 82[4], 84/6, sed modo causam deseruit (*Ztschr.* cit. XXXIII p. 642) propter P. Oxy. 1208.

Digitized by Google

fronte videtur facere [1]), quod τοῦ χαράγματος, si habet diem [2]), cum ipsius contractus, si is quoque legitur [3]), solet congruere dies [4]), quod cur fiat, optime perspicitur, si contractus ἐπὶ τῆς ἀρχῆς scribatur, non ex privata custodia adfertur publicandus [5]). Sed in contrariam partem observari potest, quod observavimus (65 ima): etiam Ptolemaeorum aetate diem instrumenti cum charagmatos die congruere solere nec propterea dubitari, quin sub Ptolemaeis Graeca chirographa interventu τοῦ γραφείου publicari consueverint, etsi non supersunt ulla exempla certa [6]); recte, quia ipsa verba ἀναγέγραπται, ἐντέτακται, κατακεχώρισται alio modo in usum venire non potuerunt. Quocirca de imperatoria aetate aliter existimandi iusta causa non est. Accedit, quod P. Grenf. II 71 (τῇ) παρὰ τῷ ἀρχιδικαστῇ (δημοσιώσει) (P. cit. I 6) opponi videtur (P. cit. II 26) (ᾗ) συνήθη(ς), id est, ᾗ ἐπὶ τῶν τόπων [7]), quod pertinet testimonium ad Oasin maiorem, et

---

1) Cf. Mitteis, *Privatrecht* I p. 310 not. 71 (i. f.).

2) *BGU* 153; 987; P. Fay. 89; 91; 97; 98; Gizeh 10871 (Thead. 2); Lond. 154 (II p. 178/80); 277 (p. 217/8); 289 (p. 184/5); 293 (p. 187); Oxy. 489; 491; CPR I 4; 27; P. Rain. 1577 (*Stud. zur P. u. P.* XX 16); Rein. 14; 22; 23; 30; 34; Ryl. 160 (a), 160 (b), 160 (c) I; 160 (c) II; 160 (d) I; 160 (d) II; 173 (a); Tebt. 104; 105; 383. Add. P. Oxy. 320, si est, ut putamus, χάραγμα, et demoticorum contractuum quam plurima.

3) Hoc fit *BGU* 153; P. Fay. 91; 97; 98; Gizeh 10871; Lond. 154; 289; Oxy. 489; 491; CPR I 4; P. Rain. 1577; Rein. 14; 22; 23; Ryl. 160 (c) I; 160 (c) II; 160 (d) II; 173 (a); Tebt. 104; 105; 383. Add., si est χάραγμα, P. Oxy. 320.

4) Atqui P. Rein. 22 intervenit triduum, P. Hamb. 62, 20 (lin. 22: παραχεχώρηκαι = παραχωρήσομαι) sex dierum, P. Ryl. 160 (d) II quadraginta dierum intervallum. Accedunt fide Josephi Partsch (*Festschr. für* Lenel (1921) p. 172): trium dierum habens intervallum P. Gizeh 30617 (= *Sammelb.* 4464; 4465), quatuor P. Ryl. 160 (d) I (= Ryl. demot. 45 C).

5) Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 286. Vel sic intervallum habet 40 dierum ἐπὶ τῆς ἀρχῆς (pag. 177) scriptus P. Ryl. 160 (d) II.

6) Tamquam certa laudat Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 283[5]: P. Rein. 30 et 29; ibid. p. 283[4]: P. Leid. O; Rein. 9 etc.; Tebt. 104; 105; Grenf. I 36. Ex quibus P. Grenf. I 36 (= Chrestom. II 155) χάραγμα non habet, constat praeterea èt hunc P. et Leid. O (cf. supra: 57, 8); Tebt. 104; 105 ἐπὶ τῆς ἀρχῆς scriptos esse, de ceteris quominus idem credatur, nihil obstat. — Valde certum esset exemplum P. Petrie II 47 (ἐχρηματίσθη ἀνενεχθέν), si τὸ γραφεῖον tunc (ante Chr. 210) exstitisset.

7) Wenger, *Stellvertretung im Rechte der Papyri* (1906) p. 107[3]. Dissentit Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 4/5 et item Mitteis, *Grundzüge* p. 86. Opponi

Digitized by Google

superest indidem certum rei exemplum [1]), alterum Arsinoe [2]), quatuor Oxyrrhyncho [3]). Ad φυλακὴν denique quod attinet, ubi P. Leid. O scriptus est, quam ἀρχὴν esse supra (57, 8) demonstravimus, συμβολοφύλακες [4]) sub secundo et item συγγραφοφύλαξ [5]) sub sexto Ptolemaeo commemorantur iis verbis, ut permisceri nullo modo possint cum privatis contractuum custodibus, qui sumi solebant e testium numero [6]) atque ipsi quoque συγγραφοφύλακες audiunt [7]). Etiam sub Augusto contractus invenitur apud syngraphophylacem factus [8]), quin postea quoque videtur ἡ φυλακὴ perstitisse; deponebantur utique instrumenta secundo vel tertio post Christum saeculo (παρὰ τῷ)

---

negat ille; hic (ad Chrestom. II 190 II 25) τὴν συνήθη δημοσίωσιν esse contendit δημοσίου χρηματισμοῦ scriptionem („*Aufnahme (eines) Notariatsakts*"). Cf. praeterea Jörs, *Ztschr.* cit. XXXIV p. 128.

1) P. Grenf. II 70, quem laudat Hunt (ante P. Oxy. 1208). Ex diverso non debent laudari P. Amh. 98; Lips. 31 (Koschaker, *Ztschr.* cit. XXIX p. 6; Mitteis, *Grundzüge* p. 86).

2) CPR I 140, 1: ὁ δεῖνα συνταξεὶς σεσημείωμαι χρόνου τοῦ αὐτοῦ (*Berichtigungsliste* p. 120).

3) P. Oxy. 1208; 1562; 1199, 19/20; 1649, 23/4.

4) *Rev. laws* 10; 12; 13. Cf. Paulus Meyer, Klio VI (1906) p. 423[6].

5) *Sammelb.* 352 = Or. gr. inscr. sel. 120 (Naucrat.). — Locum debeo Paulo Meyer, Klio VI (1906) p. 452[1].

6) P. Petrie II 47, 33: τούτων (i. e. τῶν μαρτύρων) συγγραφοφύλαξ Ἀπολλώνιος (cf. lin. 30). Talem συγγραφοφύλακα habent P. Amh. 43; *BGU* 1274; 1273 (lin. 89); Elephant. 2; 4; Hamb. 58; Hibeh 84 (a); 96; Leid. O; Reinachiani plerique (pag. 47); *Soc. ital.* 321 (cf. *Archiv* VI p. 385); Tebt. 104; 105; 382 (cf. *Archiv* V p. 240), quin demoticus P. Tebt. 386 (cf. *Archiv* V p. 241/2), iidem (praeter P. Amh., *BGU*, Eleph., Hibeh, *Soc. ital.*) subscriptionem eius: ὁ δεῖνα ἔχω κυρίαν (Grenf. ad P. Tebt. 105, 53; Reinach, *Papyrus grecs* p. 47) vel contrahentis: τέθειμαι τὴν συγγραφὴν κυρίαν παρὰ τῷ δεῖνι (P. Tebt. 104, 38/9 (*Archiv* III p. 389); 105, 61/2; 382, 14/5; 386, 24/5; *BGU* 1271, 14/5. 17/8) similemve (Rein. l.l.). Videntur quoque in P. Petrie cit. (II 47) lin. 37 (cf. P. Meyer, Klio VI p. 464) et P. Petrie III 104—106 (= II 29) nec minus *BGU* 1265, 11/2; 1271 cit.; 1280, 10; P. Gradenw. inv. 171, 10 (*Ztschr. der Sav.-St.* 42 p. 120); Magd. 14, 7/8; *Soc. ital.* 399, 4 privati potius συγγραφοφύλακες intelligendi esse.

7) Rectissime Mahaffy (ad P. Petrie II 47) privatum συγγραφοφύλακα appellat „*keeper of the contract*", publicum „*keeper of records*", nec recte publicum genus de medio tollere vult Grenfell (ad P. Tebt. 105, 53). Cf. Revillout, *Précis de droit égyptien* (1903) p. 747, p. 750.

8) Spec. Wesselyi (12) 27. Sed cf. Koschaker, *Ztschr.* cit. XXVIII p. 296 not. 3 (p. 297); Mitteis, *Grundzüge* p. 54[3].

Digitized by Google

βιβλιοφύλακι [1]). Quo cum bibliophylace [2]) contribuendus nec est, qui τῷ βασιλικῷ γραμματεῖ apparebat, βιβλιοφύλαξ [3]), quive praefecto [4]), ut videtur, nec sunt οἱ τῆς δημοσίας βιβλιοθήκης [5]) vel οἱ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοφύλακες, qui non contractibus praeerant, sed censibus [6]). Quamquam hodie dubitari coepit [7]), sintne revera vasaria, id est, tabulae censoriae τὰ ἐν τῇ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκῃ διαστρώματα [8]). Quod mihi etiamnunc verissimum videtur, quippe, quum praescriptum sit [9]) τοῖς συναλλαγματογράφοις καὶ τοῖς μνήμοσι· μηδὲν δίχα ἐπιστάλματος τοῦ βιβλιοφυλακείου τελειῶσαι [10]), cuius praecepti aut nulla futura

---

1) *BGU* 388 II 33, III 9 (cf. Lewald, *Beitr. zur Kenntniss des röm.-aeg. Grundbuchrechts* p. 12[2]; Jörs, *Ztschr.* cit. XXXIV p. 131[2]; Wilcken, *Archiv* VII p. 97 not. 1).

2) De eo nihil adfirmari potest, quem sistit βιβλιοφύλακα P. Tebt. 112 (Eger, *Zum aegypt. Grundbuchw.* p. 3).

3) P. Lond. 261, 27 (III pag. 382).

4) CPR I 18, 41 (cf. Jörs, *Ztschr.* cit. XXXIV p. 131[2]; Wilcken, *Archiv* VII p. 97).

5) Id esse potius archium opinio est Udalrici, Herm. XXVIII p. 233 („*nns würde der Ausdruck Archiv näher liegen*"), quocirca τοὺς βιβλιοφύλακας „*Archivbeamten*", „*Archivare*" vocat: Ostr. I p. 461, 463, 474, *Archiv* IV p. 254 lin. 2. Atqui ἀρχεῖον proprie esse, ubi contractus deponantur fiant (Schwarz, *Abhandl. (sächs. Ak.)* XXXI 3 p. 250: „*beurkundende Behörde*"), βιβλιοθήκην, ubi census habeantur, demonstratur ipsis ad βιβλιοφύλακας datis hypomnematis (P. Hamb. 16, 7; Genev. 44, 9), alterius quoque generis instrumentis (P. Ryl. 163, 13/4; 164, 11/2), quae neutra latuerunt Fridericum Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 55[5], nec ad rem facit, quod hoc discrimen non semper servatur (*BGU* 50, 15 (τὴν βιβλιοθήκην . . , καὶ τὰ ἄλλα ἀρχεῖα); P. Lips. inv. 508 (= Chrestom. II 196); atque fortasse *BGU* 1131, 22 (cf. Mitteis ante Chrestom. II 254); 1130, 23). Deponuntur quidem εἰς τὴν βιβλιοθήκην volumina διαγραφῶν, de quibus erit inferior § 19, quod putat Mitteis, *Grundzüge* p. 63, pervenisse ad omnia contractuum volumina, quocirca τὴν βιβλιοθήκην fuisse docet „*(das) Zentralarchiv (des) Gaues*", ubi praeterea scriberentur τὰ διαστρώματα (p. 92).

6) Ita videbatur Ludovico, *Archiv* I p. 185: „*(die βιβλιοθήκη) ist der Kataster*". Hodie mutavit quidem sententiam (*Grundzüge* p. 91, cf. *Berichte (Leipzig)* 62 (1910) p. 249 not 1), in parte tamen apud eam haeret (*Grundzüge* p. 99 not. 5).

7) Post 1908. Cf. Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 83/5; Eger, *Zum aeg. Grundbuchw.* (1909) p. 195/6; Preisigke, *Girowesen* (1910) p. 290; Wilcken, *Grundzüge* (1912) p. 202/3; Mitteis, *Berichte (Leipzig)* 62 (1910) p. 253 (cf. *Grundzüge* (1912) p. 90, 92), proprio cuius argumento separatim respondebitur infra (post 70, 11).

8) Ita appellantur P. Oxy. 237 VIII 29/30.

9) P. Oxy. 237 VIII 35/6. Est similis cautio in *(preuss.) Grundbuchordn.* (1872) § 58. Cf. *(deutsche) Grundbuchordn.* (1897) § 96.

10) Poena transgredientis: 50 drachmae (*BGU* 1210 § 101).

Digitized by Google

sit utilitas aut in eo consistet, ne monumenta et vasaria discrepent. An vero potius dicendum monumenta duplicata et in eo consistere praecepti utilitatem, ne altera utra monumenta fallant? Quo fere rem deducit Woess [1]): apud *βιβλιοφύλακας*, qui alienare velit, certam et veram proprietatem demonstrare oportere [2]), proinde, ne non dominus alienet, ceteris magistratibus interdictum, ne transscribant quidquam *δίχα ἐπιστάλματος τοῦ βιβλιοφυλακείου*. Quae res ita demum procedet, neque id latuit ipsum novae sententiae auctorem [3]), si altera utra monumenta non perfectura negotium sed testimonium dumtaxat negotii perfecti praebitura sunt, quia negotium quodlibet perfici bis non potest, quamobrem docet *τὰ διαστρώματα* testimonium dumtaxat praebuisse [4]). Novimus autem apud Germanos monumenta initio testimonium tantum praebuisse, postea demum, monumentis quidquid publicandum esset, tunc perfici videri coepisse, in monumenta quum reciperetur [5]); potuerunt igitur in terra Aegypto quoque monumenta extitisse, quae nil nisi testimonium praeberent. Attamen veri est similius, institutionem, quae tota nitatur professionibus [6]), ad censum pertinuisse, quam ad monumentorum genus spectasse. Manifestius errant, quibus *τὰ διαστρώματα* monumenta videantur esse non, ut illi, demonstratoria, sed vere perfectoria, quae bina simul existere natura non patitur, quia, ut modo dicebam, negotium quodlibet perfici bis non potest, quocirca diversae doctrinae propugnator omnium acerrimus Preisigke, quum semel adsignat monumenta publica *τοῖς βιβλιοφύλαξιν*, eadem consideratissime [7]) *τοῖς συμβολαιογράφοις* abiudicat [8]). Sed hoc adsumpto dicere iam non potest, quae sit praecepti, ne quid *δίχα ἐπιστάλματος τοῦ*

1) *Münch. Beitr.* VI (1924). Liber est ex eorum genere, qui sunt duriores ad legendum quam ad scribendum, sicut Ernesti de concurrentibus actionibus.

2) Op. cit. p. 110/1.

3) Op. cit. p. 262 (ante 4), p. 348[1].

4) E. g. op. cit. p. 295: *„die Bibliotheke steht mit ihrem gesammten Aktenmaterial in dem Dienste des Legitimationsnachweises. Sie will ihn erleichtern, nicht durch Aufstellung eines Eintragungs(prinzipes) abschneiden"*.

5) Stobbe, *Handbuch* I (1871) p. 461 lin. 1—6.

6) Woess, op. cit. p. 112/3, 253/4.

7) Temere factum putat Partsch, *GGA* 172 (1910) p. 741.

8) *Girowesen* p. 415. Locum exscripsit Woess, op. cit. p. 49[2].

Digitized by Google

βιβλιοφυλακείου perficiatur, utilitas futura [1]), dicendo enim [2]): ne quis praeiudicium patiatur iis, quae apud τοὺς συμβολαιογράφους gerantur, nihil agit, qui τοῖς συμβολαιογράφοις omnem uocendi potestatem ipse detraxit [3]). Ergo remanet, ut sint alteri utri censores, altera utra vasaria. Porro, quia οἱ συναλλαγματογράφοι non sunt censores, sint oportet οἱ βιβλιοφύλακες et horum διαστρώματα vasaria. Nec mutat, quod non solum fisci utilitatibus inserviebant, sed privatorum quoque [4]), tunc non mutat, si non principaliter instituta erant, ἵνα οἱ συναλλάσσοντες μὴ κατ' ἄγνοιαν ἐνεδρεύ(οι)ντ(ο) [5]). Quae si fuit opinio Mettii Rufi [6]) praefecti (post Chr. 90), error fuit, sed non reprehendendus ille, si causa potius fuit, cur etiam τοὺς δανειστὰς, ἃς ἐὰν ἔχωσιν ὑποθήκας, καὶ τοὺς ἄλλους, ὅσα ἐὰν ἔχωσι δίκαια [7]), profiteri iuberet [8]) privatorum in usum [9]), non tantum dominos [10]) τὴν ἰδίαν κτῆσιν. Quod cum vir cogitaret doctissimus et prudentissimus Lewald, se continuit nec in re incerta aperte pronuntiare voluit (*Beitr. cit.* (1909) p. 87: „*wir (müssen)..... immerhin die Möglichkeit anerkennen, dass die Römer.... die διαστρώματα zur Evidenthaltung der Immobiliarrechtsverhältnisse im Interesse des privaten Rechtsverkehrs geschaffen haben*"). Unde longe abest Mitteis [11]) nec mirum: quia enim persuasum habet omnia διαστρώματα vi ipsa esse monumenta publica („*(dass) Uebersichtsblätter.... das Wesen des Grundbuchs dar-*

---

1) Sunt qui ne curaverunt quidem. 2) *Giroicesen* p. 301.

3) Dixeram Mnemos. 1917 p. 6. Idem argumentum nunc (1924) quasi suum adfert Woess, *Münch. Beitr.* VI p. 265/6, qui Mnemosynen neque vidit neque audivit gentis vitio.

4) Ita recte definit Bernhöft, *die Verbuchung* etc. Diss. *Rostock* 1907 p. 70, qui sic deinde argumentum concludit: „*dennoch (haben) diese Kataster niemals ihren ursprünglichen Charakter verloren.*" 5) P. Oxy. 237 VIII 36.

6) Fuisse videtur Ottoni Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* (1909) p. 200: „Mettius Rufus *(hebt) ausdrücklich (hervor), dass das Eigentum und die dinglichen Rechte* (p. 201 lin. 12: „*dies alles*")..... *angemeldet werden sollen, „damit..... Kontrahenten nicht..... getäuscht werden*"."

7) P. Oxy. 237 VIII 31—33.

8) Ita interpretatur Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 86: „Mettius Rufus *(sagt uns ja) ausdrücklich, (warum die παράθεσις dieser Rechte erfolgen soll).*"

9) Cf. Bernhöft, Diss. cit. p. 31; Lewald, *Beitr.* cit. p. 86.

10) Τοὺς κτήτορας.

11) *Berichte (Leipzig)* 62 (1910) p. 253. Cf. *Grundzüge* p. 90—92.

Digitized by Google

stellen"), non potuit de Aegyptiis diastromatis aliter sentire. Me quidem iudice et Frederico Bernhöft [1]) multum interest; arbitror enim naturam monumentorum in eo consistere, quod instituta sunt, ut verbis utar Rufi, ἵνα οἱ συναλλάσσοντες μὴ κατ' ἄγνοιαν ἐνεδρεύωνται, ex diverso διαστρωμάτων in eo, ut brevi in conspectu posita sit totius possessionis descriptio. Quae si praeterea instituta sunt, contrahentes ne decipiantur, erunt monumenta; sin minus, vasaria vel polyptici.

(Continuabuntur).

ELENCHUS FONTIUM § 1—10.

Numeri sunt paginarum et notarum vol. LIII.

I. MONUMENTA BARBARA VEL MUTA.
P. *Précis* p. 572 (Amyrtaei) 424[1].
PP. *Rev. égyptol.* II p. 115, p. 116 422[2]
Protocolla 418[8]
Signa (plana) 418[2], 419[2], 420[1]
II. AUCTORES GRAECI.
Anecd. Bekkeri
I p. 264, 10 sq. 433[13]
Iosephus
Vit. § 363 417[3]
III. INSCRIPTIONES GRAECAE.
Inscr. jurid.
XIII quater 431[7]
XVIII col. III; XIX D col. II 433[13] (434)
Michel
337 431[10]
511 423[9]
522 423[10]
527 423[11]
595 435[5]
Dittenb. Syll.[2]
540 431[11]
BCH
XXXVII p. 165/6, p. 166 423[9]
CIG
4957 (Ed. Tib. Alex.) 444[4]
Sammelb.
676 429, 440[7]
IV. PAPYRI GRAECI.
Actenstücke.
1 I; 3 I 436[5]
9; 10 422[5]
11 433[13]
12 430, 432, 432[1]
Amh.
43 431[5]
52; 53; 54 423; 428
94 444[3]
Argentor.
82 428; 440[1]
83 444[6]
84; 86 421[1], 423[12], 428, 437[5], 438[4], 442[7]
87 423[12], 428, 438[4], 441[3]
91 443[10]
110 428, 440[1]
122 440[7]

1) Diss. cit. § 4 (p. 18—20).

Digitized by Google

BGU
87; 183 418[2], 420[5]
277 II 435[5]
379 429[2] (430)
414 442[5]
567 434
568 434, 434[10]
580 429[2]
628 Vo. II 444[1]
748 I 418[2], 420[2], 420[5], 445
748 II 418[2], 420[5], 428, 439[8], 439[11], 440[11], 442, 443, 445
748 III 435
854 417[3]
859 418[2]
914 428, 440[7]
991 442[5]
992 428, 436[1], 436[6], 443[9]
993 421[5], 423, 428, 433[11], 436, 438[4], 439[2], 441[6], 441[7]
994 423, 428, 438[4]
995 421[1], 423, 428, 437[5], 438[4], 438[6], 441[3], 441[5], 442[7]
999 423, 428, 437[7], 438[4]
1000 423, 428, 437[4], 438[4], 442[7]
1059 428, 440[7], 441[14]
1062 442[2], 442[5]
1068 418[2]
1214 432[8], 435[5]
1219; 1220 436[1]
1259 428, 437[3]
1262 431[6]
1263 = *Francof.* 2
1264 = 1263
1266; 1267; 1271 431[6]
1278 etc. 438[11] (439)
1311 430[4]
1459 436[6]
inv. 11601 444[4]
Bibl. Berol.
21 428, 440[7]
Buttmann 428, 433[10], 438[3]
Compte-rendu de l'acad.
III (1867) p. 314 422[5]
Droysen.
36 = *Buttmann*
37; 38 428
39 428, 433[13], 434[3], 434[4]
Droysen (contin.).
40 428
41 421[12] (422), 422[8], 423[2], 428
Elephant.
4–7 438[7]
11 417[4], 438[7]
14 436[5]
Fay.
17; 18 443[9]
31 429[2] (430)
41 442[4]
62 434[7]
64 442[5]
91 429[2]
333 442[5]
Flor.
1 428, 433[13] (434), 440[7], 441[12]
81 428, 440[7], 441[12]
86 435[1]
91 433[13] (434), 443[10]
357 429[2] (430)
Forshall.
41 438[3]
Francof.
1; 2 431[6]
Frib.
8 428, 440[7], 441[14]
10 418[2], 428, 440[7]
Gizeh (= Bulaq = Cairo)
10262 421[12] (422), 423[13], 423[14], 428, 438[3]
10887 443[10]
30604 = *Tebt.* 279.
67151; 67178; 67186; 67189; 67316 418[8]
Gradenw.
9 421[9], 428, 433[9]
Grenf. I
27; 36 421[1], 423, 428, 433[7], 438[3], 438[4], 438[6]
Grenf. II
15 423, 428, 433[7], 438[4]
32 423, 428, 433[7], 437[7], 438[4]
34 421[1], 421[2], 423, 428, 437[3]
35 423, 428, 433[7], 437[3], 438[4]
Grey = *Lond.* 3
Grey demot.
A; B 422[4], 425[2], 428

Digitized by Google

Grey demot (contin.).
C 422[4], 425[2], 428, 438[5]
Hal.
1, 242/5 423
1, 245/52 439[5]
Hamb.
15 418[2]
24 443[9]
33 434[10]
42; 44; 45 442[5]
79 428, 439[9], 439[11], 441[14]
80 442[5]
Hawara (1889)
§ 42 418[2], 419[12], 420[1]
Heidelb.
inv. 277 = *Sammelb.* 4512
inv. 1278 433[13]
Hibeh
66 436[2], 436[9]
70(*a*) 421[9], 428, 434[1]
70(*b*) 421[9], 428
77 436[6]
90 431[6]
112 434[7]
163 421[9], 428
Leid.
E 443[10]
G 436[9]
I 377 428
I 379 422[8], 422[10], 424[4]
M 428, 433[7], 438[4], 441[5]
N 428, 433[7], 438[4]
O 438[11]
Lille
9 443[9]
Lips.
3 I 423, 428, 439[9], 439[10], 442, 445[7]
4 428, 435[6], 440[7], 441[14]
10 435[14], 435[15]
Lips. vet.
5 428, 440[7]
Lond.
3 (Grey) 417[4], 421[6], 428, 433[10], 439[10]
229 (*Jur.* 37) 438[11]
277 (II p. 217/8) 417[3], 420[4]
297(*b*) (p. 111) 418[2], 428, 439[9], 439[11], 443
Lond. (contin.).
298 (p. 206) 418[2], 419[12] (420)
305 (p. 79) 428, 440[7]
882 (III p. 13/4) 423, 428, 437[3], 438[4], 441[2]
933 (Chr. I 294) 428, 439[9], 439[11], 441, 441[6], 443, 443[8]
1158 (p. 151/2) 423, 428, 439[8], 439[10], 442, 445[7]
1200 (p. 2/3) 423[5], 423[7], 423[8], 443[9]
1201 (p. 4) 421[12], 423, 428, 429[1], 433[13], 434[2], 434[4]
1202 (p. 5) 421[12], 423, 428, 429[1], 433[13], 434[4]
1204 (p. 10/1) 423, 428, 438[4], 441[2], 441[3], 441[5]
1217(*b*) (p. 61) 428, 440[7]
1673, 249/51 418[8]
1734; 1907 418[8]
Lond. demot.
10463 421[12] (422), 422[8], 423, 423[6], 423[8], 436[9]
Magd. (ed. Lesquier)
12 444[6]
Oxy.
34 II 436[9]
34 III 436[9]
44 421[2], 428, 429[2] (430), 435[5], 435[6], 440[7], 440[8], 440[11], 444, 444[5]
45; 46; 47 440[11], 443[3]
50 445[1]
95 421[2], 428, 440[1], 440[7], 441[14]
96 421[2], 421[9], 428, 440[2], 441[14], 441[16], 445[8]
99 423, 428, 439[7], 439[10], 440, 440[2], 441, 442[6], 445, 445[3], 445[8]
101; 102; 103 431[6]
125 433[13] (434)
138 418[8], 433[13] (434)
185 421[9], 428, 440[2], 440[11]
237 VI 433[13] (434)
238 428, 440[7], 444, 444[6], 445[2], 445[5]
241 433[13] (434)
242 428, 440, 440[2], 440[6], 445[1], 445[3]

Digitized by Google

Oxy. (contin.).
243 428, 433[13](434), 434[5], 440[2], 440[4], 440[6], 441[8], 444[12], 445[1], 445[3]
274 423, 429, 440[7], 441[10], 441[13]
333 429, 440, 440[2], 440[6], 445[1]
343; 345; 348 429, 440[6], 445[1]
370 442[5]
488 443[10]
491; 494; 496 433[13]
499; 501 431[6]
506 433[13](434)
513 424[10], 440[5], 440[11]
719 435[14]
730 431[6]
789 417[3]
898 433[13](434)
910 431[6]
1105 433[13](434), 441[9], 441[10]
1124; 1125 431[6]
1200, 44/50 435[14], 435[15]
1269 433[13](434)
1279 444[3]
1281 429[2]
1284 429, 439[7], 439[11], 441[6], 442[10], 443
1462; 1472 429, 440[7]
1473 435[12], 435[14]
1523 429, 440[7]
1689; 1691 431[6]
1697 435[12]
1928 418[8], 419[1], 419[10]
Paris.
5 429, 433[7], 433[11], 438[4], 441[5]
17 422, 429, 439[8], 439[10], 442, 445, 445[9]
21 418[8]
61 432[8]
62 I 431[12], 432[7], 432[8], 436[5]
62 III 436[5]
62 IV 430[9], 431[2], 431[3]
62 V 430[8], 433[6]
inv. 910 429, 440[7]
Paris. demot.
sine no.; 218 429
2410 421[1], 429, 430[3], 438[3]
2416 429
2433 422[8], 422[10], 424[4]
Paris. demot. (contin.).
3440 421[12], 422[1], 429
Petrie II
38*b* 432[8]
44 431[6]
Petrie III
32(*f*) 432[9]
53(*s*) 435[5]
57(*b*) 424[9], 429, 436[1], 436[5]
PSBA XIV p. 61 = XXIII p. 301 = *Lond. demot.* 10463
CPR I
1 418[2], 420[5]
4 417[3], 420
11 418[2], 419[12](420), 420[5]
170 418[2]
PR (extrav.)
1574 443[10]
2082 429[2](430)
Reinach
passim 438[11](439)
18 418[1], 418[2], 419[12], 443[10]
19 443[10]
Rev. laws
passim 430[5]
(col.)
3 430[6] 430[13]
7 436[9]
8 431[7]
10 436[9]
12 432[8]
15 432[3], 432[7]
16 431[6]
17 431[10], 431[11]
18 431[9], 431[10]
19 431[10]
20 431[10], 436[7]
21 431[8]
30 430[12]
31 421[8], 430[11]
34 431[12]
54 430[6]
56 431[12]
Rev. archéol.
XXIII p. 147 418[4], 419[8]
Rev. égyptol.
II p. 114 = *Smmb.* 4511; *Paris. demot.* 2433

Digitized by Google

Rev. égyptol (contin.).
II p. 116 = *Par. dem.* 3440
II p. 117/8 421[12]
Rylands
95 444[4]
118 440[3]
123 435[8]
155 418[2], 433[11]
160; 160(*a*) 417[3]
174; 179 418[2]
215 429, 440[7]
248 (demot. 15) 421[12], 423, 429, 429[1]
249 (demot. 17) 423, 429, 433[11], 441[4], 441[5]
250; 251 (demot. 18; 19) 423, 429
310 I 417[3]
345 418[2]
Salt demot. 429
Sammelb.
676 Vid. INSCR. GR.
4010 423[12], 429
4281 = *Lond.* 1202
4511 422[8], 422[10], 424[4]
4512 429, 443[9]
5104—07 = *Ryl.* 248—251
5115; 5116 423[12], 429
5177—87 419[8]
5634 = *Forshall* 41
5729 = *Lond. demot.* 10463
Soc. Argentor
inv. 277 = *Sammelb.* 4512
Soc. ital.
178; 187; 316 431[6]
344 431[5]
383 430[7]
386 430[8]
Stud. zur P. u. P. XX
14 = *Rain.* 2082
75 = *Rain.* 1574
Taur.
1 IV 437[9]
1 V; 1 IX 435[1]
10 429, 436[3], 440[1]
Taur. demot.
[236] 23 421[1], 429, 438[3]
24; 25 429
Tebt.
13 436[6]
36 443[9]
84 436[6]
104 438[11] (439)
105 431[6]
140 435[9], 435[11]
201 424[4], 429
279 421[12] (422), 422[9], 423[13], 438[3]
280 429, 440[1], 443[9]
281 435, 435[2]
327 443[10]
350 418[2], 426[1], 429, 434[2], 439[7], 439[11], 440[7], 443[2], 443[7]
351 429, 433[11], 439[9], 439[11], 441, 443[2]
397 418[2]
524 429[2] (430)
577; 578 442[5]
580 418[2], 429, 439[7], 439[11], 440, 443, 443[2]
587 418[2], 429, 439[7], 439[11], 443[2]
Thead.
18 = *Gizeh* 10887
Wess. Proleg. (1883)
p. 5 = p. 66 = *Rev. archéol.* XXIII p. 147
p. 67 418[4]
Wess. Specim. (1900)
(6) 6 417[3]
(13) 29; (14) 30 417[3], 429[2]
Wien. Kais.
26 (p. 10) 421[1], 429, 429[2], 433[12], 438[3]
Zoid.
1; 2 422[5], 436[2]
V. TESTAE GRAECAE
(W.)
473 439[6]
662 442[5]
1051 429, 439[8], 439[12], 441[15], 443
1056 434[7]
1066 429, 439[8], 439[12], 441[14], 441[15], 443
1076 434[6]
1378 439[6]

Digitized by Google

V. Testae Graecae (contin.).
1454 429, 439[8], 439[12], 441[14], 441[15], 443, 443[3]
1599 429, 440[7]
(Dend.)
XII 439[6]
(Berol. P.)
10788 = *BGU* 1459
12484 = *BGU* 1311
VI. Papyri Latini
Marini
80 418[8]; 419[5]
88; 94; 113 418[8]
VII. Ius Romanum.
Cod. Theod.
IV 13 (12), 1 444[2]
Digesta
XX 2, 7 pr. 431[6]
XXXIX 4, 9 § 1 444[2]
Digesta (contin.).
XXXIX 4, 11 § 5 444[2]
XLVIJ 2, 62 § 8 431[6]
XLIX 14, 3 § 6 444[1], 444[2]
Codex
I 51, 14 § 2 418[7], 419[9], 419[11]
IV 61, 4 444[2]
IV 65, 7 444[1]
IV 65, 11 444[2]
VII 62, 38 419[10]
XI 18 (R.) 418[5]
XI 18, 1 § 4 435[7]
Novellae
44 c. 2 418[4]
VIII. Ius Graeco-romanum.
Theophilus
IV 141 433[13] (434)
Basilica (cum scholiis)
passim. 433[13] (434)

Digitized by Google

PROPERTIANA.

SCRIPSIT

C. BRAKMAN I. f.

Permagni Vergilium a Propertio factum esse cum alii docent loci tum hoc distichon II 34, 65—66

cedite Romani scriptores, cedite Grai:
nescioquid maius nascitur Iliade.

Verum novimus poetas in universum non semper sibi constare. Propertius autem paulo commotior erat neque tenerorum lusor amorum dici poterat, sed potius saevorum vates ignium dicendus videbatur. Haud dissimilis erat poetae Germano Henrico Heine. Ab homine eiusmodi natura praedito non est expectandum, ut semper et ubique eadem utatur ratione [1]). Haec praefanda sunt, ne quis miretur eundem Propertium Vergilianum illud (Georg. II 490)

felix qui potuit rerum cognoscere causas

irrisisse scribendo I 12, 15

felix qui potuit praesenti flere puellae.

Jahn [2]) iure meritoque loquitur de parodia, at Rothstein minus apte adnotat: derselbe Versanfang an einer Stelle, die dem Dichter bekannt gewesen sein musz, Verg. G. II 490 felix e. q. s.

Equidem ingenue fateor me interdum dubitare, utrum Propertius seria contendat, an verbis suis colorem ironicum vel iocosum appingat. In elegia quidem III 22 Tullum amicum Cyzici iam multos annos commorantem in Italiam revocat, ut honoribus fungatur uxoremque ducat. Carmen vero sic terminatur:

hic tibi ad eloquium cives, hic *ampla nepotum*
spes et venturae coniugis aptus amor.

1) Quam cito Propertius oblitus erat se cecinisse I 12, 20 Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit!

2) Bukolika und Georgika, 9e Aufl. p, 172.

Digitized by Google

Itaque hic quoque Vergilii versus designatur nempe Aen. II 503

quinquaginta illi thalami, spes ampla nepotum.

Facile possumus Tullum nobis cogitatione fingere aut stomachatum esse quod poeta se induxisset auctorem tantae prolis aut eius stultitiam risisse. Accedit quod si premuntur verba *aptus amor*, intellegi potest Tullum a muliere Graeca immemorem esse redditum patriae.

Proprium etiam est Propertii in rebus, quae sunt parvi momenti, provocare ad historiam fabularem, componit igitur personas humiles quin etiam infimas cum heroibus vel heroidibus (sicut in Elegia III 15), quae ratio gravitatem carminis extenuat, consilium vero iocandi aut deridendi patefacit.

Eiusdem fere generis est, quod in Elegia IV 8 descriptionem veteris sacrificii Lanuvini excipit narratio lascivissima. Poeta cum duabus meretricibus potans a Cynthia, quam Lanuvii degere putabat, deprehenditur. Haec continuo in aemulam alteram involat, dum altera clamans effugit. Initium autem καταστροφῆς sic depingitur

49 *cum subito* rauci sonuerunt cardine postes
et levia ad primos murmura facta lares.
nec mora cum totas resupinat Cynthia *valvas*
non operosa comis, sed furibunda decens.

Nonne his quoque versibus quasi parodia quaedam subest loci Horatiani (Sat. II 6, 110—115)

110 ille cubans gaudet mutata sorte bonisque
rebus agit laetum convivam, *cum subito* ingens
valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
currere per totum pavidi conclave, magisque
exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
115 personuit canibus?

Mihi quidem verisimile videtur Propertio, qui minime Horatio placebat, obversata esse quae satirarum scriptor rettulerat de mure rustico et urbano. Quod ut credam, suadet similitudo et rerum et verborum (*cum subito*, *valvae*) [1]).

---

1) Ne *canes Molossi* quidem in hac elegia desunt, cf. vs. 24 atque armillatos colla *Molossa* canes (sc. taceo).

Digitized by Google

Delectatum esse Propertium εἰρωνείᾳ declarant etiam ἔπεα πτερόεντα Scaevolae laudata (I 5, 3) *quid tibi vis insane*, a quibus verbis Cicero (de orat. II 269) incipit exemplum urbanae dissimulationis.

Denique apparet et lenam, quae inducitur in eleg. IV 5 peritissimam esse litterarum, itaque indignissima illa mulier orationem suam, qua Cynthiam praeceptis amatores argento emungendi instruit, concludit alludens ad locum Vergilianum (Georg. IV 119)

vidi ego odorati victura *rosaria Paesti.*

DE SERMONE PLEBEIO IN PROPERTII ELEGIIS OBVIO.

Multi viri docti imprimis Postgate [1]), Birtii discipuli (Hollstein, Rassner), Uhlmann (in diss. Monasterii Guestfalorum) cet. de Propertiano genere dicendi disseruerunt. Quorum observationes quamvis utiles sint, tamen quae de inculto sermone exposuerunt, vix sufficere videntur. Pertinent autem ad sermonem plebeium:

genetivus inhaerentiae temporis aetas (I 4, 7); litoris ora I 20, 9 (Schmalz p. 362);

deminutiva, quae suam vim deposuerunt: ocelli (I 3, 19; I 19, 5); lectulus (II 15, 2) cet.

in adsciscens accusativum: quod ferar in partes ipse fuisse tuas (III 9, 60);

magis in circumlocutione comparativi: acuta magis (II 9, 38); magis diris (II 9, 49); grata magis (III 5, 18);

pronomen relativum, cuius vis augetur demonstrativo, ut saepius apud Plautum, II 29, 15

quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
solverit atque oculos moverit *illa* [2]) graves;

tota [3]) positum pro *omnia*: dicere tota (I 16, 38);

quanta adhibitum pro *quot*: milia quanta (I 5, 10);

variatio modorum in sententia interrogativa indirecta: II 16, 29

---

1) Selected Elegies. Introduction, chapter III.

2) Cf. Lindsay Synt. of Plautus p. 42.

3) Cf. Uhlmann p. 86.

Digitized by Google

aspice quid donis Eriphyla *invenit* amaris
arserit et quantis nupta Creusa malis;

huius rei praeclara exempla praebent III 5, 26—46;

quare, quod legitur II 16, 7 et 55; I 9, 33; I 19, 25; hanc vocem Tacitus numquam adhibet, Vergilius quinquies modo, Horatius numquam in carminibus lyricis [1]);

plusquamperfectum usurpatum pro imperfecto aut perfecto; e. g. II 6, 1—6 ubi sibi respondent *complebant*, *fuerat*, *facta (sc. est) beata*; id vocatur „verschobenes" plusquamperfectum [2]). Kühner-Stegmann scribunt l. l. Aus der Volkssprache stammt die eigenartige Tempusverschiebung, vermöge deren das Plusquamperfekt bestimmter Verben nicht in der eigentlichen Bedeutung dieses Tempus, sondern ganz im Sinne des Imperfekts (oder auch Perfekts) gebraucht wird. Patet metri causa poetam pleniores formas praetulisse I 16, 1; I 10, 2; I 11, 29; I 12, 11; IV 5, 71 cet.

Videamus nunc alia plusquamperfecta. Non metri causa sed plane ἀοριστικῶς [3]) *pararat* usus est poeta I 8, 36

et quas Elis opes ante *pararat* equis;

metro cogente vates ad sermonem plebeium confugit I 20, 16 fleverat; II 22, 25 requieverat; III 11, 65 condiderant; III 24, 20 exciderant; IV 7, 15 exciderant; IV 8, 54 palluerant cet. [4]);

persuasae, participium passivum IV 13, 146;

negatio geminata II, 19, 32;

absenti nemo ne nocuisse velit [5]).

Observant autem Kühner-Stegmann l. l. diese, eigentlich der Volkssprache angehörige pleonastische Ausdrucksweise hat sich in ihren Überresten noch im archaischen Latein erhalten, sonst ganz vereinzelt.

---

1) Cf. Löfstedt Peregrinatio Aetheriae p. 325.

2) Kühner-Steggmann I p. 140; Schmalz p. 487; Hosius Phil. Wochensch. 10 Dezemb. 1921 (col. 1183).

3) Postgate l. l. Introduction CXII it frequently represents in Latin prose an English aorist. Paulo infra idem scribit: the use is pushed far beyond the limits demanded by perspicuity.

4) De imperativo futuri legentes relego ad Uhlmann p. 60. De *vel* (= *et*) egit Postgate Introd. CXX.

5) Cf. Kühner-Stegmann I p. 827 sq., ubi hoc exemplum commemoratur.

Digitized by Google

ANNOTATIONES AD AUCTORES ET PAPYROS NONNULLAS.

SCRIPSIT

D. COHEN.

I.

Ad P. Tebt. I 106.

Papyrorum Berolinensium nuper in tom. VI editarum n[i]. 1266—1272 nova exemplа agrorum locationum nobis attulerunt. Inter quos n[a]. 1270 locis quibusdam ita cum pacto in P. Tebt. I 106 obvio congruit ut conicere liceat quae in lacunis nonnullis quas haec papyrus nunc praebet initio scripta fuerint. Constituuntur enim fere haec al. 14 sqq.: Ἡ *μίσθωσις ἥδε εἰς ἔτηι τρία* [*ἐκφορίου τοῦ παντὸς*] *κατ' ἔτος ἕκαστον πυροῦ ἀρταβῶν ὀγδοή*[*κοντα*] *ἀκίνδυνον παντὸς κινδύνου καὶ ἀνυπόλογον* [*πάσης φθορᾶς πλὴν τῆς ἐμβρό*]*χου καὶ ἀβρόχου ἥτις ἂν γένηται ἐν τῆι γῆι ταύτηι*[18] [.....] *δὲ γενομένης ὑπόλογος ἔστωι Μάρωνι ἐκ τῶν ἐκφορίων*[10][.....] *ἕκαστον κ. τ. λ.* Altera autem papyrus (B. G. U. VI 1270) habet fere haec: [Ἐ*μίσθωσεν Σῶσος*] *Πόλωνι καὶ τοῖς μετόχοις* [*τῆς ἐκ τοῦ ἐαυτοῦ κλή*]*ρου γῆς ἀρούρας εἴκοσι δύο ἐκφορίου ἑκάστην ἀρούραν πυρῶν ἀρτάβης μιᾶς — ἀπὸ μηνὸς Δύστρου τοῦ ἐν τῶι πεντεκαιδεκάτωι ἔτει εἰς ἐνιαυτὸν ἕνα τὸν τοῦ πεντεκαιδεκάτου ἔτους σπόρον ἀνεὺ σπέρματος ἀκίνδυνον παντὸς κινδύνου πλὴν ἀβρόχου·*[1])

1) Ita verba esse iungenda neque inde a voce *σπόρον* demum periodum, quae a voce *ἐμίσθωσεν* incipit, continuari (sic ut edd. harum papyrorum volunt) apparet e papyro B. G. U. 1266, 7 sqq.: *Ἐμίσθωσεν Πολιάνθης τὸν κλῆρον — σπόρον καὶ θερισμὸν ἕνα τὸν σπόρον τοῦ τρίτου ἔτους.*

Digitized by Google

τῆς δὲ γενομένης γῆς ἀβρόχου ἐν τῇ γῇ ταύτῃ ὑπόλογος ἔστω Σώσωι τὸ κατὰ λόγον τῆς γῆς εἰς τὰ προγεγραμμένα ἐκφόρια.

Quibus verbis collatis perspicuum est lacunas in papyro priore sic fere esse supplendas: [18][ἐμβρόχου δ' ἢ ἀβρόχου πο]τὲ(?) γενομένης (sc. τῆς γῆς) ὑπόλογος ἔστωι Μάρωνι ἐκ τῶν ἐκφορίων [19][τὸ κατὰ λόγον κατ' ἔτο]ς ἕκαστον κ. τ. λ.

II.

Οἱ ἔξω τάξεων.

Quis fuerit ἡγεμὼν ἔξω τάξεων vel τῶν ἔξω τάξεων qui et in titulis et in papyris obvius fit, dubitatur. Wilcken Grundz. p. 387 „ducem praesidiorum extra Aegyptum collocatorum", Lesquier Instit. Militaires p. 87 ducem „à la suite" eum fuisse interpretatur. At iam dubitari non licet, ut mihi quidem videtur, duobus locis apud Arrianum et Diodorum obviis inter se collatis. Diodorus enim (XVII 83, 2) Alexandrum Magnum in Indiam iter facientem ad montem quem Caucasum nominabant et alias urbes et Alexandream condidisse narrat, in quibus κατῴκισε τῶν μὲν βαρβάρων ἑπτακισχιλίους, τῶν δ' ἐκτὸς τάξεως συνακολουθούντων τρισχιλίους· Arrianus autem (in Anabasis l. IV 22, 5) fere eadem narrans regem in eadem urbe Alexandrea collocavisse καὶ ἄλλους τῶν περιοίκων τε καὶ ὅσοι τῶν στρατιωτῶν ἀπόμαχοι ἦσαν [1]). Erant igitur οἱ ἐκτὸς τάξεων idem atque οἱ ἀπόμαχοι, *milites qui aut vulnerati aut invalidi* pugnas non obibant, sed *levia munia exsequebantur*; quibus ut recte fungerentur dux quidam iis praeerat cui nomen erat ἡγεμὼν τῶν ἔξω τάξεων. Diodorus ipse identidem ea sententia verba adhibet, e. c. XIX 49 ubi narrat Pydnae, cum obsideretur, talem victus inopiam fuisse ut τῶν ἵππεων οἱ ἔξω τάξεως ὄντες οὐ σιτομετρούμενοι σχεδὸν ἅπαντες ἐτελεύτησαν; perspicuum enim est in urbe obsessa primum militibus sua manu urbem defendentibus cibum dari, deinde invalidis. Alterum exemplum apud eundem invenitur XIX 81, 4, ubi tradit ante pugnam

1) Cf. etiam IV 4, 1 συνοικίσας.... καί τινας τῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου Μακεδόνων, ὅσοι ἀπόμαχοι ἤδη ἦσαν.

Digitized by Google

Gazensem, cum milites pugnae studio ardentes tribunal circumstantes Demetrium audirent admirarenturque, καὶ τοὺς ἔξω τάξεως συνδραμεῖν ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν, non solum igitur milites qui pugnae interfuturi essent sed etiam invalidos qui in castris essent mansuri. Neque igitur Wilckeno est credendum qui l.l. τῶν cum τάξεων coniungere mavult; immo τῶν ἔξω τάξεων genetivus est verborum οἱ ἔξω τάξεων; cum autem et ipse ὁ ἡγεμών proeliis non intersit, is quoque ἔξω τάξεων versatus articulo non adhibito ἡγεμὼν ἔξω τάξεων appellari potest, sicut fit in pap. Theb. Bank IX, 10 [1]). Neque est mirum tales milites plerumque extra Aegyptum esse versatos [2]) vel in oppidis esse collocatos, ubi viri bello inutiles ad praesidium agitandum satis firmi erant. [3])

III.

De Alexandro Magno Ammonis oraculum consultante.

Utrum Alexander Magnus Ammonis oraculum adierit eo consilio ut Dei filius appellaretur an aliud quid petens praeter expectationem novo illo nomine vocatus sit viri docti dissentiunt. At, si quid video, res perspicua fiet si auctores investigando quomodo fama eundo creverit perspicere conabimur.

Strabo enim (XVII 814), postquam adulandi causa multa ad Alexandri gloriam augendam ab auctoribus esse inventa, nonnulla autem fide quoque digna esse dixit *Callisthenis* narrationem refert; qui regem φιλοδοξῆσαι μάλιστα ἀνελθεῖν ad oraculum tradidit, quia Persei Heraclisque exemplum imitari vellet; amicisque exclusis Alexandro soli in ipso fano Dei verba audire licuisse; ubi prophetam ῥητῶς εἰπεῖν πρὸς τὸν βασιλέα ὅτι εἴη Διὸς υἱός. Apparet igitur auctorem antiquissimum narravisse Alexandrum tantum heroas imitandi causa ad templum esse profectum et *praeter expectationem* a sacerdote Dei filium esse vocatum. Ipsa Callisthenis verba desunt; hoc tamen constat illum adulatorem, qui iam antiquitus totius

1) Ita legendum esse videtur (cf. Wilcken Grundz. p. 387).

2) E. g. Or. Gr. 69.

3) E. c. Bull. Soc. Arch. Alex. 1908 ns. 10. Qui ibi dedicat Aristomachus non dux sed miles ἔξω τάξεων fuisse videtur.

Digitized by Google

fabulae auctor habebatur neque sponte Alexandri originem eius esse investigatam neque Olympiadem regis matrem dei concubitu dignam fuisse tradidisse; immo aliud quoddam roganti sacerdotem necopinato regi genus divinum aperuisse [1]). Regis gloriae augendae causa eum fabulam ea ratione aut finxisse aut auditam narravisse conicere licet; id tamen ad nostram investigationem non pertinet. Hoc enim perspicuum est initio apud auctorem antiquissimum illas fabulas nondum inveniri.

Diodorus (XVII 51) idem fere ex eodem fonte haustum, ut videtur, narravit: primo Alexandrum ad Ammonem esse profectum ut oraculum tantum consuleret (XVII 49, 2), deinde in templum introductum hisce verbis a sacerdote esse salutatum: Χαῖρε, ὦ παῖ· καὶ ταύτην παρὰ τοῦ θεοῦ ἔχε τὴν πρόσρησιν; ad quae Alexandrum haec respondisse: Δέχομαι, ὦ πάτερ, καὶ τὸ λοιπὸν κεκλήσομαι σός. Neque tamen regem rei conscium fuisse ea quae sequuntur demonstrant; in quibus Alexandrum, quasi nihil a sacerdote dictum esset, Philippum patrem suum nuncupavisse idem auctor tradidit. Ne Diodorum quidem vel potius auctorem eius fabulam in maius auxisse satis apparet.

Curtius quoque (Hist. Alex. IV 7, 5 sqq.) eodem auctore usus esse videtur. In cuius narratione tres partes sunt distinguendae: praefatio (7, 5—9) conclusioque (7, 29—30), quas de suo addidit, et fabula ipsa (7, 25—29) quam ex eodem, quo Diodori auctor, fonte sumpsit. In praefatione autem „Ingens cupido", inquit, „animum (regis) stimulabat adeundi Iovem quem generis sui auctorem haud contentus mortali fastigio aut credebat esse aut credi volebat". Id quod Curtium, ut erat Alexandri obtrectator, de suo addidisse argumento est quod in ipsa fabula iterum regem Philippum patrem vocavisse noster tradidit. Eius auctorem autem de regis proposito nullam mentionem fecisse perspicuum est.

Aliter autem res se habet apud *Arrianum* (III 3, 2 sqq.). Qui pro subtilitate atque prudentia sua quam potuit paucissima de tota re, quae fide maior ei videbatur, tradidit. Hic

1) Utrumque patet ex Arrian. IV 10, 2: (Callisthenes dixit) καὶ τοῦ θείου τὴν μετουσίαν Ἀλεξάνδρῳ οὐκ ἐξ ὧν Ὀλυμπιὰς ὑπὲρ τῆς γενέσεως αὐτοῦ ψεύδεται ἀνηρτῆσθαι, ἀλλὰ ἐξ ὧν ἂν αὐτὸς ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυγγράψας ἐξενέγκῃ ἐς ἀνθρώπους.

Digitized by Google

quoque potissimum Ptolemaeo et Aristobulo eum auctoribus esse usum satis constat [1]), sed τὸ ἀτρεκὲς τοῦ λόγου se fugisse fatetur quia id ἀφείλοντο οἱ ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ ὑπὲρ αὐτοῦ ἐξηγησάμενοι. Quam ob rem de colloquio inter regem et sacerdotem habito nihil narrat nisi haec: ἀκούσας (Alexander) ὅσα αὐτῷ πρὸς θυμοῦ ἦν (4, 5); sed initio (3, 2) causas oraculum consulendi aliam fuisse et hanc, quod eodem genere se esse quo Perseum et Heraclem rex gloriaretur καί τι καὶ αὐτὸς τῆς γενέσεως τῆς ἑαυτοῦ ἐς Ἄμμωνα ἀνέφερεν. Videtur igitur Arrianus apud auctorem quendam legisse Alexandrum ad oraculum esse profectum ad id ipsum impetrandum ut opinio de origine sua divina affirmaretur. Verisimile videtur hanc narrandi rationem a Ptolemaeo esse inventam qui et alibi [2]) et hic sui regni causa Alexandrum nullam ob aliam causam iter difficillimum fecisse nisi ut sua divinitas praedicaretur fingere vellet.

Quo modo autem a posteris fabula in maius sit aucta et qua ratione miraculum divinae originis sit amplificatum *Plutarchus* et *Trogus-Justinus* demonstrant. Ex quibus ille iam initio Vitae Alexandri (c. 2 et 3) Ammonem serpentis specie cum Olympiade concubuisse matremque postea filio originem eius aperuisse tradidit; in fabula autem ipsa oraculi responsum narrans primo Callisthenem, ut videtur [3]), secutus idem quod Strabo ceterique rettulit; deinde tamen alia addidit de vaticinationibus arcanis nonnullis deque errore quodam sacerdotis, quae ex aliis se hausisse libenter fatetur. Arcanas illas vaticinationes ad dei concubitum pertinuisse inde verisimile videtur, quod soli matri eas narrandas esse rex ipse scripsisse dicitur; in libro autem Callisthenis neque narrationem de serpente illo neque iocum de sacerdote blaeso esse inventum verba λέγεται (c. 2, 1), ἕτερος λόγος (c. 2, 5), λέγουσι (c. 3, 1), ὡς Ἐρατοσθένης φησίν (c. 3, 2), Ἀλέξανδρος ἐν ἐπιστολῇ φησίν et ἔνιοί

1) Cf. 3, 3, 5, 6; 4, 5, 6.

2) Cf. R. Schubert, Beitr. zur Kritik der Alexander-historiker p. 46.

3) Cf. c. 27, 3. Omnia quae de Aristandro vate (qui apud Plut. Vit. Al. c. 2, 3 de Olympiade gravida vaticinium quoddam edidisse dicitur) narrantur a Callisthene esse tradita, ut vult Fränkel, Die Quellen der Alexander-historiker p. 172 sqq., verisimile non videtur. Immo clarissimo illi vati multa falso a posteris esse attributa, multa aliorum et vatum et auctorum exempla demonstrant.

Digitized by Google

φασιν (c. 27, 5) satis ostendunt. Immo hic quoque nomen Eratosthenis fabulam auctam in Aegypto demum esse ortam indicare videtur.

Postremo *Justinum* inspiciamus. Qui (XI 11) velut sentinam omnium fabularum nobis offert, cum narrat Olympiadem esse confessam ex serpente se Alexandrum concepisse; qua de causa Alexandrum non solum eo proposito ad Ammonem esse profectum ut originem divinam adquireret, sed etiam antistites subornasse quid sibi responderi vellet. Post quae Callisthenis narratio addita mirationem facit; sed quid mirum apud Justinum?

Magis magisque fabula aucta est. *Gellius* (Noct. Att. XIII 4) epistolam festivam Olympiadis refert, quam ipse et in plerisque aliis libris et in libro M. Varronis se legisse dicit; in qua filium eam monuisse, ne se adversum Iunonem criminaretur [1]). Quo modo tandem in Historia Ficta Alexandri Magni concubitus dei cum dolis et fraude sit contextus exponere supervacaneum est.

Hoc autem mihi demonstrasse videor primo Callisthenem finxisse Alexandrum contra expectationem Dei filium esse vocatum, deinde ipsius regis consilium et propositum a Ptolemaeo vel alio quodam auctore esse additum, postremo alios de Olympiade Ammonis uxore narrationes commenticias adiecisse. Tres igitur narrandi rationes in fabula illa sunt distinguendae.

IV.

De fabula ad Pentateuchi conversionem Graecam pertinente.

Idem studium res augendi atque in maius tollendi invenitur in variis narrationibus quae de Pentateuchi conversione illa, quae Septuaginta vocatur, sunt traditae. Quin hic seriem temporum auctorumque melius investigare nobis licet. Primus enim *Aristeas* in Epistula ad Philocratem narratiunculam simplicem et miraculi fere expertem tradidit: legatos duo et septuaginta a Judaeorum pontifice maximo missos Alexandream venisse et in insula Pharo operi suo incubuisse; ibi in domo

1) Fere idem apud Plut. 3, 2.

Digitized by Google

quadam a Demetrio Phalereo bibliothecae regiae praefecto omnibus utensilibus instructi viri docti opus ἐπετέλουν ἕκαστα σύμφωνα ποιοῦντες πρὸς ἑαυτοὺς ταῖς ἀντιβολαῖς· τὸ δὲ ἐκ τῆς συμφωνίας γινόμενον πρεπόντως ἀναγραφῆς οὕτως ἐτύγχανε παρὰ τοῦ Δημητρίου [1]). Apparet viros alium alterius verba legentes comparantes corrigentes opus perfecisse; miraculi sermo nullus est.

At nunc inspiciatur narratio quam praebet *Philo Judaeus*! [2]) Qui hoc modo philosophatur: καθίσαντες δ' ἐν ἀποκρύφῳ καὶ μηδενὸς παρόντος..... καθάπερ ἐνθουσιῶντες προεφήτευον οὐκ ἄλλα ἄλλοι, τὰ δ' αὐτὰ πάντες ὀνόματα καὶ... ῥήματα, ὥσπερ ὑποβολέως ἑκάστοις ἀοράτως ἐνηχοῦντος. Philo igitur Deum quodammodo auxilium tulisse credit. Quam ob rem? Quia omnes qui experti sunt quam difficilis sit ars vertendi τεθήπασιν, οὐχ ἑρμηνέας ἐκείνους ἀλλ' ἱεροφάντας καὶ προφήτας προσαγορεύοντες. Hic cardo rerum est. Aristeas interpretatores mea quidem opinione aut ipse viderat aut fando de iis audiverat; nullum miraculum factum esse optime sciebat. At Philo opus ipsum tamquam miraculum stupebat; quid mirum quod homines ut prophetas a deo incitatos admirabatur?

At hac quoque in re fama crevit eundo. Nam posteriores opem illam divinam usque magis celebrabant. In singulis tabernis inclusos miraculo quodam eadem verba omnes protulisse fingebant — illas voces ut sunt καθάπερ et ὥσπερ, quibus Philo pro prudentia sua usus erat, plane obliti. Sic fabula illa de cubiculis secretis nata est, quae semel memoriae tradita semper servata maxime omnibus nota est. Iam Irenaeus [3]) verbis χωρίσας αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων secessum singulorum indicavit; quem imitati ceteri fabulam simplicem et pulchram ornando depravaverunt.

---

1) Aristeas § 302 ed. Wendland; cf. etiam § 32.
2) De Vita Mosis II 7.
3) III 21, 2.

Digitized by Google

DE DEMETRIO PHALEREO.

SCRIPSIT

D. COHEN.

Clio est Musa et venusta et crudelis. Quos amat laudibus extollit; quos odit e memoria hominum eicit. Qui factis gloriosis, rebus bene gestis, sermone etiam splendido enituerunt, eis famam aeternam tribuit; at qui modesti opus difficile et salutare silentio perfecerunt, eos plerumque oblivioni tradit. Ut e multis unum exemplum afferam: nemo est quin noverit res gestas Demetrii illius Poliorcetae qui ut suavitate faciei mentisque permultos sibi conciliavit ita fulgure animi plures perdidit, qui temeritate et pugnandi studio multas terras incendiis inflammavit; quam pauci autem bene cognoverunt alterum illum Demetrium, Phaleri natum, qui per decem annos Athenis praefectus pacem felicitatem opes urbi suae praebebat. Operae igitur est pretium quid hic praestiterit iterum investigare. Nam quamquam satis multi id iam conati sunt, fortasse nobis continget ut administrandi ratione, qua Athenis utebatur, bene explorata adhibitis papyris nuper inventis quid exsul patriae in Aegypto perfecerit melius intellegamus. Propositum autem mihi est totam materiem in tres partes dividere; quarum prima aget de Demetrio Athenis praefecto, secunda de legibus quas Alexandreae tulisse videtur, tertia de Demetrio bibliothecae Lagidarum principe.

I.

De Demetrio Athenis praefecto.

Iam primum qua de causa Demetrius rei publicae moderationem susceperit exponere opus est. Alexandro Magno mortuo

Digitized by Google

Antipater anno 322 Atheniensibus, qui frustra rebellionem temptaverant, devictis Phocionem praefecit, his condicionibus ut ii modo qui minimum duo milia drachmarum possiderent, iure civium fruerentur, ut leges Solonis magna ex parte restituerentur, ut Areopagi potestas augeretur. Phocione autem expulso paucos post annos plebis imperium est restitutum. At anno 317 Cassander Athenis potitus amicum suum Demetrium Phalereum urbis ἐπιμελητήν vel προστάτην vel ἐπιστατήν nominavit. Qui officio suo ita fungebatur, ut fere nunquam Athenas magis floruisse plerique auctores antiqui et recentes consentiant [1]). Per decem annos urbi praefuit: anno 307 Demetrius Poliorcetes subito oppidum oppressit expugnavit; Demetrius Phalereus Thebas confugit, postea in Aegyptum se contulit, quod regnum tunc temporis viros eruditos ex patria expulsos libenter hospitio recipiebat.

Magnopere est dolendum de tali viro tam pauca ad nos pervenisse. Erat τρίτος νομοθέτης Ἀθήνησιν [2]) — at quae leges illae erant? Προσόδοις ηὔξησε τὴν πόλιν — at qui erant illi reditus? Sciscitamur — at fere nemo respondet. Qui liber de eo egit Asclepiadis cuiusdam [3]), periit. Duo βίοι servati sunt: quorum alter apud Suidam obvius nullius pretii videtur, alterum, quem Diogenes Laertius praebet, vitiis non carere apparebit. Itaque contentos nos esse oportet iis quae aut apud auctores nonnullos aut in lexicis aliquot aut in titulis quibusdam forte inveniuntur.

Qui tamen hoc saltem docent eius leges tria genera esse amplexas: pertinebant aut ad augendas res familiares et reditus publicos aut ad artes colendas aut ad leges novas instituendas antiquas renovandas. [4])

Ut primum agam de iis rebus, quae primi generis erant: valde dolendum est nos nescire quo anno in Attica illum populi recensum habuerit, quo anteriorem nullum in Graecia

---

1) Cf. e. c. D. L. V, 5, 75: προσόδοις καὶ κατασκευαῖς ηὔξησε τὴν πόλιν; Cic. de rep. II 1: exsanguem jam et jacentem (rem publicam) sustentavit; v. Wilamowitz Aristot. und Athen I p. 363: „die segensreiche Verwaltung des Demetrios"; Beloch Griech. Gesch. IV 148: „Wahrscheinlich ist Athen nie so gut regiert worden". 2) Syncellus p. 521. 3) Athenaeus XIII p. 567.

4) Ut belgice vertam: economische, kunstlievende en wetgevende maatregelen.

Digitized by Google

fuisse novimus [1]); nam operae pretium esset scire num illud fortasse velut fundamentum habuerit omnium rerum, quas parabat ad statum civitatis restituendum. Hoc tamen constat eum et hoc et alia multa invenisse et perfecisse quod et huius aetatis viri artis c. n. oeconomicae periti probare possint. Quod statim apparet investigando verba Democharis forte apud Polybium XII 13 servata, quibus ille Demetrium accusaverat *τοιοῦτον προστάτην τῆς πατρίδος γεγονέναι καὶ ἐπὶ τούτοις σεμνύνεσθαι κατὰ τὴν πολιτείαν, ἐφ' οἷς ἂν καὶ τελώνης σεμνυνθείη βάναυσος. Ἐπὶ γὰρ τῷ πολλὰ καὶ λυσιτελῶς πωλεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν καὶ δαψιλῆ τὰ πρὸς τὸν βίον ὑπάρχειν πᾶσιν, ἐπὶ τούτοις φησὶ μεγαλαυχεῖν αὐτόν.* Propter quam rem autem vir rei publicae praefectus magis est laudandus, quam quod merces multas importandas curando pretia parva praestat et id agit, ut copia rerum omnes cives fruantur? Quo modo ei contigerit, ut praesertim frumentum suppeditaret, fortasse conicere licet ex narratione apud Plut. Demetr. 8 obvia. Ibi enim traditum est naves Demetrii Poliorcetae, cum Piraeo anno 307 appropinquarent, ab Atheniensibus non esse cognitas *ἁπάντων ὡς Πτολεμαϊκὰς τὰς ναῦς ὑποδέχεσθαι παρασκευαζομένων.* Ptolemaeus tunc temporis Cassandri amicus erat et conicere licet non solum naves longas ex Aegypto esse missas sed etiam frumentum inde Athenas invectum satis vili pretio ibi venisse; id quod Demetrium regis Ptolemaei amicum impetrasse facile intelligi potest [2]). Quod argumentum eo confirmatur, quod statim postquam Poliorcetes Piraeo potitus est, Antigonus Atheniensibus precantibus magnam copiam frumenti dono misit [3]), verentibus scilicet ne Demetrio Phalereo expulso frumentum Ptolemaeum deesset.

Haec iam satis demonstrant nostrum civitatis saluti optime consuluisse. Quid quod reditus publicos auxit [4]), commercium iuvit [5]), liturgias sustulit et curam ludorum scaenicorum magistra-

---

1) Apud Athen. VI p. 272 B: *Κτησικλῆς ἐν τρίτῃ Χρονικῶν....? καὶ δεκάτῃ πρὸς ταῖς ἑκατόν φησιν Ὀλυμπιάδι ἐξετασμὸν γενέσθαι ὑπὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως τῶν κατοικούντων τὴν Ἀττικήν.* De anno cf. P. W. IV 2827.

2) Cf. Bouché-Leclercq, Hist. des Lagides I 64; Diod. XX 37, 2.

3) Diod. XX 46, 4. cf. etiam Syll.[3] 367 l. 16 et 409 l. 29.

4) Athen. XII 542.

5) Diod. XIX 103, 4.

Digitized by Google

tui cuidam mandavit, luxum coercuit funerum sepulcrorumque magnificentiam minuendo et gynaeconomos instituendo qui numerum convivarum et cenarum apparatum inspicerent [1]). Praeterea si pauca admodum eius facta nota esse, multo plura nos fugere nobiscum reputamus, iam prudentiam doctrinam fortitudinem, qua commodis civium serviebat, admiramur.

Accedit quod etiam possessionem agrorum moderabatur. Ferguson [2]) observavit in lapidibus plerisque, qui terminos agrorum in Attica indicabant, inde ab anno 316 et nomen archontis fuisse inscriptum et nomen eius viri, apud quem pactum ipsum ad agri possessionem pertinens erat depositum. Cum autem ea antea nunquam addita fuerint, arbitratur eam condicionem, qua rixae facile solverentur, a Demetrio Phalereo esse institutam. Quin etiam idem vir doctus suspicatur testamentorum quoque et δόσεων exempla inde ab illius aetate magistratui vel viro privato cuidam custodienda esse tradita. Tales leges securitati possessorum magnopere cavisse multis verbis exponere opus non est. [3])

Haec de primo legum genere. Quod ad secundum attinet, multa de eius luxuria antiqui fabulati sunt. Quae tamen maxima ex parte aut falso a Demetrio Poliorceta ad eum esse translata aut ab eius obtrectatoribus esse ficta videntur. Immo ut erat vir doctus et elegans luxum quidem eum amasse apparet, sed luxum cum arte coniunctum. Choros praeclaros duxisse traditur [4]), Homeristas in theatrum introduxisse [5]), multa aedificia restituisse et ornavisse, licet paucis sumptibus, quia mediocritatem in largitionibus optimam regulam ducebat [6]). Etiam

1) De his rebus uberrime agere supervacaneum est, quia alii id optime fecerunt; inter quos nominandi sunt Ostermann, De Demetrii Phaleronis vita, rebus gestis et scriptis, Hersfeld 1847, Fulda 1857; Martini in P. W. IV s. v. Demetrius von Phaleron; Ferguson, Hellenistic Athens p. 38 sqq.

2) Klio XI 265 sqq.

3) Cf. Cic. De Leg. II 66: „Fuit enim hic vir tuendae civitatis peritissimus".

4) Democharis apud Polyb. XII 13, 9; Duris apud Athen. XII 542, C.

5) Eustath. ad Iliad. p. 1479: εἰς θέατρον παρήγαγε ῥαψῳδοὺς τοὺς καὶ Ὁμηριστὰς καλουμένους (cf. Athen. XIV p. 620).

6) Cf. D. L. V 75: κατασκευαῖς ἠύξησε τὴν πόλιν, id quod confirmatur a Vitruvio Praef. VIII: Eleusinae Cereris et Proserpinae cellam .... cum Dem. Phal. Athenis rerum potiretur, Phylon prostylon fecit. Cf. Cic. De Off. II, 60: Phal. Dem., qui Periclem vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea coniecerit.

Digitized by Google

scientiae eum operam dedisse mirum non est; tradunt autem Theophrastum καὶ ἴδιον κῆπον σχεῖν μετὰ τὴν Ἀριστοτέλους τελευτὴν, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, ὃς ἦν καὶ γνώριμος αὐτῷ, τοῦτο συμπράξαντος. [1])

Quibus ultimis verbis alia quoque res indicatur, quam persequi nos oportet, antequam ad leges, quae ad rei publicae administrationem pertinebant, transeamus. Ea enim investigata melius Demetrii indolem et agendi rationem intellegemus. Erat enim noster non solum γνώριμος Theophrasto, sed etiam discipulus. Haec autem summa est Demetrii virtus et gloria quod ea quae Aristoteles et Theophrastus mente excogitaverant et discipulos docuerant, ad rei publicae administrandae usum contulit et in ipsum discrimen aciemque produxit [2]); erat ὁ νομοθετικὸς ἀνήρ quem legibus ferendis civitatem felicem esse redditurum Aristoteles ipse praedixerat [3]). Paucis annis postquam is mortuus erat, discipulus perfecerat ea quae magister ut rei publicae maxime salutaria in scholis iterum atque iterum suaserat. Fortunatum eum, qui sui praeconii talem confectorem invenerit!

Nam fere omnia quae Demetrius instituit vel restituit, ab Aristotelis vel Theophrasti doctrina oriunda esse videntur. Iam primum recensum populi Aristoteles non ipsis quidem verbis postulaverat, sed πολιτικῆς χορηγίας πρῶτον esse affirmavit τὸ τε πλῆθος τῶν ἀνθρώπων, πόσους τε καὶ ποίους τινὰς ὑπάρχειν δεῖ φύσει, καὶ κατὰ τὴν χώραν ὡσαύτως, ὅσην τε εἶναι καὶ ποίαν τινὰ ταύτην [4]). Iam perspicuum est ob id praeceptum Demetrium non solum Athenienses, sed omnes Atticae incolas recensuisse; id enim agebat ut numerus civium et incolarum magnitudini urbis et regionis conveniret, ita ut magister docuerat [5]). Quin etiam in recensendo, ut Ctesicles tradidit [6]), separatim dinumeravit et Ἀθηναίους et μετοίκους et οἰκετάς; Aristoteles enim monuerat urbem non magnam esse ducendam κατὰ τὸ

1) D. L. V 39. 2) cf. Cic. de Leg. 3, 6, 14.
3) Cf. v. Wilamowitz Aristoteles und Athen. I p. 359.
4) Politic. IV (VII) 1326a.
5) Fortasse eandem ob causam Phocion multos cives pauperes in Thraciam miserat (Diod. XVIII 18, 4).
6) F. H. G. IV 375 (Athen. VI p. 272 B).

Digitized by Google

τυχὸν πλῆθος (ἀναγκαῖον γὰρ ἐν ταῖς πόλεσιν ἴσως ὑπάρχειν καὶ δούλων ἀριθμὸν πολλῶν καὶ μετοίκων καὶ ξένων). Optime igitur magistri praeceptum exsecutus est.

Etiam in liturgiis tollendis consilio eius usus est. In civitate enim melius esse ille scripserat καὶ βουλομένους κωλύειν λειτουργεῖν τὰς δαπανήρας μὲν μὴ χρησίμους δὲ λειτουργίας, οἷον χορηγίας καὶ λαμπαδαρχίας καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται. Sepulcra autem ne operosa fierent iam aliquanto post Solonem lege sanctum erat [1]); sed etiam Theophrastus in testamento iussit amicos se sepelire μηδὲν περίεργον περὶ τὴν ταφὴν μήτε περὶ τὸ μνημεῖον ποιοῦντας [2]) — id quod Demetrius in omnibus funeribus fieri voluit. Deinde etiam in lege, qua Demetrius edixit ut exempla omnium pactorum apud magistratum quendam vel virum privatum deponerentur, Aristotelis et Theophrasti praecepta agnoscimus. Inter magistratus enim, quibus nulla res publica carere possit, etiam habendam esse Aristoteles dixerat ἀρχὴν πρὸς ἣν ἀναγράφεσθαι δεῖ τὰ ἴδια συμβόλαια [3]); Theophrastus autem παρ' οἷς, inquit, ἀναγραφὴ τῶν κτημάτων ἐστὶ καὶ τῶν συμβολαίων, ἐξ ἐκείνων ἔστι μαθεῖν εἰ ἐλεύθερα καὶ ἀνέπαφα καὶ τὰ αὑτοῦ πωλεῖ δικαίως [4]). Mirum igitur non est discipulum talem legem ex aliis civitatibus in suam transtulisse.

Sed non solum singulae leges ad Aristotelis et Theophrasti disciplinam referri possunt; immo tota mens et animus et consilium eius summis illis viris obnoxium est. Cum magistratum iniret nomine Cassandri iusserat τὸ πολίτευμα διοικεῖσθαι ἀπὸ τιμήσεων ἄχρι μνῶν δέκα [5]), cum Phocion aliquot annis ante nomine Antipatri προσέταξεν τοὺς κεκτημένους πλείω δραχμῶν δισχιλίων κυρίους εἶναι τοῦ πολιτεύματος καὶ τῆς χειροτονίας. Neque igitur pauperrimis iura pristina reddidit neque tamen divitibus omnia concessit: in medio tutissimus ibat τοῖς μέσοις rem publicam credens. Quid autem et hic aliud nisi Aristotelis praecepta secutus est? Qui τὸ μέτριον ἄριστον καὶ τὸ

1) Cic. De Leg. II 64. 2) Diog. Laert. V 79.
3) Politic. IX (VII) 1321b 34.
4) Theophr. apud Stob. Anth. XLIV 22. De Theophrasto et Demetrio cf. Ferguson, The laws of Demetrius of Phalerum and their guardians, Klio XI p. 270.
5) Diod. Sic. XVIII 74, 3.

Digitized by Google

μέσον esse praedicaverat; vel alio loco ὅτι ἡ μέση βελτίστη φανερόν· ὅπου γὰρ πολὺ τὸ διὰ μέσου, ἥκιστα στάσεις καὶ διαστάσεις γίγνονται τῶν πολιτῶν; Theophrastus quoque laudaverat τοὺς μέτρια κεκτημένους [1]). Huic instituto aliud rei publicae necessarium addidit Aristoteles: nempe τοῦ εὖ ζῆν· τοῦτο δέ ἐστιν τοῦ ζῆν εὐδαιμόνως καὶ καλῶς aut ut uno verbo dicam εὐκοσμίας vel εὐταξίας [2]). Qui autem magistratus id curare debebant? Audi verba magistri: ἴδιαι δὲ ταῖς σχολαστικωτέραις καὶ μᾶλλον εὐημερούσαις πόλεσιν, ἔτι δὲ φροντιζούσαις εὐκοσμίας, γυναικονομία νομοφυλακία παιδονομία γυμνασιαρχία, πρὸς δὲ τούτοις περὶ ἀγῶνας ἐπιμέλεια γυμνικοὺς καὶ Διονυσιακούς [3]). Quid autem iam vidimus? Demetrius re vera γυναικονόμους instituit, choros et Homeristas in theatrum introduxit, magistratui certo curam χορηγίας mandavit, agonothetam eum constituisse Ferguson suspicatus est [4]). De magistratibus, qui νομοφύλακες vocabantur, posthac agemus.

Nonne revera, ut von Wilamowitz vult [5]), magistri praecepta ei cordi erant? At consuetudini τοῦ ζῆν ὥς τις βούλεται, quam viri populares laudibus efferebant, τὸ εὖ ζῆν praeponens facere non potuit quin invitus multis in odium veniret et tyranni nomine increparetur. Accedit quod Athenienses illam mediocritatem neque noverant neque diligebant, cum posteros laudibus eam extulisse nemo ignoret. Sic facile intellegi potest antiquos tam varie de eo iudicasse: cum enim Plutarchus monarcham eum fuisse putet, Strabo τὴν δημοκρατίαν eum restituisse dixit [6]). Quae Aristotelis ipsius sententia fuisset? Ἔστιν, inquit, οὐκ ἔλαττον ἔργον τὸ ἐπανορθῶσαι πολίτειαν ἢ κατασκευάζειν ἐξ ἀρχῆς [7]). Mirum in modum haec verba cum Strabonis et Ciceronis [8]) iudicio consentiunt.

---

1) Politic. VI (IV) 1295b et 1296a; cf. etiam Politic. VII (IV) 1296b: δεῖ δ' ἀεὶ τὸν νομοθέτην ἐν τῇ πολιτείᾳ προσλαμβάνειν τοὺς μέσους. Theophr. fr. 78.

2) Politic. VII (VI) 1321b et 1322b.

3) Polit. VII (VI) 1322b.

4) Hellen. Athens p. 57.

5) Arist. und Athen I p. 236.

6) Phaedrus V 1: Demetrius, qui dictus est Phalereus, Athenas occupavit imperio improbo; Plut. Dem. 10: λόγῳ μὲν ὀλιγαρχικῆς, ἔργῳ δὲ μοναρχικῆς; Strabo IX 398: οὐ μόνον οὐ κατέλυσε τὴν δημοκρατίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπηνώρθωσεν.

7) Politic. VI (IV) 1289a.

8) Cf. supr. p. 89[1].

Digitized by Google

Transeamus autem ad tertium genus legum quas tulit; nempe earum quae ad rem publicam administrandam pertinebant. Quarum fere nulla est nota: at imprimis has leges ei cordi fuisse inde apparet quod eo praefecto Athenis *νομοφύλακες* leges tuebantur qui magistratus antiquis temporibus constituti aetate dominationis popularis aut sublati aut magistratus inferiores facti esse videntur. Quo munere functi sint investigare cum difficile est tum operae pretium. Discipulum enim Aristotelis putasse leges velut fundamentum totius rei publicae esse defendendas quis miratur? [1]) In imperio populari semper erat timendum ne leges tollerentur vel plebiscito temere mutarentur; qua de re Aristoteles haec aurea verba scripserat: *Οἱ δημαγωγοὶ αἴτιοί εἰσι τοῦ εἶναι τὰ ψηφίσματα κύρια ἀλλὰ μὴ τοὺς νόμους, πάντα ἀνάγοντες εἰς τὸν δῆμον. Εὐλόγως δὲ ἂν δόξειεν ἐπιτιμᾶν ὁ Φάσκων τὴν τοιαύτην εἶναι δημοκρατίαν οὐ πολιτείαν· ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία* [2]). Populi imperium tollere noster nolebat, damna eius frangere cupiebat. Qua arte id consilium perficere conabatur?

Philochorus de Demetrii temporibus agens haec scripsit [3]): *Νομοφύλακες ἕτεροί εἰσι τῶν θεσμοθετῶν· οἱ μὲν γὰρ ἄρχοντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον ἐστεφανωμένοι, οἱ δὲ νομοφύλακες στρόφια λευκὰ ἔχοντες, καὶ ταῖς θεαῖς ἐναντίον ἀρχόντων ἐκαθίζοντο καὶ τὴν πομπὴν ἔπεμπον τῇ Παλλάδι· τὰς δὲ ἀρχὰς ἠνάγκαζον τοῖς νόμοις χρῆσθαι, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν τῇ βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων ἐκάθηντο, κωλύοντες τὰ ἀσύμφορα τῇ πόλει πράττειν· ἐπτὰ δὲ ἦσαν, καὶ κατεστάθησαν, ὡς Φιλόχορος, ὅτε Ἐφιάλτης μόνῃ* (leg. *μόνα*) *κατέλιπε τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος.* Pollux [4]) autem haec de iisdem tradidit: *νομοφύλακες ἐστεφάνωνται μὲν στροφίῳ λευκῷ, τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῇ θεῷ, τοῖς δὲ προέδροις ἐν ἐκκλησίαις συγκαθίζουσι,*

---

1) In or. Dinarchi contra Himeraeum ante annum 321 habita iam *νομοφύλακες* nominantur; sed cf. de hac re Ferguson in Klio l.l. p. 272 et Harpocration s. v.

2) Politic. VI (IV) 1291 a.

3) servata in Lex. Rhet. p. 673.

4) VIII 94. Aliter in Lex. Seguer. V p. 283, 16: *ἄρχοντες οἱ ἐν ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων καθήμενοι καὶ ἀναγκάζοντες αὐτοὺς τοῖς νόμοις χρῆσθαι καὶ κωλύοντες ἐπιψηίζειν εἴ τι εἴη παράνομον ἢ ἀσύμφορον τῇ πόλει.*

Digitized by Google

διακωλύοντες ὅσα μὴ σύμφερει. Summos magistratus eos fuisse haec verba demonstrant; conicere licet eos iam antiquitus vittis albis esse ornatos et Palladis pompam duxisse, sed Demetrii demum aetate in comitiis et in senatu iuxta praesides consedisse, prohibentes effici quae rei publicae damno essent, et magistratus legibus uti coëgisse; nam illa ad speciem dignitatis, ex antiquis temporibus servatam, haec ad ipsum officium, quod Philochorus Demetrii aetati tribuit, pertinent.

Id munus a dominatu populari alienum fuisse et primo conspectu apparet et Aristoteles docet ἀριστοκρατικόν id esse affirmans [1]); id quod res ipsa declarat: nam δοκεῖ εἶναι τῶν ἀδυνάτων τὸ εὐνομεῖσθαι τὴν μὴ ἀριστοκρατουμένην πόλιν [2]). Sed ne oligarchiae quidem conveniebat; nam Aristoteles l.l. ipsis verbis distinguit inter προβούλους, qui erant ὀλιγαρχικόν, et nomophylaces, qui erant ἀριστοκρατικόν [3]). Itaque in tali magistratu constituendo iterum viam mediam Demetrius quaesivit. Neque autem ab institutis democraticis plane eum abhorruisse et tota eius administrandi ratio et verba Strabonis supra [4]) allata docent. Immo hic quoque democratiam frangere noluit, damna eius tollere cupivit.

Quid autem aetate dominatus plebis fiebat, cum aliquis rogationem ferebat aut legibus aut rei publicae commodo repugnantem? Tunc civi cuilibet γραφὴν παρανόμων vel γραφὴν νόμον μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι in eum et in magistratum, qui comitiis praeerat, deferre licebat. Quin etiam lex lata differebatur, si quis iurabat se talem γραφήν delaturum [5]). Quae consuetudo antiquitus leges contra libidinem mutandi defenderat; sed iam Aristophanis aetate [6]) eadem multarum calumniarum causa facta erat; nam aut subornatus aut odio incitatus quivis tali iureiurando interposito contiones detinere poterat. Quam ob rem Demetrius talem γραφήν et ὑπωμοσίαν

1) Politic. VII (VI) 1323a. 2) Politic. VI (IV) 1294a.

3) Idem non discernit inter eos Polit. l.l. 1298b: προβούλους καὶ νομοφύλακας; sed plerumque non bene distinguitur inter oligarchiam et aristocratiam; cf. Newman The politics of Aristotle I p. 497[1].

4) p. 94[6]. Cf. etiam Strabo IX c. 398: καὶ γὰρ εἴ τι μικρὸν ὑπὸ τῶν Μακεδονικῶν βασιλέων παρελυπήθησαν (οἱ Ἀθηναῖοι) ὥσθ' ὑπακούειν αὐτῶν ἀναγκασθῆναι, τόν γε ὁλοσχερῆ τύπον τῆς πολιτείας τὸν αὐτὸν διετήρουν.

5) Cf. Lipsius, Das Attische Recht und Rechtsverfahren p. 384 sqq.

6) Cf. Plut. 725 cum not. v. Leeuwen.

Digitized by Google

non plebis arbitrio permisit, sed solis magistratibus, ad id ipsum constitutis et μετὰ τῶν προέδρων sedentibus, ius intercedendi concessit. At fieri non potuit, ut magistratus ipsi de hac re decernerent; nam si id voluisset, comitia sustulisset neque civibus suis ius suffragii dedisset. Itaque conicere licet magistratus illos, si quis rogationem civitatis utilitati contrariam ferret, τὸν πρόεδρον ἐπιψηφίζειν prohibuisse iurando se γραφὴν παρανόμων vel γραφὴν νόμου μὴ ἐπιτήδειον θεῖναι esse delaturos, de qua accusatione populi iudicio decernere liceret [1]). Fieri non potuit quin rogationis lator, si tale quid magistratus minarentur, statim a sua sententia discederet. Sed specie populi iudicii servata hoc quidem Demetrius effecit, ut plebis libido tolleretur. Nam quamquam unicuique civi tunc quoque talem γραφήν deferendi ius fuisse praesumere licet, tamen ne unum quidem metu Demetrii territum eo iure uti ausum esse non solum verisimile est sed etiam confirmari videtur hac re quod Demetrio praefecto apud auctores quidem talis accusationis nusquam mentio fit, Demetrio autem expulso statim ea commemoratur [2]).

Quibus magistratibus autem talem γραφήν ad populi iudicium deferre licebat? Antiquis temporibus thesmothetis [3]); at haud verisimile videtur magistratus ipsos suam accusationem aliis magistratibus tradidisse. *Quam ob causam satis constat nomophylacibus ipsis ius τοῦ εἰσάγειν fuisse.* Si autem ita res se habet, iam intellegi potest quam ob causam Philochorus cum thesmothetis eos comparaverit. Nam quamquam ἕτεροι ἦσαν τῶν θεσμοθετῶν, tamen facile fieri potuit ut fere eodem munere fungentes iidem haberentur.

Cavebant igitur ne quid contra leges fieret. Num aliis quoque muneribus functi sint, difficile est dictu. Nam ipsum nomen multa munera indicare potest quae tamen alibi et alio tempore alia fuisse constat. [4])

---

1) Fere eodem modo rem explicat Lipsius l.l. p. 36.

2) Diog. Laert. V 38. 3) Arist. Ἀθ. πολ. 59, 2.

4) Ut pauca exempla afferam, apud Plat. Leg. 755 sunt senes, apud quos summum iudicium est; apud Xen. Oec. 9 magistratus qui ζημιοῦσι ἤν τις παρὰ τοὺς νόμους ποιῇ. Etiam in titulis νομ. nominantur, qui tamen plane aliis muneribus funguntur. Fit etiam ut falso idem putentur atque οἱ ἕνδεκα vel οἱ δεσμοφύλακες (Pollux VIII 102; cf. Schol. Vesp. 1108; utrumque in F. H. G. II 365).

Digitized by Google

At quibus id ipsum munus τοῦ νομοφυλακεῖν antiquioribus temporibus mandatum erat? Areopagitis, si quid Aristoteli credimus. Ille enim de Draconis legibus agens Ἡ βουλή, inquit, ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου φύλαξ ἦν τῶν νόμων καὶ διέτηρει τὰς ἀρχὰς ὅπως κατὰ τοὺς νόμους ἄρχωσιν, et melius τὴν τῶν Ἀρεοπαγιτῶν ἔταξεν (ὁ Σόλων) ἐπὶ τὸ νομοφυλακεῖν [1]). Ephialtem autem τὴν Ἀρεοπαγιτῶν βουλὴν καταλῦσαι nemo ignorat. Fortasse igitur conicere licet eum munus τοῦ νομοφυλακεῖν certis magistratibus tradidisse, (id quod Philochorus loco supra allato ipsis verbis indicat) qui νομοφύλακες nominabantur; postea autem illum magistratum esse sublatum sed a Demetrio Phalereo in pristinam dignitatem esse restitutum. [2])

Utcumque autem illa res se habet, his omnibus expositis hoc mihi constare videtur Demetrium in re publica haec studuisse, primum ut quam maxime posset omnia ad leges et magistratus referret, ea tamen condicione ut populi libertatis rationem haberet; deinde ut pacem quietem felicitatem civium et rei publicae augeret, artes coleret, possessionis et iuris securitatem praeberet; tertium ut pauperes sublevando civibus plerisque iura dando omnium amorem sibi conciliaret et aristocratiam veram conderet. Quid pulchrius in viro antiquae civitati praefecto excogitari potest? Nil mirum igitur Lagidas, quorum regnum iisdem fundamentis nitebatur, talem virum non solum ad se invitasse sed etiam eius viribus et virtutibus in legibus dandis et in artibus excolendis esse usos. Quo modo id fecisse tradantur postea videbimus.

(Continuabitur).

Quid in Anonym. Argentinensi § 9 legendum sit non constat. Etiam est cavendum ne arbitremur omnia quae scripserit nostrum re vera perfecisse; qua de causa fr. eius 10 et 11 (F. H. G. p. 364) huc afferenda non sunt.

1) Ἀθ. πολ. 4, 4; 8, 4.

2) Cf. tamen Wilamowitz Arist. und Athen II 192 et Ed. Meyer G. A. III § 318 A.

Digitized by Google

DE VOCIBUS LATINIS ERĪLIS ET PATRUĒLIS.

SCRIPSIT

F. MULLER JAC. FIL.

De vocabulis latinis in suffixo *-lis* terminatis ante hos octo annos fusius et docte egit Manu Leumann, Die lateinischen Adjektiva auf -lis, 1917. Rectam vero explicationem vocabulorum *erīlis* et *patruēlis* non aggressus est.

In linguis indogermanicis artissima vinculo adiectiva et nominum genetivum esse coniuncta, post Wackernagelium et tot alios viros dictos non est cur disertis verbis locisque adhibitis exponam. Ceteros nominare supersedeo uno tantummodo laudato, qui etiam in dialectis italis huius rei vestigia tamquam digito monstravit, W. Schulze, Zur Geschichte Lateinischer Eigennamen p. 330, ann. 4.

Quicumque sibi firmiter hanc cognationem persuasit, paulisper inter se exemplorum series hasce comparet, unde facili coniectura iusta solutio emicare possit:

agnus : *agnīnus* } sed *alius* : *aliēnus*
aquila : *aquilīnus* } *lauius* : *laniēna*.

Iam multis ante annis Skutsch praeter Brugmannium (in Sitz.-Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. 1900, 408) omnibus suam de his vocibus sententiam probavit, dum vim dissimilatricem in tot tamque variis linguis obviam etiam hic **alīno-* et **lanīno-* ne existeret cum duabus vocalibus et similibus et contiguis, impedivisse. V. Skutsch Kl. Schriften 34 et 200 sqq.

Quod etiam in vocabus *ĕrī-li-s* et *patruē-li-s* accidisse suspicor: utrumque enim, nisi omnia me fallunt a genetivo nominum *ērī* et *patruī* originem duxit. In priore autem littera *ĕ* iustum sonum *ī*, in genetivo numquam ex *ei* vel *oi* ortum, integrum

Digitized by Google

praestitit atque conservavit, in *patruēlis* vero *u* vocalis, quippe quae tot rebus cum vocali *i* sit cognata, eandem dissimilandi vim exhibuit, quam deprehendimus in *aliēnus* et *laniēna* vocabulis. Itaque *filius erī-lis* est *erī filius*, *filius patruē-lis* est *patruī filius*.

Quam firmiter usque in linguae latinae aetatem historicam haec adiectivi vis atque sensus haeserit genetivi usui similis, exempla quaedam clare monstrant:

Pl. Most. 190: *matronae, non meretricium est unum inservire amantem.*

Pl. Amph. 1069: *erilis praevortit metus = eri metus.*

Sall. Iug. 41, 2: *metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat.*

ib. 105, 3: *qui... numero ampliorem vero et hostilem metum efficiebant.*

Liv. 1, 3, 1 et 3: *tutelā muliebrī* et *muliebrem tutelam.*

In posteriore latinitate denuo scatent eiusdemmodi usus exempla, quae potius quam carptim illustrem locis additis, lectori ut plenius atque uberius tractatam quaestionem relegat suadeo apud Löftedtium, Philol. Kommentar zur Peregrin. Aetheriae 76 et in eius libri recensione apud Schmalzium Berl. phil. Woch. 1912, 552.

Digitized by Google

AUG 10 1926
PERIODICAL ROOM
GENERAL LIBRARY
UNIV. OF MICH.

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUARTUM. PARS II et III.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1926.

Digitized by Google

INDEX.

	Pag.
Ad Ursulum Philippum Boissevain septuagenarium epistula de Arriani Periplo ponti Euxini, scripsit A. G. Roos . .	101—117
De vocabulis quibus Herodotus in singulis operis sui partibus mentem animumque significat, scripsit M. M. Assmann.	118—129
De Kynegetico Xenophonteo, scripsit W. A. Baehrens . .	130—145
Quaestiones ad fabulam Plautinam Menaechmos pertinentes, scripsit J. W. Bierma	146—153
ΠΟΛΙΤΕΥΜΑ, scripsit M. Engers	154—161
De C. I. L. IX 3473, scripsit A. W. de Groot	162—163
Observationes ad munera nonnullorum temporum latinorum pertinentes, scripsit K. van der Heyde	164—174
De Euripidis Helena, scripsit W. E. J. Kuiper	175—188
De fontibus inter se contaminatis apud Livium XXII 4 sqq., scripsit J. Janssen	189—194
De origine Attali III, scripsit S. Koperberg	195—205
De nobilitate apud Athenienses, scripsit D. Loenen . . .	206—223
De versione graeca Monumenti Ancyrani quaestiones, scripsit A. P. M. Meuwese	224—233
De „historiae" vocabulo atque notione ad Ursulum Philippum Boissevain scripsit F. Muller I. fil.	234—257
De Glycera Menandri amoribus, scripsit M. A. Schepers. .	258—262
Varia, scripsit H. Smilda	263—268
De nece vindicanda iure Gortynio, scripsit J. H. Thiel . .	269—278
Iohannes Presbyteros, scripsit Seb. Tromp S. I.	279—320
De Cassii Dionis Historiis, scripsit G. Vrind	321—347
De Aristotelis erga Demosthenem animo, scripsit J. D. Meerwaldt.	348—369
Soph. El. vs. 772 sq., scripsit I. E. S. I.	370
Cic. Phil. II 34, 87, scripsit I. E. S. I.	371
Cic. Phil. II 35, 88, scripsit I. E. S. I.	372

Digitized by Google

AD URSULUM PHILIPPUM BOISSEVAIN SEPTUAGENARIUM EPISTULA DE ARRIANI PERIPLO PONTI EUXINI.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.

VENERANDE SENEX! — Itane vero? Senem te appellem? Sed cum te conspicio capillis nigris, oculis lucidis, passibus alacribus ingredientem, non mutatus mihi videris ab illo, cuius scholas triginta annis abhinc frequentare coepi. Meministine interdum eius temporis, quo tu flore aetatis vigens Groningae nos adulescentulos proh nimium paucos historiam antiquitatis docuisti? Insignis erat tum in Academia Groningana magistrorum in studiis humanioribus triumviratus, quorum quisque in suo campo nemini cedebat et quorum disciplina me imbutum esse semper pluris aestimare didici. Speyer ille, multarum linguarum scientia pollens, vir eximiae paedagogicae quam nunc dicunt facultatis, qua ratione linguae crescere mutarique soleant exemplo linguae Latinae usus explicabat. Polakius, Cobeti olim discipulus, linguam Graecam subtiliter callens, vitia in codicibus latentia feliciter emendabat, literarum Graecarum historiam, quo erat ingenio in paucis eleganti, praeclare tractabat. Tu, qui de triumviratu illo nunc solus superes, e schola Mommseni profectus, ex ipsis fontibus historiam antiquitatis nobis tradebas, ad titulos et nummos antiquos aditum nobis praebebas, ad scientiam papyrologicam tunc temporis nascentem iam animos nostros advertebas, horis illis vespertinis nosmet ipsos fontes adire et pro viribus nostris quaestiones historicas enucleare iubebas. Quo quid erat iuvenibus antiquitatis studiosis utilius et iucundius? Mequidem semper memi-

Digitized by Google

nisse iuvabit, neque te pigebit, opinor, recordari Groningae, ubi mala quidem eheu non pauca, plura tamen bona tibi familiaeque tuae evenerunt, ubi amicos certos nactus es — mente video te ambulantem „inter crines et iuvare" (ut cum pueris Groninganis latinizantibus loquar) cum philosopho illo et cum summo viro, qui siderum cursus et coeli culmina norat —, ubi discipulos paucos quidem, sed assiduos invenisti. Ignoscas igitur quaeso me cogitationibus meis ductum ab incepto longius aberravisse, quo nunc iam redeo.

Cum tibi, vir venerabilis! innotuisset id agi inter amicos, collegas, discipulos tuos ut die natali tuo septuagesimo non solum amantissimis gratulationibus te prosequerentur, sed etiam publice tibi documentum darent amicitiae, reverentiae, pietatis, — consilium enim inierant ut tibi tuam imaginem ab optimo aliquo artefice pictam in magno Universitatis Amstelodamensis auditorio contione habita offerrent — omnem publicum honorem, qua es modestia, deprecatus es. Quo desiderio tuo ei, qui id consilium ceperant, ut par est, obtemperaverunt quamquam inviti. Erant tamen inter discipulos tuos, — cum eos quos Groningae docuisti, tum eos qui Amstelodami scholis tuis interfuerunt — qui tibi septuagenario demonstrare quanti te et doctrinam tuam et opera tua aestimarent supersedere nollent, quique cum coram te eloqui quae sentirent a te ipso prohibiti essent, non melius suum erga te animum se aperire posse putarent quam si pro disciplina, quam a te accepissent, suae quisque doctrinae specimen tibi invicem offerrent. Collegerunt igitur hoc sertum philologicum, quod tibi quamvis omnis honoris fugienti gratum fore confidunt cum sit verae pietatis testimonium. In quo si quid boni a peritis probabitur, sperant fore ut id tibi magistro suo laudi vertatur. Denique hoc a Summo quod res humanas curat Numine orant, ut viridis qua nunc fruaris senecta tibi multos per annos constet utque lectionibus academicis abhinc propter aetatem immunis, integra quae te colit familia tua, studiis tuis animo vigenti diu operam navare posis.

Reputanti mihi mecum qua de re potissimum ad te scriberem, aptissimum videbatur agere de eo scriptore, quem ut

Digitized by Google

ederem tu olim auctor mihi fuisti, nempe de Arriano. Cuius Anabasin cum iam ante viginti paene annos in lucem dederim, tum in Studiis meis Arrianeis de fragmentis operum eius nunc perditorum egerim, postea variis de causis prae aliis studiis eum deserui et sero demum ad eum nunc reversus sum, minora eius opera editurus. In eorum editione, quam propediem prodituram esse spero, praeparanda quaestio mihi tractanda erat num genuinus esset totus, qui in unico quo servatus est codice ei attribuitur, Periplus Ponti Euxini. De quo cum etiam nunc viri docti in diversas partes abeant, litem iam veterem dirimere conabor.

In Arriani Periplo, qui formam habet epistolae ad imperatorem Hadrianum datae, ora Ponti Euxini eo ordine describitur qui primo obtutu facere non possit quin mirationem moveat. Arrianus enim primum navigationis, quam ipse legatus Augusti pro praetore provinciae Cappadociae Trapezunte Sebastopolin usque fecerat ut praesidia Romana inspiceret, descriptionem hic illic satis vividam et variegatam dedit, in qua Hadrianum non semel respexit et cum de urbibus et regionibus praeternavigatis egit tum narravit quae sibi in itinere accidissent (cap. 1—11). Deinceps litoris quod inde a Bosporo Thracio Trapezunta usque extenditur, aridam recensionem subiungit (c. 12—16), quae sine ullo nexu priorem partem sequitur: *τὰ δὲ ἀπὸ Βοσπόρου τοῦ Θρᾳκίου ἔστε ἐπὶ Τραπεζοῦντα πόλιν ὧδε ἔχει κτλ.* Ut est exilis, bis tamen etiam in hac urbium et fluminum enumeratione de Hadriano sermo est, nempe in initio, cap. 12, 1 (Bosporus Thracius prope templum *Διὸς Οὐρίου* quam angustissimus est: *ταῦτα μὲν εἰδότι σοι λέγω*), et in ipso fine, ubi de Trapezunte dicitur, cap. 16, 6: *ἐνταῦθα σὺ ποιεῖς λιμένα*. Quo consilio hanc secundam partem ei quae praecedit adiecerit, Arrianus capite demum sequenti explicat, cap. 17, 1. 2: *τὰ δὲ ἀπὸ Τραπεζοῦντος διαστήματα μέχρι Διοσκουριάδος προείρηται* (sc. cap. 7 et 8,1 et 10) *διὰ τῶν ποταμῶν ἀναμετρηθέντα. ἀθροίζονται δὲ ἀπὸ Τραπεζοῦντος εἰς Διοσκουριάδα, τὴν νῦν Σεβαστόπολιν καλουμένην, στάδιοι δισχίλιοι διακόσιοι ἑξήκοντα* (hic numerus repetitus est e cap. 10, 4). *τάδε μὲν τὰ ἀπὸ Βυζαντίου πλεόντων ἐν δεξιᾷ ὡς ἐπὶ Διοσκουριάδα, ἐς ὅπερ στρατόπεδον τελευτᾷ Ῥωμαίοις ἡ ἐπικρατείᾳ ἐν δεξιᾷ ἐσπλεόν-*

Digitized by Google

των εἰς τὸν Πόντον „en habes descriptionem orae maritimae si Byzantio dextrorsum versus naviges Sebastopolin, ad urbem imperii Romani in his regionibus ultimam".

Quae verba quasi epilogus sunt partium Peripli primae et secundae, eaque subsequitur prooemium tertiae partis, cap. 17, 3: *ἐπεὶ δὲ ἐπυθόμην Κότυν τετελευτηκέναι, τὸν βασιλέα τοῦ Βοσπόρου τοῦ Κιμμερίου καλουμένου, ἐπιμελὲς ἐποιησάμην καὶ τὸν μέχρι τοῦ Βοσπόρου πλοῦν δηλῶσαί σοι, ὡς, εἴ τι βουλεύοιο περὶ τοῦ Βοσπόρου, ὑπάρχοι σοι καὶ τόνδε τὸν πλοῦν μὴ ἀγνοεῖντι βουλεύεσθαι* [1]). Cui Arriani consilio cum initium tertiae huius partis (cap. 18—25) conveniat (cf. cap. 18, 1: *ὁρμηθεῖσιν οὖν ἐκ Διοσκουριάδος πρῶτος ἂν εἴη ὅρμος ἐν Πιτυοῦντι κτλ.*), descriptio tamen orae septentrionalis Ponti Euxini non in Bosporo Cimmerio subsistit, sed pergit Byzantium, nulla huius amplificationis ratione ab auctore data. Opusculum ita finitur, cap. 25, 4: *τάδε μὲν καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ Βοσπόρου τοῦ Κιμμερίου ἐπὶ Βόσπορον τὸν Θρᾴκιον καὶ πόλιν Βυζάντιον.* Tertiae partis ieiunitas — nam ea quoque in universum meram locorum et intervallorum enumerationem continet — mitigatur ampla descriptione insulae Leuces et Achillis herois ibi culti, cap. 21—23; semel Hadrianus respicitur, cap. 18, 3 *Χιλχῶν βασιλεὺς Σταχέμφαξ· καὶ οὗτος παρὰ σοῦ τὴν βασιλείαν ἔχει.* Quae ipse expertus sit Arrianus, in partibus secunda et tertia non inveniuntur, cum tantum Trapezunte Sebastopolin usque iter fecerit, Pontum non circumnavigaverit. [2])

1) Ex hoc loco iam dudum effecerunt viri docti Periplum anno 131, quo rex Cotys mortuus sit, scriptum esse. Cum Arrianum anno 137 etiamtum Cappadociam rexisse sciamus, probabile est eum non ante annum 131 ei provinciae ab Hadriano praefectum esse, eumque igitur ipso legationis suae initio Periplum conscripsisse, cum primum castella Trapezunta inter et Sebastopolin in ora maritima sita inspexisset.

2) E. von Stern, *Theodosia und seine Keramik (Odessa 1906)* p. 20 dubitari non posse ait quin Arrianus ipse Bosporum Cimmerium adierit. Quod ut demonstret affert inscriptionem in pago *Suchum* repertam et a Rostowzew anno 1905 in Actis Societatis Odessanae publici iuris factam, unde eam repetivit Cagnat, *Année épigraphique 1905*, p. 44 No. 175:

. . . . . .
[*Il*]AD[*rian. Aug.*]
PER · FL · A[*rrianum*]
LEG · [*Aug. pr. pr.*]

Vides dubitationi valde obnoxium esse utrum de Arriano in hac inscriptione

Digitized by Google

Periplum speciem prae se ferre epistulae ab Arriano legato ad imperatorem Hadrianum datae iam dixi. Unde explicandum videtur quo modo incipiat. Post inscriptionem enim: Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τραϊανῷ Ἀδριανῷ Σεβαστῷ Ἀρριανὸς χαίρειν, auctor sine ullo prooemio ita incipit: Εἰς Τραπεζοῦντα ἤκομεν, πόλιν Ἑλληνίδα κτλ. Statim igitur in medias res ducimur, neque quo consilio Arrianus navigationem susceperit edocemur. Quod ita tantum intellegi potest, si haec narratio non per se stat, sed aliis similibus adnumeranda est et una est e multis quas legatus ad imperatorem mittere solebat relationibus. Noli tamen credere eum quem nos legimus libellum ab auctore soli imperatori destinatum fuisse, immo ab initio Arrianus eum publicari voluit et legi ab hominibus rerum geographicarum curiosis. Omisit scilicet omnia quae scire solius Hadriani intererat: de iis se egisse ἐν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν Arrianus ipse cap. 6, 2 et 10, 1 declarat, in vera nempe epistula nunc perdita, cuius is quem habemus Periplus imago tantum est arte exculta [1]). Formam tamen epistulae ad Hadrianum datae Arrianus servavit, unde factum est ut descriptionis litoris a Sebastopoli usque ad Cimmerium Bosporum pertinentis causam praetenderit regem Cotyn mortuum et inde nascitura Hadriani consilia. Fieri potest ut ea amplificatio, quae, si novissima quaeque de hoc litore, ubi saepe gentium indigenarum migrationes obtinerent, afferret, imperatori usui esse posset, etiam verae Arriani relationi adiuncta fuerit, sed valde improbabile est in hac etiam actum esse de litoribus Byzantio Trapezunta usque et a Bosporo Cimmerio ad Thracium Bosporum pertinentibus, quippe quorum in Periplo descriptio tota ex antiquioribus fontibus pendeat neque auctor ipse eas regiones adierit. Libellus igitur quem habemus hibrida est: periplus est, sed formam habet relationis, scriptus est non usui imperatoris, quippe qui τοῖς Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι uti posset, sed delectamento cum imperatoris tum hominum cultiorum, eo, ut conicere licet,

---

sermo sit necne. Utut est, ex Periplo certissime patet, eum, cum hunc libellum conscriberet, nondum Chersonnesum Tauricam adisse.

1) Ita iam Ed. Schwartz, *Realencyclop.* II (1896), p. 1233. Cf. etiam Reuss, *Rhein. Mus.* 56 (1901), p. 371; Patsch, *Klio*, 4 (1904), p. 70.

Digitized by Google

consilio ut auctor Hadriani virorum litteratorum amantissimi favorem sibi conciliaret.

Iudicia minus recta quae inde ab anno 1896 multi viri docti de Periplo protulerunt, partim saltem inde fluxerunt, quod eam de qua egi libelli indolem non satis perspectam habuerunt. Primus authentiam maioris Peripli partis in dubium vocavit Brandis, *Rhein. Mus.* 51 (1896), p. 109 sqq. Moverunt eum imprimis duo argumenta, nempe cum discrepantia quae inter actuosam partem primam, vere sc. Arrianeam, et aridas partes secundam et tertiam, quae Hadriano usui esse non possent, interest, tum mirus quo ora Ponti describitur ordo [1]). His adicit singula quaeque numero non pauca, quibus demonstrari putat posteriores duas Peripli partes multo demum post scriptas et Arriano abiudicandas esse. Locum quo mors Cotyis memoratur eo consilio ut transitus fiat ad eam quae subsequitur litoris a Sebastopoli Byzantium usque descriptionem, ab Arriano scriptum esse posse negat, immo eum a scriptore partium secundae et tertiae fictum esse putat ut is amplificationis rationem quodammodo redderet, quippe qui consulto elucubrationem suam ita informavisset ut totus Periplus ab Arriano scriptus et ad Hadrianum datus esse videretur: „*dieses Schreibers Zeit zu bestimmen ist schwierig; vieles wies auf spüte byzantinische Zeiten* [2]).

Brandisii sententia a duobus viris doctis impugnata est, a F. Reuss, *Rhein. Mus.* 56 (1901), p. 369, et a C. Patsch, *Klio* 4 (1904), p. 68, quorum de hoc prius agam. Patsch, cui Reussii commentatio ignota fuit, Brandisio concedit mirum esse Peripli in describenda ora Ponti ordinem, eum tamen non Arriano ipsi culpae dandum sed casu quodam ortum esse putat, sc. in codice archetypo nunc deperdito foliorum non-

1) Brandis p. 111: „*Wenn die Reise von Trapezus aus angetreten ist, so ist es doch das Gegebene sie von hier aus über Sebastopolis und die taurische Chersones fortzusetzen und dann wieder bei Trapezus zu endigen. Dass die Route bei Sebastopolis unterbrochen und dass, statt in der einmal gewählten Fahrtrichtung nach Osten fortzufahren, die Strecke vom thrakischen Bosporus nach Trapezus eingeschoben wird, die doch als natürliche Fortsetzung der Strecke von Sebastopolis bis Byzanz erscheint, ist durchaus widersinnig*".

2) Brandis p. 126.

Digitized by Google

nullorum ordinem per errorem immutatum fuisse, quam mutationem si correxeris et partem tertiam partibus primae et secundae interserueris, genuinum Peripli ordinem te esse recuperaturum. Patsch enim censet in Periplo, antequam folia archetypi turbata essent, hunc ordinem obtinuisse:

cap. 1—11 (Trapezunte—Sebastopolin),
cap. 17—25 (Sebastopoli—Byzantium),
cap. 12—16 (Byzantio—Trapezunta),

nam primum caput partis quae nunc tertia est (cap. 17) optime coniungi cum partis primae capite ultimo (cap. 11), itemque cum fine partis nunc tertiae coniungi debere partis nunc secundae initium (cum capite 25 caput 12): „*Darnach bildete der Periplus ursprünglich ein wohl gefügtes Ganzes; erst in der Ueberlieferung sind seine Bauglieder ausgehoben und an unrichtigen Stellen versetzt worden. Damit fällt auch der eine Hauptgrund gegen die Autorschaft Arrians weg*". [1])

Mirum est neque Patsch ipsum neque, ut sciam, alium perspexisse mera partium secundae et tertiae permutatione ab eo proposita non effici quod demonstrare vellet. In exordio enim partis tertiae (cap. 17, 1. 2), quod supra p. 103 i. f. laudavi, Arrianus his verbis „τάδε μὲν τὰ ἀπὸ Βυζαντίου πλεόντων ἐν δεξιᾷ ὡς ἐπὶ Διοσκουριάδα" concludit descriptionem orae maritimae Byzantio Dioscuriada (Sebastopolin) pertinentis, quam in Peripli parte prima (Trapezunte—Sebastopolin, cap. 1—11) et secunda (Byzantio—Trapezunta, cap. 12—16) dederat. Nisi eae duae partes praecederent, epilogus ille nullo modo stare posset. Vides igitur Patschii sententiam partem tertiam (cap. 17—25) praecedere debere parti secundae (cap. 12—16) falsam esse.

Melius Patschio res cessit in refellendo altero Brandisii argumento praecipuo, nempe ieiuna secunda et tertia Peripli parte nihil contineri quod Hadriano usui esse posset: imperatori ipsi τὰ Ῥωμαϊκὰ γράμματα destinata fuisse recte dicit. Denique de nonullis rebus, quas Brandis attulerat ad opinionem suam corroborandam, singillatim agit.

Omnia cum maioris tum minoris momenti argumenta a

1) Patsch p. 69.

Digitized by Google

Brandisio prolata egregie explosit Reuss in ea quam supra dixi commentatione, quae Patschii disputationi et doctrina et acumine facile praestat. Reuss postquam de veterum testimoniis, in quibus Arrianus Peripli auctor citatur, egit, fuse de duobus illis primariis Brandisii argumentis disputat. Discrepantiam, quae inter Peripli primam partem et partes secundam et tertiam obtinet, Reuss ita explicat, quod in illa Arrianus enarraverit quae ipse viderit et expertus sit, in his aliena dederit e veteribus fontibus, periplis antiquis sc., hausta. Descriptionis ordinem a Brandisio improbatum vere Arrianeum esse neque falsario imputari posse demonstrat, Arrianum enim oram Trapezunte Sebastopolin pertinentem eo primum descripsisse quod ipse Trapezunte iter suscepisset et Sebastopolin usque navigasset, cui narrationi eum, ut iustum Periplum efficeret, expositionem litorum ab ostio Ponti ad Trapezunta et a Sebastopoli ad Byzantium extendentium adiecisse. In his partibus nonnulla inesse, quae Byzantino demum aevo, non aetati Arriani, conveniant, docte et subtiliter Reuss redarguit. Denique uberrime exponit eundem dicendi usum et eandem copiam verborum atque in ceteris Arriani scriptis etiam in Peripli partibus a Brandisio ei abiudicatis deprehendi: totum igitur opusculum ab Arriano esse conscriptum.

Quandoquidem Reuss id, quod sibi demonstrandum proposuerat, mihi quidem effecisse videtur [1]), supervacaneum esset denuo in hanc quaestionem inquirere, nisi his ipsis annis nonnulli viri docti iique non paucae in his rebus auctoritatis Brandisii opinionem suam fecissent et maiorem Peripli partem Arriano denuo abiudicavissent, nempe Kiessling et Minns, quorum neuter alterius disputationem noverat, et Chapot, qui horum utriusque sententiam de suo stabilire conatus est [2]).

Kiessling, *Realencyclop.* VIII (1913) p. 259—280 *s. v.* Ἡνίοχοι, cum de historia, sedibus antiquissimis, incrementis, interitu eius gentis egit, tum in universum gentium, quae antiquitus in occidentali Caucasi parte habitabant, historiam

1) Ea Brinkmanni quoque e. m. v. sententia erat, cf. *Rhein. Mus.* 73 (1924), p. 375 adnot. 1.

2) Brandisio astipulatus est etiam quamquam dubitanter Christ-Schmid, *Gesch. d. griech. Lit.* II, 2 (ed. 5ª, a. 1913), p. 584.

Digitized by Google

et migrationes docte tractavit. In ea commentatione Periplum quoque nostrum attigit, et p. 274 sententiam protulit genuinam Arriani narrationem non ultra Sebastopolin pergere: „*Die in dem uns erhaltenen Werk folgende Beschreibung der übrigen Küste gehört in Wahrheit nicht dem römischen Statthalter an, sondern einem unbekannten Autor des ausgehenden zweiten Jahrhunderts; dieser Anonymos hat den Reisebericht Arrians, ungeschickt genug, zu einem Periplus des Schwarzen Meeres erweitert*". Kiessling ad hanc sententiam ipse per se venerat, cum vidit iam ante multos annos Brandisium eandem protulisse [1]). Quam ut probet, Kiessling hac argumentatione utitur, quae vel sola rem decidere ei videtur: „*Die auf Sebastopolis folgende Küstenbeschreibung nennt den Fluss Abaskos, der dem heutigen Psou, westlich von Pityus, entspricht und unbedingt nach dem Volksstamm der Abaskoi heisst. Also* (sic!) *gehört die ganze Küstenregion bis zu diesem Fluss eben den Abchasen.... Die römischen Lagerstädte Sebastopolis und Pityus lagen damals im Abchasenland. Dagegen meldet der echte Reisebericht Arrians noch ausdrücklich, dass Sebastopolis zum Territorium der Sannigen gehöre; die Abasken fand der römische Statthalter noch auf einem kleinen Küstenstrich in Nordkolchis beschränkt. Damit ist zwischen dem sicher echten Reisebrief und seiner Fortsetzung ein innerer Widerspruch aufgedeckt, wie er nicht stärker sein könnte. Die Fortsetzung ist unzweifelhaft jüngeren Datums, zwischen ihr und Arrians Reise haben höchst bedeutsame ethnographische Umwälzungen stattgefunden*".

Iam examinemus num discrepantia, quam Kiessling repperisse sibi videtur, re vera exsistat. Capite 11, de cuius authentia nemo dubitat, ab Arriano gentes in litore a Trapezunte Sebastopolin usque habitantes enumerantur hae: Σάννοι, Μαχέλονες καὶ Ἡνίοχοι, Ζυδρεῖται, Λαζοί, Ἀψίλαι, Ἀβασκοί, Ἀβασκῶν δὲ ἐχόμενοι Σανίγαι, ἵναπερ καὶ ἡ Σεβαστόπολις ᾤκισται. In capite 18, quod Arriano abiudicaverunt Kiessling et Brandis, incipit descriptio orae septentrionalis Ponti Euxini inde a

1) Reussii et Patschii commentationes Kiessling non memorat; veri simile igitur est eas ei non innotuisse.

Digitized by Google

Sebastopoli occidentem versus, in qua post Sebastopolin recensentur Πιτυοῦς, Νιτική, Ἄβασκος ποταμός, ὁ Βόργυς, ὁ Νῆσις, Μασαϊτική, Ἀχαιοῦς ὅσπερ ποταμὸς διορίζει Ζιλχοὺς καὶ Σανίγας. Si ea, quae capitibus 11 et 18 continentur, inter se coniungas — nam capite 18 continuatur caput 11 — patet Arriani tempore ἐν μυχῷ τοῦ Πόντου in ora septentrionali has gentes, si ab oriente ad occidentem pergas, habitasse: primum Abascos, deinde Sanigas, in quorum finibus sitam fuisse Sebastopolin, ad fluvium Achaeunta pertinentes, denique Zilchos ultra Achaeunta; fluvium igitur Abascum, qui ultra Sebastopolin sed cis Achaeunta in mare influat, non fuisse in Abascorum finibus, sed in Sanigarum [1]). Nequaquam inter se repugnare vides quae Peripli capite 11 et quae cap. 18 dicuntur, neque inde, quod cap. 18 fluvius quidam Abascus memoratur (— hoc solo loco apud veteres de eo sermo est —) concludas, — id quod Kiesslingium fecisse supra vidimus — eo tempore quo id caput scriptum est usque ad Abascum fluvium gentem Abascorum pertinuisse et tunc Sebastopolin et Pityunta in eorum finibus fuisse. Immo in utroque capite Abascis et Sanigis eaedem sedes attribuuntur, neque est cur caput 18 capite 11 recentius putes.

Nihilo magis alteri Kiesslingii argumento astipulari possum cum dicit: „*Der Kompilator des Periplus bringt die gewiss historische, weil von Prokop (IV 4, 3) bestätigte* [2]) *Notiz, dass*

1) Quod memoria dignum est, sed variis modis explicari potest. Fieri potest ut Abasci primum per tempus aliquod iuxta eum fluvium habitaverint, cui nomen suum dederint, et postea demum a Sanigis fugati eas sedes occupaverint quas Arriani tempore habebant, pristinis eorum agris cum Abasco fluvio a Sanigis occupatis. Fieri etiam potest ut vox *abascus* adiectivum fuerit unde cum fluvius tum gens nomen traxerint, vel aliae causae fuisse possunt cur similitas nominum orta sit. Utut est, non est cur in dubium voces quin in finibus Sanigarum fuerit fluvius quidam Abascus nomine. De Abascis, quibus nunc *Abchases* nomen est, ante Arriani Periplum sermo apud veteres non est. Plinius, qui primus Apsilas memorat, Abascorum nondum mentionem facit. Probabiliter igitur Kiessling statuit eos secundo dimidio saeculi p. Chr. n. primi sedes, quas Arriani tempore habebant et ubi Justiniani imperatoris aetate etiamtum habitabant (cf. Procop. *Bell. Goth.* IV 3, p. 471), occupasse. Unde in suas sedes venerint, non traditum est.

2) Haec Kiesslingii opinio falsa est, nam in Periplo recte tradi Zilchos ab Hadriano regem accepisse non eo comprobatur quod idem apud Procopium legi-

Digitized by Google

auch die Zygen (Zichen, Zechen, Zilchen), westlich von den Sanigen, dem Kaiser Hadrian unterworfen waren; denn er setzte ihnen ihren König Stachemphax ein [1]). *Trotzdem behauptet der Periplus, im Widerspruch gegen den Zustand der Zeit, die er vortäuschen will, die römische Herrschaft reiche nur bis Dioskurias-Sebastopolis. Er reflektiert also wider Willen die Reichsgrenze einer späteren, d. h. seiner Periode*". Kiessling igitur putat verba quae leguntur cap. 17, 2 ὡς ἐπὶ Διοσκουριάδα, ἐς ὅπερ στρατόπεδον τελευτᾷ Ῥωμαίοις ἡ ἐπικράτεια, Arriani aetati non convenire ideoque ab eo scripta non esse, sed hac in re fallitur. Quid enim? Imperatores Romani saepe gentibus extra imperii fines habitantibus reges imposuerunt, sed quamquam exempli gratia Marcomanis et Quadis ultra Danuvium tendentibus non semel reges dati sunt, nihilominus imperium Romanum in Norico et Pannonia provinciis Danuvio terminabatur. Pari modo in Dioscuriade (Sebastopoli), urbe illarum regionum ultima quae praesidio Romano firmata erat [2]), terminari imperii Romani fines — nam is est sensus vocis ἐπικράτεια, quam ita usurpavit Arrianus *Anab.* II 13, 8 et VI 15, 5, et saepe adhibuit Polybius — recte dicitur, quamquam Hadrianus Zilchis genti finitimae regem imposuerat. Nulla igitur causa est cur verba supra laudata Arriano abiudicemus.

Cum neutri argumentorum a Kiesslingio allatorum fidem habere potuerimus, supersedere possumus examinare cur Arriani quem dicit „continuatorem" saeculo p. Ch. n. secundo exeunte vel ineunte tertio vixisse suspicetur, et iam ad argumenta a Minnsio contra Peripli authentiam allata transire licet.

Minns in magno quod anno 1913 prodiit opere „*Scythians and Greeks*" quamquam de Periplo non data opera agit, aliquoties tamen eum attingit et Brandisii sententiae astipulatur. Putat enim genuinam Arriani de navigatione Trapezunte Sebasto-

---

tur, sed ex contrario id quod Procopius tradit, fluxit e Periplo, quem Procopium in sua regionum Ponticarum descriptione adhibuisse, supplevisse, interdum impugnasse egregie exposuit Jung, *Wiener Studien* 5 (1883), p. 99 sqq. Ea quae dixit Procopius *l.l.* redeunt ad Periplum 18, 3.

1) Peripl. 18, 3 Ζιλχῶν βασιλεὺς Σταχέμφαξ· καὶ οὗτος παρὰ σοῦ τὴν βασιλείαν ἔσχεν.

2) Cf. Peripl. 10, 3.

Digitized by Google

polin facta narrationem aevo Byzantino retractatam et amplificatam esse [1]), idque in opere suo hic illic corrobare conatur.

Recte Minns animadvertit in Periplo mentionem non fieri urbis Tyrae. Arrianus enim *Peripl.* 20, 3 inter Ἰσιακῶν λιμένα, ubi est hodierna urbs *Odessa*, et Danuvii ostium septentrionale 1200 stadia interesse, τὰ δὲ ἐν μέσῳ ἔρημα καὶ ἀνώνυμα esse dicit, „*whereby he did an injustice*", inquit Minns p. 13, „*to Tyras, which was still coining in Arrian's times*", additque in adnotatione in calce paginae: „*an argument for its not being the real Arrian*". Tyram urbem omissam vix quidem afferre possis ut probes Periplum nostrum aetate Byzantina scriptum esse, nam ipse ille Periplus, quem adhuc habemus, aevo Byzantino a nescioquo conflatus, § 62 (*Geogr. Graec. Minor.* Vol. I p. 418) et Tyram urbem (hodiernum oppidum *Akkerman*) et fluvium cognominem (hodiernum *Dnestr*) memorat, neque intellegi posset cur falsarius potius aliquis urbem Tyram praetermisisset quam Arrianus ipse, sed tamen mirum est eam ab Arriano non nominari. Quod explicari potest ex urbis illius historia. Tyras inter annos circiter 67 et 50 ante Christum natum a Dacis diruta, et anno demum 56 post Christum natum a Ti. Plautio Silvano legato Augusti pro praetore provinciae Moesiae restituta est [2]). Eo anno novam aeram Tyras instituit, qua ab eo tempore Tyrani utebantur, civitas erat libera et foederata, cuius nummi et inscriptiones aliquot adhuc exstant [3]). Secundo igitur p. Chr. n. saeculo Tyras fuit urbs non ignobilis. Inde quod Arrianus eam non nominavit, efficiendum est eum in hac saltem orae Ponti Euxini parte describenda secutum esse fontem eo tempore scriptum quo Tyras re vera esset ἔρημος καὶ ἀνώνυμος — aetate Augustea puta [4]) — neque animo

1) Cf. Minns p. 24: „*The periplus that bears his* (Arriani sc.) *name has been unskilfully tacked on to the account of his real expedition: a reference to the death of king Cotys does not come in at all well. The addition seems to date from Byzantine times*".

2) Cf. Dio Chrysost. or. 36, 4 i. f., p. 49 D.; Minns p. 464. De historia Tyrae urbis egit Minns p. 445 sqq.

3) Cf. Minns p. 447 sq.; Schur, *Die Orientpolitik des Kaisers Nero (Klio, Beiheft 15)*, p. 88.

4) Arrianum usum esse periplo Menippi Pergameni, qui Augusti et Tiberii temporibus floruit, iam C. Mullerus, *Geogr. gr. min.* I, Prolegom. p. CXIII. CXXXVII, probabiliter suspicatus est.

Digitized by Google

eius occurrisse suo tempore in illis regionibus denuo exstare urbem renatam.

Urbem Theodosiam in Chersoneso Taurica sitam, ubi nunc est oppidum *Kaffa*, Arrianus *Peripl.* 19, 3 dicit esse πόλιν ἐρήμην. „*As an inscription*", inquit Minns p. 555, „*proves it not deserted till after Arrian's time, this is so much against the authority of the second half of the Periplus ascribed to him*". Iam Brandis *l.l.* p. 117 sq. in iis Peripli verbis offenderat, cum alii auctores, Plinius IV 86, Ptolemaeus III 6, Ammianus XXXII 8, qui Theodosiae mentionem faciant, de urbis vastitate sileant; aevo igitur seriore demum, multo post Arriani aetatem, Theodosiam a barbaris dirutam esse Brandis putat ideoque ea verba ab Arriano scripta esse non posse. Sed Arrianus *l.l.* non dicit Theodosiam urbem deletam esse, hoc tantum dicit, eam fuisse πόλιν ἐρήμην, urbem desertam. Inquirendum igitur est, num ea verba aetati Arriani vel temporibus paulo prioribus conveniant [1]). Strabonis tempore tota Chersonesus Taurica propter continua bella vastata et afflicta erat [2]). Asander rex regni Bosporani ut incursiones Scytharum arceret, Chersonesi partem orientalem, nempe paeninsulam fertilem ubi nunc oppidum *Kertsch* situm est, muro saepserat [3]). Theodosia extra eum murum sita et incursionibus hostium igitur exposita erat, unde incolas vel omnes vel magnam partem eorum urbem suam tunc deseruisse, et ineunte aetate imperatoria Theodosiam fuisse πόλιν ἐρήμην, per se valde probabile est. Ad quam sententiam ducimur etiam eis quae archaeologi indagationibus suis de eius urbis historia effecerunt [4]). Ex inscriptionibus paucis patet Theodosiam saeculo p.

1) De historia urbis Theodosiae, quam ipse suis effossionibus et indagationibus elucidaverat, fuse egit E. v. Stern in priore parte eximii operis *Theodosia und seine Keramik (Das Museum der kaiserl. Odessaer Gesellschaft für Geschichte und Altertumskunde, Lf. III, 1906)*. Cf. etiam Minns p. 554 sqq.

2) Cf. Strabo VII 4, 5 ἔχουσι δὲ αὐτὴν (sc. Chersonesum Tauricam) οἱ τοῦ Βοσπόρου δυνάσται κεκακωμένην πᾶσαν ὑπὸ τῶν συνεχῶν πολέμων.

3) Cf. Strabo VII 4, 6; Rostovtzeff, *Iranians and Greeks in South Russia* (1922), p. 160.

4) Sane Minns p. 558 dicit: „*This* (sc. id quod tradit Appianus *Mithrid* 108, Theodosiam contra Mithridatem rebellasse) *is the last historical notice of it — the mentions in Mela, Pliny, Ptolemy and later Ammianus are merely geographical — and we might believe the Peripli that it lay desert in Roman times but*

Digitized by Google

Ch. n. tertio denuo habitatam fuisse [1]); probabile igitur est urbem, postquam Romana praesidia Chersonesi Tauricae defensionem in se suscepissent [2]), reviruisse. Si Arrianus quae c. 19, 3 de Theodosia dicit, ipse cognovit, urbs post annum 131 demum, quo Periplus scriptus est, reviviscere coepit, sin ea ex eodem fonte aetatis Augusteae hausit quem eum c. 20, 3 adhibuisse supra vidimus, fieri potest, ut Theodosia iam imperante Nerone, postquam Ti. Plautius Silvanus Chersoneso urbi opem tulisset [3]), denuo inhabitari coeperit. Certe quidem neque eo quod *Peripl.* 20, 3 Tyras praetermittitur, neque eo quod 19, 3 Theodosia urbs derelicta dicitur, movemur ut cum Minnsio hanc Peripli partem Arriano abiudicemus.

In totam de Periplo quaestionem data opera denuo multis verbis inquisivit Chapot, *Revue des études grecques* vol. 34 (1921), p. 129 sqq. Primum, ut par est, priorum sententias, de quibus supra iam egi, tractat, et in universum Brandisio astipulatur; narrationem igitur Arriani de navigatione sua

for pieces of terra sigillata, the fairly complete series of Bosporan coins found on the site, and one or two inscriptions". Sed Theodosiam ineunte aetate imperatoria per aliquod tempus vastam fuisse optime convenit cum iis quae Stern effossionibus suis effecit, cf. p. 19 sq.: „*Die hier skizzierte Sachlage* (nempe condicio qua Chersonesus Taurica primis aetatis imperatoriae saeculis fuit) *macht es wohl verständlich, dass wir von Theodosia aus der römischen Periode nicht viel wissen. Von den archeologischen Funden aus dem „Scherbenberge" lassen sich nur wenige Gegenstände mit Sicherheit dieser Zeit zuweisen; der Rand einer rotlackierten flachen Schüssel* . . . (paucae praeterea res a Sternio enumerantur) *sind die einzigen Sachbeweise für Theodosias Existenz in römischer Zeit*". Neque Stern Arriani de Theodosia verba in dubium vocavit, neque M. Ebert, *Südrussland im Altertum* (1921), p. 246: „*in der Folgezeit* (aetate Romana sc.) *wird Theodosia noch öfter genannt, das archäologische Material wird immer spärlicher, sein Wohlstand und seine wirtschaftliche und politische Bedeutung scheint beständig zurückgegangen zu sein. In Hadrians Zeit ist es eine verödete Stadt (Arrian peripl. 19, 3), wenn sie auch bis zum Ende des 5. Jahrhunderts als Teil des bosporanischen Gebietes fortbestand*".

1) Inscriptiones usque ad annum 1901 Theodosiae repertas collegit Latyschev, *Inscriptiones antiquae orae septentrionalis Ponti Euxini*, Vol. IV No. 195—198 et No. 408, quarum No. 195, 196, 198 saeculi *ante* Christum natum quarti vel tertii sunt, No. 197 et 468 secundum Latyschevii sententiam tertio *post* Christum saeculo non antiquiores. Eiusdem aetatis sunt paucae inscriptiones postea repertae, de quibus cf. Stern p. 20 sq. Inscriptiones quae primo vel secundo p. Chr. n. saeculo attribuantur, Theodosiae non repertae sunt.

2) Cf. Rostovtzeff, *Iranians and Greeks*, p. 118.

3) Cf. Dessau, *Inscr. lat. sel.* 986.

Digitized by Google

Trapezunte Sebastopolin facta seriore tempore amplificatam esse putat. Cum tamen nullum novum argumentum afferat, hanc eius disputationis partem missam facere possumus. Quod ne Chapot quidem ipse vitio vertat, nam singulis rebus a prioribus examinatis ad certum de Peripli authentia iudicium nos duci posse negat: „*ce ne sont pas des arguties sur points de détail qui peuvent conduire à une opinion ferme sur la question d'authenticité. Il y a plus grave que toutes les critiques examinées jusqu'ici*" (p. 142). Gravissimum enim putat, id quod Brandis breviter iam perstrinxerat, nihil prorsus commodi omnem Periplum, excepta descriptione orae ab Arriano ipso praeternavigatae, Hadriano habere potuisse, etiamsi is revera morte Cotyis nuntiata in Bosporum Cimmerium profecturus fuisset, cum imperator magnam regionum Ponticarum partem suis itineribus cognitam haberet et omnia ad expeditionem Bosporanam necessaria multo melius Romae ex actis tabularii sui discere posset: „*je reste persuadé qu'il* (Hadrianus sc.) *avait de toute la région du Pont-Euxin une connaissance sérieuse et ne partait que muni de toutes les informations utiles, plus complètes même que celles qu'il eût trouvées dans le Périple. Il n'avait, pour les tenir sous la main, qu'à s'adresser à quelque adiutor tabulariorum*" (p. 150). Quod procul dubio verum est, sed authentia secundae et tertiae Peripli partis minime eo redarguitur, nam non ipsam relationem ab Arriano Hadriano destinatam (τὰ Ῥωμαϊκὰ γράμματα) nos habere iam vidimus, sed narrationem in usum hominum literatorum ita ab eo amplificatam ut iustus totius Ponti Euxini periplus evaderet.

Postremum Chapot p. 150 sq. scriptorum veterum de Arriano Peripli auctore testimonia a Reuss *l.l.* p. 369 sq. collecta tractat. Stephanus Byzantinus septies nomina geographica citat petita ex Arriani Periplo, cum ex ea parte cuius authentia a nullo in dubium vocata est (s. v. Ἀβῆνκι, Τυάνα, Ἀψίλαι), tum ex iis partibus quas Arriano abiudicaverunt (s. v. Ἀλμήνη, Κοτύωρα, Ἴστρος, Λαζοί), idque semel (s. v. Ἀψίλαι) ascriptis verbis ὡς Ἀρριανὸς ἐν περίπλῳ τοῦ Εὐξείνου Πόντου, cum ceteris locis adiectum sit tantum ὡς Ἀρριανός. Chapot quidem opinatur hos locos a Stephano non

Digitized by Google

ex Arriani Periplo, sed ex alio quopiam eius opere nunc perdito haustos esse, sed cum nomina in iis citata in Periplo legantur, non est cur eos aliunde fluxisse suspiceris. Stephanus igitur, vel potius is cuius copias compilavit, totum Periplum Arriani esse putavit.

Jungium in commentatione supra p. 110 adnotatione 2 laudata, in qua exponit quae ratio intersit inter Procopium et antiquiores rerum scriptores et geographos, demonstrasse Procopium in sua regionum Ponticarum descriptione Arriani imprimis rationem habuisse iam vidimus [1]). Arriani nomen Procopius, qui in universum auctorum quibus usus est nomina raro laudat, semel tantum citavit, et eo loco vel per errorem lapsus est vel Arriani Historia Alanica usus est, quae nunc periit. [2])

Denique Arriani Periplus citatur a Leone Diacono, qui anno circiter 950 natus est, idque iniuria, nam narratio de Myrmecione oppido Scythico et de Achille ibi nato, quam Leo laudat [3]), neque in Arriani Periplo neque in eo, quem aevo

1) Exempli gratia ea quae de situ Colchidis Procopius dicit *Bell. Goth.* IV 2, 15, spectant Arriani Periplum 11, 1; Procopius *Bell. Goth.* IV 2, 10 (de Athenis Ponticis) respicit Periplum 4, 1. Procopius, quia ipse Apsari fuerat, *Bell. Goth.* IV 2, 10 supplet ea quae de ea urbe dixit Arrianus *Peripl.* 6, 2; e Periplo 17, 2 fluxit Bell. Goth. IV 2, 16.

2) Procopius, De bello Gothico IV 14, 47 sqq., p. 535 ed. Bonn.: *ταύτην παραρρεῖ τὴν χώραν* (sc. *τὴν Λαζικὴν*) *ποταμός, Ῥέων ὄνομα, οὗ δὴ καὶ φρούριον ᾠκοδομήσαντο ἐκ παλαιοῦ Κόλχοι, οὗπερ ὕστερον αὐτοὶ τὸ πλεῖστον ἐς ἔδαφος καθεῖλον, ἐπεὶ ἐν πεδίῳ κείμενον ἐσάγαν ὑπτίῳ εὐέφοδον σφίσιν ἔδοξεν εἶναι. Κοτιάϊον δὲ τότε τὸ φρούριον ὠνομάζετο τῇ Ἑλλήνων φωνῇ, νῦν μέντοι Κόταϊς αὐτὸ καλοῦσι Λαζοὶ τῇ τῆς φωνῆς ἀγνοίᾳ τὴν τοῦ ὀνόματος διαφθείροντες ἁρμονίαν. ταῦτα μὲν Ἀριανὸς* (sic) *οὕτως ἱστόρησεν. ἕτεροι δέ φασι κτλ.* Lazos et Malassan regem iis ab Hadriano impositum Arrianus memorat *Peripl.* 11, 2, sed de oppido Cotiaïo vel Cotaï vel de Rheonte fluvio neque in Periplo mentionem fecit neque facere potuit, quandoquidem in regione mediterranea sita erant et in Periplo loca maritima tantum et flumina in mare influentia recensentur.

3) Leo Diaconus IX 6, p. 150 ed. Bonn.: *λέγεται γὰρ Ἑλληνικοῖς ὀργίοις κατόχους ὄντας* (sc. *τοὺς Ταυροσκύθας*) *τὸν Ἑλληνικὸν τρόπον θυσίας καὶ χοὰς τοῖς ἀποιχομένοις θύειν, εἴτε πρὸς Ἀναχάρσεως ταῦτα καὶ Ζαμόλξιδος, τῶν σφετέρων φιλοσόφων, μυηθέντες, εἴτε καὶ πρὸς τῶν τοῦ Ἀχιλλέως ἑταίρων. Ἀρριανὸς γάρ φησιν ἐν τῷ Περίπλῳ Σκύθην Ἀχιλλέα τὸν Πηλέως πεφηνέναι, ἐκ τῆς Μυρμηκιῶνος καλουμένης πολίχνης, παρὰ τὴν Μαιῶτιν λίμνην κειμένης· ἀπελαθέντα δὲ πρὸς τῶν Σκυθῶν διὰ τὸ ἀπηνές, ὠμὸν καὶ αὐθαδες τοῦ φρονήματος, αὖθις Θετταλίαν οἰκῆσαι. τεκμήρια τοῦ λόγου σαφῆ ἥ τε τῆς ἀμπεχόνης σὺν τῇ πόρπῃ σκευὴ καὶ ἡ πεζομαχία καὶ ἡ πυρσὴ κόμη καὶ οἱ γλαυκιῶντες ὀφθαλμοὶ καὶ τὸ ἀπονενοημένον καὶ θυμοειδὲς καὶ ὠμόν.* Hoc unico loco Leo Arrianum citat.

Digitized by Google

Byzantino cum ex Arriani opusculo tum e variis aliis fontibus conflatum adhuc habemus, legitur [1]). Ne putemus eum in nostro Periplo lacuna aliqua codicis archetypi intercidisse obstat quod Peripli caput undevicesimum, ubi, si Arrianus Myrmecionis mentionem facere voluisset, id oppidum ei nominandum fuisset, nulla lacuna laborare videtur. Porro ea quae in narratione a Leone citata dicuntur de Achillis crudelitate, minime convenire cum laudibus, quibus Arrianus eum extulit *Peripl.* 23, 4, iam vidit Bernhardy, qui ideo putavit Leonem Arrianum nostrum cum alio quopiam Arriano confudisse et titulum operis (ἐν τῷ Περίπλῳ) de suo addidisse [2]). Carolus Muller suspicatus est periplum illum Byzantinum, in quo Myrmecion nominatur sed de Achille fabula non legitur, fortasse postea novis additamentis auctum esse eumque a Leone esse adhibitum [3]). Undecunque Leo ea, quae ex Arriani Periplo se deprompsisse ait, hausit — fortasse memoria eum fefellit vel consulto lectoribus fucum facere voluit —, hoc certum est eo non labefactari Arriani Peripli authentiam.

Ad finem iam pervenimus. Omnibus, quae in hac quaestione prolata sunt, argumentis tractatis demonstrare conatus sum totum quem nos habemus Periplum esse genuinum Arriani opus. Quod si tibi imprimis, vir doctissime, probavero, propositum assecutus esse mihi videbor. Valeas et bonis litteris favere pergas.

---

1) Peripli Byzantini initium et finem, quae tunc temporis sola cognita erant, edidit Muller in *Geograph. Graec. Minor.* vol. I, p. 402 sqq.; partem mediam, quae postea demum innotuit, edidit in *Fragmentis historicorum Graecorum* vol. V, p. 174 sqq. In eo periplo Myrmecion quidem oppidum memoratur, sed de Achille nihil invenitur, cf. § 50 (*Geogr. Gr. Min.* I, p. 414).

2) Cf. Bernhardy, *Analecta in geographos minores* p. 21.

3) Cf. Muller in Prolegomenis voluminis I Geographorum graec. minorum, p. CXIV.

Digitized by Google

DE VOCABULIS QUIBUS HERODOTUS IN SINGULIS OPERIS SUI PARTIBUS MENTEM ANIMUMQUE SIGNIFICAT.

SCRIPSIT

M. M. ASSMANN.

Si diligenter considerabitur, quibus significationibus Herodotus in singulis operis sui partibus singulis vocabulis usus sit, fortasse magis apparebit, quo ordine aut quibus auctoribus Herodotus historias suas composuerit, quam si quis perquiret opus totum in membra aequalia dividens. Cum enim plerique rerum scriptores aut semper aequabile genus dicendi usurpent, aut nonnullis verbis aliis partibus crebro, aliis omnino non utantur, Herodotus unus excipiendus esse non videtur. Quamvis in compositione operis semper sui similis sit, tamen valde dissimilis sui est in usu et significatione vocabulorum. Itaque eum aut per longum tempus multis historiis brevibus inserendis aut multis et variis auctoribus nitens opus condidisse verisimile est. Mihi proposui quaerere, quibus notionibus Herodotus in vocabulis, quibus mens et animus significantur, usus sit.

Φρήν, φρένες. Notione primaria non invenitur. Tamen significatio corporalis inesse videtur III 134 in oratione Atossae apud Darium habita. Democede incitante regem adhortatur, ut aliquid suscipiat ad Persas bello opprimendos, ne sibi insidientur: *νῦν γὰρ ἄν τι καὶ ἀποδέξαιο ἔργον, ἕως νέος εἶς ἡλικίην· αὐξανομένῳ γὰρ τῷ σώματι συνακύξονται καὶ αἱ φρένες, γηράσκοντι δὲ συγγηράσκουσι καὶ ἐς τὰ πρήγματα πάντα ἀπαμβλύνονται.* Veteres persuasum sibi habebant animum cum parte quadam corporis coniunctum esse. Quoniam autem credebant praecordia

Digitized by Google

omnes mentis et animi facultates continere hoc loco Herodotus iure vocabulum adhibet vim animi significans. Ceteris locis, ubi apud eum occurrit, indicatur mens. III 33 de Cambyse, qui Apim taurum interfecit, dicitur: *οὐ νύν τοι ἀεικὲς οὐδὲν ἦν τοῦ σώματος νοῦσον μεγάλην νουσέοντος μηδὲ τὰς φρένας ὑγιαίνειν.* Videtur mens cum toto corpore coniuncta fingi: si corpus aegrotat, mens quoque infirma est; itaque hoc dictum Herodoteum magis dignum est quod identidem aetate nostra afferatur quam illud Iuvenalis (sat. 10. 356): mens sana in corpore sano. Et apud Iuvenalem et apud Senecam (ep. X 4) mens et corpus habentur res diversae. Legimus enim apud Senecam: roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde tum corporis. Quae sententiae magis conferendae sunt cum Xenophontis Ag. 11. 14 *ἐπιδεῖξαι ὅτι ἡ μὲν τοῦ σώματος ἰσχὺς γηράσκει, ἡ δὲ τῆς ψυχῆς ῥώμη τῶν ἀγαθῶν ἀγήρατός ἐστιν.* Ut III 134 et 33 etiam VII 13 *φρενῶν γὰρ ἐς τὰ ἐμεωυτοῦ πρῶτα οὔκω ἀνήκω.* III 155 *κῶς οὐκ ἐξέπλωσας τῶν φρενῶν σεωυτὸν διαφθείρας;* Quod scriptum esse videtur post VI 12, ubi legimus Iones, qui cum navibus Ladam venerunt a Dionysio laborare coactos secum reputare: quo numine laeso haec mala nobis ferenda sunt? *οἵτινες παραφρονήσαντες καὶ ἐκπλώσαντες ἐκ τοῦ νόου ἀνδρὶ Φωκαιέϊ ἀλαζόνι παρεχομένῳ νέας τρεῖς ἐπιτρέψαντες ἡμέας αὐτοὺς ἔχομεν.* Apud tragicos poetas talia inveniuntur, non autem verbo *ἐκπλεῖν* coniuncto sed *ἐξίστασθαι*; verisimile igitur est, quamquam loci qui exstant post opus Herodoti scripti esse videntur, eum hanc sententiam ex tragoedia sumpsisse. Sed VI 12 verbo *ἐκπλεῖν* usus esse videtur, quod e sermone *nautarum* desumptum est. III 155 dicitur de Zopyro, qui in Babylone obsidenda se ipse sacrificat. Si *ἐκ τοῦ νόου ἐκπλώειν* inventum Herodoti est, videtur III 155 scriptum esse post VI 12.

I 47 oraculum Delphicum, quod totum mens est nullis sensibus praeditum, dicitur cecinisse: *ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης.*

Singulari numero in sententiis *ἐν φρενὶ λαμβάνειν* et *φρενὶ λαμβάνειν* bis legitur: II 151 et IX 10.

Apud Herodotum vocabulum *φρήν, φρένες* septies invenimus, bis singulari numero in sententia, semel in oraculo, ter in tertio, semel in libro septimo. Post eum apud scriptores Atti-

Digitized by Google

cos magis magisque evanescit ita, ut apud Thucydidem nusquam legatur, apud Xenophontem nusquam nisi in versu ex Homero allato Symp. 8. 30 et in precibus Symp. 4. 55 *καρπῶ μὲν ἀφθονίαν, φρενῶν δ' ἀφορίαν.*

De vocabulis cum radice substantivi *φρήν* cohaerentibus haec tantum digna memoratu esse videntur:

σώφρων semper mentis sanitatem, prudentiam significat I 4; III 71; VII 104.

σωφρονέω mentis sanae sum III 35; III 64 (aor. ingress.)

φιλοφρόνως cum verbo *δέχεσθαι* et *ἀσπάζεσθαι* coniungitur II 121; III 13; V 18; verbum *φιλοφρονέω* III 50 *φιλοφρόνως δέχεσθαι* significat; substantivum *φιλοφροσύνη* (V 92 *γ*) comitatem, amicitiam indicat, nulla significatione hospitii adiuncta ut adiectivum apud poetas tragicos.

φρενήρης primum apud Herodotum occurrit; dicitur is, qui mente sana (aptus) praeditus est. Semper usurpatur negativa *οὐ* addita, plerumque verbo insaniendi ante aut postposito. III 25; 30; 35; V 42; IX 55; (ter in libro tertio, bis in historia graeca).

φρονέω apud Homerum magis facultates animi indicat, apud Herodotum autem magis mentis. Primus cum acc. c. pron. poss. aut genit. coniuncto verbo utitur, ut significetur sentire cum aliquo, a partibus alicuius stare.

1 cogito, volo, concupisco I 77; VII 218; IX 116.

2 idem sentio, concors sum, fere = *ὁμοφρονέω* I 60; V 3; 72; 117.

3 sentio cum aliquo II 162; VII 102; VIII 34; 75 (bis); IX 2; 99.

μέγα φρονέω superbio, animos mihi sumo VII 10 *ε*.

εὖ φρονέω bene sapio VII 16 *α* VIII 10 *γ*; 140 *α*; 142.

οὐ φρονέω demens sum VII 15.

(*οὕτω*)*φρονέω* (sic)cogito V 42; VII 145; VIII 68.

4 intellego I 46; IX 16 *ἐχθίστη δὲ ὀδύνη ἐστὶ τῶν ἐν ἀνθρώποισι αὕτη πολλὰ φρονέοντα μηδενὸς κρατέειν* omnium, qui in hominibus sunt, dolor acerbissimus est multa intellegere neque tamen quicquam pervincere posse.

εὖ φρονέω II 16.

Digitized by Google

inter se opponuntur τὸ λέγειν et τὸ φρονεῖν IX 54.

καταφρονέω Herodotus primus hoc verbum adhibuisse videtur notione ea, quae frequens est apud posteriores. Significatur:

1 puto, meditor. I 66; 59; VIII 10.

2 despicio IV 134.

ἀλλοφρονέω non solum dicitur is, qui mente alibi est, qui mentis sanae non est V 85, sed etiam is, qui aliter sentit VII 205.

ὁμοφρονέω verbum non invenitur nisi VII 229; VIII 3; 73; IX 2.

εὐφρόνη nox legitur VII 12; 56; 188; VIII 6; 12; 14; IX 37; 39.

Φρόνημα duabus modo notionibus occurrit:

1 animi sententia VI 109; VIII 144; IX 7 β; 54.

2 consilium, consilium magnum, animi fere, superbia III 122; 125.

De ceteris vocabulis cum radice nominis φρενός compositis agere huius loci non est.

Νοῦς. Apud Homerum substantivum nusquam cum praepositione coniungitur, neque apud poetas tragicos nisi perraro atque id tantum cum praepositionibus κατά et παρά. Apud Herodotum vocabulum non solum cum praepositionibus compluribus coniunctum invenimus sed etiam multo frequentius usurpatum quam alia nomina mentem et animum significantia. Neque mirum. Nam φρένες puto iam tempore τοῦ Ὁμηρικωτάτου scriptoris nimis poetice sonuisse, θυμός autem ab eo propria significatione adhibebatur, ψυχή vix latius patebat quam ad animam, vitam indicandam; itaque restabat νοῦς, nam γνώμη sententiam tantum apud eum significare videtur (excepto fortasse III 4 καὶ γνώμην ἱκανὸς καὶ τὰ πολέμια ἄλκιμος, ubi aut mente intellegenda est, aut in sententia dicenda ut βουλή apud Homerum arte pugnandi opposita).

Ἐν νόῳ ἔχω verbo pro verbo reddito significat in animo habeo. Semper cum infinitivo coniunctum legitur I 27; 77; 86; III 64; 143; VI 48; VII 157; VIII 7; 8; IX 11; 52; 93; ἐν νόῳ ἐστὶ in animo est I 109; IX 46.

Aliud autem est νόῳ λαμβάνω, ubi νοῦς mentem significat, vox

Digitized by Google

animadverto. Quater legitur in libro tertio III 41; 51 (bis); 143; bis in historia graeca: V 91; VIII 19.

Raro mens indicatur, semper fere animus, consilium, voluntas.

Mens: VI 12 *οἵτινες παραφρονήσαντες καὶ ἐκπλώσαντες ἐκ τοῦ νοῦ.*

In voce *σὺν νόῳ* utramque notionem invenimus:

1 cum ratione, prudenter VIII 86 *τῶν δὲ βαρβάρων οὔτε τεταγμένων ἔτι οὔτε σὺν νόῳ ποιεόντων οὐδέν.*

2 mente quadam, consulto VIII 138 *καὶ ὡς σὺν νόῳ ἐκείνων ὁ νεώτατος λάβοι τὰ διδόμενα.*

ἄνευ νόου sine ratione, imprudenter; III 81 *νόον ἐχόντως* prudenter.

Animus significatur:

κατὰ νόον ex animi sententia I 117; IV 88; 97; V 106; VI 130; VII 104; 150; IX 45.

ἐπὶ νόον ποιέω vel *τρέπω*, animum alicuius, aliquem adduco ut I 27; 71; III 21.

νόος ἔφερε animus ferebat IX 120.

ἐκ παντὸς νόου omni cogitatione VIII 97.

οὐδενὶ δολερῷ νόῳ nullo doloso consilio II 151.

τῷ λόγῳ.... νόῳ δὲ opponitur *τῷ λόγῳ* non *ἔργῳ*; cum animo II 100; item II 181 *εὔχεται ἐν τῷ νόῳ τῇ Ἀφροδίτῃ.*

consilium: III 122 *μαθὼν τοῦ Πολυκράτεος τὸν νόον.*

ἀγαθῷ νόῳ bono animo I 60.

Denique vocabulo significatur, quo quid spectet, quid indicet: I 216 *νοός δὲ οὗτος τῆς θυσίης* IV 131 *ἐπειρώτεον τὸν νόον τῶν διδομένων.* IX 98 *ὡυτὸς δὲ οὗτος ἐὼν τυγχάνει νόος τοῦ πρήγματος καὶ ὁ Θεμιστοκλέος* VII 162 *οὗτος δὲ ὁ νόος τοῦδε τοῦ ῥήματος, τὸ ἐθέλει λέγειν.*

De compositis cum radice nominis *νοῦς* formatis haec adnotanda sunt.

Herodotus admodum frequenter utitur adiectivo *εὔνοος*, quod ante eum non invenimus nisi apud Theognidem et Aeschylum (in tragoedia quae inscribitur *Persae*). Exstat in libris V—VIII: V 24 (bis); VI 105; VII 173; 239; VIII 10; 42. Substantivum *εὔνοια* non solum in libris VI VII VIII occurrit sed etiam in libro III: III 36; VI 108; VII 104; 239; VIII 140 *β*. Verbum *εὐνοέω* VII 237; IX 79.

Digitized by Google

Adiectivum *πρόνοος* post Aeschylum primus adhibet III 36, substantivum *πρόνοια* variis significationibus. Indicatur:

1 provisio, cura VIII 144.

2 providentia dei III 108.

ἐκ προνοίης c. gen. *τινος* significat instinctu alicuius, aliquo auctore I 120; VI 66.

absolute: consulto I 159; II 161; III 121; VIII 87.

ἐξ οὐδεμιῆς προνοίης sine consilio, sine dolo malo II 151.

διάνοια semper apud Herodotum indicat, quae in mente aut in animo sunt:

1 mentem, cogitationem I 46; II 169.

2 consilium, voluntatem I 90; II 162; VIII 97; IX 45.

Verbum *νοέω* in libris I et II verbo *λέγω* opposito mentem spectat, non animum. Reddendum est per cogito, intellego. I 88 *πότερον λέγειν πρὸς σὲ τὰ νοέων τυγχάνω... χρή*; I 155 *τάπερ ἐνόεε ἔλεγε*. II 104 *νώσας δὲ πρότερον αὐτὸς ἢ ἀκούσας ἄλλων λέγω*. VIII 3 *ὀρθὰ νοέοντες*. 101 *ἐφαίνετο μούνη νοέουσα τὰ ποιητέα ἦν*. Item res se habet IV 118, ubi legimus *ἀλλὰ τὠυτὸ νοήσαντες ἀντιάζωμεν τὸν ἐπιόντα* sed idem cogitantes (uno animo) hosti appropinquanti obviam eamus.

Omnibus ceteris locis animus, consilium indicatur. Vertendum est per animum induco, in animo habeo (*ἐν νόῳ ἔχω*) III 81 *οἱ Πέρσῃσι.... κακὸν νοέουσι* qui (malum in animo habent contra) inimico animo in Persas sunt. VII 38 *καὶ πρήξας τὰ νοέεις νοστήσειας ὀπίσω*. VII 8 *α ἵνα τὸ νοέω πρήσσειν ὑπερθέωμαι ὑμῖν*. VII 178 *ὑπεκρίναντο μὲν οὕτω εὐπρόσωπα, ἐπεὶ δὲ ἔδεε βωθέειν, ἄλλα νοέοντες, ἐπλήρωσαν κ.τ.λ.* VIII 22 *ἐπ' ἀμφότερα νοέων* duobus consiliis sibi propositis. VIII 18 *β εὐπετέως τοι, δέσποτα, χωρήσει τὰ νοέων ἐλήλυθας*. VIII 97; 101; IX 53; 116.

νοέω eadem notione qua *διανοέομαι* in libris I II IV non occurrit; *διανοέομαι* animum induco, in animo habeo, quod apud poetas tragicos nusquam legitur, invenimus: II 121 *δ*; 126; III 122; V 36; VI 86 *δ*; 133; VII 207; IX 54.

ἐννοέω, *ἐννοέομαι* idem designat atque *νοέω*:

1 in animo habeo I 77 (in historia Croesi); VII 206.

2 cogito, intellego I 86; III 6.

ἐπινοέω primum apud Herodotum occurrere videtur; semel significat excogito, qua notione is solus verbum adhibet I 48

Digitized by Google

ἐπινοήσας τὰ ἦν ἀμήχανον ἐξευρεῖν τε καὶ ἐπιφράσασθαι. Ceteris locis in animo habeo, semper infinitivo addito II 150; 152; III 31; 134; V 24; 65; VI 115.

κατανοέω primum apud Herodotum II 28; 93.

ὑπονοέω primum apud Herodotum IX 88; 99.

ἀνόητος imprudens iam apud Sophoclem Ai. 162 invenitur; apud Herodotum legimus I 4; VIII 24.

νουθετέω apud Aeschylum legimus Prom. 264; ter apud Herodotum: II 173; III 36 (bis).

Θυμός. Vestigia primariae notionis supersunt, ubi nomen coniungitur cum verbis motum designantibus. VII 39 *ἐξεπίστατο ὡς ἐν τοῖσι ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει ὁ θυμός, ὃς χρηστὰ μὲν ἀκούσας τέρψιος ἐμπιμπλέει τὸ σῶμα ὑπενάντια δὲ τούτοισι ἀκούσας ἀνιδέει.*

Animus per totum corpus diffusus aures quoque attingens fingitur. Itaque rebus iucundis auditis animus aequabiliter movetur, offensus autem tumescit et fluctuat et iram efficit. Cf. Aesch. Suppl. 443 *σφριγῶντα θυμόν.* VII 140 *ἀλλ' ἴτον ἐξ ἀδύτοιο κακοῖς δ' ἐπικίδνατε θυμόν* sed abite ex adyto animosque perfundite malis, i. e. assuescite malis. Animus fingitur locus, quo affectus excipiuntur.

Indicatur animus, animi appetitus, voluntas I 1 *ἀνέεσθαι τῶν φορτίων τῶν σφι ἦν θυμὸς μάλιστα* VIII 116 *ἢ ἄλλως σφι θυμὸς ἐγένετο δηήσασθαι τὸν πόλεμον.* V 49 *ἀγαθά... τὰ θυμῷ βουλόμενοι αὐτοὶ ἂν ἔχοιτε* II 129 *τά τε ἄλλα γάρ μιν κρίνειν εὖ καὶ δὴ καὶ τῷ ἐπιμεμφομένῳ ἐκ τῆς δίκης πρ' ἑωυτοῦ διδόντα ἄλλα ἀποπιμπλάναι αὐτοῦ τὸν θυμόν.* Ubi *θυμός* animi appetitum, voluntatem indicat.

Eodem verbo cum nomine *γνώμη* coniuncto, mentis appetitum, spem significanti Xenophon utitur Anab. I 7, 8. *ὁ δὲ ἐμπιμπλὰς ἁπάντων τὴν γνώμην ἀπέπεμπεν.*

Ira significatur I 137; 155; III 36.

Animus, fortitudo V 49; VIII 130. Adiectivo *ἀγαθός* addito I 120; III 85; VII 52.

Denique confunditur cum nomine *φρήν* (ut Aesch. Prom. 706 Soph. O. R. 975). Ter invenimus *ἐς θυμὸν βάλλειν* I 84; VII 51; VIII 68 *γ*.

De compositis cum radice nominis *θυμός* formatis haec memoranda sunt:

Digitized by Google

ἄθυμος, quod adiectivum semel occurrit (VII 11 κακῷ τε καὶ ἀθύμῳ) fortitudinem animi, quae in pugna conspicitur, indicat ut nomen ἀθυμία I 37 in historia Atyos. Legitur apud Aeschylum.

ἀποθύμιος (cf. Hom. Il Ξ 281 et ἀπὸ θυμοῦ A 562) invenitur VII 168 οὐκ ἠθελήσαμέν τοι ἀντιοῦσθαι οὐδέ τι ἀποθύμιον ποιῆσαι. Vox sonat poetice; neque solum apud Homerum, sed etiam apud Hesiodum et Semonidem legimus.

ἐνθύμιος (Hom. Od. ν 421) proprie de iis, quae in animo sunt et curae sunt, hac significatione apud Herodotum non invenitur. Bis legitur, sed utroque loco coniuncta est notio cuiusdam religionis, ut a Sophocle quoque usurpatur O. R. 739 τί δ' ἐστί σοι τοῦτ' Οἰδίπους ἐνθύμιον; Her. II 175 τὸν δὲ Ἄμασιν ἐνθύμιον ποιησάμενον οὐκ ἐᾶν ἔτι προσωτέρω ἑλκύσαι. VIII 54 εἴτε καὶ ἐνθυμιόν οἱ ἐγένετο ἐμπρήσαντι τὸ ἱρόν.

καταθύμιος opponitur τῷ ἀποθυμίῳ.

Apud Homerum idem significat atque ἐνθύμιος (cf. κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν), apud posteros idem atque θυμαρής, κατὰ νοῦν. Ut ἀποθύμιος de femina apud Semonidem fr. 7. 35 legitur, sic καταθύμιος apud Herodotum V 39 Ἀναξανδρίδῃ γὰρ ἔχοντι γυναῖκα ἀδελφεῆς ἑωυτοῦ θυγατέρα, καὶ ἐούσης ταύτης οἱ καταθυμίης (animo convenientis, animo gratae). De sacris dicitur IX 45 Μαρδονίῳ τε καὶ τῇ στρατίῃ τὰ σφάγια οὐ δύνατα καταθύμια γίγνεσθαι.

περιθύμως graviter iratus cum apud Aeschylum tum apud Herodotum invenitur. II 162 ὡς δὲ ἀπικέσθαι αὐτὸν πρὸς τὸν Ἀπρίην οὐκ ἄγοντα τὸν Ἄμασιν, οὐδένα λόγον ἑωυτῷ δόντα ἀλλὰ περιθύμως ἔχοντα περιταμεῖν προστάξαι αὐτοῦ τά τε ὦτα καὶ τὴν ῥῖνα. III 50 τέλος δέ μιν περιθύμως ἔχων ὁ Περίανδρος ἐξελαύνει ἐκ τῶν οἰκίων.

πρόθυμος tricies septies apud Herodotum legitur. Raro apud superiores scriptores occurrit, semel apud Aeschylum, bis apud Sophoclem. Herodotus autem vocem magnopere amavisse videtur ut Euripides. Indicatur:

1 studiosus, industrius. Adiectivum legitur VI 6; VII 117; IX 60; 91; adverbium I 96; II 59; 173; III 48; V 79; VI 58; 125; VIII 128.

2 cupidus, avidus. Adverbium: I 27; II 59; VI 3; VIII 41.

Digitized by Google

3 paratus ad aliquid faciendum. Adiectivum: I 36; II 3; 19; V 92 ζ; VI 5; 74; VII 5; VIII 6; IX 13; adverbium: libenter, ex animi sententia, libere: III 44; V 13; 89; VII 88; 138; 174; IX 18; 40; 100.

4 studiosus, benevolus. Adverbium: I 111; V 15; VII 235.

ἀπρόθυμος non paratus (ad pugnandum) VII 220.

προθυμία est eius, qui nititur, ut aliquid consequatur. Omnibus notionibus, quibus latine studium, adhibetur. Significatur:

1 studium, industria IV 98 προθυμίην σωτηρίης τε καὶ Φυλακῆς παρεχόμενοι cf. Eur. Troad. 689 προθυμίαν..... πόνων. I 61 προθυμίην πλείστην. VII 6 πᾶσαν προθυμίην παρεχόμενοι ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, ubi π. πρ. π. absolute dictum est, neque cum Steinio cogitatione supplendum est ἐς βασιλέα; IV 98. Verbo ἔχειν coniuncto: IV 139; VII 19; 53; IX 67; ἐκτείνειν VII 10 η.

2 studium, voluntas, cupiditas I 124; 204; V 49; VI 65.

3 studium, voluntas bona, benevolentia: VII 165; VIII 1; IX 45.

προθυμέομαι 1 paratus sum, volo IX 37, 72.

2 studeo I 36; 91; 206; IV 71; V 78; VIII 86; IX 38.

ἐπιθυμία cupiditatem, voluptatem significat I 32 (bis); ἐπιθυμέω semper cupio I 24; 116; 123; 201; 216; II 66; 135; 181; III 21; 120 (ter); 127; 134 (bis); IV 1; 79; 166; V 67; VII 18; 100; 128 (bis); nomen verbale ἐπιθυμητής legitur VII 6.

θυμαλγής quae vox poetice sonat, animum dolore afficiens, invenitur I 129.

θυμόομαι irascor, ira afficior. Verbum adhibetur de Cambyse III 1; 32; 34; de filio Periandri III 52; de Megabata in historia ionica V 33; de Xerxe VII 11; 39; 210; 238; IX 111.

δυσθυμέω animo tristi sum, morosus, maiorem vim habet quam ἀθυμέω. Semel invenitur: VIII 100.

Ψυχή proprie spiritum significat, animam vitalem IV 190 ἐπεὰν ἀπίῃ τὴν ψυχήν.

2 animam, eam partem, quae post mortem manebit II 123 ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι.

3 vitam I 24; 112; II 134; III 119; 130; V 92 ε; VII 39; 209; VIII 118; IX 79.

Digitized by Google

4 animum, sedem fortitudinis, quam notionem iam perveterem esse probant vocabula composita εὔψυχος etc. III 108 ψυχήν τε δειλὰ καὶ ἐδώδιμα. III 14 πειρᾶτο οὐτοῦ τῆς ψυχῆς ποιέων τοιάδε. V 124 ἦν γὰρ ὡς διέδεξε Ἀρισταγόρης ὁ Μιλήσιος ψυχὴν οὐκ ἄκρος. VII 153 τὰ τοιαῦτα γὰρ ἔργα.... νενόμικα γένεσθαι... πρὸς ψυχῆς τε ἀγαθῆς.

5 animum, sedem affectuum. Ita usurpata vox ter occurrit in historia Polycratis in libro tertio, quae tota ex poeta quodam nobis ignoto sumpta esse videtur, si colorem poeticum totius fabulae consideramus. Eodem modo Sophocles nomine utitur Ant. 317 ἐν τοῖσιν ὧσιν ἢ 'πὶ τῇ ψυχῇ δάκνῃ; Animi affectus, qui apud Herodotum indicatur etiam dolor est. III 40 ἐπ' ᾧ σὺ ἀπολομένῳ μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀλγήσεις, itemque ἐπ' ᾧ ἂν μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀσηθείη. III 43 ἵνα μή.... ἀλγήσειε τὴν ψυχὴν ὡς περὶ ξείνου ἀνδρός.

6 mores, ut apud Theognidem 530 B οὐδ' ἐν ἐμῇ ψυχῇ δούλιον οὐδὲν ἔνι, et Sophoclem frgm. 101 P ψυχὴ γὰρ εὔνους καὶ φρονοῦσα τοὔνδικον. Semel legitur III 16 α λεγούσης ὡς κακὸν εἴη διδάσκειν τὴν ψυχὴν πλέον τι δίζησθαι αἰεὶ ἔχειν τοῦ παρέοντος.

Tria vocabula cum radice nominis ψυχή composita inveniuntur, quorum duo animam, vitam indicant, unum animum spectat. Sunt ἔμψυχος, φιλοψυχίη, λειποψυχέω.

ἔμψυχος vivus legitur I 140; II 39; III 16; 100; 106; IV 184. Semper de animalibus homine inferioribus adhibetur.

φιλοψυχίη, quae vox apud poetas tragicos non exstat (inveniuntur autem adiectivum φιλόψυχος et verbum φιλοψυχέω) est eius, qui vitam nimis amat. Cum vituperatione dicitur de Histiaeo VI 39.

λειποψυχέω, quod verbum apud poetas tragicos vertendum est: „a vita relinquor" semel upud Herodotum occurrit significans animo deficio, frangor, ubi nomen ψυχή fortitudinem indicat VII 229.

Μένος bis tantum occurrit in oraculo VII 220, ubi vis significatur cum animalium tum Iovis.

Nomina propria cum radice nominis μένος composita leguntur Ἀχαιμένης, Κλεομένης, Προμένεια, alia nomina δυσμενής, εὐμενής, εὐμένεια.

Digitized by Google

δυσμενής hostilis, inimicus III 82; VII 237; εὐμενής benevolus VII 237.

εὐμένεια benevolentia est deorum et heroum in universum populum II 45.

Ut Φρήν nomen μένος quoque procedente tempore in sermone pedestri paene evanescit, usus autem compositorum εὐμενής et δυσμενής apud Thucydidem et Xenophontem denuo increbrescere videtur.

Nomina ἦτορ, κῆρ, καρδία numquam apud Herodotum animum indicantia leguntur, neque ulla composita exstant.

Cum ea, quae supra scripta sunt, nobiscum reputamus, apparet:

nomen Φρήν, Φρένες sententia (ἐν)Φρενί λαμβάνω omissa non legi nisi in libris I (in historia Croesi) III VII.

σώΦρων σωΦρονέω non nisi in libris I (in prooemio) III VII.

ΦιλοΦροσύνη, ΦιλοΦρονέω non nisi in III et V.

ΦιλοΦρόνως non nisi in III et V et in historia Rampsiniti thesauri.

Φρενήρης non nisi in III V IX.

ὁμοΦρονέω et εὐΦρόνη non nisi in tribus ultimis libris.

Φρόνημα non nisi in III VIII IX.

νοῦς mentem indicans non nisi in III V VI VIII.

εὖνους, εὔνοια εὐνοέω non nisi in III V VI VII VIII IX.

νοέω animum induco non nisi in III VII VIII IX.

ἄθυμος, ἀθυμία non nisi in libro I in historia Croesi et VII; ἀποθύμιος in libro VII κατάθυμιος in libris V et IX.

θυμόομαι non nisi in libris III V VII.

ψυχή sedem affectuum indicans in libro III, fortitudinis in III V VII, mores in libro VII.

Fieri potest, ut haec fortuita sint, neque argumentis tam exilibus nitens coniectura assequi velim, quo ordine Herodotus historias suas composuerit. Sed nemo fere nostra aetate est, qui credat eum opus uno tenore perfecisse hoc sibi proposito, ut bellum describeret, quod Graeci cum Persis gesserunt. Putant autem eum γῆς περίοδον quandam scripsisse ut Hecataeum, cui aemulus est, sed post multas historias lepidas in opus inseruisse, ex. gr. magnam partem libri tertii, historiam grae-

Digitized by Google

cam, initium libri primi, non solum prooemium, sed etiam, ubi Solonem Croesum convenientem facit. Nam nomen Solonis in Asia quoque innotuerat, quod inter septem sapientes numerabatur, sed verisimile est Herodotum de Tello Atheniensi, de Cleobi et Bitone non prius audivisse, quam in Graeciam venerat. Praeterea notatu dignum est de invidia deorum mentionem non fieri nisi in libris I (in historia Croesi) III VII. Sed hae omnes coniecturae sunt, quae pro certo diiudicari numquam poterunt, quod omnes fere fontes, ex quibus Herodotus aliquid sumere poterat, perierunt. Propius autem fortasse vero accedere poterimus si diligenter inquiremus in usum verborum et varias rationes agendi, quibus personae eius utuntur.

Digitized by Google

DE KYNEGETICO XENOPHONTEO.

SCRIPSIT

W. A. BAEHRENS.

Ex quo vir doctissimus Radermacher libellum, qui vulgo audit Kynegetikos, argumentis haud levidensibus nisus Xenophonti abiudicaverat (Mus. Rhen. 50, 51), cui sententiae paulo post etiam Nordenus (Antike Kunstprosa I 431) accessit, nondum inter viros doctos lis composita est. Gravissimus quidem atque idoneus Radermacheri adversarius exstitit Mewaldtius (Hermes 46 [1911] 70 ff.) opusculum quod de venatione agit *γνήσιον* proclamans. Quoniam vero nonnisi paucissimos locos similes attulerat Mewaldtius (Kyn. 1, 18: *καλῶς νοεῖν καὶ λέγειν καὶ πράττειν* ~ Xen. Hipparch. 1, 1: *αἰτεῖσθαι θεοὺς ταῦτα διδόναι καὶ νοεῖν καὶ λέγειν καὶ πράττειν* ~ Anab. 5, 6, 28) neque ipsas libelli sententias cum Xenophontis libris comparaverat, etiam post illum philologorum opiniones maxime variabant: Mewaldtio adstipulati sunt E. Scharr, Xenophons Staats- und Gesellschaftsideal, diss. Halens. 1919; K. Praechter in sua editione libri qui inscribitur 'Ueberweg-Heinze Gesch. der Philosophie I'; K. Münscher, Xenophon in der griech.-röm. Lit., Philol. S.-B. 13, 2 [1920] p. 2; O. Pfoertner, de Xenoph. qui fertur Cyneg. quaest. gramm., diss. Gryph. 1925; — ab altera parte stant cum Radermachero e. g. H. Maier, Sokrates (1913) 255, 1; Orth RE s. v. Jagd; W. Schmid in nova editione historiae litterariae graecae, quam scripserat Christ (1912); G. Koerte Herm. 53 (1918), 317, nec non Ud. de Wilamowitz in libro suo qui agit de Sapphone et Simonide (1913) p. 125 breviter monens: 'in dem Kynegetikos, den man nicht mehr dem Xenophon zusprechen darf'. — Sane quicumque post Xenophontis

Digitized by Google

opera maiora Kynegeticon perlegerit, ei haud facile persuadebitur venationis opusculum, quippe quod refertum sit brevibus sententiis παρατάξει quam vocamus coniunctis nec non infinitivis historicis, Xenophonti attribuendum esse. Sed in Kynegetico prorsus aliud exstat genus, sc. γένος διδακτικόν, atque ille ipse infinitivus historicus, qui Radermachero aliisque tantam movit suspicionem, saepissime occurrit in Ὑποθήκαις — cf. e. g. Hesiod. Ἔργα καὶ Ἡμέραι 336 ff., 349, 352 ff., 365 f., 368; Theognis 113, 159, 323, 335, 399, 401 —, quae illi γένει διδακτικῷ mirum quantum cognatae sunt. Accedit quod cetera eiusdem generis opuscula vere Xenophontea, sc. Hipparchicus et liber de re equestri, quamquam minime eodem genere dicendi parum polito perscripta sunt, proprius ad Kynegetikon accedunt quam opera historica et philosophica; ni fallor, duo exstant exempla illius infinitivi historici in libello de re equestri (p. 122, 18; 123, 20 Rühl). Quod illorum quae dixi opusculorum genus dicendi aliquanto exquisitius est, duobus modis licet explicare: aut opuscula, quorum alterum de viro summo ἱππαρχικῷ agebat, alterum amicis scriptoris (de re equ. 1, 1) dedicatum erat (iam antea Simon eandem rem tractaverat), sublimius aliquatenus genus dicendi requirebant quam Kynegetikos, qui liber cum divitioribus tum etiam inopibus scriptus erat (c. 2, 1); aut Kynegetikos a Xenophonte admodum iuveni compositus est [1]). Hoc reicient, qui Kynegetikon a Xenophonte alienum putant, delegantes ad manifestum consensum inter Kyneg. c. 13, 7 μὴ σοφιστικοὺς... ἀλλὰ σοφούς et Platonis Sophist. 268 B σοφὸν ἢ σοφιστικόν atque inter Kyneg. 13, 9 οἱ μὲν γὰρ σοφισταὶ πλουσίους καὶ νέους θηρῶνται et Platonis Soph. 223 B 231 D νέων καὶ πλουσίων... θηρευτής obvium: quae sophistarum cum venatoribus facta comparatio quoniam in ipsa Platonis disputatione quasi sua sponte exoritur, Kynegetikon e Platone pendere, qui fere anno 364 conscriptus est (cf. Pohlenz, Einl. in die Altertumswissenschaft I 3^2 p. 105). Sed fortasse non solum illud σοφὸς ἢ σοφιστικός, sed etiam illud

1) Ita post alios W. Horn in dissertatione nuperrime edita, quae 'Quaest. ad Xenoph. elocutionem pertinentes' inscribitur (Halis Saxon. 1926) p. 92 ff. — Xenophontem omnia sua scripta sexagenarium scripsisse (et edidisse) mihi quidem minime probatur; res digna quae accuratius inquiratur.

Digitized by Google

σοφισταὶ πλουσίων καὶ νέων θηρευταί iam initio quarti saeculi pervulgatum erat apud sophistarum obtrectatores vel certe iam ante annum 364 prodierat; neque certis evincitur argumentis auctorem Kynegetici Platonis dialogum in usum suum convertisse. Nil igitur obstat, quin Xenophontis opus iuvenile exstare arbitremur. In proximis vero tantummodo demonstrabitur, quantopere Kynegetici sententiae, imprimis illae quae duobus postremis capitulis proferuntur, Xenophontis mentem animumque prodant. Nec non prooemium accuratius tractabitur. Locos, quos affero, collegi aestate anni praecedentis, qua cum sodalibus seminarii philologici Kynegetikon tractabam.

Initio capituli duodecimi, in quo de educatione complurimis verbis agitur, studium venationis eo nomine commendatur, quod optime ad belli labores sustentandos praeparat, cf. c. 12, 1: τὰ δὲ πρὸς τὸν πόλεμον μάλιστα παιδεύει. πρῶτον μὲν γὰρ τὰ ὅπλα ὅταν ἔχοντες πορεύωνται ὁδοὺς χαλεπάς, οὐκ ἀποροῦσιν· ἀνέξονται γὰρ τοὺς πόνους διὰ τὸ εἰθίσθαι μετὰ τούτων αἱρεῖν τα θηρία. Sane eiusmodi sententiae etiam atque etiam exoriuntur, ubicumque privatorum vitam pro utilitate reipublicae censent instruendam, neque omnino desunt temporibus antiquis [1]); sed imprimis apud Xenophontem talia occurrunt. Atque maxime interest prorsus idem inveniri in illa descriptione morum Persarum (Kyrop. 1, 2, 10), quam diu constat auctorem suis placitis congruenter adornasse: διὰ τοῦτο δὲ δημοσίᾳ τοῦ θηρᾶν ἐπιμέλονται καὶ βασιλεὺς ὥσπερ καὶ ἐν πολέμῳ ἡγεμών ἐστιν αὐτοῖς καὶ αὐτός τε θηρᾷ καὶ τῶν ἄλλων ἐπιμελεῖται, ὅπως ἂν θηρῶσιν, ὅτι ἀληθεστάτη αὐτοῖς δοκεῖ εἶναι αὕτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον. καὶ γὰρ πρὼ ἀνίστασθαι ἐθίζει καὶ ψύχη καὶ θάλπη ἀνέχεσθαι, γυμνάζει δὲ καὶ ὁδοπορίαις καὶ δρόμοις... ὥστε οὐ ῥᾴδιον εὑρεῖν τί ἐν τῇ θήρᾳ ἄπεστι τῶν ἐν τῷ πολέμῳ παρόντων. Quodsi Kyr. 8, 1, 34 de Kyro rege valde adamato legimus haec: τῆς πολεμικῆς δ' ἕνεκα ἀσκήσεως ἐπὶ θήραν ἐξῆγεν, vix dubium est, quin ipse Xenophon, vir πρακτικῷ βίῳ deditus, iudicaverit imprimis venatorem idoneum esse ad belligerandum. Eadem ratione commotus Lycur-

1) Cf. imprimis Dio Chrysosth. or. 3 p. 142 R.; de versu illo: οἳ δὲ χοροῖς κάλλιστα θεοὺς τιμῶσιν, ἄριστοι ἐν πολέμῳ qui Socrati attribuitur cf. Weege, der Tanz in der Antike (1926), p. 9.

Digitized by Google

gum inducit admirabilem legislatorem de senioribus Spartiatis, quos venationi operam dare iusserat, ita censentem (πολ. Λακ. 4, 7): τοῖς τηλικούτοις... κάλλιστον εἶναι τὸ θηρᾶν... ὅπως δύνκιντο καὶ οὗτοι... στρατιωτικοὺς πόνους ὑποφέρειν. — Neque praetereundus est verborum consensus qui inter Kynegetikon: τὰ δὲ πρὸς τὸν πόλεμον... παιδεύει et Xenophontem: ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον (Kyr. 1, 2, 10 cf. supra) exstat; deest apud utrumque illud tritissimum τὰ πολεμικά. — Denique comparare iubeo Xen. Oecon. 5, 13 f.: συμπαιδεύει δὲ καὶ εἰς τὸ ἐπαρκεῖν ἀλλήλοις ἡ γεωργία. ἐπί τε γὰρ τοὺς πολεμίους σὺν ἀνθρώποις δεῖ ἰέναι, τῆς τε γῆς σὺν ἀνθρώποις ἐστὶν ἡ ἐργασία; facile apparet, quantopere talia Xenophonti cordi fuerint.

Venator peritus etiam in bello se ipsum aliosque poterit servare (c. 12, 4: οἷοί τ' ἔσονται καὶ αὐτοὶ σῴζεσθαι μὴ αἰσχρῶς καὶ ἑτέρους σῴζειν). Illud μὴ αἰσχρῶς quid sibi velit, indicant verba (c. 10, 15): οὐ γὰρ καλὴ ἡ σωτηρία ἄλλως ἢ κρατήσαντι; quae sententia ipsi quae tractatur materiae illata (de hoc more Xenophonteo cf. Schacht, de Xenoph. stud. rhetor. diss. Berolin. 1890, 13 ff.) statim in mentem vocat dictum notissimum ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς neque dedecet Xenophontem Lacedaemoniorum amicum atque admiratorem. Ipse quoque Xenophon Kyron regem verba fingit pronuntiantem (Kyrop. III 3, 51): αἱρετώτερόν ἐστι μαχομένους ἀποθνήσκειν μᾶλλον ἢ φεύγοντας σωθῆναι, sub quibus ipsius auctoris latet sententia (cf. etiam πολ. Λακ. 9, 1). Sed talia apud plurimos Graecos frequentissima sunt atque praestat lectorem referre ad Xenoph. Oikon. 11, 8: πειρῶμαι δὲ ποιεῖν ὡς ἂν θέμις ἦ μοι εὐχομένῳ... τυγχάνειν... ἐν πολέμῳ καλῆς σωτηρίας atque Apomnem. III 12, 2: οὐκ ὀλίγοι μὲν διὰ τὴν τοῦ σώματος καχεξίαν ἀποθνήσκουσί τε ἐν τοῖς πολεμικοῖς κινδύνοις καὶ αἰσχρῶς σῴζονται (quae verba loquitur Socrates): utraque Kynegetici elocutio, sc. καλὴ σωτηρία atque αἰσχρῶς σῴζεσθαι, minime usitatissima apud Xenophontem occurrit.[1])

Nonnisi obiter tangere velim sententiam quae sequitur paulo post (c. 12, 7): σώφρονάς τε γὰρ ποιεῖ καὶ δικαίους διὰ τὸ ἐν τῇ ἀληθείᾳ παιδεύεσθαι, quam qui profert, summam educationis in moderatione atque iustitia versari existimat, haud aliter atque

1) Haec exempla nunc affert etiam Pfoertner l.l. 39, 1.

Digitized by Google

Xenophon, qui de educatione Persarum haec dicit (Kyr. 1,2, 6—8): *οἱ μὲν παῖδες εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτῶντες διάγουσι μανθάνοντες δικαιοσύνην... διδάσκουσι δὲ τοὺς παῖδας καὶ σωφροσύνην* atque cum Tigranen regem sapientissimum (Kyr. 1, 3, 16) tum etiam Sokraten (Apomn. 4, 2, 11: *καὶ οὐχ οἷόν τέ γ' ἄνευ δικαιοσύνης ἀγαθὸν πολίτην γενέσθαι*; 4, 3, 1: *ᾤετο χρῆναι σωφροσύνην αὐτοῖς ἐγγενέσθαι*) utriusque virtutis laudem facit profitentem. Corporis animique virtutes pariter esse colendas censet Xenophon (cf. Scharr l.l. 262 ff.).

In proximis paragraphis (c. 12, 10 ff.) artis venandi adversarii refelluntur argumentis, quae proxime ad Xenophontis accedunt sententias. Verba quae sunt: *οὐκ εἰδότες ὅτι οἱ τὰς πόλεις καὶ τοὺς φίλους εὖ ποιοῦντες πάντες τῶν οἰκείων ἐπιμελέστεροί εἰσιν. εἰ οὖν οἱ φιλοκυνηγέται παρασκευάζουσιν αὑτοὺς τῇ πατρίδι χρησίμους εἶναι..., οὐδ' ἂν τὰ ἴδια ἀργοῖεν· σὺν γὰρ τῇ πόλει καὶ σῴζεται καὶ ἀπόλλυται τὰ οἰκεῖα ἑκάστου· ὥστε πρὸς τοῖς αὑτῶν καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἰδιωτῶν οἱ τοιοῦτοι σῴζουσι* conferenda sunt cum iis quae exhibet Xenophon Apomn. 3, 7, 9, ubi Socrates Charmiden hortatur ad rempublicam capessendam: *καὶ μὴ ἀμέλει τῶν τῆς πόλεως... τούτων γὰρ καλῶς ἐχόντων οὐ μόνον οἱ ἄλλοι πολῖται, ἀλλὰ καὶ οἱ σοὶ φίλοι καὶ αὐτὸς σὺ οὐκ ἐλάχιστα ὠφελήσῃ*; propria quippe commoda cum commodis patriae atque amicorum componere Xenophontis est; cf. adhuc de re equ. 3, 12, 4 cett. *Φίλοι καὶ πόλις* (*πατρίς*) saepissime apud Xenophontem coniuncti occurrunt, e. g. Oikon. 6, 10; Apol. 31; Apomn. 3, 12, 4. — Venatio, cuius studiosi cum rem publicam atque amicos tum etiam se ipsos tuentur, brevi ante unica vera voluptas iuniorum praedicatur, § 7 i. f.: *ἐώρων γὰρ* (*οἱ πρόγονοι*) *ὅτι τῶν νεωτέρων ἡ ἡδονὴ μόνη αὕτη πλεῖστα ἀγαθὰ παρασκευάζει*; contra adversarii venationis multis et malis vincuntur voluptatibus (§ 12 c. f.). Qua cum sententia iam olim comparaverat Kaibel (Herm. 25 [1890] 583 ff,) Xenoph. Apomn. 2, 1, 18 f, ubi Socrates in Aristippum atque eius doctrinam invehitur: *ἔπειτα ὁ μὲν ἑκουσίως τραχηλιπωρῶν ἐπ' ἀγαθῇ ἐλπίδι πονῶν εὐφραίνεται, οἷον οἱ τὰ θηρία θηρῶντες... καὶ τὰ μὲν τοιαῦτα ἆθλα τῶν πόνων μικροῦ τινος ἄξιά ἐστι· τοὺς δὲ πονοῦντας, ἵνα... δυνατοὶ γενόμενοι καὶ τοῖς σώμασι καὶ ταῖς ψυχαῖς καὶ τὸν ἑαυτῶν οἶκον καλῶς οἰκῶσι καὶ τοὺς φίλους εὖ ποιῶσι καὶ*

Digitized by Google

τὴν πατρίδα εὐεργετῶσι, πῶς οὐκ οἴεσθαι χρὴ τούτους καὶ πονεῖν ἡδέως εἰς τὰ τοιαῦτα... ἔτι δ' αἱ μὲν... ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἡδοναὶ οὔτε σώματι εὐεξίαν ἱκαναί εἰσιν ἐνεργάζεσθαι... οὔτε ψυχῇ ἐπιστήμην ἀξιόλογον... ἐμποιοῦσιν, αἱ δὲ διὰ καρτερίας ἐπιμέλειαι τῶν καλῶν τε κἀγαθῶν ἔργων ἐξικνεῖσθαι ποιοῦσιν. Sane hoc Xenophontis loco venatorum labores haud tanti aestimantur quanti illi, qui corpore et animo sani sunt, propriam rem curant, amicorum civitatisque saluti prospiciunt; quapropter Kynegetici locum supra indicatum Xenophonti abiudicare fortasse velit lector. Sed ipse quoque Xenophon, haud aliter quam auctor Kynegetici, venationem veram parere voluptatem aperte indicat, aliisque locis venatorem unice ad belligerandum praeparatum censet (cf. supra). Bellatorem autem procul dubio inter illos computat Xenophon, qui corpore animoque maxime valent atque rempublicam amicos suamque fortunam defendentes veris voluptatibus perfruuntur. Minime igitur sententia Kynegetici a Xenophonte aliena est, quippe qui in libello, qui agit de ipsa venatione, facile venatorem adhuc pluris aestimare potuerit quam in Apomnemoneumatis. Immo apud utrumque eaedem prorsus res, sc. corporis animique valetudo — cf. Kyneg. 12, 1 — atque reipublicae, amicorum suique ipsius salus, ad summam adducunt voluptatem. Eandem sententiam aliis quoque locis praebet Xenophon, cf. Apomn. 4, 5, 3. 9 f.; 1, 2, 48. Qui ad hunc perveniunt statum perfectionis, secundum Xenophontem nomine καλῶν τε κἀγαθῶν digni sunt, neque dubium videtur quin Kynegetici auctor venatorem, quem depinxit, inter καλούς τε κἀγαθούς numerandum esse censeat.

Haud ita multo post (c. 12, 15) de venatoribus in hunc modum sermo pergit: οἱ μὲν οὖν παρασχόντες αὑτοὺς ἐπὶ τὸ ἀεί τι μοχθεῖν τε καὶ διδάσκεσθαι ἑαυτοῖς μὲν μαθήσεις καὶ μελέτας ἐπιπόνους ἔχουσι, σωτηρίαν δὲ ταῖς ἑαυτῶν πόλεσιν· οἱ δὲ μὴ θέλοντες διὰ τὸ ἐπίπονον διδάσκεσθαι... Φύσει οὗτοι κάκιστοι; maioris momenti sunt ea quae c. 13, 4 exstant: κράτιστον μέν ἐστι παρὰ τῆς ἑαυτοῦ Φύσεως τὸν ἀγαθὸν διδάσκεσθαι (sc. ἐπ' ἀρετήν, cf. § 3), δεύτερον δὲ παρὰ τῶν ἀληθῶς ἀγαθόν τι ἐπισταμένων μᾶλλον ἢ ὑπὸ τῶν ἐξαπατᾶν τέχνην ἐχόντων. Quaestio, utrum virtus natura hominibus data sit an doceri possit, saepissime a sophistis quoque tractata est (cf. etiam Plato Memn. 70 A.)

Digitized by Google

Certius iudicium profert Kritias (frg. 9, Diels II⁴ 316): *ἐκ μελέτης πλείους ἢ Φύσεως ἀγαθοί* quam Protagoras (frg. 3 Diels II⁴ 229): *Φύσεως καὶ ἀσκήσεως διδασκαλία δεῖται.* Plura exempla invenias apud Gunning, de Sophistis Graeciae Praeceptoribus, diss. Amstelod. 1915, 94. Cognatae sententiae non solum in Kynegetico, sed etiam apud Xen. Apomn. 4, 1, 3: *ἀλλὰ τοὺς μὲν οἰομένους Φύσει ἀγαθοὺς εἶναι, μαθήσεως δὲ καταφρονοῦντας ἐδίδασκεν, ὅτι αἱ ἄριστα δοκοῦσαι εἶναι Φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται* occurrunt, nec non in Apomn. 3, 9, 2 f.: *νομίζω μέντοι πᾶσαν Φύσιν μαθήσει καὶ μελέτῃ πρὸς ἀνδρείαν αὔξεσθαι;... ἐκ δὲ τούτων δῆλόν ἐστιν ὅτι πάντας χρὴ καὶ τοὺς εὐφυεστέρους... τὴν Φύσιν, ἐν οἷς ἂν ἀξιόλογοι βούλωνται γενέσθαι, ταῦτα καὶ μανθάνειν καὶ μελετᾶν* (loquens inducitur Socrates), qui locus nobis pretiosissimus deest apud Gunning.

Minime licet ex eo, quod altero quidem Kynegetici loco *Φύσις* primas obtinet partes, propter parvam differentiam concludere doctrinam exstare alienam a Xenophonte, in cuius Apomnemoneumatis curae studiaque *Φύσει* non postponantur: numquam in philosophicis tantopere sibi constitit Xenophon. Contra maxime interest in sententiis valde cognatis eundem exhibere sermonem Xenophontem atque auctorem Kynegetici. Multis illis quos Gunning congessit locis studii labores graece modo *πόνος καὶ ἐπιμελεία* modo *ἐπιμελεία καὶ ἄσκησις καὶ μελέτη* vocantur; aliae quoque voces occurrunt. Illud vero *μαθήσεις καὶ μελέται* (*μανθάνειν καὶ μελετᾶν*) nonnisi apud Xenophontem Ap. 3, 9, 2 f. atque auctorem Kynegetici exstat; aliis quoque locis haec substantiva vel verba coniunxit Xenophon; cf. Apomn. II 6, 39: *μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας* (sc. *ἀρετάς*); III 10, 14. Kynegetici sermonem a Xenophontis scriptis abhorrere saepius contenderunt viri docti. Quae differentiae haud raro diversitate argumentorum explicantur; quotienscumque eaedem res tractantur, saepe etiam sermo consentit. Inter multa exempla, quae affert Pfoertner diss. Gryph. 1925 (cf. supra p. 123), nonnulla revera demonstrant, quo arto sermonis vinculo cum Xenophontis operibus Kynegetikos cohaereat; cf. Kyneg. 3, 10: (*αἱ κύνες*) *ἀπρονοήτως ἐπὶ τοῦτο Φέρονται* ~ Kyrop. I 4, 21: *ὥσπερ δὲ κύων... ἀπρονοήτως Φέρεται πρὸς κάπρον*; Kyneg. 10, 6: *τοῦ μὲν γὰρ χειμῶνός ἐστιν ἀλεεινά, τοῦ δὲ θέρους ψυχεινά* (intellegendum est

Digitized by Google

τὰ τοιαῦτα, i. e. τόποι ὑλώδεις) ~ Xen. Oikon. 9, 4: διαιτητήρια... τοῦ μὲν θέρους... ψυχεινά, τοῦ δὲ χειμῶνος ἀλεεινά; [Kyneg. 12, 1 ~ Apol. 6, 2 (p. 39)]; Kyn. 4, 11 ~ Kyrop. 4, 4, 1. Sed miror eum complura quae attuli exempla fugisse; conferas velim etiam Kyneg. 10, 8: ἐὰν γὰρ ὑποχωρῶν ἐμπέσῃ εἰς πυκνούς, κίνδυνος — πληγῆναι ~ Xen. de re equ. 6, 1: ἢν μὲν γὰρ εἰς τὸ αὐτὸ βλέπων τῷ ἵππῳ καθαίρῃ, κίνδυνος... πληγῆναι.

Sub finem capituli duodecimi sententia pronuntiatur (§ 20): ὅταν μὲν γάρ τις ὁρᾶται ὑπὸ τοῦ ἐρωμένου, ἅπας ἑαυτοῦ ἐστι βελτίων καὶ οὔτε λέγει οὔτε ποιεῖ αἰσχρὰ... ἵνα μὴ ὀφθῇ ὑπ' ἐκείνου. ὑπὸ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐκ οἰόμενοι ἐπισκοπεῖσθαι πολλὰ κακὰ... ποιοῦσιν, quae nihil commune habet cum Platon. Phaedr. 250 D (sic olim Kaibel l.l.; cf. Dümmler kl. Schr. 145), sed potius congruit cum loco Symposii (178e) celeberrimo [1]), ubi Phaedrus edisserit validissimum fore exercitum ἐραστῶν τε καὶ παιδικῶν, quippe qui in conspectu sui amoris nusquam pericula detrectent [2]); neque tamen dico locum Platonis auctori Kynegetici ob oculos versatum esse. De illo amore prorsus idem cogitasse Xenophontem atque haud semel eandem sententiam professum esse non solum edocet Conviv. c. 8, 32, ubi ille ipse Symposii locus exscribitur (nisi quod falso Pausaniae filio Agathonis sententia attribuitur), sed etiam c. 4, 15: διὰ γὰρ τὸ ἐμπνεῖν τι ἡμᾶς... τοῖς ἐρωτικοῖς... αὐτοὺς ποιοῦμεν... φιλοπονωτέρους... ἐν τοῖς κινδύνοις (loquitur Kliniae amator Kritoboulos procul dubio ad illud ἐμπνήλας alludens). Multis denique verbis enarrat Xenophon, quomodo περὶ τῶν παιδικῶν ἐρώτων Lykourgos legislator censuerit (πολ. Λακ. c. 2, 12 ff.): amorem corporalem prorsus damnabat, cum animi puerilis amatore cotidie versari optimam puero iudicabat educationem. Vix dubium videtur quin Xenophon indicare voluerit se ipsum ita censere; conferenda enim sunt verba quae subsequuntur (§ 14): ἡ μὲν δὴ παιδεία εἴρηται ἥ τε Λακωνικὴ καὶ ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων· ἐξ ὁποτέρας δ' αὐτῶν... αἰδημονέστεροι... ἄνδρες ἀποτελοῦνται, ὁ βου-

1) De tota hac quaestione cf. Bethe Mus. Rhen. 62, 1907, p. 438 ff.

2) Cf. etiam verba: τὸν ἐρώμενον ὁρῶμεν, ὅτι διαφερόντως τοὺς ἐράστας αἰσχύνεται, ὅταν ὀφθῇ ἐν αἰσχρῷ τινὶ ὤν.

Digitized by Google

λόμενος καὶ ταῦτα ἐπισκοπείσθω. Cum Xenophontis sententia prorsus conveniunt verba Kynegetici, quae supra exscripta sunt.

Initio capituli tertii decimi acerrime invehitur auctor in sophistas, qui a philosophis secernuntur (§ 6). Quod qui miratur aliis locis (e. g. Πόροι 5, 4) σοφιστάς atque φιλοσόφους una simulque induci considerans, legat, quaeso, Xenophontis verba (Apomn. 1, 6, 13): καὶ τὴν σοφίαν... ἀργυρίου τῷ βουλομένῳ πωλοῦντας σοφιστὰς ὥσπερ πόρνους ἀποκαλοῦσιν), cuius loci vim infringere frustra conatus est Radermacher, Mus. Rhen. 52, 22 (aliter iudicandum est de Anab. 2, 1, 13 cett.). [1])

In fine eiusdem capituli edisseritur, quomodo venatores ab ipsis deis venationum operibus gavisis se conspici opinati fiant religiosissimi atque parentibus tum etiam civitati amicis civibusque prosint omnibus numeris (οὗτοι δ' ἂν εἶεν καὶ τοκεῦσιν ἀγαθοὶ καὶ πάσῃ τῇ ἑαυτῶν πόλει καὶ ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν φίλων καὶ πολιτῶν § 17). Maxime, ni fallor, interest in Xenophontis Kyropaideia (1, 2, 7) gravissimas poenas ingratorum in hunc medum explicari: οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν καὶ περὶ γονέας καὶ πατρίδα καὶ φίλους. Utroque loco (ut de deis taceamus) ante ceteros parentes respiciuntur, sequuntur patria atque amici. Sane parentes summopere colendos esse Graecorum quoque leges ethicae iubebant — sufficit referre ad Theogn. 131 (Diehl), Pindar. Pyth. 6, 23 ff., Aristot. Eth. Nicom. VIII 14 p. 1162a 6 ff.; plura invenias apud J. Bernays, Theophrasts Schrift über die Frömmigkeit 158; Dieterich Nekyia 166; Hirzel Ἄγραφος νόμος 32 — idemque sine dubio in Hesiodi Cheirone (frg. 173 Rzach) docebatur. Sed eundem prorsus ordinem, quo primum obtinent locum parentes, respublica secundum, amici tertium — alii ordines in tragoediis graecis leguntur —, monendum est Xenophontis loco laudato atque in Kynegetico obvium fieri. — Kynegetici auctorem religiosissimum fuisse praeter locum, quem modo excripsimus, etiam verba indicant, quibus venator monetur ut ante venationem partem praedae Apollini atque Arte-

1) Cum iis quae leguntur c. 13 § 11: τάς τε γὰρ τῶν ἰδιωτῶν οὐσίας ἀφαιρούμενοι (sc. οἱ πλεονέκται)... πονεῖν οὐ δυνάμενοι licet conferre Kyrop. 2, 2, 25: οἱ δ' ἂν τῶν μὲν πόνων κακοὶ ὦσι κοινωνοί, πρὸς δὲ τὸ πλεονεκτεῖν σφοδροὶ καὶ ἀναίσχυντοι e. q. s.

Digitized by Google

midi Ἀγροτέρᾳ voveat (c. 6, 13). Talia imprimis Xenophon expressis verbis adhortatur; cf. Hipparch. 3, 1: *μέλειν δεῖ τῷ ἱππάρχῳ πρῶτον μὲν ὅπως καλλιερήσει τοῖς θεοῖς ὑπὲρ τοῦ ἱππικοῦ*, c. 7, 1; in fine huius opusculi Xenophon adiungit interiectione *τὴν θεῷ* procul dubio nonnisi eos offendi qui numquam in periculo mortis versati sunt; neque casui attribuendum est quod in fine libelli disputatio exit in verba *τοὺς θεούς*. Refero etiam ad Oikon. c. 5, 20: *εὖ γὰρ ἴσθι*, ἔφη (sc. Sokrates), *ὅτι οἱ σώφρονες... καὶ ὑπὲρ πάντων γε δὴ τῶν κτημάτων τοὺς θεοὺς θεραπεύουσιν*. Ipsius denique Xenophontis sententiam profert Kyros (Kyrop. I 5, 14) omnia negotia sive parva sive maxima ab ipsis deis ordienda esse pronuntians.

Sed in iis quoque capitulis, quae ipsam venandi *τέχνην* tractant, hic illic nonnulla occurrunt, quae proxime ad Xenophontem accedunt. In Kynegetico canes venatici non solum sapientes (c. 3, 7; 6, 13), sed etiam *φιλάνθρωποι* appellantur, cf. 3, 9: *πολλαὶ δὲ τὰ διώγματα ἀφιεῖσαι ἐπανέρχονται... διὰ τὸ φιλάνθρωπον*; 6, 25: *παραμυθούμενον τὴν φιλάνθρωπον πολλά, τὴν αὐδάθη ὀλίγα*, ubi *φιλάνθρωπος* idem fere valet atque 'mansuetus'. *Φιλανθρωπία* nonnisi perraro animalibus attributa est — testimonia exhibet S. Lorenz, de progr. notionis *φιλανθρωπίας*, diss. Lips. 1914, 11 —, cf. Arist. de anim. 630ᵃ 9; Plut. mor. 162 F, 984 C; Lucian. dial. mar. 8, 1; Aesop. fab. 69. Quam raro animalia *φιλάνθρωπα* praedicentur, docet etiam Hermogenes, qui (de id. III 324, p. 340, 21 Raabe) nostrum respiciens auctorem (sc. c. 3, 9) *φιλανθρωπίαν* per *τὴν πρὸς ἀνθρώπους συνήθειαν* interpretatur. Sed etiam Xenophon de re equ. 2, 3: *ὅπως μέντοι πρᾷός τε καὶ χειροήθης καὶ φιλάνθρωπος ὁ πῶλος ἐκδίδωται, τῷ πωλοδάμνῃ ἐπιμελητέον* equi *φιλανθρωπίαν* praedicat, eodem fere sensu, quo in Kyneg. c. 6, 25 canes *φιλάνθρωποι* nominantur, vocabulum usurpans.

Canis venatici oculi *μετέωροι* sunto (Kyneg. 4, 1). Idem de equis censet Xenoph. de re equ. 1, 9: *καὶ μὴν τὸ ἐξόφθαλμον εἶναι ἐγρηγορὸς μᾶλλον φαίνεται τοῦ κοιλοφθάλμου καὶ ἐπὶ πλεῖον δ' ἂν ὁ τοιοῦτος ὁρᾴη*. Contra Aristoteles de anim. 780ᵇ 36 autumat *ἐξοφθάλμους* lippos esse, *κοιλοφθάλμους* optime videre (cf. Hirschberg, Gesch. d. Augenheilkunde I Altertum 1899, 11). Hoc quoque loco auctor Kynegetici facit cum Xenophonte.

Digitized by Google

Sane initio saeculi quarti aliter iudicasse medicos quam temporibus Aristotelis contendat quis atque illum consensum nullius omnino esse pretii. Cui respondendum est minime meum esse Xenophontem omnibus scrupulis remotis auctorem Kynegetici proclamare; hanc quaestionem solvere erit eius, qui ceteras quoque quaestiones ad Xenophontem pertinentes fusius tractabit. Ἐξόφθαλμος terminum technicum fuisse Xenophon Aristotelesque docent; abhorret auctor Kynegetici illud μετέωρος scribens; item sophistarum professiones, quae apud Platonem atque Isocraten ἐπαγγέλματα nominari solent (Gunning l.l. p. 14), in Kynegetico (c. 13, 19) παραγγέλματα audiunt; nec non desunt alia exempla. Sed hic ipse quem tractamus locus, quippe qui in re cum Xenophonte plane congruat, satis demonstrat minime licere delectus vocabulorum rationibus commotum Xenophonti Kynegetikon abiudicare. — Humida (ὑγρά) membra maioris esse agilitatis cum auctor noster tum Xenophon in de re equestri saepius monet.

Restat ut de Kynegetici prooemio verba faciamus. Mirum in modum praeter Asclepium atque Achillem aliorum quoque heroum longa series introducitur, quos Cheironis discipulos fuisse perhibet auctor; non solum venatores, quales sunt Kephalos, Meilanion aliique, sed etiam Machaon Podaleiriosque celeberrimi medici, Nestor, Aineias, Menestheus Palamedes (illi quoque omnes venatores finguntur) enumerantur. Quodsi illam seriem heroum: *Kephalos*, *Asklepios*, *Meilanion*, *Nestor*, *Amphiaraos*, *Peleus*, *Telamon*, *Meleager*, *Theseus*, *Hippolytos*, *Palamedes*, *Odysseus*, *Menestheus*, *Diomedes*, *Kastor*, *Polydeukes*, *Machaon*, *Podaleirios*, *Antilochos*, *Aineias Achilleus* accuratius inspexerimus, facile apparebit ordinem exstare minime fortuitum. Incipit auctor a Kephalo Kephalidarum eponymo, primo Thoricum incolentium postea Athenas migrantium, ubi Apollinis sacra gentilicia colebant [1]); quem primum obtinere locum minime mirum erit consideranti prooemium hisce verbis incipere: πρῶτον [2]) εὕρημα θεῶν, Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος ἄγρα καὶ κύνες...

1) Cf. Toepffer, Attische Genealogie 255 ff.

2) Sic recte cod. W, τὸ μὲν M; quas lectiones contaminavit Rühl τὸ μὲν πρῶτον scribens; aliis locis codicem W interpolationes exhibere, quae ex ipsa antiquitate originem ducunt, in diario, quod vocatur Hermes, breviter exponam.

Digitized by Google

Kephalon revera a ceteris secernendum esse vel ex eo elucet quod ceteri, qui Cheironis discipuli finguntur, heroes, inde a Meilanione usque ad Aeneiam, ita sequuntur, ut eorum nomina nominibus Asclepii atque Achilleos includantur, qui soli consensu omnium Cheironis fuerant discipuli. Illi vero heroes, quos primus quantum scimus prooemii auctor finxit Cheironem docuisse, in duas, ni fallor, partes dividendi sunt: seniores (usque ad Theseum) antecedunt, iuniores subsequuntur, atque aptissime utrique ita coniuncti sunt, ut post Theseum eius filius Hippolytos commemoretur. Neque nomina iuniorum sine ulla ratione posita sunt. Praeter Kastorem et Polydeuken, Machaonem et Podaleirion Antilochos quoque atque Aineias de consulte se subsequuntur, quorum uterque exemplum pietatis est; cf. § 14 f.: *Ἀντίλοχος δὲ τοῦ πατρὸς ὑπεραποθανὼν... Αἰνείας δὲ σώσας δὲ καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα.* Artissime inter se cohaerent etiam Palamedes, Odysseus Diomedes, quamquam culpa in Palamedem commissa [1]) Ithacensis eiusque amicus liberantur (§ 11). Quae omnia cum ita sint, valde mirandum est nomina Odysseos atque Diomedis Menestheo in hac quidem enumeratione seiungi (aliter § 12 f.: *Μενεσθεὺς δὲ... Ὀδυσσεὺς δὲ καὶ Διομήδης*). Facile conicias ab auctore prooemii nomen herois Attici primo omissum postea illatum esse. Eiusdem Menestheos nomen in navium catalogum B 546 ff. ab Atheniensibus insertum esse diu inter viros doctos constat. Etiam quarto saeculo Dieuchidas Megarensis illorum versuum (B 546 ff.) interpolationem Peisistrato obiciebat (cf. Wilamowitzius, Hom. Unt. 244 sqq.). Atque illi ipsi Iliadis versus interpolati respiciuntur ab auctore Kynegetici in Menesthei praedicatione (§ 12): *ὁμολογεῖται τοὺς τῶν Ἑλλήνων πρώτους ὑστέρους εἶναι... πλὴν Νέστορος· καὶ οὗτος οὐ προέχειν λέγεται ἀλλὰ ἐρίζειν* ~ B 555 *Νέστωρ οἷος ἔριζεν.* Sub finem versuum interpolatorum quasi Atheniensium appendix (cf. Wilamowitzius l.l.) Aiax Salaminius introducitur (557 f.), quos versus aetate, qua inter Athenienses et Megarenses de insula Salamini summa erat lis, ita commutaverunt (*Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας, ἔκ τε Πολίχνης ἐκ τ' Αἰγειρούσσης Νισαίων τε Τριπόδων τε*) Megarenses, ut ipsorum dux fieret Aias clarissi-

1) Apomn. IV 2, 33 Palamedis fortuna narratur vulgo tradita.

Digitized by Google

mus heros. Auctor prooemii non solum versus interpolatos qui de Menestheo agunt respexit, sed etiam Aiacem Atheniensem voluit proclamare hisce verbis (§ 9): Τελαμὼν δὲ τοιοῦτος ἐγένετο, ὥστε ἐκ μὲν πόλεως τῆς μεγίστης ἦν αὐτὸς ἐβούλετο γῆμαι Περίβοιαν τὴν Ἀλκάθου, ubi per πόλις ἡ μεγίστη sine dubio Athenae indicantur (cf. Hiller v. Gaertringen R E s. v. Alkathoos); duplex quippe laus Telamoni tribuitur, qui quam ipse voluerat ex urbe maxima domum duxerit, neque ironice lusu quodam verborum Megarensium urbs respicitur, cf. Diod. 4, 72, 7: ἔγημεν ἐξ Ἀθηνῶν Ἐρίβοιαν τὴν Ἀλκάθου, ἐξ ἧς ἐγέννησεν Αἴαντα τὸν ἐπὶ Τροίαν στρατεύσαντα. Sicut olim Megarenses Salamini potiti Aiacem suum fecerant Periboiam Megarensem Telamonis uxorem fuisse fingentes, ita etiam Athenienses insula in suam dicionem redacta Aiacem eo sibi conciliaverunt quod Periboiam (Meliboiam eam Istros in Atticis nominabat) Aiacis matrem postea Theseo nupsisse dicebant, v. Toepffer l.l. p. 274. Quo matrimonio cum Aias nonnisi privignus Thesei neque vere Atheniensis factus esset, eo progressum est, ut ipsa Periboia diceretur Athenis oriunda; id praeter Diodorum prooemii auctor tradit, qui, quamquam Aiacem non commemorat, procul dubio in maiorem patriae gloriam (cf. verba ἐκ πόλεως τῆς μεγίστης) scribens conscius sibi erat hisce suis verbis Aiacem fere Atheniensem fieri [1]). Atheniensem fuisse auctorem prooemii — quippe qui Menestheum de consulto in seriem heroum inseruerit et valde laudaverit, versus Iliadis (B 555) ab Atheniensibus confectos respexerit atque imitatus sit, Periboiam Atheniensem proclamando Aiacem Salaminium Atheniensem fere fecerit — eo facilius nobis persuadebitur quod series heroum incipit a Kephalo; cf. etiam § 12: Θησεὺς ... τὴν δ' αὐτοῦ πατρίδα πολλῷ μείζω ποιήσας ἔτι καὶ νῦν θαυμάζεται. Auctorem illas imprimis res tetigisse animadvertimus, quae quinto et quarto saeculo Atheniensibus cordi erant, neque verisimile est prooemium illa aetate compositum esse quae vulgo 'das Zeitalter der zweiten Sophistik' audit (ita post Nordenum etiam Mewaldt l.l.).

1) Ipse fortasse prooemii auctor talia finxit; cum Antisthenis nulla certa sint vestigia, Cheironis discipulorum numerus ab eodem fortasse prooemii auctore auctus est.

Digitized by Google

Sed iam ad heroas seniores (Meilanionem cett.) nos vertamus, qui omnes venationi Calydoniae interfuerunt (Nestor quoque secundum Ovidii metam. 8, 313 interfuit). Summi vero, ni fallor, momenti est, quod in altero tympano aedis Athenae Alcae, quam anno 395/4 Tegeae aedificavit Scopas Parius, quamque descripsit Pausanias 8, 45, 4 sq., venatio Calydonia sculpta erat atque secundum Pausaniam ab altera apri parte Ἀταλάντη καὶ Μελέαγρος καὶ Θησεὺς Τελαμών τε καὶ Πηλεὺς καὶ Πολυδεύκης καὶ Ἰόλαος... Πρόθους καὶ Κομήτης stabant. Ex iis auctori prooemii, quippe qui nonnisi viros celeberrimos nominaret Cheironis discipulos atque Castorem et Polydeucen fratres Helenae inter iuniores enumeraret, tantummodo Meleagrum et Theseum, Telamonem et Peleum licuit commemorare. Illi autem eodem modo atque in aedibus Tegeae inter se coniuncti sunt; ut hic, ita in Kynegetico Peleus cum Telamone, Meleager cum Theseo compositus est.

Quod vix casui tribuendum esse docet vas, quod vulgo 'Françoisvase' vocatur, ubi Peleus atque Meleager alter iuxta alterum stant; alias Theseus atque Peleus coniunguntur (cf. Roscher III 1841); Telamon et Peleus fratres nonnisi apud Ovid. met. 8, 378 ff. sibi proximi sunt. Pro Atalante necessitas auctorem prooemii, qui nonnisi viros nominabat, coegit eius maritum Meilanionem (cf. CIG 8139, 8185a) substituere; Amphiaraum — simul cum Castore atque herois ignobilioribus, qui in prooemio omittendi erant — Scopas quoque sculpsit κατὰ τοῦ ὑὸς τὰ ἕτερα (§ 7). Nestorem apud Ovidium quoque obvium nescio unde sumpsit prooemii auctor [1]). Artius aliquatenus, ni omnia fallunt, cum Scopae sculpturis videntur cohaerere ea quae in serie heroum seniorum legimus, atque id optime quadrat in prooemium, quod aliis causis commoti quarto saeculo attribuimus [2]). Eodem tempore ipse Kynegetikos conscrip-

1) Asclepius quoque secundum Hygin. fab. 14 venationi interfuit; idem indicat auctor prooemii alterum veterem Cheironis discipulum, sc. Asclepium, initio seriei heroum una cum venatoribus, qui suem Calydonium interfecerant, collocans, alterum, sc. Achillem, in fine totius seriei longe ab illis ponens (cf. etiam paulo supra).

2) Nil obstat quin quarto saeculo attribuamus descriptionem pietatis Aeneae (§ 15); quae posteriores enarrant, intercedente Varrone e Timaeo potissimum fluxerunt, cf. e. g. Heinze, Vergils epische Technik[3] 29.

Digitized by Google

tus est, cuius auctor moribus atque aetati Xenophontis valde proximus est. Summopere igitur cavendum, ne prooemium ab ipso opusculo temere secernamus, id quod saepius fecerunt viri docti. Quo arto vinculo cum prooemio sequentia capitula cohaereant, nomina docent mulierum in fine totius opusculi prolata (c. 13, 18). Atalante enim et Procris, quas venandi studio meliores redditas perhibet auctor Kynegetici, uxores sunt venatorum, qui in longa prooemii serie heroum primo loco (nisi quod intercedit Asclepius) enumerantur; Atalante haud aliter atque prooemium venationem Calydoniam in mentem revocat. — Verba quae exstant c. 12, 18: *καὶ τοῦτο ἐπιδέδεικται μεγάλῳ παραδείγματι. τῶν γὰρ παλαιοτέρων οἱ παρὰ Χείρωνι ὧν ἐπεμνήσθην νέοι ὄντες ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν κυνηγεσίων πολλὰ καὶ καλὰ ἔμαθον. ἐξ ὧν ἐγένετο αὐτοῖς μεγάλη ἀρετή, δι' ἣν καὶ νῦν θαυμάζονται* (cf. prooem. c. 1, 10: *ἔτι καὶ νῦν θαυμάζεται*) artissime cohaerent cum prooemio; cf. imprimis c. 1, 5: *ἐκ δὲ τῆς ἐπιμελείας τῆς ἐκ τῶν κυνῶν καὶ κυνηγεσίων καὶ ⟨ἐκ⟩ τῆς ἄλλης παιδείας πολὺ διενεγκόντες τὰ κατὰ τὴν ἀρετὴν ἐθαυμάσθησαν.* Illa quidem verba *ὧν ἐπεμνήσθην*, quae ad prooemium nos referunt, delentur a Breuneckio atque Mewaldtio; sed ne iis quidem sublatis vinculum, quod hanc pericopam Kynegetici prooemiumque coniungit, tollitur; id facile docent verba quae exscripsimus. Immo prooemio remoto prorsus inexpectati prodeunt (c. 12, 18) illi discipuli Cheironis, qui venationibus operam dederint, atque stupefactus interrogat lector, quaene sint illorum nomina; discipuli enim Cheironis, sc. Achilles, Asklepius, Iason, aliunde noti [1]) vix semel venatores commemorantur. Tota igitur sententia, quae in § 18 extat, quaeque nil aliud est nisi parvum prooemii argumentum, satis superque demonstrat prooemium ab ipso Kynegetici auctore confectum esse. Arteque illa sententia cohaeret cum iis quae subsequuntur; quam qui tamquam postea insertam e medio tollit, totam argumentationem pessum dat. — Assiduo labore (*Φιλοπονία* c. 13, 13) venator corporis virtutem excolat; sed illa ipsa venatio, qua dei quoque laetantur, cum ad *εὐσεβείαν* (13, 16 f.), cuius auxilio parentibus

1) Nonnisi apud Philostratum Heroik. 9 Asclepius, Telamon, Peleus, Theseus, Herakles, Protesilaos, Palamedes, Achilles Aiax discipuli Cheironis nominantur.

Digitized by Google

civitati amicis bene prospicitur, tum etiam ad σοφίαν (13, 7) atque σωφροσύνην (12, 7) adducit. Artis venandi, quam tanti aestimat, admiratione inductus fingit [1]) auctor Cheironem, cuius sapientia diu erat celebrata, illos heroas artem venatoriam docuisse, quos ipsi Graeci mirabantur indeque a pueritia nos quoque hodierni miramur. Qui imprimis ἐκ κυνηγεσίων eo provecti esse dicuntur, ut ad summam σοφίας, σωφροσύνης, ὁσιότητος (1, 11) pervenirent, φιλοπονίᾳ (1, 7. 12. 14) atque εὐσεβείᾳ (1. 14. 15) diis placerent, civitatem ab infortuniis, totam Graeciam contra barbaros defenderent. Suos ipse aequales ut ad venationes incitaret, eam commisit Kynegetici auctor, si ipse commisit, fraudem; sed pia aliquatenus est fraus, quam facile, si homini licet homini ignoscere, ignoscemus, neque prorsus indigna etiam ipso Xenophonte.

1) Cf. supra p. 135 adn. 1.

Digitized by Google

QUAESTIONES AD FABULAM PLAUTINAM MENAECHMOS PERTINENTES.

SCRIPSIT

J. W. BIERMA.

Fabula Menaechmi, Plautini corporis inter lepidissimas adnumeranda, etsi ad levius genus pertinens et melioribus fabulis quae originem Menandream habent cedens, tanta concinnitate tam in universo argumento quam in singulis scenis est tantique leporis comici, ut nunquam sine voluptate quadam et delectatione manibus eam resumpseris. Quae nihil profecto habet, quod totius in argumento vel in tenore singularum scenarum nexuque obscurum dicere possis.

Ad singulos locos vero versusque si animum acrius attenderis, invenies multa, quae nondum plane explicata elucidataque sint. Quin etiam plures loci sunt, ubi viri docti difficultatem non satis vel crevisse vel se cernere ostendisse mihi videantur.

Hic igitur munus mihi sumpserim difficultatem talis loci clarius arguendi et deinde, quoad fieri poterit, tollendi; simul de nonnullis quae cum illo loco nec non inter se cohaerent, disputabo.

Is locus continetur vss. 900 sqq.:

> Quae me clam ratus sum facere, omnia ea fecit palam
> parasitus, qui me complevit flagiti et formidinis,
> meus Ulixes, suo qui regi tantum concivit mali.

Non opus est multa disputatione ad demonstrandum hic plane mirum Ulixem fingi, qui cum parasito comparetur et suum regem flagitii complevisse dicatur. Nihil tale in Ulixe epicorum carminum inest. In Iliade et in concilio Graecorum et in expeditione adversus Dolonem et alibi praeclare rem

Digitized by Google

Agamemnonis universorumque Graecorum tutatur non minore gloria sua quam popularium. Et qualis fuerit in opinione Graecorum, iudicio armorum apparuit. Nihil ibi parasitici, nihil quod Agamemnoni flagitio esset.

Itaque mihi non explico, quo modo ii qui fabulam Plautinam commentario instruxerunt, in his versibus non magis haeserint.

Velut Niemeyer, qui editionem Brixianam huius fabulae quod sciam ultimum instruxit [1]), quid ille ad hunc locum?

„Ulixes als Helfershelfer (Pseud. 1063) auf Abwegen, wohl auch als homo duplex genannt, vielleicht in Erinnerung an seine üblen Dienste bei Iphigeniens Opferung (Eurip. Iph. Aul. 524. 1361), wodurch die Verfeindung zwischen Agamemnon und seiner Gattin entstand".

Hic versus et Latinum Pseudoli et Graecos Iphig. Aul. ascribam:

Pseud. 1063 sq. SIMO. Viso quid rerum meus Ulixes egerit,
Iamne habeat signum ex arce Ballionia.

Iphig. Aul. 524 ΑΓΑ. Τὸ Σισύφειον σπέρμα πάντ' οἶδεν τάδε.
1361 ΑΧ. οὔκ (sc. σφαγήσεται Ι.) ἐμοῦ γε ζῶντος. ΚΛ.
ἥξει δ' ὅστις ἅψεται κόρης;
ΑΧ. μύριοι γ'· ἄξει δ' Ὀδυσσεύς. ΚΛ. ἆρ' ὁ
Σισύφου γόνος;
ΑΧ. αὐτὸς οὗτος.

Nonne omnes deos hominesque contestari possum nihil in his versibus inesse quod ad difficultatem versuum supra laudatorum tollendam quicquam valeat? In loco Pseudoli luce clarius est rem spectari quae Ulixi summae gloriae fuit nec Agamemnoni damno, raptum Palladii, et in Iphigeniae loco Ulixes minime parasitus est Agamemnonis nec vero qui eum flagitio afficiat, sed rex regi adversans et id pro causa communi Graecorum. Nec ille quidem fuit, qui Agamemnonem ad sacrificium horribile perduxerit sed frater huius. Conf. vs. 94 sqq.:

κλύων δ' ἐγὼ ταῦτ' ἰρθίῳ κηρύγματι
Ταλθύβιον εἶπον πάντ' ἀφιέναι στρατόν,

1) Ed. V, Teubner, 1912.

Digitized by Google

ὡς οὔποτ' ἂν τλὰς θυγατέρα κτανεῖν ἐμήν.
οὔ δή μ' ἀδελφὸς πάντα προσφέρων λόγον
ἔπεισε τλῆναι δεινά.

Ad aliquam memoriam igitur, quae in fabulis Euripidis subsit, hanc allusionem mythologicam relaturi, aliam fabulam atque Iphigeniam Aul. circumspicere debemus. Et est cur primo aspectu arrideat Cyclops, quia dramatis satyrici indoli haec in ridiculum detorta Ulixis natura satis convenit. Sed eam fabulam cum tantum percurrimus, manifestum nobis fit, poetam tragicum Ulixi etiam hic naturam, qua Homerus eum finxerit, servavisse. Neque magis ceteri tragici ullam vel minimam facultatem praebent, qua nova Ulixis parasiti figura explicetur.

Itaque comicos potius adeamus.

Quanta pars materiae comicae ex antiquis mythis vel desumpta vel aliquo modo derivata sit, non multis me opus est disserere. In titulis fabularum quos Kock in secundo indice voluminis III Fr. Com. Gr. enumerat plus quinquaginta argumentum mythologicum indicant aut — nam magna prudentia in hac re opus est — indicare videntur; τῆς παλαίας non paucae fabulae, τῆς μέσης magna pars tale argumentum tractabant. Conf. Meineke, Fragm. Com. Gr. I, pag. 278 sqq.

Nec Ulixes eiusque casus ibi absunt. Laudatur Ὀδυσσεὺς Theopompi, Anaxandridis, Amphidis, Ὀδυσσεὺς ἀπονιζόμενος Alexidis, Ὀδυσσεὺς ὑφαίνων eiusdem, Ὀδυσσῆς Cratini. Ad eundem cyclum Καλυψὼ Anaxilae, Ναυσικάα Eubuli Πηνελόπη Theopompi pertinent. Denique casibus Ulixis quodam modo implicatum fuisse videtur argumentum quod habebant fabulae hae: Κύκλωψ Antiphanis, Κύκλωπες Calliae (vel Dioclis) Γαλάτεια Nicocharis, Γαλάτεια Alexidis.

Infelici fortuna accidit, ut ne unius quidem earum fabularum, quae nomen Ὀδυσσέα habent, argumentum divinari nedum adumbrari possit. Fragmenta, quae tamen nonnulla servantur, de tenore totius fabulae nihil indicant. Neque meliore condicione in Ὀδυσσεῖ ἀπονιζομένῳ et Ὀδυσσεῖ ὑφάινοντι Alexidis utimur, si titulos exceperis. Nam quicquid de argumento earum coniicere sustinebimus, titulis nixi non fragmentis ausi erimus. Velut Meineke in τῷ ἀπονιζομένῳ „lavacrum Ulixi ab

Digitized by Google

Euryclea ministratum" significari censuit, alius quis fortasse ad Od. VIII, 450 sqq., ubi in aedibus Antinoi Ulixi lavacrum praebetur, magis referre voluerit [1]). Τ*Φαίνοντος* argumentum cum Ulixis mora apud Calypso coniungere inclinatus fueris.

Etsi ad adumbrandum totum fabulae argumentum nondum satis instructi, tamen in fabula Cratini, cui nomen Ὀδυσσῆς est, habemus, quibus aliquid de fabulae materia colligere possimus. Ex fragmentis, quae non ita pauca nobis servantur, ratio non perspicua fit, cur plurali numero nomen herois pro titulo fabulae inditum sit. An et Ulixes in fabula inducitur et homines ei similes, poetae aequales? [1]) Hoc tamen satis apparet, ea quae Ulixes apud Polyphemum fecit passusque est, magnam partem in fabulae argumento obtinuisse; fr. 135, 141, 142, 136, 137, 143.

Num etiam casus vicesque aliae atque quas apud Polyphemum passus est in comoedia fuerint, ex fragmentis colligere non possumus, certe nonnulla ad cursum pertinent, velut 144

σιγάν νυν ἅπας ἔχε σιγάν,
καὶ πάντα λόγον τάχα πεύσει. [2])
ἡμῖν δ' Ἰθάκη πατρίς ἐστιν,
πλέομεν δ' ἅμ' Ὀδυσσέι θείῳ.

Hoc fragmentum, quod Kock extremae fabulae parti attribuit [3]), ad priorem partem potius eaque quae, ut spectatores edoceantur, inducta sunt a poeta rettulerim.

Tum fr. 138, 139

---

1) E verbis Platonii XXIII, 71: *οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσιν* non hoc eliciendum videtur in nullum aequalem iocos in ea comoedia dictos esse, sed comicam acerbitatem homines primores exagitantem in ea non infuisse.

Quod Kock titulum explicat „Ulixes cum eius sociis", id vix eo titulo posse significari puto.

2) Fortasse praestat legere *σιγᾶν, νυν ἅπας ἔχε σιγάν*. Cobet, N. L. 27 dedit *σίγα νυν ἅπας, ἔχε σῖγα*, quae profecto elegans coniectura est, sed annon *α* pro *η* in vocabula *σιγά* sollicitandum sit, valde dubium. Nescimus enim quatenus ordines civitatis, regiones Atticae in hac re variaverint, cum tamen eas non plane congruisse consentaneum sit.

3) Fr. C. Gr. I p. 58: „ad extremam fabulae partem haec chori verba pertinere docet Eurip. Cycl. 708, 709". Sed e versibus Euripidis id nullo modo apparet.

Digitized by Google

τίνες αὖ πόντον κατέχουσ' αὖρκι; νέφος οὐράνιον τοδ' ὁρῶμαι
ὡς ἂν μᾶλλον τοῖς πηδαλίοις ἡ ναῦς ἡμῶν πειθαρχῇ

et 140

ἐπ' ἀριστερ' ἀεὶ τὴν ἀρκτὸν ἔχων λάμπουσαν, ἕως ἂν ἐφεύρῃς

ad iter Ulixis referenda esse perspicuum est. Vulgo putant in prima fabula locum ea habuisse [1]). Non minore iure posteriori parti posse attribui mihi videntur. Nam quem usque finem poeta errores cursumque Ulixis secutus sit, ignoramus; an de Calypso et Circe, de Phaeacibus aliquid tractatum sit, plane incertum est.

Magnopere dolendum est quod de hac fabula Cratini tam pauca recte tenemus, quia gregem ducens multarum comoediarum simili materia in toto hoc genere sine dubio magni momenti fuit.

De quibus tamen fere omnibus etiam minus instructi sumus. Velut ex fabula Theopompi, cui titulus Πηνελόπη fuit, tantum duo fragmenta servata sunt, quibus de argumento nihil patet. Idem fere valet de fabula Eubuli, cui Ναυσικάα et Anaxilae, cui Καλυψώ titulus fuit, de duabus fabulis Anaxilae et Ephippi, quibus nomen Κίρκη fuit. Hic vero et ex sensu quamvis paucorum fragmentorum et Cinesia memorato [2]) suspicio incidit, poetas a tenore Homericae narrationis deflexisse et fortasse sub persona epica suae aetatis homines induxisse.

Certe materia paulatim variata, quia semper eadem poetae iterare non poterant, semper plura recentia influere in traditionem Homericam necesse fuit. Ita sub nomine Circe facile meretrix quaedam latere potuit, quae adulescentes figura humana servata libidinibus vitaque tenus mutaret. Quaeque Venusimus poeta dicit (Ep. I, 2, 24 sqq.)

---

1) Vide Kockium, I, p. 56, 57.

2) Kock II, p. 267

δεινὸν μὲν γὰρ ἔχοντ' ὑὸς
ῥύγχος, ὦ φίλε Κινησία

Recte viri docti observaverunt metrum in posteriore versu corruptum esse, nam glyconeus sic misere claudicat. Veri similius tamen puto fragmentum aliqua perdidisse et nomen Κινησία sanum e versu sequenti servatum esse. Quis enim sive scriba sive grammaticus ex aliquo vocabulo male lecto restitueret nomen proprium Cinesiam?

Digitized by Google

Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,
Vixisset canis immundus vel amica luto sus.

ea, etsi ex philosophis, qui allegoria delectabantur, derivata fortasse spiritum quendam et odorem graecae comoediae tenuerunt.

Fabulae Calliae, quae etiam Diocli attribuebatur a grammaticis, quare nomen Κύκλωπες a poeta suo datum sit, ex fragmentis nullo modo concludere possumus. Ne id quidem patet, Ulixisne persona aliquo modo eius argumento intexta fuerit. Unum fragmentum (8)

κεχαλκεῦσθαι τοίνυν ἐσπέρας

locum dat suspicandi Cyclopes ut fabros ferrarios in ea inductos esse, unde collato fr. 5

τί γὰρ ἡ τρυφερὰ καὶ καλλιτράπεζος Ἰωνία εἴφ' ὅτι πράσσει

fortasse colligendum, praeludium belli Peloponnesiaci hoc argumento tractatum esse et Cyclopes intellegendos esse eos qui arma quasi cudentes ad bellum excitaverint.

Fieri potest, ut fabulae Antiphanis, cui nomen Κύκλωψ fuit, amor Polyphemi et Galatheae, res ab Homero aliena, sed in poesi posteriorum et in sculptura saepius tractata, magna argumenti pars fuerit. „Philoxenum Cythereum secutus est Antiphanes: nam ut videtur amari Cyclopem a Galathea fecit". Sic Kock (II, 64) autumat. Sed vir praestantissimus ea quae satis incerta sunt pro certis proponit. Ex fragmentis tantum id sequitur, poetam recentia antiquae materiae immiscuisse, velut cibos sui temporis induxit, nummulum [1]). Num tamen e duobus fragmentis, altero cibos marinos omnis generis, altero cibos terrestres exhibenti (132, 133) colligendum sit, „Polyphemum speratas Galateae nuptias adornare" et „pisces a sponsa praeberi cupere, gregum fetus de suo promittere" (Kock) id plane incertum est. Immo nihil de argumento scimus neque num Ulixes in eo partem habuerit neque num Galathea, itaque etiam ea quae Kock coniecit de imitatione Philoxeni, stabili fundamento non nituntur.

---

1) Fr. 132 νάσκη πνικτή, πέρκη σχιστή, τευθὶς σακτή.
Fr. 131 κέρμα γάρ τι τυγχάνω (λαβών).

Digitized by Google

Tamen quadam tenus explicari potest, doctissimum interpretem Fragmentorum Comicorum Graecorum, cui nemo iustam laudem detraxerit, iterum atque iterum studuisse ut illas comoedias quibus nomen Κύκλωψ vel Γαλάτεια esset, ad casus periculaque dithyrambici Philoxeni itemque ad carmen eius ea aetate celeberrimum Cyclopa referret [1]). Qui Philoxenus, quocumque venit, et Athenis et alibi, hominum animos convertit ingenio moribusque simulque iis quae in arte musica novavit. Scholiastae volunt saepius Aristophanem ad eum allusisse [2]). Maxime tamen hominum admirationem nonnullorumque fortasse etiam indignationem movit iis quae in aula Dionysii tyranni Syracusis fecit et passus est. Quae describuntur in argumento Phaeniae, quod Athenaeus I 6 e sqq. nobis servavit. Ex eo quae maxime ad nostram rem pertinent hic ascribam.

συνεμέθυε δὲ τῷ Φιλοξένῳ ἡδέως ὁ Διονύσιος. ἐπεὶ δὲ τὴν ἐρωμένην Γαλάτειαν ἐφωράθη διαφθείρων, εἰς τὰς λατομίας ἐνεβλήθη· ἐν αἷς ποιῶν τὸν Κύκλωπα συνέθηκε τὸν μῦθον εἰς τὸ περὶ αὑτὸν γενόμενον πάθος, τὸν μὲν Διονύσιον Κύκλωπα ὑποστησάμενος, τὴν δ' αὐλητρίδα Γαλάτειαν, ἑαυτὸν δ' Ὀδυσσέα.

Haec omnia propter poetae famam rerumque naturam ipsam poetis comicis materiam praebuisse alludendi atque etiam fabulandi, prompta coniectura est.

Tamen rebus factisque ea coniectura non firmatur. Nam duo fragmenta exilia quae ex Galatea Nicocharis servantur, tantum ut perspiciamus permittunt, argumento, si mythologicum fuerit, poetam res et personas suae aetatis intexuisse. De Galatea autem Alexidis quanquam paulo plus videmus, nullum indicium neque poetae Philoxeni neque tibicinae Galateae in fragmentis quae supersunt inest. In fragmento maiore, decem fere versuum, servus inducitur narrans dominum adulescentem olim scholis philosophi Aristippi usum esse nervumque eius disciplinae sibi arripuisse [3]). Aristippus quia diutius Syracusis vixit,

1) K. Fr. C. Gr. II p. 310 (De Galatea Alexidis): Fortasse Galatea tibicina, Dionysii Syracusani meretrix, vitiata a Philoxeno significatur..... Philoxenus enim aliis quoque comicis largam praebuit fabulandi materiam.

2) Conf. Schol. ad Arist. Nub. 330: *Αἰνίττεται εἰς τοὺς περὶ Φιλησίαν καὶ Φιλόξενον καὶ Κλεομένη.*

3) Ita verto *τὴν δ' ἀρτηρίαν συνήρπασεν*, quae verba quare et Meineke et Coraes sollicitaverint, non intellego.

Digitized by Google

non sine veri similitudine quadam hoc fragmento efficiemus scenam fabulae Syracusas esse, ut Galatea illa non sit dea marina sed tibicina a Dionysio amata, ut etiam Philoxenus in ea scena partes egisse possit. Sed hac conclusione satis tamen exili contenti esse debemus.

Non sine pretio igitur et mirabili quadam sorte fit, ut tantum ex loco Plautino, quem supra e Menaechmis laudavi, appareat poetam Philoxenum et ea quae apud Dionysium pertulerit a comicis Graecis ludibriis agitatum esse. Quis enim dubitet comparatis iis, quae supra exscripsi, an Ulixes parasitus non sit Laertis filius, qui nusquam parasitus fuerit, sed Philoxenus qui se ipse Ulixem fecerit? Neque minus rex ille, qui dicitur ab Ulixe flagiti completus esse, convenit in tyrannum Dionysium, cuius scortum corruptum sit a Philoxeno, cuius nomen opprobrio affectum, quod assimilatus sit feroci et agresti Cyclopi.

Haec sunt, magister carissime, quae tibi offerre velim in honorem tuum, parva profecto pro meritis vitae tuae collatae in litteras et disciplinam iuventutis, sed quae satis sint, spero, ut testentur meum gratum erga te animum amicitiamque quae restabit, dum nobis spiritus vitaque servabitur.

Digitized by Google

ΠΟΛΙΤΕΥΜΑ.

SCRIPSIT

M. ENGERS.

Summa admiratione implemur, si egregia Alexandri Magni facta contemplamur: non solum quia exercitus magnos vicit et ingens Persarum regnum expugnavit, sed imprimis quod suae aetatis intellegens multa animo concepit vel efficere coepit, quae posthac communia hominum bona facta sunt. Quorum hoc est vel maximum quod discrimina, quae ante magna inter gentes intercedebant, imprimis inter Graecos et barbaros, confundere conatus est [1]). Argumento sunt illae nuptiae, quibus et ipse filiam regis Darii duxit et multi ex eius amicis et militibus uxores peregrinas duxerunt. Alia afferuntur ad illud Alexandri consilium demonstrandum [2]), quibus novum documentum addere possumus, si id, quod in hac disputatiuncula acturus sum, recte erit dictum.

Verbo *πολίτευμα* inest vis: „actio quae pertinet ad rempublicam administrandam", tum „reipublicae administratio", „respublica", „ius civitatis" [3]). Valet igitur fere idem ac *πολιτεία*. Sed aliam significationem ei vocabulo nunc attribuunt, quam in lexicis antiquioribus frustra quaeras. Invenimus enim id in nonnullis inscriptionibus et papyris, ubi agitur de cor-

1) Cf. Arr. *Anab.* VII, 11, 9 *εὔχετο* (sc. Alexander) *δὲ τά τε ἄλλα ἀγαθὰ καὶ ὁμόνοιάν τε καὶ κοινωνίαν τῆς ἀρχῆς Μακεδόσι καὶ Πέρσαις.*

2) Cf. Kaerst, *Geschichte des Hellenismus* I² p. 471 sqq.

3) Haec significatio, quam verbum sine dubio habet e. g. in inscriptione Larisaea (Dittenberger, *Syll*³. 543, 6, 14, imprimis 32), deest in lexicis nostris.

Digitized by Google

pore vel collegio hominum peregrinorum, qui alicubi consederunt. Sic in formam πολιτεύματος redacti erant Idumaei, qui in urbe Aegyptia Memphi collocati erant [1]), fortasse Graeci in eadem urbe commorantes [2]), Iudaei qui Alexandreae [3]) et Berenicae Cyrenaicae [4]) habitabant, Phryges domicilium habentes in aliqua Aegypti urbe, fortasse Alexandreae [5]), Cretes in nomo Arsinoita praesidium agentes [6]), milites Caunii et alii in urbe Phoenicum Sidone habitantes [7]). Omnes sedes habent in Lagidarum regno vel in finibus, qui quondam his regibus subiecti erant. Suis legibus utuntur, modo ne a legibus regiis eae abhorreant; suos magistratus, suum cultum, suos sacerdotes habent [9]). Virorum doctorum opinio est distinguendum esse inter πολίτευμα et πολιτείαν, πολίτευμα enim esse πολιτείαν, ut ita dicam, deminuto iure [9]). Sed id quod de πολιτευμάτων traditum est hanc opinionem mea quidem sententia non confirmat. Quod in sequenti disputatione demonstrare conabor.

Omnium πολιτευμάτων optime τὸ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίων πολίτευμα novimus. Nam cum cetera πολιτεύματα strictim tantum in inscriptione quadam vel papyro commemorentur, de Iudaeorum Alexandrinorum corpore quibusdam locis apud auctores mentio fit. Primum Ps. Aristeas in illa epistula ad Philocratem data, qua agit de sacrorum librorum translatione, nobis tradit Iudaeos Alexandrinos formam πολιτεύματος effecisse.

---

1) Dittenberger, *O. G. I.* 737.

2) *Pap. Lond.* I p. 49 et Wilcken, *Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde, Grundz.* p. 18 sqq., *Chrest.* in praefatione ad n. 30.

3) Ps. Aristeas, *Epistula* 310.

4) *C. I. Gr.* III n. 5361 = Schürer, *Gesch. d. jüd. Volkes* III p. 79[20] = Cagnat, *Inscr. graecae ad res rom. pertinentes* I n. 1024.

5) Dittenberger, *O. G. I.* 658 et annot. 1.

6) *Pap. Tebt.* I, 32 = Wilcken, *Chrest.* n. 448.

7) *O. G. I.* 592 et Schürer l.l. III p. 72[4].

8) De πολιτευμάτων fusius egit Schubart, *Spuren politischer Autonomie in Aegypten unter den Ptolemäern* in Klio X (1910) p. 63 sqq.; ceterum conferas Preisigke, *Fachwörter des öffentlichen Verwaltungsdienstes Ägyptens* s. v. πολίτευμα. Bene iam de hac re disseruit Perdrizet in *Revue archéologique* XXXV (1899) p. 42 sqq.: *Le πολίτευμα des Cauniens à Sidon.*

9) Schubart l.l. p. 63 „eine mit gewissen Rechten ausgestattete Körperschaft"; Wilcken, agens de Iudaeis Alexandrinis (*Grundz.* p. 24) „eine eigene Organisation ihrer Gemeinde... also ein πολίτευμα, aber nicht die πολιτεία".

Digitized by Google

Narrat enim translationem perfectam populi concilio recitatam esse; καθὼς δὲ ἀνεγνώσθη τὰ τεύχη, ita pergit, στάντες οἱ ἱερεῖς καὶ τῶν ἑρμηνέων οἱ πρεσβύτεροι καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ πολιτεύματος οἵ τε ἡγούμενοι τοῦ πλήθους εἶπον [1]). Ps. Aristeam rem recte tradidisse et inde colligi potest quod constat Iudaeos, qui habitabant Berenicae Cyrenaicae, πολίτευμα habuisse [2]). Est enim verisimile Iudaeos Cyrenaicos temporibus, quibus Ptolemaei primi Cyrenen sub imperio habebant, ex Aegypto profectos in huius terrae oppidis consedisse et formam, in quam Iudaei Alexandrini redacti erant, iis exemplo fuisse. [3])

Nunc videamus, quid scriptores antiqui de Iudaeorum Alexandrinorum πολιτεύματος tradiderint. Primum Iosephus nos certiores facit, quomodo initio urbis Iudaei ibi sedem collocaverint, his locis:

Ant. Iud. XIX, 5, 2 (281). In edicto, quod imperator Claudius brevi post quam imperium adeptus erat edidit, haec dicit: ἐπιγνοὺς ἀνέκαθεν τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίους Ἀλεξανδρεῖς λεγομένους συγκατοικισθέντας τοῖς πρώτοις εὐθὺ καιροῖς Ἀλεξανδρεῦσι καὶ ἴσης πολιτείας παρὰ τῶν βασιλέων τετευχότας, καθὼς φανερὸν ἐγένετο ἐκ τῶν γραμμάτων τῶν παρ' αὐτοῖς καὶ τῶν διαταγμάτων. κ. τ. λ.

C. Apion. II, 4 (35) εἰς κατοίκησιν δὲ αὐτοῖς (sc. Iudaeis) ἔδωκεν τόπον Ἀλέξανδρος καὶ ἴσης παρὰ τοῖς Μακεδόσι τιμῆς ἐπέτυχον.

B. Iud. III, 18, 7 (487) Κατὰ δὲ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀεὶ μὲν ἦν στάσις πρὸς τὸ Ἰουδαϊκὸν τοῖς ἐπιχωρίοις ἀφ' οὗ.... Ἀλέξανδρος γέρας τῆς συμμαχίας ἔδωκεν τὸ μετοικεῖν κατὰ τὴν πόλιν ἐξ ἴσου μοίρας πρὸς τοὺς Ἕλληνας.

Claudii edictum et Iosephus ipse consentiunt Iudaeos Alexandreae ab Alexandro collocatos esse, cum rex urbem conderet, et ius aequum accepisse atque Graecos qui in urbe consedissent.

---

1) *Ep.* 310. 2) Vide supra annot. 4, p. 155.

3) Etiam Iudaeos in urbe Cyrene habitantes πολίτευμα effecisse fortasse ex his Strabonis verbis colligere possis; τέτταρες δ' ἦσαν ἐν τῇ πόλει τῶν Κυρηναίων (sc. μερίδες), ἥ τε τῶν πολιτῶν καὶ ἡ τῶν γεωργῶν τρίτη δ' ἡ τῶν μετοίκων τετάρτη δ' ἡ τῶν Ἰουδαίων apud Ios. *A. I.* XIV, 7, 2 (115), cum quibus conferas Ios. ib. XVI, 6, 1 (160) ὅσους (sc. Ἰουδαίους) ἡ πρὸς Κυρήνῃ Λιβύη κατέσχεν ἐκάκουν αἱ πόλεις, τῶν μὲν πρότερον βασιλέων ἰσονομίαν αὐτοῖς παρεσχημένων.

Digitized by Google

Nam non est dubitandum, quin auctor idem velit, sive dicit ἴσης πολιτείας (sc. τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν), sive ἴσης παρὰ τοῖς Μακεδόσι τιμῆς, vel ἐξ ἴσου μοίρας (fortasse legendum est ἰσομοιρίας) πρὸς τοὺς Ἕλληνας: Alexandrini, Macedones, Graeci tantum sunt varia nomina eorum, quibus Alexander novam urbem domicilium dedit. Constat autem Alexandrinos Graecos αὐτονομίαν ab urbis conditore adeptos esse, quod apparet ex illo loco Arrianeo, ubi Nysaeorum legati ab Alexandro petentes ut sua urbs libera maneat, Alexandream Aegyptiam exemplum proferunt urbis liberae, ab rege ipso conditae [1]). Commune igitur Graecorum redactum est in formam πόλεως, quae βουλήν habet et ἐκκλησίαν et cui ius dicitur a suis iudicibus secundum suas leges. Nisi igitur ea, quae Iosephus tradidit, falsa sunt (neque habemus cur id credamus), nos existimare oportet etiam Iudaeos ab Alexandro αὐτονομίαν accepisse, id quod ceteris quae habemus indiciis confirmatur. Nescimus quidem, quae corporis Iudaeorum instituta fuerint temporibus Alexandri et regum qui ei successerunt, sed melius edocti sumus, quomodo hae res aetate imperatoria constitutae fuerint. Augusto enim imperatore eorum πολιτεύματι praeerat ἐθνάρχης, cuius munera a Strabone sic describuntur: ὃς διοικεῖ τε τὸ ἔθνος καὶ διαιτᾷ κρίσεις καὶ συμβολαίων ἐπιμελεῖται καὶ προσταγμάτων, ὡς ἂν πολιτείας ἄρχων αὐτοτελοῦς [2]). Augustus ipse admonuisse videtur ut pro ethnarcha vel cum ethnarcha γερουσία crearetur [3]), cui praesidebant ἄρχοντες [4]); qua in re antiquum exemplum eum secutum esse viri docti credunt, quod aetate quoque Lagidarum γερουσία Iudaeorum res administravisset [5]). Multo plura adhuc indicia afferri possunt, quae eodem spectant; quorum haec duo tantum nominentur: Gaio imperium ineunte ψήφισμα Iudaei faciunt, quo novum imperatorem omnibus honoribus afficiunt [6]); deinde ut Alexandrini Graeci πολιτικὸν ἀρχεῖον habent, sic Iudaei τῷ

1) *Anab.* V, 1, 5 sq. Cf. quod de hac re dixi *Klio* XX p. 169.
2) Apud Ios. *A. I.* XIV, 7, 2 (117).
3) Philo, *In Flaccum* 10 (p. 527 M. i. f.).
4) Cf. Schürer, *Gesch. d. jüd. Volkes* III p. 76 sqq.
5) Bludau, *Juden und Judenverfolgungen im alten Alexandria* p. 15; Jouguet, *La vie municipale* p. 38 et 187; Fuchs, *Die Juden Aegyptens* p. 93.
6) Philo, *In Flaccum* 12 (p. 531 M.).

Digitized by Google

τῶν Ἰουδαίων ἀρχείῳ utuntur ad testamenta aliaque instrumenta deponenda [1]). Haec sufficiant. Iam ex iis, quae attulimus, imprimis ex Strabonis verbis supra laudatis, apparet corpus Iudaeorum prima aetate saltem imperatoria suam administrationem et suam iurisdictionem habuisse. Statum autem eorum post illa tempora, quibus ab Alexandro Alexandreae collocati erant, non mutatum esse Philo nobis tradit. Nam agens de eo tumultu, qui Alexandreae fuit postquam Caligula imperator factus est, auctor imperatoris iniquitatem in Iudaeos vituperat: eorum enim legationem Alexandrea Romam venisse, ut causam suam apud imperatorem ipsum defenderent, hunc autem vix eos audivisse, neque consilium prudentium virorum sibi ascivisse, ἐξεταζομένης ὑποθέσεως μεγίστης ἐν τετρακοσίοις ἔτεσιν ἡσυχασθείσης καὶ νῦν πρῶτον εἰσαγομένης ἐπὶ μυριάσι πολλαῖς τῶν Ἀλεξανδρέων Ἰουδαίων [2]). Fieri potest ut per annos nonnulla instituta mutata sint, sed rationem, quae Iudaeis intercedebat cum Alexandrinis Graecis, ita mansisse ut Alexander constituisset ex Philonis verbis colligi posse mihi videtur. Itaque iam dicere possumus Iudaeorum πολίτευμα similiter atque Graecorum πολιτείαν, cum conderetur, αὐτόνομον fuisse, quamvis concedamus instituta utriusque corporis dissimilia fuisse. Sed hoc non interest. Nam in administratione componenda utraque gens exemplum suae patriae secuta est: itaque Graeci βουλήν et ἐκκλησίαν instituerunt, quae propriae sunt cuiusvis civitatis Graecae et maxime αὐτονομίαν demonstrant, Iudaei autem γερουσίαν, quae etiam Hierosolymis eorum res administrabat, cum ethnarcha muneribus pontificis Iudaeorum maximi functus esse videtur [3]). Ceterum animadvertendum est βουλήν et ἐκκλησίαν in regnis, quae post pugnam ad Ipsum commissam extiterunt, imprimis in Aegypto, inania tantum nomina esse, quasi reliquias institutorum veterum et quamque civitatem, sive Graeca sive Iudaica esset, prorsus obnoxiam fuisse regibus. [4])

1) Cf. Wilcken, *Grundz.* p. 63. 2) *Leg. ad Gaium* 44 (p. 597 M.).

3) Cf. Schürer l.l. I p. 181 sq. et Ios. *A. I.* XX, 10 (251) τὴν δὲ προστασίαν τοῦ ἔθνους οἱ ἀρχιερεῖς ἐπεπίστευντο.

4) Cf. quod acute hac de re dixit Bouché Leclercq, *Hist. des Séleucides* I p. 459 „En fait, les villes libres étaient autonomes... mais non pas indépendantes".

Digitized by Google

Quod attinet ad ius privatum, multum adhuc hac in re obscurum est, sed ex illa papyro Halensi I apparuit cives Alexandrinos Graecos suis legibus usos esse, quae illic πολιτικοὶ νόμοι appellabantur [1]). Constat porro etiam Aegyptios subiectos suam iurisdictionem habuisse, quae fiebat secundum τὸν τῆς χώρας νόμον. Putare igitur nos oportet etiam Iudaeis ius dictum esse ex legibus, in sacris eorum libris scriptis. Dubitari autem non potest quin rex quodque ius supplere mutare tollere potuerit.

Ex iis quae adhuc diximus concludere possumus in territorio urbis Alexandreae utique duas civitates liberas fuisse, quae idem valerent et aequo iure fruerentur. Si ita res se habet, iam non mirum est Iudaeos, Alexandreae habitantes, aeque ac Graecos Ἀλεξανδρεῖς appellatos esse; neque Wilckenio assentiri possum, qui acriter distinguit inter Ἀλεξανδρέα et Ἰουδαῖον τῶν ἀπὸ Ἀλεξανδρείας [2]); immo et Graeci et Iudaei summo iure Ἀλεξανδρέας se appellare possunt.

Paucis annis ante agens de Iudaeorum Alexandrinorum statu demonstrare conatus sum Iudaeos non participes fuisse civitatis Graecae [3]), id quod comprobatum est illa imperatoris Claudii ad Alexandrinos epistula, postea a v. c. Bell edita [4]). Nunc iam affirmare me posse puto Iudaeos iuxta Graecos civitatem liberam habuisse. Quod si credimus, complura Philonis loca nobis magis perspicua fiunt, non solum ea, de quibus egi in disputatione supra nominata [5]), sed etiam alia, quae Willrich, meae de Philone opinioni repugnans, ipse falso, me iudice, interpretatur [6]). Iam enim patet iure Philonem adversarios, qui Graecorum Alexandrinorum causam apud Gaium defendunt, μερίδα τῶν ἄλλων Ἀλεξανδρέων [7]) nominare et intelligere possumus cur auctor Iudaeos Ἀλεξανδρεῖς appellet in eis verbis,

---

1) Cf. *Dikaiomata* p. 36 sqq.

2) *Grundz.* p. 63; *Chrest.* Praef. ad n. 58; de hac papyro alibi me mox acturum esse spero. Olim (*Klio* XVIII p. 81) hac in re et ipse Wilckenium secutus sum.

3) *Klio* XVIII p. 79 sqq.

4) *Jews and Christians in Egypt* p. 23 sqq.

5) *Klio* XVIII p. 83 et 84[1].

6) *Urkundenfälschung in der hellenistisch-jüdischen Literatur* p. 11.

7) *Leg. ad Gaium* 28 i. f. (p. 57 M.).

Digitized by Google

quae exclamavit, postquam audivit imperatorem suam statuam in templo Hierosolymis poni iussisse: *ποῦ γὰρ ὅσιον ἢ θεμιτὸν ἄλλων ἀγωνίζεσθαι, δεικνύντας ὡς ἐσμὲν Ἀλεξανδρεῖς, εἰς ὁ περὶ τῆς καθολικωτέρας πολιτείας ἐπικρέμαται κίνδυνος τῆς Ἰουδαίων*[1]). Id nomen gentilibus suis non arrogat, ut Willrich aliique putant, sed iure hanc appellationem usurpat.[2])

Sed iam ad initium disputationis redeamus. Quaestio erat vocabulumne *πολίτευμα* re vera eam significationem haberet, quam viri docti ei ascriberent. Vidimus eam non pertinere ad id *πολίτευμα*, quod melius cognovimus, *τὸ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίων πολίτευμα* dico. Sed quomodo res se habet in ceteris *πολιτεύμασιν*? Nescimus. Nam praeter nomina fere nihil de eis nobis est traditum. Hoc solum novimus magistratus cives decreta *πολιτευμάτων* iisdem appellationibus nominata esse atque in *πόλει*. Sed hac de re lectorem reicio ad id quod antea exposui[3]). Animum adhuc ad aliam rem advertere malo, quae nostram opinionem confirmare videtur: non solum vocabulum *πολίτευμα* apud scriptores saepe eandem vim habet atque *πολιτεία*[4]), sed etiam in multis inscriptionibus usurpatur ad Graecam civitatem indicandam: in pacto, quod est factum circiter anno a. C. 180 inter Milesios et Heracleotas, legimus *εἰ δέ τινες Ἡρακλεωτῶν μὴ ᾠκήκασιν μήτε ἐν τῇι ἑαυτῶν πατρίδι μήτε ἐν Μιλήτωι...., μὴ εἶναι αὐτοῖς προσγραφῆναι πρὸς τὸ πολίτευμα τὸ Μιλησίων*[5]); in decreto, quo templum Dianae Leucophryenae Magnesiae ad Maeandrum post annum a. C. 129 consecratum est, *ἐπειδὴ θείας ἐπιπνοίας καὶ παραστάσεως γενομένης τῶι σύνπαντι πλήθει τοῦ πολιτεύματος εἰς τὴν ἀποκατάστασιν τοῦ ναοῦ συντέλειαν εἴληφεν ὁ [Π]αρθενών κ. τ. λ.*[6]); in pacto, quod est factum inter Smyrnaeos et incolas Magnesiae anno circiter 244 a. C. *ἐμόσαι δὲ τοὺς μὲν ἐμ Μαγνησίαι κατοίκους.... κα[ὶ] τοὺς ἄλλους τοὺς καταχωριζομένους εἰς τὸ πολίτευμα τόνδε τὸν ὅρκον*[7]). Itaque hoc

1) Ib. 29 (p. 574 M.).

2) Cf. Ios *A. I.* XIX, 5, 2 (281), ubi in edicto imperator Claudius dicit *ἐπιγνοὺς ἀνέκαθεν τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἰουδαίους Ἀλεξανδρεῖς λεγομένους κ. τ. λ.*, et *C. Apion.* II, 4 (38).

3) *Klio* XVIII p. 80.

4) Cf. e. g. Arist. *Pol.* III, 12 (1283 b); VI, 5 (1293 a); Polyb. I, 13, 12.

5) Dittenberger, *Syll.*[3] 633, 57 sqq.

6) Ib. 695, 10 sqq.

7) *O. G. I.* 229, 59 sq.

Digitized by Google

est concludendum: πολιτεύματα liberae sunt civitates, sive Graecorum sive aliarum gentium, in territorio cuiusdam urbis cum aliis incolis collocatae [1]).

Pauca adhuc coniecturae modo his addere velim, ad quae comprobanda alia testimonia sunt exspectanda.

Alexander in nova urbe, ad os Nili condita, civitates duas vel plures (nam etiam Phryges ibi πολίτευμα habuisse videntur [2]), quarum cives diversarum gentium erant, collocavit. Nonne verisimile est eum hoc faciendo orbi terrarum, imprimis Graecis, demonstrare voluisse illas animi angustias, quas Graeci semper habuerant in civitate inquilinis danda, tollendas esse nec iam homines dividendos esse in Graecos et barbaros, sed omnes ingentis imperii incolas quasi unam nationem efficere? Ad haec consilia monstranda Graecia antiqua, ubi πόλεις semper floruerant, non erat idonea. Eandem hac in re angustiam ibi mansisse illa inscriptio Larisaea dilucide testatur, ex qua apparet multis annis post Larisaeos adhuc vehementer restitisse Philippo regi iubenti novos cives in civitatem adsciscere [3]). Sed quominus in novis finibus periculum faceret nihil impediebat. Etiamne in Asia Alexander ipse et reges, qui ibi ei successerunt, πολιτεύματα constituerint, nescimus; quod ad Aegyptum attinet, fortuna nobis magis favit. Itaque et hac in re mentem longe prospicientem regis magni admirari possumus. Fieri potest ut Ptolemaei primi, Sotera Philadelphum Euergetem dico, Alexandri exemplum secuti sint, sed posteriores non perrexisse ut ille coeperat eo iam apparet quod in papyris tam raro de πολιτευμάτων mentio fit. Praeterea non est obliviscendum Aegyptum usque a Philopatore terram factam esse minus aptam ad illa consilia perficienda, ubi Aegyptii indigenae, peregrinis penetrantibus, etiam Graecis, acriter resistentes, magis magisque progressi sint.

---

1) Aliam vim verbum π. habet in inscriptione Stratonicensi n. 123 in *Bull. Corr. hell.* 1891 p. 182 ἐκάλεσεν δὲ καὶ τὸ πολ[ί]τευμα τῶν γυνα[ι]κῶν.

2) Cf. *O. G. I.* 658 cum Dittenbergeri annotatione 1.

3) Dittenberger, *Syll.*[3] 543.

Digitized by Google

DE C. I. L. IX, 3473.

SCRIPSIT

A. W. DE GROOT.

Corp. Inscr. Latin. vol. IX, p. 330, 3473, haec leguntur: *D(is) M(anibus) s(acrum). Maximus et Lasciv(u)s duo fratres convenientes in uno hunc titulum nobis posuimus vivis, ut possemus at superos securius vitam bonam ger[e]re, qua fini fata volebant. Qui qua vita viximus una numquam inter nos fecimus verbum amarum. Voluptates secuti simus* [= *sumus*] *omnes; vitae nostre a nobis numquam quitquam negatum est. I[t]a tu qui legis bona vita vive sodalis. „Quare?" Post obitum* [*n*]*ec risus nec lusus* [*n*]*ec ulla voluptas erit „Have, Maximae* [= *Maxime*]". *Menten habae* [= *in mente habe*] *quod legeris. „Quare?" Vita morti propior fit cottidiae. „Vale"*. Buechelerus spic. anth. Lat. II ad n. 88 ad extrema haec adnotat: „addita syllaba senarius fit ex sententia in quam desinit titulus: [*nam*] *vita morti propior fit cottidiae;* ut Seneca ait epist. 120, 17: „*nam quotidie viximus*". Postea in litteris ad me datis idem vir doctus addidit haec: „insciens restitui eam ipsam particulam, quam Phaedrus in fine libri III ei versiculo praeposuit: nam Phaedri versus est in illo epilogo decimus Phaedroque hinc reddendum *fit* pro *est* docemur igitur insigni hoc exemplo, quo iure Phaedrus glorietur IV prol. 18: *mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui vestras in chartas verba transfertis mea*".

De eadem autem inscriptione agit Buechelerus (Carm. Lat. Epigraph. I, 186) inter „senarios" his verbis: „adposui propter clausulam, immixta etiam dactylica".

Digitized by Google

Qui uersus more Commodianeo hoc modo legendi uidentur:

Máximus ét Lasciu⟨ú⟩s duo frátres cónueniéntes
In uno húnc titulum nobís pos⟨í⟩uimus úiuis,
Ut possémus át superós secúrius uítam
Bónam gér⟨e⟩ré qua fíni fáta uolébant.
Quí qua uíta uíximus úna numquam intér nos
Fécimús uerbum ámarúm. Uoluptátes secúti
Símus ómnes. Uítae nóstrae á nobis númquam
Quítquam négatum ést. I⟨t⟩á tu quí legis bóna
Uíta uíue sódalís, quare (fr. car) póst obitúm ⟨n⟩ec
Rísus néc lusús ⟨nec iocús⟩ [? Cf. Gell. I, 24, 3] ⟨n⟩ec
úlla uolúptas
Érit. „Haué Maximáé". Menten habáé[= in mentem habe]
quod légeris, quáre
Uíta mórti própior fít cottídiae. Uále.

Digitized by Google

OBSERVATIONES AD MUNERA NONNULLORUM TEMPORUM LATINORUM PERTINENTES.

SCRIPSIT

K. VAN DER HEYDE.

Multum est scriptum de usu temporum latinorum, tamen etiamnunc de ipsis fundamentis earum quaestionum viros doctos minime consentire nemo negare possit. Etiam novam illam notionem, quae dicitur „aspectus verbi" (Aspect verbal, Aktionsart), sumptam de grammatica slavonica, quae tantum profuit studiis temporum graecorum, magis obscurasse quam illustrasse interpretationem temporum latinorum iure dicit Kroll (*Wissenschaftliche Syntax*, p. 47), exemplum adiungens notam Blasii expositionem (in Landgrafii *Hist. Gramm.* III, 1). Quantum inter se differant singulae opiniones de ipsis principiis horum studiorum, hae duae interpretationes muneris temporis perfecti illustrare possunt, Mulleri (*Syntaxis*[2], p. 61 seq.), qui id tempus munere fungi aoristi graeci, perfectum graecum autem in lingua latina instar fere non habere declarat, Barbelenetti (*De l'aspect verbal en Latin ancien*, Paris 1913, p. 18), qui opinionem plane contrariam ostendit [1]).

Rectae interpretationi temporis imperfecti obfuit praesertim, quod id tempus tot variis muneribus fungi videtur, ut inter ea vis principialis haud facile discerni possit. Opinio maxime diffusa, quae imperfecto munus attribuit exponendi actionem

1) „Le prétérit latin nous apparaît ainsi comme l'équivalent d'un perfait grec et non pas d'un aoriste". Vid. eandem opinionem, quae nititur loco Varronis (*L. L.* 9, 96—98), apud Riemann—Lejay, *Synt.* p. 212 seq., Meillet—Vendryes, *Gramm. Comp.* p. 246, cf. etiam Meillet, *R. d. Ph.* 21, p. 81 seq., *B. S. L.* 77 p. 82.

Digitized by Google

verbi progredientem vel „durativam" [1]), nonnullis usibus, praecipue ei, qui „imperfectum aoristicum" appellatur, explicationem probabilem non praebet. Est denique quaestio plusquamperfecti „absoluti" et cum ea cohaerens controversia de temporibus „relativis" et „absolutis" [2]), quaestio futuri exacti „pro futuro simplici" [3]), ne alias dicam.

Inter tot et tantas quaestiones nondum satis explanatas, liceat mihi breviter perstringere nonnullas res, quae fortasse aliis non magni pretii esse videbuntur, mea quidem sententia alicuius momenti esse possunt ad controversias has tollendas nimisque certe adhuc sunt neglectae.

Omnium primum dici potest studium usus temporum in contextu narrationis, ubi enarrent vel exponant facta „historica" secundum ordinem temporis, non esse eiusdem generis atque studium, quod pertinet ad vim principialem cuiusque temporis, de qua tantum est disputatum. Illud est studium syntactici generis, hoc autem syntaxi antecedit, illud illustrat, quomodo cuiusque temporis vis principialis ad narrandi artem adhibita sit, hoc nos docere debet, quomodo quodque tempus factum aliquod enuntiat idque ad subjectum grammaticum referat. Ita notum illud munus imperfecti et plusquamperfecti exponendi statum rerum, in quem cadit factum perfecto vel praesenti „historico" enuntiatum [4]), studiis syntacticis maximi est momenti, de vi principiali horum temporum pauca nos docet.

Si volumus investigare, quo discrimine singula tempora munere fungantur indicandi factum aliquod idque ad subjectum grammaticum referendi, usum illum artificiosum linguae seponentes ibi quaerere debemus, ubi qui loquitur re vera alteri indicat factum, quod vel ad se ipsum, vel ad quem adloquitur, vel ad tertiam personam refert. Nusquam huius generis investigatio

---

1) Vid. praesertim scripta Wheeleri, *Transact. Am. Phil. Ass.* 30 p. 14 seq., *A. J. Ph.* 24 p. 163 seq., *Class. Ph.* I p. 357 seq., cum quibus cf. Blase, *Studien und Kritiken zur lat. Synt.* I p. 1—15, Mainz, 1904.

2) Vid. indicem auctorum apud Schmalzium, *Synt. u. Stylist.* p. 528 et apud Blasium, *o. l.* p. 100.

3) Cf. Delbrück, *V. S.* II p. 320 seq., Sjögren, *Zum Gebrauch des Futurums im Altlat.*, Uppsala 1906, p. 133 seq.

4) Cf. Ph. Wegener, *Exposition und Mittheilung*, Greifswald 1911.

Digitized by Google

melius fieri potest quam apud Plautum, qui personas ut vivas colloquentes inducit ultroque nobis linguam latinam tamquam in incunabilis exhibet neque in illo vestitu solemni, quo induta postea nimis saepe se ostendere solet.

Praecipue hic qui invenitur imperfecti usus, eius temporis vim principialem melius illustrat quam ei usus, quibus propter in narratione frequentiam nimium saepe tribuitur. Si constat personam loquentem uti modo indicativo temporis alicuius ad enuntiandum factum aliquod eumque eius facti enuntiationem ad subjectum grammaticum referre, discrimina inter munera temporum consistere possunt una ex parte in modo, quo qui loquitur factum indicet, altera ex parte in modo, quo hoc factum ad subjectum referat. Quo autem discrimine quod *praesenti* enuntietur factum et id, quod *perfecto* tempore designetur, ad subjectum referatur, facile apparet. Illo factum ad subjecti statum refertur, notio verbi ut aliquid subjecti proprium enuntiatur, hoc autem factum subjecto tantum adnectitur ut huius personae res fortuita notionemque verbi non ad subjecti „qualitatem" refertur [1]).

Imperfecto enuntiationem facti eodem modo, quo praesenti, *plusquamperfecto* eodem modo, quo perfecto, ad subjectum referri facile intellegitur. Discrimen est positum in genere enuntiationis, his enim factum ipsum ab eo, qui loquitur indicatur, illis autem factum e memoria repetitur.

Haec circumscriptio munerum ita esse ampla, ut, inde si initium capiamus, omnis horum temporum usus explanari possit, mihi quidem videtur. Hic in quaestione generali diutius morari nolo, propero aggredi ad eum usum imperfecti, quem supra dixi proprium nobis aliquid muneris huius temporis exhibere. Cum qui loquitur factum memoria repetitur ad designandum aliquid subjecti proprium, qui subjecti enuntiatur status tempore aliquo certo potest esse definitus, quod ibi memoria versantur quae colloquuntur personae. Hoc usu nititur notum illud munus syntacticum imperfecti, quod supra indicavi. Sin autem talis definitio temporis deest, tamquam sua memoria

1) Cf. Jac. van Ginneken, *Principes de linguistique psychologique*, p. 94 seq., qui utitur appellatione „assentiment réel" et „assentiment potentiel".

Digitized by Google

aliquid subjecti proprium factum qui loquitur enuntiat. Hinc huius generis imperfecta nonnumquam vim peculiarem capiunt, cuius natura ex his tribus rebus pendet: significatione verbi, persona subjecti, genere enuntiati [1]). Cum enim significatio verbi talis est, ut per se ipsum ad definiendum statum subjecti non suppetat, indigeat supplemento aliquo vel nominis vel verbi vel totius enuntiati, ut verba quae „auxiliaria" appellare possumus (sum, debeo, possum), verba „voluntatis" (volo, nolo), verba „sentiendi" (censeo, scio), verba „declarandi" (dico, aio), imperfecto eius generis verbi usus, enuntiationem qui loquitur mente adnectit ei statui subjecti, quem ipso tempore, quo loquitur, invenit. Notio enim verbi talis est, ut etiam praesenti tempore ad statum subjecti referri possit, imperfecto igitur usus se „supplementum" verbi non ad praesentem statum referre velle vel posse qui loquitur indicat eoque fere semper id, quod subjecti enuntiat, factum statui eius praesenti opponit. Quam vim, ut ita dicam, „negativam" uno tantum exemplo deesse reperio, primae personae *scibam*. Cum enim qui loquitur se scisse aliquid commemorat, eo ipso facto eum adhuc id scire apparet. Imperfecto autem usus se iam ante id scisse memoria repetitur idque sibi qualitatem attribuit, unde figura „scibam", praesentem et praeteritum statum subjecti quasi una enuntiatione complectens, vim peculiarem capit, quam habet ex. gr.:

As. 300 Le. quot pondo ted esse censes nudum? Li. non edepol scio.
Le. *scibam* ego te nescire, at pol ego qui ted expendi scio.

Aliis omnibus exemplis enuntiationem facti qui loquitur mente adnectit statui praesenti subjecti huic facto contrario. Si ipse est subjectum, factum suum statui, in quo versatur eo tempore quo loquitur, mente opponit, unde ex. gr. figura „censebam" vim sumit quasi „irrealem" enuntiandi sententiam, quam vitiosam esse subjectum iam scit, cf.:

1) Quanti momenti haec tres res („forces") significationi figuris verbi, praecipue fuguris modi subiunctivi, esse possint, optime indicavit Morris, *A. J. Ph.* 18 p. 275, cf. *On Principles and Methods in Latin Syntax*, New York 1901 p. 75 seq.

Digitized by Google

Per. 171 me quidem iam sati' tibi spectatam *censebam* esse
et meos mores;

ibidem versibus 169 et 172 praesentibus *reor* et *credo* sententia sine illa vi „irreali" enuntiatur.

Cum aliquid personae, quam adloquitur, imperfecto tempore enuntiat, hoc factum, quod memoria tenet, eius statui praesenti opponit, unde figurae *ai(e)bas* et *negabas* vim quasi bellatoriam sumunt:

Am. 383 Me. quid igitur? qui nunc vocare? So nemo nisi
quem iusseris.
Me. Amphitruonis te esse *aiebas* Sosiam,
Ps. 1314 at *negabas* daturum esse te mihi: tamen das.

Scimus praeterea, qua subtilitate in Plauti dialogis quae interrogetur persona de genere status, in quo ab altero versans conspiciatur, imperfecto tempore respondeat, itaque hoc responsum quasi tantum ad tempus interrogationis referat, cf.:

Au. 550 Me. quid tu te solus e senatu sevocas?
Euc. pol ego te ut accusem merito *meditabar*,
As. 392 Li. sed quid venis? quid quaeritas? Me. Demaenetum
volebam.

Re vera status, quo versabatur subjectum, interrogatione potest esse interruptus [1]), ut in primo exemplo supra allato, sin autem status, ad quem interrogatio spectat, talis est, ut ea non interrumpatur, sicut si ad statum animi subjecti spectat, et praesenti tempore responsum dari poterat. Non praesenti autem, sed imperfecto tempore respondendo statum suum animi quasi tergiversans minusque confidenter qui loquitur enuntiat, unde nascitur vis imperfecti *volebam* in secundo exemplo. Manifestum est hunc usum imperfecti in enuntiato affirmativo esse aliquid proprium primae personae tantum.

In enuntiato interrogativo: „quo nunc ibas?" (Mer. 884), imperfecto tempore usus, responsum interrogationi „quo" eventu non comprobatum iri se scire qui loquitur indicat (affert nuntium qui alterum sine dubio domi retinebit), eum autem interrogationem illa vi „irreali" ad tempus, quo loquitur, referre

1) Cf. appellationem Wheeleri: „imperfect of the immediate past" vel „*interrupted* imperfect".

Digitized by Google

apparet ex usu adverbii „nunc". Eadem ratione aliquis alterum rogat: „quid volebas?" (As. 395), ubi eius voluntati satis fieri non potest. His exemplis adiungi potest usus imperfecti *censebas:*

Am. 1027 an fores *censebas* nobis publicitus praeberier ?, qui huius interrogationis vim „ironicam" auget.

Vis quasi „irrealis", quam supra nonnumquam indicare potuimus, plane denique apparet in imperfectis eorum verborum, qui, ut verba *possum, debeo, decet* verbumque „substantivum", non aliquam actionem vel mentis vel corporis exprimunt, sed, „supplemento" praedita, tantum munere funguntur attribuendi subjecto qualitatem aliquam generalem. Referendo enim hanc qualitatem imperfecto tempore ad statum subjecti, in sua quidem memoria vel opinione eam exstare, in statu autem subjecti eam non apparere qui loquitur indicat:

Mi. 911 bonu' vatis *poteras* esse, nam quae sunt futura dicis,
Mer. 938a vacuom esse istac ted aetate his *decebat* noxiis,
Mi. 755 idem hoc hominibus *sat erat* decem,

ubi qui loquitur cenam, quae sibi est apposita, decem hospitibus sufficere posse dicit [1]).

Iam venio ad aliam quaestionem. Ex iis, quae supra dedi, exemplis iam apparere potuit, quantopere significatio verbi ad significationem alicuius eius verbi figurae pertinere possit.

Id multo etiam manifestius aliunde apparet. Iam pridem Diez [2]) demonstravit, quanti momenti structurae generis passivi in linguis romanis fuerit discrimen inter verba, quibus actio tempore definita et ea, quibus actio nulla re definita exprimitur. Momentum huius discriminis studiis temporum verbi latini aeque esse magnum nimisque saepe neglectum esse mihi quidem videtur. Id uno exemplo e multis demonstrabo.

Tempore praesenti cum factum enuntiatur, notionem verbi ad qualitatem vel statum subjecti referri supra dixi. Haec

---

1) Iure Wheeler (*Cl. Ph.* I p. 376) huius generis imperfecta apud Plautum exstare contra Blasii opinionem (*Krit.* p. 13 seq., *Hist. Gramm.* p. 149) defendit, vid. alia exempla ibid. p. 389.

2) *Gramm. d. roman. Spr.* 3 p. 202. cf. Jespersen, *Oversigt over det K. Danske Vidensk. Selsk. Forhandl.* 1914, 5—6 p. 395.

Digitized by Google

qualitas tamquam aliquid omni tempore subjecti proprium enuntiari potest aut tantum ad statum, in quo versatur subjectum ipso tempore enuntiationis potest referri. Illud praesenti cuiusque verbi fieri potest, hoc autem non fieri posse verbo, actionem tempore definitam exprimenti, prima quidem specie videtur.

Quo tempore enim ad statum subjecti actio aliqua referri potest, eo haec actio non est definita, quo momento autem actio finitur, eo subjectum statum commutat.

Definitio spatii actionis vel ipsa significatione verbi contineri potest, ut in verbo „mitto", vel usu verbi posita esse potest, ut spatium actionis verbi „scribo" definitur objecto, quod appellatur „effectus": „epistulam" [1]). Quae autem, cum factum, huius generis verbi praesenti enuntiatum, ad statum, in quo versatur subjectum ipso tempore enuntiationis, referatur, eius praesentis sit vis, paucis indicabo. Status subjecti si verbo exprimenti actionem aliquem ad finem pervenientem designatur, eo huius status effectum actionis proprium esse indicatur itaque tempus praesens huius verbi vim sumit, cum vi perfecti graeci comparandam [2]). Exempla horum praesentium abundant apud Plautum; nonnulla hic proferam singulisque praesentibus exemplum alterius figurae eiusdem verbi adiungam, quo melius vis praesentis appareat:

Tri. 1091 *adimit* animam mi aegritudo,
Mo. 481 aurum ei *ademit* hospiti,
Men. 1040 alii me negant eum esse qui sum atque *excludunt* foras,
Men. 668 male mi uxor sese fecisse censet, quom *exclusit* foras,
Mer. 851 apparatus sum ut videtis: *abicio* superbiam,
Men. 555 demam hanc coronam atque *abiciam* ad laevam manum,
Cas. 690 moram *offers* mihi,
Ps. 247 (quis est qui moram) molestam *optulit*,

1) Haec quaestio accuratius examinari hic non potest; investigationem de munere praepositionum in huius generis actionis spatii definitionibus brevi me posse proferre spero.

2) Cf. E. Rodenbusch, *Praesentia in perfectischer Bedeutung, I. F.* 28 p. 252 seq., id. *Beiträge zur Geschichte der griechischen Actionsarten, I. F.* 21 p. 116 seq.

Digitized by Google

Mi. 953 omnis res posteriores *pono* atque operam do tibi,
Ps. 1281 commuto ilico pallium, illud *posivi*,
Poe. 1061 sed *mitto* de illoc,
Mer. 657 dum illius te cupiditas... *missum* facit.

His addere possim multa alia verba, motum aliquem spatio definitum exprimentia, quorum tempus praesens statum, qui est eius motus effectus, exprimit, ut *tango* (cf. Cas. 458), *tego* (cf. Tri. 851), *convenio* (cf. Poe. 1340), *accedo* (cf. Cu. 344), singulas autem partes huius quaestionis hic examinare nolo.

Est notus usus praesentis, qui „praesens pro futuro" appellari solet [1]). Scimus Plautum, sicut alios scriptores, saepe praesenti tempore aliquid sine mora futurum enuntiare. Huius generis praesentia fere semper primae sunt personae: qui loquitur, quod brevi facturus est, quasi sibi iam proprium enuntiat eoque id facere sibi iam certum esse deliberatumque indicat; eandem ob causam praesens pro futuro usurpari, ubi enuntiatur aliqua subjecti cum altero condicio, ut: „apud fratrem *ceno* in proxumo" (St. 612, cf. Sjögren, *o. l.* p. 34) manifestum est. Cum qui loquitur in huius generis enuntiatis verbo utitur, actionem tempore definitam exprimenti, eadem ratione, ut ita dicam, „rhetorica" subjecto attribuit effectum actionis nondum peractae, ut:

Ba. 794 manedum parumper; iam *exeo* ad te, Chrysale,

cf. etiam notum illud plautinum *enicas me* (ex. gr. Mer. 893), ubi plane vis rhetorica apparet.

In enuntiatis negativis, cum qui loquitur, quod non facturus est subjectum, praesenti tempore enuntiat, eum id facere nolle significari optime Sjögren (p. 36) dicit; hic quoque utriusque generis verba usurpari possunt, cf. usus verbi *colligo*, cuius actio tempore est definita:

Ep. 689 conligandae haec sunt tibi hodie. Pe. at non lubet,
non conligo.

Plerumque autem, cum verbum exprimit aliquem peragendae actionis effectum, in enuntiatis negativis praesenti tempore ad exitum actionis subjectum pervenire non posse significatur ut:

1) Cf. praesertim Sjögren, *Zum Gebrauch* etc. p. 6 seq., qui hic usus certas quas normas sequatur optime illustrat.

Digitized by Google

Am. 1014 sum defessus quaeritando: nusquam *invenio*
Naucratem
Tri. 445 hau *nosco* tuom:
bonis tuis [in] rebus meas res inrides malas;

eandem vim in enuntiatis affirmativis praesentia habent, quibus adverbium *facile*, vel aliud huius generis vocabulum additur, ex. gr. *facile exoras* (Ep. 687), *facile impetras* (Per. 245) [1]). Quoniam imperfecto aeque ac praesenti enuntiatio facti ad statum subjecti refertur, hic eadem quaestio occurrit atque id in eo imperfecti usu, qui ab aliis secretus considerari solet cuique a nonnullis viris doctis nomen „imperfectum aoristicum" datur [2]). In versu:

Ep. 597 quid si ob eam rem hanc emisti quia tuam gnatam
ratu's,
quibu' de signis *agnoscebas?*

imperfecto idciro qui loquitur utitur, quod alterum quibus argumentis niteretur status eius animi eo tempore, quo versentur memoria, rogare vult; „quibu' de signis agnovisti?" rogare non potest, per errorem enim subjectum fidicinam filae loco habuisse iam scit. Ita autem ut praesens *agnosco*, factum agnoscendi ad statum animi subjecti referendo, idem fere ac *agnitum habeo* significare potest, sic imperfecto *agnoscebam* eum statum animi qui loquitur memoria repetere potest, quod, ut dixi, nostro exemplo ideo facit, quod momento temporis, quo loquitur, sibi iam conscium esse erroris subjectum sciens, pristinam eius opinionem veritati deinde perspectae opponere vult.

Praesertim imperfecta verborum, qui dicuntur „declarandi", quorum enim actionis tempus objecto grammatico est definitum, ea cum vi occurrunt. Verbo „dicere", quod originem trahit ab radice **deiḱ-* (cf. gr. δείκνυμι), proprie subjecti alteri indicium enuntiatur. Cum igitur qui loquitur huius verbi praesenti dictum aliquod ad statum animi subjecti refert, eo eius voluntatum vel mentem indicat. Id praesertim prima fit persona,

---

1) Cf. Sarauw, *K. Z.* 38 p. 173 seq., qui eandem rem in lingua palaeohibernica indicat, Rodenbusch, *I. F.* 21 p. 120 seq., 22 p. 407.

2) Cf. praesertim: Wheeler, *A. J. Ph.* 24 p. 180, *Cl. Ph.* I p. 373; Blase, *H. Gr.* p. 145 seq.; Delbrück, *V. S.* II p. 311 seq.

Digitized by Google

ubi igitur qui loquitur dicto aliquo, quid sua sit mens vel voluntas, significat, ex.gr.:

Mer. 465 ad portum ne bitas, *dico* iam tibi,

Cap. 844 He. ignem ingentem? Er. ita *dico*, magnus ut sit,

Cu. 494 Ly. memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
caussa manu adsereret, mihi omne argentum reddi-tum eiri,
minas triginta. Ca. meminero, de istoc quietus esto
et nunc idem *dico*.

Imperfecto eadem ratione dictum subjecti tamquam aliquid eius mentis vel voluntatis proprium memoria repetitur, ex.gr.:

As. 938 *dicebam*, pater, tibi ne matri consuleres male,

Tru. 332 di me perduint
qui te revocavi! non tibi *dicebam* „i" modo?

Haec exempla vim propriam verbi „dicere" ostendunt, significationem plane diversam habent praesens et imperfectum verbi „*aio*", quibus, nisi perraro, persona, quem adloquitur subjectum, non adiungitur. Qui huius verbi praesenti dictum aliquod enuntiat, id ad subjecti sententiam neque ad eius mentem vel voluntatem refert, ex. gr.:

Men. 1077 hunc ego esse *aio* Menaechmum,

Tru. 587 tune *ais* me inpudentem esse, ipsa quae sis stabulum flagiti?

quo addere possum interrogationes: „quid tu ais?", „(sed) quid ais (tu)?", „ain (tandem)?", quibus qui loquitur alterius sententiam rogat, quo munere verbum „dicere" apud Plautum quidem numquam fungitur.

Imperfectum huius verbi eandem habet vim, ex. gr.:

Am. 383 Amphitruonis te esse *aiebas* Sosiam,

Cap. 561 at etiam te suom sodalem esse *aibat*,

vim peculiarem, quasi bellatoriam, secundae personae supra indicavi. Notandum est primam personam imperfecti huius verbi apud Plautum non inveniri (neque usquam alibi in prisca latinitate invenitur), quod facile explanari potest. Si, quod quondam dixit, qui loquitur censere desierit, hoc dictum non verbo „aio", sed potius alio imperfecto, ut „censebam" vel „credebam", ad suam sententiam referet, se autem iam pridem

Digitized by Google

dixisse, quod nunc et alii aiunt, verbo „dicere" enuntiabit, memoria repetens se vera indicasse.

Ut verbo „aio" affirmatio subjecti ad eius sententiam refertur [1]), eadem ratione praesenti et imperfecto verbi „negare" enuntiatum negativum qui loquitur ad subjecti sententiam refert, ex. gr.:

Am. 758 tun te abiisse hodie hinc *negas*?

Ps. 1314 at *negabas* daturum esse te mihi: tamen das.

Quod verbi „negare" perfectum tempus exstat, verbum autem „aio" hoc tempore caret, nihil habet miri. Tempora verbi „aio" idcirco praesenti et imperfecto contineri possunt, quod dictum, quod non ad subjecti mentem aut sententiam refertur, perfecto verbi „dicere" tamquam „indicium" eius enuntiari potest. Eodem modo dictum negativum perfecto verbi „dicere" enuntiare lingua latina refugit, quamquam eo verbo negationem ad subjecti voluntatem referri solet (cf. exemplum As. 938, supra allatum), unde perfectum verbi „negare" hoc munus sumere debet.

---

1) Cf. exempla ubi prima persona „aio" nullo alio munere nisi affirmationis fungitur, ut: Per. 492 ubi nunc tua libertast? Do. apud te. To. ain, apud me? Do. *aio.* inquam, apud te est, inquam; cum qua vi cf. notam illam vim primae personae „dico": „namelijk".

Digitized by Google

DE EURIPIDIS HELENA.

SCRIPSIT

W. E. J. KUIPER.

In hoc gratulatorio albo, quod magis gratum animum testificantes quam ut gratulentur, magistro et amico obtulerunt amici discipulique — quis enim vigenti seni gratuletur, quod otium assecutus est — inter tot et tanta nomina meum quoque nomen inveniri, non admodum, carissime Boissevain, miraberis. Nam etsi, ut praeceptorem dilectissimum te haberem, mihi non obtigit, amici nomine ne te appellem, pudor quidam interdicit, tu aeque atque alumnos tuos benignitate ac studio me semper prosecutus es, amicitiam vero, qua cum patre meo a primis adulescentiae annis coniunctus fueras, in me quoque conferre voluisti, idque ea liberalitate et comitate, ut inter amicos tuos discipuli loco tibi esse me sentiam, ex discipulis vero te non multos cariores habere. Ξεῖνος igitur quod πατρῴϊος εὔχομαι εἶναι ἐξ ἀρχῆς, a me quoque ξεινήϊον te accipere velle, spes non deest, id vero ἀμοιβῆς ἄξιον fore vix perhibuerim; sed si id tantum assequar, ut in hac disputatiuncula legenda patris mei memoria tibi resurgat, non frustra elaborasse mihi videbor. De Euripide enim ille eo quem primum post studia Academica peracta conscripsit libro locutus erat, Euripidis fabulam tractavit libello, quem ultimum confecit. De Euripide igitur agere nunc ego in animo habeo et de ea quidem poetae fabula, quam mihi iam diu cordi fuisse tibi non ignotum est, Helenam tragoediam dico, sive recte tragoedia dicitur sive falso.

„Τὸ δὲ δρᾶμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν καταστρόφην", ita legimus in Alcestidis argumento altero, quod Aristophani Byzantio ascribitur. Idem in Orestae argumento de Oresta fabula

Digitized by Google

perhibetur. Quae verba non minus recte, immo rectius etiam de Helena fabula dici posse, iam diu perspexerunt viri docti. Non solum enim, ut argumenti illius verbis iterum utar, „ἐκ συμφορᾶς μὲν ἄρχεται, εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καὶ χαρὰν λήγει, ἃ ἐστι μᾶλλον κωμῳδίας ἐχόμενα", sed ea fabulae dispositio est, ut laetum eventum iam inde ab initio provideamus. Quis enim, postquam audivit Helenam „τὸ κλεῖνον ἔτι κατοικήσειν πέδον Σπάρτης σὺν ἀνδρί" (vs. 57), de deorum consilio amplius dubitaverit? Praeterea, ubicumque fabulam inspexeris, sive mediam sumpseris sive primam sive ultimam, tot locos invenies, quos risum movere non poteris negare, ut haud facile credas in hac „tragoedia" conscribenda Euripidem „δι' ἐλέου καὶ Φόβου τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν" efficere voluisse. Immo, quae seria sunt — neque severitatem quandam subesse negaverim — non ita sunt seria, ut lacrimas tibi eliciant; quae pericula perpetiuntur personae, non ita sunt periculosa, ut terrorem tibi iniciant. Nunquam enim felicem casuum eventum non exspectamus, ac si risus noster hilari risu amarior sit fortasse, haec est causa, nisi fallor, quod hic quoque demonstrare voluit Euripides, vitam in tenebris agere homunciones, specie semper falli neque specie minus contentos esse quam vera ratione, felicitatem vero non praeclarae indolis sed praeclari generis hominibus obtingere. Τοὺς εὐγενεῖς γὰρ εὐ στυγοῦσι δαίμονες, τῶν δ' ἀναριθμήτων μᾶλλόν εἰσιν οἱ πόνοι: sic in fine dramatis (vs. 1679) deorum de Menelao in beatorum insulam migraturo iudicium excusant Dioscuri.

Hanc fabulae naturam ex seriis et iocosis miro modo mixtam, quamquam mixturae rationem aliis aliam videri verisimile est, Euripidis lectoribus perspectam esse censeo iam ab illo tempore, cum Verrallii [1]) somniis de Protea pharmacopola deque filia eius herbarum atque artis tragicae cultrice dissipatis scopum poetae illustrare conatus est v. d. Steiger [2]). Sed in Steigeri interpretatione tria insunt, quae cum ea, quam perhibet, fabulae indole minus quadrare iudico, nempe de Theonoae virtute magna eius opinio, nec non de Helenae animi altitudine iudicium deque nuntii e nautarum caede

1) Four Plays of Euripides p. 43—133 (Euripides' Apology).
2) Wie entstand die Helena des Euripides (Philologus LXVII, p. 202 sqq.).

Digitized by Google

elapsi fide. In quibus cum eo omnino non facio. Nam neque nuntii verbis (vs. 1512—1618) fidem habendam esse, neque Theonoae virtutem laudibus efferre voluisse poetam, neque Helenae animum ab omni crimine liberare velle, pro certo mihi constat, nunc vero explanare aggredior.

Atque incipiamus a nautae servati narratione. Huius partis epicam vim obtrectatores etiam fabulae identidem laudaverunt. Neque desunt lumina, quin etiam tanta veritatis specie res gestae ante oculos nobis ponuntur, ut Verrallium Anglum, virum sanguinis odorem, ut videtur, abominantem, cutis horrore affecerint, Steigerum vero Germanum bellicosum *μένος πνέοντα* foras excitaverint. Sed consilium eius narrationis nullum est nisi ut Theoclymenus tyrannus ludificetur. Tria autem vel quattuor insunt, quae ne spectatores ipsi quoque ludificentur impediunt. „Abiit hospes cum nautis tuis" ita nuntius regi, quae facta sint, breviter exponit vs. 1521: *τούς τε σοὺς ἔχων ναύτας βέβηκεν, ὡς ἂν ἐν βραχεῖ μάθῃς*. At nautae illi, si Steigero Verrallioque fides habenda est, uno excepto omnes misere trucidati sunt in pugna, quam cum Menelai militibus commiserint. Quomodo autem in ea pugna se defenderunt? Fortitur sane sed armis prorsus mirabilibus. Audi modo hortatorem suos incitantem (vs. 1597): *οὐκ εἶ' ὁ μέν τις λοῖσθον ἀρεῖται δόρυ, ὁ δὲ ζύγ' ἄξας, ὁ δ' ἀφελῶν σκαλμοῦ πλάτην καθαιμάτωσει κρᾶτα πολεμίων ξένων*; — Remis promptis ut aggrederentur hostes, quod tertio demum loco nautae iubentur, ratio pro certo ferebat, sed grave gubernaculum *πεντηκοντόρου* (sic enim *λοῖσθον δόρυ* interpretandum esse Cyclopis versus 15, *αὐτὸς λαβὼν ηὔθυνον ἀμφῆρες δόρυ*, planissime docet) ad talem rem idoneum fuisse, non facile credimus, iuga vero frangere velle mera erat insania. Non admodum igitur miramur vs. 1610 (*ἐπ' οἰάκων δὲ βὰς*) gubernaculum suo loco adesse. Nautae autem *κορμοὺς ἔχοντες ναυτικούς* (vs. 1601), quos remos esse Hesychius dicit, in Graecos incedunt, sed quocumque appropinquat Menelaus, non cadunt gladio icti, sed e navi exsiliunt (1609 *ὥστ' ἐκκολυμβᾶν ναός*) remosque relinquunt. Quod facere nuntius noster ne cogitavit quidem. Dum rex enim ad gubernaculum accedit et gubernatorem, quem quietum mansisse nunc videmus, Graeciam versus navem dirigere iubet, ille praeclaro Ulixis exemplo usus, ut

Digitized by Google

videtur (cf. ξ 305) per ancorae funem in mare se demittit et natando terram petere aggreditur. Ἤδη δὲ κάμνονθ' ὁρμιατόνων μέ τις ἀνείλετ', ἐς δὲ γαῖαν ἐξέβησέ σοι τάδ' ἀγγελοῦντα, sic narrat vs. 1615. Ubi pro ὁρμιατόνων — quam vocem alibi non obviam esse moneo — hoc „γράφεται" teste l: ὁρμιὰν τίνων (i. e. τεινῶν) μέ τις. Quod suo iure reiecisse videntur antiqui editores, nuntium ut piscem lino tento ex aqua protractum esse non credentes. Sed et haec et cetera, quae narravit, non omni fide digna esse, ipse nuntius ultimo versu cum tecte tum lepide indicat, eadem dicendi ambiguitate usus, qua paulo ante Helena regem Theoclymenum identidem illuserat: σώφρονος δ' ἀπιστίας οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βρότοις (1617). Tyrannus enim de Helenae fallacia haec dicta esse putat, choreutae et spectatores intellegunt ad ipsius nuntii verba — τάδ' ἀγγελοῦντα — pertinere. E tota igitur historia, quod cuique libitum est, credat.

Theonoa virgo, divina vates, ἥ Ϝείδει τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα, propter eximiam virtutem fabulae lectoribus tam cara esse solebat, ut omnibus cum Hermanno „pia moderatique animi et decorae humanitatis femina" videretur. Iuvenilem sibi fingunt Theonoam et formosam, virginem divina quadam sapientia praeditam et iustitiae caelesti instinctu appetentem.

Mihi vero, num ut pulchra iuvenis a poeta inducta sit vates, maximum est dubium. Spectemus enim genealogiam eius. Mater erat Nereïs Psamathe, Proteo nupta „ἐπειδὴ λέκτρ' ἀΦῆκεν Αἰακοῦ" (vs. 7); Aeaco et Endeïde parentibus natus erat Telamon, pater Teucri, qui ut Theonoae oraculum adeat ad Aegyptum appellit (vs. 68), vir adultus eo tempore et post septendecim annos, qui ab initio Troiani belli praeterierunt, iam fere quadragenarius, ut opinor. Telamonem autem tunc temporis admodum senem fuisse, nemo inter spectatores ac lectores ignorat. Nonne verisimile est poetam, qui nil molitur inepte, consulto eam originem addidisse, ut statim intellegamus Theonoam non multis quidem annis minorem esse quam Telamonem?

At formosa inducitur. Non opinor. Erat sane „τὸ μητρὸς ἀγλάϊσμ', ὅτ' ἦν βρέφος (vs. 11) et Eido appellabatur. Sed postquam matura est facta, Theonoa dicta est. Mansit tamen innupta, sive sua sponte sive quod nemo eam desideravit. Quis nostrum

Digitized by Google

veram causam cognoscet? Cum autem ipsa de se praedicet „ἡ Χάρις δ' ἐμοί, ἴλεως μὲν εἴη, ξυμβέβηκε δ' οὐδαμοῦ" (vs. 1006), de formae gratia nobis quoque dubitare licet. Et quae statim addit „πειράσομαι δὲ παρθένος μένειν ἀεί", haec spectatoribus risum movisse arbitror, quippe cum dicerentur a virgine ultra iustum matrimonii annum iam longe provecta.

Quid de pietate eius et iustitia? Patris memoriam colere filiam et iuste agere, cum Helena uxori restituenda reddit depositum, non negabo. Sed reverane, ut ipsa dicit, innato quodam honesti sensu tantum impellebatur, quod ἱερὸν τῆς δίκης μέγα ἐν τῇ Φύσει ei inerat? (vs. 1002) Mihi satis vana esse haec verba videntur. Optime enim scire eam necesse erat — quippe quod Mercurius Helenae promisisset (vs. 57) — τὸ κλεινὸν ἔτι κατοικήσειν πέδον Σπάρτης σὺν ἀνδρί mulierem illam, quam olim deus patris sui tutelae commisisset. Itaque facere non possum, quin vana etiam iactari eam iudicem, cum dicit penes se esse, utrum redire liceat Menelao cum uxore an in Aegypto ei manendum sit (vs. 887). Aut enim omnino non credere eam deos esse, nobis concedendum erit, aut, quod magis placet, quae futura esse pro certo scit, ea sua voluntate fieri contendere. Vates talia nonnunquam sibi arrogasse quid miremur, cum videamus, quae mala praesagiunt vates, homines non sorti sed illis crimini dare solere. An aliter sentire Agamemnonem iudicabimus, cum sic increpat Calchantem: μάντι κακῶν, οὔ πώ ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπες? Quam vanam vatum opinationem nunc Euripides irridere mihi videtur, ut vaticiniorum collectores identidem irridet Aristophanes [1]). Proxime autem ad Theonoam accedit Amphitheus ille, cui ἐπέτρεψαν οἱ θεοὶ σπονδὰς ποιῆσαι πρὸς Λακεδαιμονίους μόνῳ, ut ipse perhibet [2]). Non magni praeterea vatum sapientiam a poeta aestimari ex nuntii verbis, quae in huius ipsius fabulae versibus 744 sqq. leguntur, colligere licet.

At Theonoa praesagit futura et Menelaum naufragum amissa nave cum paucis comitibus in Aegypti litus eiectum iri Helenae praedixit! Praedixit sane, sed „ἓν οὐκ ἔλεξεν, εἰ μολὼν σωθήσεται"

1) Aves 959, Eq. 197, 997, Pax 1063.
2) Acharn. 51.

Digitized by Google

(vs. 535). Quod suo iure omisit, nam hoc unum neque suis oculis viderat neque suis auribus audiverat. Reliqua omnia, quae vaticinatur, vaticinium esse censeo ex eventu. Quod erit demonstrandum.

Mirum mihi semper visum est, nec minus, ut opinor, olim spectatoribus admirationem movit, in porta regiae Aegyptiae anum ianitoris vice fungi. Dixeris fortasse secundum illum morem hoc fictum esse, quem Herodotus tradidit, Aegyptios dicens τὰ πολλὰ πάντα ἔμπαλιν τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι στήσασθαι ἤθεά τε καὶ νόμους [1]). Neque ego eam explicationem prorsus spernendam esse censeo, quamquam καπηλεύειν et ἀγοράζειν mulieres, non ianitoris munus obire apud Herodotum legimus. Sed si revera Euripides illa verba memoria tenebat, libenter eum hunc morem secutum esse arbitror, non tantum ut Menelaum suum, militem illum gloriosum boni Troiani laudem iterum atque iterum praedicantem, cum anicula morosa dimicantem induceret, sed etiam ut fata eius anui illi non incognita mansisse sciremus. Inspiciamus enim dramatis versus 386—482. Inducitur Menelaus novo quodam prologo avi, patris, suum nomen cum spectatoribus communicans, Troiae discidium, errores suos referens, naufragium lamentans, Helena, quam putat, et ipse quomodo evaserint, describens. Cum tandem a spectatoribus ad regiam conversus, „ὦή, τίς ἂν πυλωρὸς ἐκ δόμων μόλοι" exclamat (435), statim anus nostra progreditur et ex uno aspectu se Graecum hominem videre cognovit (440), cum Theoclymenus postea, quamqnam Graecum quendam appulisse compertum habet, unde et qualis sit Menelai mortis nuntius ille exquirat (1206). Nonne perspicuum est anum iam diu post tergum Menelai ab ianua prospexisse et totam eius orationem audivisse?

Postquam heroem, ne regiam intraret, vi atque manibus, ut videtur, impedivit (451—453), ab ostio eum fugare conatur, domini reditum minacibus verbis memorans. Nam quamquam ipsa εὔνους est Ἕλλησιν (481), inopportune tamen Menelaum venisse existimat idque libere confitetur vs. 479: καιρὸν γὰρ οὐδὲν' ἦλθες. Quid inopportune? Inspiciamus textum et angoris eius causam cognoscamus: ἔστι γάρ τις ἐν δόμοις τύχη, τύραννος

1) 2. 35.

Digitized by Google

At fortasse, qua olim fuerit levitate animi, nunc recordatur neque latet eum, non tam Helenae quam deorum et Protei merito pudicitiam eius intactam mansisse. Euripidem certe hoc non latuisse arbitror neque fabulae spectatores. Si vero id affers, Theoclymenum nunc regnare, Protea de vita decessisse, hoc rogo, utrum diu iam mortuus sit Proteus an nuper occubuerit. Aliter enim de Helenae constantia iudicabimus, si per aliquot annos, aliter si per aliquot menses, aliter si per aliquot dies tantum regis cupidini restitit. De hac re certi aliquid affirmare profecto non licet nisi hoc: nusquam apparere iam ante multos annos Helenae tutorem interiisse. Contra recentis mortis indicia non desunt. Nam Menelao roganti, cuius sint aedes, quas videt, anus respondet: Πρωτεὺς τάδ' οἰκεῖ δώματα (460); deinde Theoclymenus tamquam recens exstructum patris monumentum salutat et hoc se institutum habere profitetur, ut, quotiens vel intret domum vel exeat, mortuum appellet (1165—67); postremo ἔμπυροι illi ὀρθοστάται, de quibus loquitur Menelaus (547), spectatoribus fortasse indicio erant, quando Proteus sepultus esset. Sed vocis significatio satis dubia est.

Verum enimvero neque prodidit patriam Helena neque aufugit cum Alexandro. Ei gloriae obtrectari nolo. Attamen rogo, quomodo factum sit, ut adulterium non committeret. Suane sponte id scelus respuit, amatorem repudiavit? Hic iam dubito. Iunonis enim non sua voluntate Helenam pudicitiam servasse lègimus (31). Hoc etiam quaerere fortasse licet, num Paris unquam imagine Helenae deceptus propositum perfecisset, nisi iam antea vera Helena spem sui auferendae auxisset. Non enim per plures dies ficta illa mulier una cum vera Helena in Menelai aedibus degebat. Immo, ut primum de caelo delapsa est, statim cum Paride aufugit. Nonne antea pactio erat facienda, de tempore, loco, comitibus constituendum erat? A Minervae templo fugane incipienda erat fortasse et ideo rosea folia carpserat Helena, Χαλκίοικον ὡς μόλοι (245)? Plus aequo me quaerere dices: haec enim τὰ ἔξω τοῦ δράματος esse. Sed in ipsa fabula nonnulla insunt, e quibus apparet, heroinam non omni culpa liberam esse idque ipsam quodammodo sentire. Non temere enim poeta egisse mihi videtur, cum Menelao roganti „εἶτ' ἀντέδωκ' εἴδωλον, ὡς σέθεν κλύω"; (683)

Digitized by Google

τίμη vel ποίνη [1]) Homerus indicavit. Haec una cum nave interiisse exceperat anus, divinavit Theonoa. Ne miremur amplius Helenam a Teucro tandem discere Troiae discidium anno octavo post quam capta est.

Sed de Theonoa hactenus. Magis enim refert, quid de ipsa Helena iudicandum nobis sit. „Un modèle de vertu, une véritable Pénélope" sic Decharmius indolem eius designavit [2]). Alii idem perhibent verbis non admodum diversis. Steigerus etiam lenius haec dicta esse putat. Mitis enim mulier Penelope identidem, an melius esset procis petentibus obsequi, dubitabat: Helena vero, ferocis pudicitiae femina, mortem sibi consciscere quam Theoclymeno nubere mavult. Haec veriora specie quam re mihi videntur. Mitto, quod saepius de morte oppetenda deliberat quam ut credere possimus asseverationibus eius; mitto etiam, quod Helena post Menelai mortem sibi pectus perfossuram esse profitetur, Menelaus vero Helena occisa semet ipsum trucidaturum esse [3]): hoc tantum dico, οὐκ ἐξ ἴσου τὸν ἀγῶνα fuisse Ulixis et Menelai uxoribus. Illi enim ex suis popularibus optimum iuvenem eligere licebat, Helenae homini barbaro et — si recte supra de Theonoae aetate disputavimus — iam ultra iuventutis florem provecto mos gerendus fuerat, quod nimirum abhorrebat. Hanc ut non unicam at certe unam causam coniugalis fidei fuisse, ipsa aperte confitetur, sic secum colloquens: τίν' ὑπολείπομαι τύχην; γάμους ἑλομένη τῶν κακῶν ὑπαλλαγάς, μετ' ἀνδρὸς οἰκεῖν βαρβάρου πρὸς πλουσίαν τράπεζαν ἵζουσ'; ἀλλ' ὅταν πόσις πικρὸς ξυνῇ γυναικί, καὶ τὸ σῶμ' ἐστὶν πικρόν (293—297).

Neque Menelaum uxori tantopere confidere, ut omnis dubitatio ei exempta sit, bis terve animadvertimus. Nam postquam ea „ἄθικτον εὐνὴν ἴσθι σοι σεσωσμένην" exclamavit, sic ille rogat, candidum pectus: τίς τοῦδε πείθω; Φίλα γάρ, εἰ σαφῆ λέγεις (795/6); et iterum, uxore miserante „θανῇ, γαμοῦμαι δ' ἡ τάλαιν' ἐγὼ βίᾳ", hoc statim respondet: προδότις ἂν εἴης· τὴν βίαν σκήψασ' ἔχεις. Nonne mirum videtur sic loqui maritum, cui sponte et ultro iam per septendecim annos uxor servavit fidem?

---

1) Γ 286, 290. 2) Euripide et l'esprit de son théatre p. 234.
3) Cf. vs. 839, 840, 842.

Digitized by Google

At fortasse, qua olim fuerit levitate animi, nunc recordatur neque latet eum, non tam Helenae quam deorum et Protei merito pudicitiam eius intactam mansisse. Euripidem certe hoc non latuisse arbitror neque fabulae spectatores. Si vero id affers, Theoclymenum nunc regnare, Protea de vita decessisse, hoc rogo, utrum diu iam mortuus sit Proteus an nuper occubuerit. Aliter enim de Helenae constantia iudicabimus, si per aliquot annos, aliter si per aliquot menses, aliter si per aliquot dies tantum regis cupidini restitit. De hac re certi aliquid affirmare profecto non licet nisi hoc: nusquam apparere iam ante multos annos Helenae tutorem interiisse. Contra recentis mortis indicia non desunt. Nam Menelao roganti, cuius sint aedes, quas videt, anus respondet: Πρωτεὺς τάδ' οἰκεῖ δώματα (460); deinde Theoclymenus tamquam recens exstructum patris monumentum salutat et hoc se institutum habere profitetur, ut, quotiens vel intret domum vel exeat, mortuum appellet (1165—67); postremo ἔμπυροι illi ὀρθοστάται, de quibus loquitur Menelaus (547), spectatoribus fortasse indicio erant, quando Proteus sepultus esset. Sed vocis significatio satis dubia est.

Verum enimvero neque prodidit patriam Helena neque aufugit cum Alexandro. Ei gloriae obtrectari nolo. Attamen rogo, quomodo factum sit, ut adulterium non committeret. Suane sponte id scelus respuit, amatorem repudiavit? Hic iam dubito. Iunonis enim non sua voluntate Helenam pudicitiam servasse lègimus (31). Hoc etiam quaerere fortasse licet, num Paris unquam imagine Helenae deceptus propositum perfecisset, nisi iam antea vera Helena spem sui auferendae auxisset. Non enim per plures dies ficta illa mulier una cum vera Helena in Menelai aedibus degebat. Immo, ut primum de caelo delapsa est, statim cum Paride aufugit. Nonne antea pactio erat facienda, de tempore, loco, comitibus constituendum erat? A Minervae templo fugane incipienda erat fortasse et ideo rosea folia carpserat Helena, Χαλκίοικον ὡς μόλοι (245)? Plus aequo me quaerere dices: haec enim τὰ ἔξω τοῦ δράματος esse. Sed in ipsa fabula nonnulla insunt, e quibus apparet, heroinam non omni culpa liberam esse idque ipsam quodammodo sentire. Non temere enim poeta egisse mihi videtur, cum Menelao roganti „εἶτ' ἀντέδωκ' εἴδωλον, ὡς σέθεν κλύω"; (683)

Digitized by Google

iam nihil amplius respondentem eam fecit, sed de matris morte nuper audita subito acres planctus subiungentem, quippe quae intellegeret in huius raptus historia diutius morari famae suae non multum expedire. Quam opinionem praecedentibus versibus (660—682) confirmari censeo.

Sed ea ambigua esse concedo: plus tribuo illi iudicio, quod chorus de Helena protulit versibus 1353—1368. In hoc carmine perpendendo non tantum memoria teneatur, Euripidem sua cogitata et suas opiniones per chorum eloqui solere, sed hoc etiam animadvertendum est, inter omnes huius dramatis personas chori personam fere unam esse, quae prorsus seria agit neque quicquam profert, quod cum seriis ludicra mixta habeat. Theonoa enim quod omnes spectatores iam factum esse sciunt vaticinando et divinam potentiam insolenter arrogando ridendi copiam praebet, Theoclymenus tyrannus est stultus et stolide ferox, cui nemo tamen obsequitur, Menelaus, miles gloriosus, dum Troiani belli gloriam iterum atque iterum commemorat (392, 401, 453, 503, 806, 808, 845, 948), cum anicula iniquo Marte decertat (453) et tyrannum appropinquantem tantopere reformidat, ut post sepulchrum se occultet (1203): chorus vero — sic enim veri sensus apud spectatores servatur — una sola semper sapit, aliis prospicit, sibi nihil desiderat, omnibus denique moderantiae, obtemperantiae, pietatis, sapientiae virtutibus praeditus est, quibus servos et plebiculam Euripides ornare solet. Quam hoc sit verum ex prudenti consilio Helenae dato (306, 317) et ex subtilibus de divina potentia cogitationibus (1136 sqq.) apparere mihi videtur, neque minus cum in eodem illo carmine (1151 sqq.) laudem bellicam et quas bellando petimus disceptationes condemnant. Haud neglegenda igitur censeo choreutarum verba, quibus Θεσμοφόρου potentia iam celebrata hoc de Helena promunt iudicium:

ὃν οὐ θέμις ⟨σ'⟩ οὔθ' ὁσία 1353
πύρωσας ἐν ⟨τοῖς⟩ θαλάμοις
μῆνιν δ' εἶχες μεγάλας 1355
ματρός, ὦ παῖ, θυσίας
οὐ σεβίζουσα θεάς.
μέγα τοι δύνανται νεβρῶν
παμποίκιλοι στολίδες

Digitized by Google

κισσοῦ τε στεφθεῖσα χλόα
νάρθηκας εἰς ἱερούς,
ῥόμβου δ' εἱλισσομένα
κύκλιος ἔνοσις αἰθερία
βακχεύουσά τ' ἔθειρα Βρομί-
ῳ καὶ παννυχίδες θεᾶς.
εὖτέ νιν ἅμμασιν
πέρβαλλες Ἑλάνα,
μορφᾷ μόνον ἡὔχεις.

Hunc non textum esse, qualis traditur, dicto non opus est. Cum plerisque editoribus, quos enumerare supersedeo, vs. 1353 ὃν pro ὧν legitur et σ' inseritur, ita ut cum strophae primo versu (ἐπεὶ δ' ἔπαυσ' εἰλαπίνας) congruentia metrica restituatur; 1354 πύρωσας pro ἐπύρωσας scribitur, additum est τοῖς; 1355 εἶχες pro ἔχεις positum est, 1357 θεᾶς pro θεοῖς, 1358 δύνανται pro δύνανται, 1360 κισσοῦ pro κισσῷ, 1361 εἰς pro ἐς, 1362 ῥόμβου pro ῥόμβῳ, εἰλισσομένα pro ἐλισσομένα, 1362 κύκλιος pro κυκλίοις. In hisce omnibus fere, ut dixi, editores secutus sum. Versus 1366 et 1367 meo Marte sanare conatus sunt, quamquam varia temptaverunt viri docti, Murray autem Euripidis editor novissimus cruces appinxit. In priore versu pro εὖ δέ (L) et εὖγε (P) εὖτε scripsi, ἅμασιν in ἅμμασιν mutavi; in altero versu pro ὑπέρβαλεσελάνα legendum censui πέρβαλλες Ἑλάνα, quo Reizianus restituitur. Menda hinc orta esse arbitror, quod scriba, verbi περβάλλειν Aeolica elisione parum intellecta, ὑπέρβαλε scripsit, simul σ finale inusitatae voci Ἑλάνα adiunxit.

Sed quid sibi velit illud ἅμμασιν περβάλλειν et quae significatio sit vocis ἑλάνα fusius explicare fortasse non supervacaneum est.

Novas nuptas virginalis ornatus partem aliquam Iunoni vel alii deae vovisse ex epigrammatis cognoscere licet. Sic in epigrammate, quod Archilocho ascribitur (A. P. 6, 133), Ἀλκιβίη πλοκάμων ἱερὴν ἀνέθηκε καλύπτρην Ἥρῃ, κουριδίων εὖτ' ἐκύρησε γάμων. Eodem modo hic Euripides Helenam deae Thesmophoro dedicantem facit zonam, quae ἅμματα παρθένιας audit apud Meleagrum (A. P. 7, 182). Neque absonum esse, verbum περιβάλλειν, quod de zona nectenda iam apud Homerum occurrit (ε 231), ad dedicationem designandam usurpari, Niciae epigramma

Digitized by Google

docet (A. P. 6, 270), cuius hoc est initium: Ἀμφαρέτας κρη-δεμνα καὶ ὑδατόεσσα κολύμπρα, Εἰλείθυια, τεᾶς κεῖται ὑπὲρ κεφαλᾶς.

Itaque ut chorus altera stropha absoluta e regia Helenam egredientem conspexit, ad reginam se convertit et ultima carminis parte eam adlocutus nimiam eius etiam post nuptiarum tempus vanitatem commemorat. Sed aperte increpare reginam captivae et servae non audent. Tecte igitur chorus loquitur neque proprio nomine eam appellat, sed primum „πατῆ" nuncupat, deinde Helenae nomine per etymologiam paululum detorso „Ἑλάνα" eam dicit, facis appellatione initium huius antistrophae respiciens. Nam quaecumque „ἐπύρωσεν", rectissime eam „Facem" appellari, consentaneum est. Hanc etymologiam recentiores etiam constituisse ex Roscheri Lexico [1]) disco. Antiqui grammatici alii aliud de nominis Helenae significatione hariolantur. Tragicos Atticos autem nominum propriorum interpretationes in deliciis habuisse, non opus est dicere. Helenae vero naturam luminosam ab Euripide etiam perspectam esse ex Orestae fabulae versu 1636 [2]) cognoscimus. Altius egredi fortasse licet. Haec enim in novis Alcaei fragmentis de Helena legimus: πύρι δ' αἰθάλωσας Ἴλιον ἵραν [3]). Una tamen restat molestia: ἑλάνη paenultimam syllabam brevem habet, ut ἀρτάνη, δρεπάνη, ὁρκάνη, στεφάνη. In nostro autem versu longa postulatur paenultima. Sed talia plane neglexisse antiquos etymologos, quivis scit. Neque aliter egisse poetas, ex nominis Ἡλέκτρα a voce ἄλεκτρα derivatione [4]), nec non e voce ἤπειρος per ἄπειρος explicata [5]) apparet. [6])

Quid igitur a choreutis in hac stropha Helenae obici censendum est? Haec, ut opinor: amatorem, quem aversari debebat, magis etiam inflagravit, Magnae Matris — et moneo in praecedentibus Matrem Cereri plane assimulari — sacra neglexit. Ideo iracundiam eius contraxit. Nam pervigilium eius cele-

1) I, 2, 1977.

2) Κάστορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς σύνδακος ἔσται.

3) Suppl. Lyr. 8, 3. 4) Xanthus lyricus ap. Ael. V. H. 4, 26.

5) Eur. fr. 1010 N².

6) Producendi corripiendique licentiam in aliena dialecto imitanda spectare videtur Alexis Comicus (Meineke III, p. 448): ἐὰν ἐπιχώριος/ ἰατρὸς εἴπῃ „τρῦβλίον τούτῳ δότε/ πτισάνης ἑψῆσαι", καταφρονοῦμεν εὐθέως·/ ἂν δὲ „πτισάνην" καὶ „τρύβλιον", θαυμάζομεν.

Digitized by Google

brare et Bacchi (qui im Bacchis fabula etiam cum Magna Matre identidem coniungitur) sacra colere non impune omittunt mulieres. Helena tamen, vel cum zonam dedicaret deae, nil nisi suam pulchritudinem spectabat. Nonne hoc dicere poetam apertum est: Menelai uxorem non ut matronam decebat se gessisse, matrimonii deam colentem et uxorum instituta servantem, sed prae formae gloria omnia sordere arbitratam esse. Ecce habes, quae Euripides etiam in nova ea Helena, quae — ut Stesichori verbis utamur — οὐχ ἵκετο Πέργαμα Τροίας — vituperanda esse censebat: vana formae gloriatione omnes mulieres anteibat, veris matronarum virtutibus, quas Electra, Troiadibus, Heraclidis, Andromacha fabulis copiose et accurate poeta designaverat [1]), omnino deficiebatur. Quas si possedisset vel coluisset, nunquam pro certo Menelai domum deversus Alexander spem induisset, se hospitis uxorem Troiam auferre posse, neque Junonis in Venerem invidia et falsa Helenae imagine opus fuisset, ut pudicitia eius servaretur, neque ipsa unquam in Aegyptum avecta esset. Quod si denique hac re gravaris, nuptarum nunc tutelam vel Rheam vel Cererem, non, ut mos est, Iunonem obtinere, hoc reminisci oportet, tales semper in Helenae fabula Iunonis partes fuisse, ut eo munere omnino fungi non posset.

De Helenae crimine iam inde ab Homeri temporibus controversiam fuisse videmus, quinto saeculo exeunte vero sophistarum disputationibus etiam amplam materiam praebebat. Id ante hos quindecim annos fuse demonstravit v. d. Preuss [2]), ipsius Helenae in Troasin fabula excusationem [3]) et a Gorgia sophista conscriptum Helenae encomium inter se conferens. Sed hac re graviter errasse mihi videtur, quod putavit Euripidem, heroinae obtrectatorem vehementissimum, sophistae laudatione inductum esse, ut Tyndarei filiam, iterum atque iterum conviciis a se obrutam, nunc tandem ipse quoque ad caelum efferret. Contra fecit poeta. Ostendit enim, etiamsi mythi forma acciperetur, qualem ex Stesichori carmine et

1) Vss. 1072, 945, 474, 943 sqq.
2) De Euripidis Helena, Diss. Inaug. Lips. 1911.
3) Vs. 914 sqq.

Digitized by Google

Herodoti historia spectatores cognitam habebant, tamen Helenae culpam omnino non evanuisse. Non enim facta tantum hominum sed animum et indolem etiam spectare solebat humani cordis ille scrutator et iudex. Helena vero, qualis nostra fabula inducitur, adulterii factum quidem non commiserat, fato deorum impedita: sed quia insita erat animi levitate neque statim sceleris eius cogitationem totam a se repudiaverat, ideo accidit, ut Paris imagine facile deciperetur, ipsa auferretur in Aegyptum, ubi vanitatis levitatisque poenas exsilio lueret. Neque prius libertatem recuperavit, quam sordida veste comis detonsis genis laniatis omnem decorem suum foedavit.

Id crimen neque Theoclymenus, vir stolidus et amore occaecatus, animadvertit neque Menelaus magni pependit, utqui uxoris simulacro Troiae reperto iam diu ignovisset, neque ipsa Helena persensit; nam quae casu quodam impediti non commisimus scelera, ea multis annis post plane a nobis aliena esse censere solemus. Chorus unus perspexit, modestae vitae mulieres, quae dum nihil sibi, omnia dominis sperant, simul quae virtutes quae vitia sint eorum, plane intellegunt. Alcestidis fabulae nos admonent, ubi Admeti dolorem et inanitatem a servis tantum iusto iudicio aestimari videmus. Alcestidis igitur, quartae tragoediae, poetam in Helena fabula, quam quartam tragoediam fuisse suspicamur, agnoscimus. Inanem hominum animum, quae ipsi commiserunt fato facta esse putantium, quae fatum permisit sua virtute perpetrata esse censentium, per seria per ludicra nobis aperit. Et ut Admetus calamitate doctus culpae tandem conscius sibi factus est, sic Helena formam, qua tantum gloriabatur, exsecravit (261), et dum, ut bonam decet coniugem, marito famulatur (1382), se semper mulierem fore „οἵαν γενέσθαι χρὴ τῷ ξυνευνέτῃ" pollicita est. [1])

1) 1292—1295.

Digitized by Google

DE FONTIBUS INTER SE CONTAMINATIS APUD LIVIUM XXII 4 SQQ.

SCRIPSIT

J. JANSSEN.

In opere Liviano diversam auctorum memoriam saepius esse permixtam, satis constat [1]). Quod factum esse in proelio apud lacum Trasumennum describendo, indicare iam mihi videntur verba haec (XXII 5. 6): „deinde, ubi in omnis partes nequiquam impetus capti et ab lateribus montes ac lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam nisi in dextera ferroque salutis spem esse, tum sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam, et *nova de integro exorta pugna est*, non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios, nec ut pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies, nec ut in sua legione miles aut cohorte aut manipulo esset; fors conglo[ba]bat et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat; tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit avertitque cursu rapidos amnis, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit nemo pugnantium senserit".

Imprimis suspicionem meam moverunt verba „nova de integro exorta pugna". Haec enim nova pugna opponitur proelio quo Romani impetu inopinato oppressi sunt neque aciem instruere poterant.

---

1) Cf. e. g.: Seemüller, *Die Dubletten in der ersten Dekade des Livius* Progr. Neuburg 1904, H. A. Sanders, *die Quellencontamination im 21 und 22 Buche des Livius* 1898, Kahrstedt, *die Annalistik von Livius Buch XXXI—XLV* 1913; in universum cf. Schanz II 1^3 p. 429, Klotz apud *Pauly-Wiss.* s. v. Livius XIII p. 838 sqq.

Digitized by Google

Ipsa Livii verba laudabo, cum Polybio, qui haud dissentit, comparata:

Livius XXII 4. 4 sqq.	Polybius III 83. 7 sqq.
§ 4. Flaminius *cum pridie solis occasu ad lacum pervenisset*, inexplorato *postero die vixdum satis certa luce* angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen coepit, id tantum agmen, quod ex adverso erat, conspexit, ab tergo ac super caput haud dispectae insidiae.	§ 7. κατεστρατοπεδευκὼς (scil. Flaminius) δὲ τῇ προτεραίᾳ πρὸς αὐτῇ τῇ λιμνῃ τελέως ὀψὲ τῆς ὥρας, μετὰ ταῦτα τῆς ἡμέρας ἐπιγενομένης εὐθέως ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν ἦγε τὴν πρωτοπορείαν παρὰ τὴν λίμνην εἰς τὸν ὑποκείμενον αὐλῶνα, βουλόμενος ἐξάπτεσθαι τῶν πολεμίων.
§ 5. *Poenus ubi, id quod petierat, clausum lacu ac montibus et circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat simul invadendi.*	84. 1. οὔσης δὲ τῆς ἡμέρας ὁμοχλώδους διαφερόντως, Ἀννίβας ἅμα τῷ τὸ πλεῖστον μέρος τῆς πορείας εἰς τὸν αὐλῶνα προσδέξασθαι καὶ συνάπτειν πρὸς αὐτὸν ἤδη τὴν τῶν πολεμίων πρωτοπορείαν, ἀποδοὺς τὰ συνθήματα καὶ διαπεμψάμενος πρὸς τοὺς ἐν ταῖς ἐνέδραις συνεπεχείρει παντα χόθεν ἅμα τοῖς πολιμίοις.
§ 6. Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decucurrerunt, eo magis Romanis *subita atque improvisa res fuit, quod orta ex lacu nebula campo quam montibus densior sederat, agminaque hostium ex pluribus collibus* ipsa inter se satis conspecta eoque magis *pariter decucurrerant.*	§ 2. οἱ δὲ περὶ τὸν Φλαμίνιον, παραδόξου γενομένης αὐτοῖς τῆς ἐπιφανείας, ἔτι δὲ δυσσυνόπτου τῆς κατὰ τὸν ἀέρα περιστάσεως ὑπαρχούσης καὶ τῶν πολεμίων κατὰ πολλοὺς τόπους ἐξ ὑπερδεξίου καταφερομένων καὶ προσπιπτόντων, οὐχ οἷον παραβοηθεῖν ἐδύναντο πρός τι τῶν δεομένων οἱ ταξίαρχοι καὶ χιλίαρχοι των Ῥωμαίων, ἀλλ' οὐδὲ συννοῆσαι τὸ γινόμενον.

Digitized by Google

§ 7. Romanus clamore prius undique orto quam satis cerneret, se circumventum esse sensit; et *ante in frontem lateraque pugnari coeptum est, quam satis instrueretur acies* aut expediri arma stringique gladii possent.

§ 3. ἅμα γὰρ οἱ μὲν κατὰ πρόσωπον οἱ δ' ἀπ' οὐρᾶς, οἱ δ' ἐκ τῶν πλαγίων αὐτοῖς προσέπιπτον.

§ 4. διὸ καὶ συνέβη τοὺς πλείστους ἐν αὐτῷ τῷ τῆς πορείας σχήματι κατακοπῆναι.....

Haec Livianae traditionis cum Polybio comparatio tam insignem ostendit consensum, ut ex uno eodemque fonte fluxisse utramque descriptionem facile colligatur, nec non observatum sit [1]). Sequitur autem discrepantia. Pergit enim Polybius inter ceteros Flaminium a Gallis quibusdam interfectum esse „δυσχρηστούμενον καὶ περικακοῦντα τοῖς ὅλοις" (l.l. § 6). Prorsus aliter Livius consulem, ipsum pavidum, Romanos adhortatum esse tradit, ut Poenis resisterent: „consul perculsis omnibus ipse satis, ut in [re] trepida, impavidus, turbatos ordines, vertente se quoque ad dissonos clamores, instruit, ut tempus locusque patitur, et, quacumque adire audirique potest, adhortatur, ac stare ac pugnare iubet: nec enim inde votis aut inploratione deum, sed vi ac virtute evadendum esse; per medias acies ferro vim fieri, et quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse" (C. 5 § 1. 2).

Itaque Flaminius auctore Livio fractos militum animos confirmavit, neque, ut tradit Polybius „....συνέβη τοὺς πλείστους... κατακοπῆναι... ὡσανεὶ προδεδομένους ὑπο τῆς τοῦ προεστῶτος ἀκρισίας" exercitum prodidit. Attamen frustra. Nam prae strepitu ac tumultu nec consilium consulis nec imperium accipi poterat, et prae caligine ratio atque ordo militum perturbabantur (Liv. c. 5 § 3. 4. 5). Nonne iure miramur legentes tum novum illud proelium ortum esse (l. l. § 6. 7. 8 cf. supra)?

Iterum praedicatur virtus consulis cum cadit: „Tris ferme horas pugnatum est, et ubique atrociter; circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est. Eum et robora virorum seque-

1) Cf. Hesselbarth, *Hist. Krit. Unters. zur dritt. Dek. des Livius* p. IX, et pass., Soltau *Livius' Geschichtsw.* p. 52, Klotz ap. *Pauly-Wiss.* s. v. Livius XIII 1 p. 845.

Digitized by Google

bantur, et ipse, quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem; insignemque armis et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, donec Insuber eques — Ducario nomen erat.... consulem lancea transfixit; spoliare cupientem triarii abiectis scutis arcuere" (c. 6 § 1—5).

Duos igitur fontes Livius videtur inter se contaminasse, unum, quo eodem usus est Polybius [1]), Flaminio inimicum, alterum, consuli multo magis faventem. Quod etiam fit probabilius duobus, quas memorat Livius, pugnis diligenter collatis.

In priore pugna prae perturbatione dimicari vix poterat cf. c. 4 § 7: „ante in frontem lateraque pugnari coeptum est, quam satis instrueretur acies aut expediri arma stringique gladii possent" et c. 5 § 3:... „tantumque aberat, ut sua signa atque ordines et locum noscerent, ut vix ad arma capienda aptandaque pugnae competeret animus, opprimerenturque quidam onerati magis his quam tecti"; alterum proelium erat sane haud iustum, attamen certatum est, cf. c. 5 § 6 sqq. „nova... orta pugna..." (vide supra), et quidem per tres horas (6 § 1). Militum animos in priore proelio omni modo fractos esse legimus: „ad gemitum vulneratorum ictusque corporum aut armorum et mixtos terrentium paventiumque clamores circumferebant ora oculosque, alii fugientes pugnantium globo inlati haerebant, alios redeuntes in pugnam avertebat fugientium agmen" (c. 5 § 4); contra pugnantium ardorem in altero permagnum fuisse audimus (c. 5 § 8). In priore pugna prae strepitu non audiri poterat, et vix videri (c. 5 § 3. 4), at in altera Flaminius „quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem" (c. 6 § 2), „spoliare cupientem triarii obiectis scutis arcuere (scil. Flaminium)" (c. 6 § 4).

Duo proelia a Livio per consulis personam iunguntur. At miro modo eae ipsae paragraphae, quibus hoc fit, controversiam quandam indicant. Nam imperium consulis ordines, quantum poterat, instruentis prae tumultu sane non auditur (quamquam

---

1) Livium in libris 21 et 22 ex ipso Polybio hausisse defendit O. Hirschfeld: *Zeitschr. f. d. Oesterr. Gymn.* 1877 p. 801—811 = *Kl. Schr.* p. 763—775; cui assentiri videtur H. Peter *Hist. Rom. Rel.*[2] p. XC et p. CCXXVII.

Digitized by Google

in tanta caligine maior usus erat aurium quam oculorum) sed tamen „ad gemitus vulneratorum.... circumferebant ora oculosque" (c. 5 § 3. 4, vide supra).

Argumenta sic complector: Fuit descriptio pugnae apud lacum Trasumennum factam, qua Romani vix congressi ab hostibus oppressi sunt, Flaminius sine gloria, fortasse etiam magno cum dedecore, periit. Hoc fonte usus est Polybius, itemque usus est Livius. Exstitit alia memoria, qua exitiosus sane interitus legionum Romanarum exhibebatur, at simul virtus militum, ducisque Romani gloriosa mors. Hanc relationem neglexit Polybius, libenter autem secutus est Livius, qui duas historias conflavit. Quod fecit ita, ut priore iam pugna Flaminium cum gloria induceret, ut altera pugna de eius virtute praedicare posset.

Quaeritur denique quos fontes Livius contaminaverit.

Polybium in bello Punico scribendo Sileno et Fabio auctoribus usum esse, viri docti, quantum scio, consentiunt cf. e. g. H. Peter *Hist. Rom. Rel.* p. XCII et p. CCXXXI. Utriusque quoque auctoritatis Polybius in pugna apud lacum Trasumennum habuit rationem, Sileni enim auctoritatem probat de Breska [1]), Fabii confirmat Livius [2]). Monendum de Flaminio quidem Polybium male existimare, Romanam autem disciplinam laudari: „ἔπεσον οὖν τῶν Ῥωμαίων κατὰ τὸν αὐλῶνα σχεδὸν εἰς μυρίους καὶ πεντακισχιλίους, οὔτ' εἴκειν τοῖς παροῦσιν οὔτε πράττειν οὐδὲν δυνάμενοι, τοῦτο δ' ἐκ τῶν ἐθισμῶν αὐτὸ περὶ πλείστου ποιούμενοι, τὸ μὴ φεύγειν μηδὲ λείπειν τὰς τάξεις" (III 84, 7). Quod spectare videtur ad Fabium. Eum Livius potissimum auctorem se habuisse dicit (XXII 7. 4). Hunc virum nobilissimum, ex illustri gente patricia oriundum, a plebeio consule eoque sacrorum auspiciorum contemptore, alienum fuisse, pro certo habeo; cuius odium opus tam Polybianum quam Livianum identidem testificatur (cf. Polyb. III 80 sqq., Liv. XXII 2 sqq.).

Neque minor est consensus Livium in bello Punico Coelium

---

1) Haud sine ingenio observavit de Breska *Untersuchungen über die Quellen des Polybius* p. 81 loci naturam descriptam esse e parte Carthaginiensium, intra vallem ingredientium cf. III 83 § 2 et 3.

2) Livius Fabium nominat, quem sequitur in tradendo numero caesorum (c. 7 § 1—5). Numerus autem idem est, quem edit Polybius III 84, 7.

Digitized by Google

Antipatrem saepissime secutum esse (cf. e. g. Peter l. l. p. CCXXXI). E Coelii historiis fragmentum, ad Flaminium pertinens, servavit Cicero (*de divin* I 35. 77 = Peter l. l. I² p. 163. 164)[1]), terrae motus mentionem faciens quem etiam memorat Livius (c. 5 § 8)[2]). Itaque nescio an Coelius Antipater alter fuerit fons, e quo hauserit Livius[3]). Qui, ipse e plebe, quamquam nobili, ortus (Peter l. l. p. CCXIII) propensa in Flaminium fuisse voluntate optime potest.

---

1) Incipit sic: „Quid? bello Punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum cum magna clade reipublicae?" Ex his verbis non est colligendum Coelium quoque consuli fuisse inimicum; quippe in suum contextum translata verba Cicero tradidit.

2) S. f. „Magnum illud etiam, quod addidit Coelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum proelium fieret, tanto terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida conruerint, multis locis labes factae sint terraeque desederint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit". Livius terrae motum cum ardore pugnantium coniungit; quod a Coelio non esse factum colligere haud licet.

3) Putat Viedebandt *Hermes* LIV (1919) p. 369 Coelium fontes contaminasse, Livium conflatam iam historiam in opus suum transtulisse. Cui opinioni assentitur Klotz ap. *Pauly-Wiss.* l. l. p. 843, adiungere me equidem nequeo.

Digitized by Google

DE ORIGINE ATTALI III.

SCRIPSIT

S. KOPERBERG.

Duo in primis loci veterum scriptorum ad originem Attali III spectant: Strab. XIII, 624 et Polyb. XXX, 2, 5—6, quem auctorem Livius XLV, 19, 11 sequitur.

Sic Strabo: *ἀπέλιπεν*[1]) *υἱῷ τὴν ἀρχὴν Ἀττάλῳ, γεγονότι ἐκ Στρατονίκης τῆς Ἀριαράθου θυγατρὸς τοῦ Καππαδόκων βασιλέως. Ἐπίτροπον δὲ κατέστησε καὶ τοῦ παιδὸς νέου τελέως ὄντος καὶ τῆς ἀρχῆς τὸν ἀδελφὸν Ἄτταλον. Ἓν δὲ καὶ εἴκοσιν ἔτη βασιλεύσας γέρων οὗτος τελευτᾷ, κατορθώσας πολλά· . . . . . κατέλιπε δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τῷ ἐπιτροπευθέντι Ἀττάλῳ· βασιλεύσας δὲ οὗτος ἔτη πέντε, καὶ κληθεὶς Φιλομήτωρ, ἐτελεύτα νόσῳ τὸν βίον· κατέλιπε δὲ κληρονόμους Ῥωμαίους·*

Haec dilucida sunt: Attalum (postea tertium appellatum) filium legitimum Eumenis et Stratonicae declarant. Schweighaeuser quidem in suis adnotationibus (VII, 676) ad Polyb. XXX, 2, 6 ea in maius extollit in sua versione: „*ex legitima uxore Stratonica, Ariarathis filia, Cappadociae regis, susceptum ab Eumene*", addens, quae non inveniuntur apud Strabonem, „*legitima uxore*", sed Niese *Geschichte d. Griechischen u. Makedonischen Staaten* III, 204[4] sq., qui Attalum III filium spurium Eumenis putat, minoris ea facere mihi videtur credens Strabonem leviter errasse. Est aliquid pro illegitimo filio legitimum pronuntiari; idque tam dissertissime planissimeque (*γεγονότι ἐκ Στρατονίκης*), ut Strabo alii opinioni originis Attali III repugnare videatur.

De sensu autem verborum Polybii viri docti certant. Ille enim rerum scriptor, postquam narravit Eumenis fratrem

1) Sc. Eumenes.

Digitized by Google

Attalum (postea secundum appellatum) Romae a quibusdam nobilibus Romanis incitatum esse, ut fratrem regno pelleret, Stratiumque medicum a non securo Eumene Romam missum esse ad tale quid prohibendum, sic pergit:

Pol. XXX, 2, 3–6 B-W.; Hu.

3 ὁ δὲ παραγενόμενος εἰς τὴν Ῥώμην καὶ λαβὼν εἰς τὰς χεῖρας τὸν Ἄτταλον πολλοὺς μὲν καὶ ποικίλους διέθετο λόγους· καὶ ἦν ὁ ἄνθρωπος ἔχων τι νουνεχὲς καὶ 5
4 πειστικόν· μόγις δὲ καθίκετο τῆς προθέσεως καὶ μετεκάλεσε τὸν Ἄτταλον ἀπὸ τῆς ἀλόγου Φορᾶς, θεὶς ὑπὸ τὴν ὄψιν ὅτι κατὰ μὲν τὸ παρὸν συμβασιλεύει τἀδελφῷ, 10 τούτῳ διαφέρων ἐκείνου τῷ μὴ διάδημα περιτίθεσθαι μηδὲ χρηματίζειν βασιλεύς, τὴν δὲ λοιπὴν ἴσην καὶ τὴν αὐτὴν ἔχων ἐξουσίαν,
5 εἰς δὲ τὸ μέλλον ὁμολογουμένως 15 καταλείπεται διάδοχος τῆς ἀρχῆς, οὐ μακρὰν ταύτης ⟨τῆς⟩ ἐλπίδος ὑπαρχούσης, ἅτε τοῦ βασιλέως διὰ μὲν τὴν σωματικὴν ἀσθένειαν αἰεὶ προσδοκῶντος τὴν ἐκ τοῦ βίου 20 μετάστασιν, διὰ δὲ τὴν ἀπαιδίαν οὐδ' εἰ βουληθείη δυναμένου τὴν
6 ἀρχὴν ἄλλῳ καταλιπεῖν· οὐδέπω γὰρ ἀναδεδειγμένος ἐτύγχανεν κατὰ Φύσιν υἱὸς ὢν αὐτῷ ὁ μετὰ 25 ταῦτα διαδεξάμενος τὴν ἀρχήν.

Liv. XLV 19, 9–11.

is ad occupatas iam aures sol- 9
licitatumque iam animum cum
venisset, adgressus tempestivis
sermonibus

rem prope prolapsam restituit.

aliis alia regna crevisse rebus
dicendo; regnum eorum novum. 10
nullis vetustis fundatum opibus,
fraterna stare concordia, quod
unus nomen regium et praeci-
puum capitis insigne gerat,
omnes fratres regnent. Atta- 11
lum vero, qui aetate proximus
⟨sit⟩, quis non pro rege
habeat? neque eo solum, quia
tantas praesentes eius opes
cernat, sed quod haud ambi-
guum sit prope diem regna-
turum; eam infirmitatem aeta-
temque Eumenis esse nullam
stirpem liberum habentis: nec-
dum enim agnoverat eum, qui
postea regnavit.

---

1 ὁ δὲ] sc. Stratius; cf. Polybii Historiarum liber XXX, quoad fieri potuit, restitutus; ed. Koperberg.

17 τῆς] add. Reiske 705 Schweighaeuser. sit] add. Herant.

25 αὐτῷ ὁ] cum hiatu; αὐτῷ τότ' ὁ Boissevain; pausa autem, etiam commate non indicata, hiatum excusare videtur; Hultsch, *Philologus* XIV, 302.

Digitized by Google

Primo impetu unusquisque ἀναδεδειγμένος (§ 6), sicut Livius, verbo agnoscendi vertet, et totam paragraphum sicut Schweighaeuser l. l.: „*necdum agnitus fuerat naturalis ille filius Eumenis, qui postea ei successit*". Quamquam ille vir doctus, veritus, ne putemus Graecos κατὰ φύσιν υἱόν ea ratione dixisse, qua hodie *naturalem* filium pro *spurio* dicamus, postea suam ipse versionem mutavit in: „*nondum enim pro genuino eius filio declaratus erat is, qui deinde in regno ei successit*" (perperam Koepp *Rhein. Mus.* 48, 154 sqq. a Casaubono eam interpretationem olim probatam esse ait; is enim transtulit „*necdum enim is naturalis filius Eumenis fuerat declaratus, qui postea illi successit*) tamen sensum prioris versionis suae hac emendatione mutare noluit. Sine dubio interest inter eas duas versiones. Nam *naturalis filius necdum agnitus* necessario spurius esse debet, si naturalis filius idem significat ac genuinus, quia „genuinum filium agnoscere" sensu caret. Contra *filius nondum pro genuino declaratus* hoc loco *non* necessario ex concubina natus est. Quamquam enim praestat de filio alieno adoptandi verbo uti, tamen, si re vera, ut Koepp l. l. putat, Attalus III natus est ex Attalo II, fratre, et ex Stratonica, uxore Eumenis, optime intellegimus Polybium, originem Attali III hic tantum obiter tractantem, verbum adumbratum elegisse; cf. Cardinali *Il regno di Pergamo* (*Studi di storia antica*, fascicolo V) p. 134[1] sq. [1]). Suo igitur iure Schweighaeuser ex altera sua versione non minus, quam ex priore, concludit, *iuniorem illum Attalum* (id est Attalus III).... *adulterinum Eumenis fuisse filium*, suo iure Koepp l. l. Attalum (III), teste Polybio, Eumenis filium omnino non fuisse. Quo modo autem verba κατὰ φύσιν υἱόν, si idem sunt ac genuinus filius, opinioni Schweighaeuseri obsistant, ut Koepp autumat, non video; cf. Cardinali p. 135[1].

Ceterum sive cum Schweighaeusero, sive cum Koeppio facimus secundum Polybium contra Strabonem Attalus III filius legitimus Eumenis Stratonicaeque esse non videtur.

Ad hanc controversiam, de qua Koepp nihil affirmat, dirimendam Schweighaeuser verbo ἀναδεικνύναι notionem, ut ipse

1) Hoc loco oportet me gratias agere ornatissimae N. Kopp-Wilmink, doctorandae litterarum Italicarum, pro auxilio in lingua Italica vertenda mihi comiter dato.

Digitized by Google

dicit insolentiorem, in lucem edendi subiecit, ut hoc dicat Polybius, *necdum enim tunc in lucem editus erat ille Eumenis filius, qui ei postea in regnum successit.* Praeterea illi interpretationi primum consentaneum putat a Strabone l.l. Attalum III, quo tempore Eumenes vita excessit (160/59 cf. Niese III p. 204) παῖδα νέον τελέως ὄντα dictum esse, id est, *puerum parvo admodum natu*, tum et a Polybio XXXIII, 18, 2 anno 153/2 ἔτι παῖδα ὄντα; denique „eamdem interpretationem", secundum Schweighaeuserum, „praecise etiam flagitat id ipsum, quod de ἀπαιδίᾳ, qua hoc tempore fuit Eumenes, hoc ipso loco, in quo versamur, diserte Polybius noster modo commemoraverat". Sed filios illegitimos ex iure Pergami a successione exclusos fuisse demonstravit Breccia *Il diritto dinastico nelle monarchie dei successori d' Alessandro Magno* (*Studi di storia antica*, fascicolo IV) p. 60 sqq. Itaque filius spurius non est filius, quod ad successionem attinet. Quam ob rem igitur iure Polybius nostro loco addit tunc temporis Attalum III nondum agnitum esse. Pueritia autem Attali III annis 160/59 et 153/2, quod argumentum solum videtur Nissenum *Kritische Untersuchungen über die Quellen der viertem und fünften Decade des Livius* p. 274* movisse ad insolentem notionem verbi ἀνα-δεικνύναι, a Schweighaeusero propositam, accipiendam (cetera enim argumenta ibi non commemorat), hanc ob rem non valet, quia quisque nondum sui iuris, id est nondum duodeviginti annos natus, παῖς appellatur; cf. Polyb. IV, 2, 5, ubi Philippus, puer septendecim annorum (Niese II, 348), παῖς nominatur. Itaque Strabo Attalum III initio anni 153/2 septendecim maxime annos annique 160/59 undecimum maxime annos natum (cf. p. 202 sq.) optime *puerum parvo admodum natu* nominare potest; praesertim, cum illi anni ibi ad successionem spectant, non ad aetatem generatim.

At Cardinali l. l. p. 137, item insolentiorem verbi ἀναδεικνύναι notionem approbans, ex Stephano s. v. quattuor exempla eiusmodi significationis affert. Primum autem, ut ipse vir doctus adnotat, nullum eorum ad procreationem hominum spectat. Tum tria (ex Philostrato, Themistio, Gregorio) tam sero post Polybium scripta sunt, ut vix argumento esse possunt. Postremo, si ea inspiciuns, haec apparent: Apud Diog. Laert. 1, 34

Digitized by Google

Τόνδε Θαλῆν Μίλητος Ἰὰς θρέψασ' ἀνέδειξεν
ἀστρολόγον πάντων πρεσβυτάτον σοφίῃ

ne animantium quidem procreationem verbum ἀναδεικνύναι indicat; translate adhibitum est, sicut Latine *ferre*. Apud Philostr. p. 91 (ed. Kaiser I, p. 80) quaeritur de agro venumdato, in quo post venditionem ἡ γῆ ῥαγεῖσα χρυσοῦ τινα ἀνέδειξε θήκην, utri, venditori an emptori, eae divitiae attribuendae sint. Notionem autem gignendi (quae, sicut in genere passivo significatio nascendi, magis perspicue mihi videtur indicare, quod Schweighaeuser vult, quam illud ambiguum *in lucem edere*) ne translate quidem hic in ἀνέδειξε inesse plane patet. Themistius *Or.* III p. 47 B tractans de aemulatione praeclara dicit τοιαύτην ἤρισαν ἔριν καὶ θεοί ποτε πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητοῦντες τῆς Ἀττικῆς, Ἀθηνᾶ τε καὶ Ποσειδῶν, ὁ μὲν προσάγων τὴν θάλατταν, ἡ δὲ ἀναδείξασα τὸν θαλλόν. Hic *producit* Minerva, sed vis gignendi prorsus ab ἀναδείξασα abest. Gregorius Nyssenus postremo *in nov. domin.* (Migne, or. XLIV, 84) de creatione mundi loquens explicat, cur nemini mirum videri debeat; εἰ .... τελευταῖος ἄνθρωπος ἀνεδείχθη. Sed hic gignendi notio ab ἀναδεικνύναι ad verbum, ut ita dicam, abhorret.

Attamen, etiamsi ἀναδεικνύναι *in lucem edere* i. e. *gignere* significare possit, verba κατὰ φύσιν usque ad τὴν ἀρχήν haud facile simpliciter explices, ut recte Koepp vidit. Subiectum enim esse nequeunt; non solum, quia articulum ὁ ante κατὰ φύσιν υἱόν desideramus (Cardinali p. 137[4]), sed praesertim, quia sententiam non praebent. Nam Schweighaeuser in versione sua *necdum enim tunc in lucem editus erat ille Eumenis filius, qui ei postea in regnum successit* Graecis addit *tunc*, omittit κατὰ φύσιν, habetque *Eumenis* pro ὃν αὐτῷ. Accurate autem secundum illum versa, Polybii verba haec valent: *necdum enim natus erat genuinus filius, qui ei erat* e. q. s. Sed haec plane absurda sententia est. Polybium vero rem sic neglegenter tractasse, ut post *qui ei erat* omisisset *postea* vel tale quid, credendum non est.

Complementum autem praedicativum, ut vult Cardinali 137[4] sq., verba κατὰ φύσιν usque ad τὴν ἀρχήν nihil magis esse possunt. Nam *necdum enim natus erat pro genuino filio eius*

Digitized by Google

e. q. s. non abundanter (Cardinali l. l.) dictum est, sed vix sententia nominanda est.

Nisi igitur linguae Graecae vim adhibemus, controversia Polybii en Strabonis manet. Nec video, cur miremur. Optime enim fieri potuit, ut temporibus Strabonis vel iam antea duae diversae opiniones de origine Attali III circumferrentur: altera eum Eumenis Stratonicaeque filium legitimum declarans, altera negans. Nam, ut iam vidimus (p. 198), secundum Pol. XXXIII, 18, 2, id est anno 153/2, Attalus III aderat Romae ἔτι παῖς ὤν, itaque puer nondum duodeviginti annorum neque ergo ante 171/170 (cf. p. 202 sq.) natus. Si igitur filius legitimus Eumenis Stratonicaeque fuit, demum anno fere duodevicessimo eorum matrimonii, quod scimus anno 188 a. Chr. initum esse (Niese II, 759), genitus est. Videturque Strabo disertis verbis nomen matris, Stratonicae, addens huic opinioni auxilio venisse. Facile autem intellegimus homines tam sero partui non credidisse, famamque percrebruisse Attalum illegitimum fuisse. Sin autem legitimus filius Eumenis Stratonicaeque Attalus III non fuit, res ipsa monet, postquam semel agnitus est, omnes, qui eum sive ex officio, sive ex animi sententia revererentur, omnem operam dedisse, ut genuinus videretur. Praesertim publice aliter indicandus non erat. Qua re inscriptiones, quae Eumenem patrem, Stratonicam matrem, Attalumque II patruum eius appellant (Kern 87 = Ditt. *Or. Inscr.* 319; Fränkel *Inschr. v. Perg.* = Ditt. l. l. 332; 331; Michel, *Recueil* 340), ad iustam originem eius investigandam non tam multum valentes, tamen opinionem, quae Attalum III legitimum filium Eumenis Stratonicaeque declarabat, maxime confirmaverunt.

Cum igitur, si quid video, ex Strabone et Polybio nihil certi de origine Attali III efficiendum sit, ratione fortasse eam indagare possumus.

Nam duorum alterum; Attalus III fuit aut filius legitimus Eumenis et Stratonicae, aut illegitimus sive Stratonicae sive Eumenis. Nihil enim in fama rerum aut in ratione est, cur eum ex quibusvis parentibus natum et postea ab Eumene et Stratonica adoptatum fingamus.

Parentes autem Eumenem et Stratonicam fuisse idcirco verisimile non est, quia ex matrimonio per fere duodeviginti annos

Digitized by Google

liberorum orbo (cf. supra p. 200) non facile credimus filium esse tam sero procreatum, praesertim tunc temporis ἅτε τοῦ βασιλέως διὰ... τὴν σωματικὴν ἀσθένειαν ἀεὶ προσδοκῶντος τὴν ἐκ τοῦ βίου μετάστασιν (Pol. § 5). Quod si re vera accidisset, sine dubio tantum miraculum in inscriptionibus et apud scriptores veteres traditum esset. Nec facile explicandum erit, cur Polybius, cum lingua Graeca verbis, in quibus notio gignendi dilucida inest, non careat, illud obscurum ἀνάδεικνύναι elegerit.

Itaque, cum minus probabile sit Attalum III ex Eumene et Stratonica natum esse, restat, ut sit spurius sive Stratonicae sive Eumenis (v. supra p. 200). Secundum Koeppium l. l. parentes habuit Stratonicam et Attalum II. Ille enim vir doctus, nisus Livio (XLII, 16, 8... *et cum uxore fratris et praefecto arcis iam haud dubius regni heres est locutus* [sc. Attalus II]), Diodoro (XXIX, 34 Ἄτταλος ἐπεπλάκη τῇ βασιλίσσῃ προχειρότερον), Plutarcho (*de frat. amore* 18 p. 489 τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ Στρατονίκην ἔγημε καὶ συνῆλθεν et *reg. et imper. apophth.* 184 ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ περιθέμενος τὸ διάδημα καὶ τὴν γυναῖκα γήμας ἐβασίλευσε), putat anno 172 a. Chr. n. omnibus existimantibus Eumenem in itinere Delphis interfectum esse (Niese III, 109) Attalum II et ipsum id credentem regnum sumpsisse Stratonicamque reginam in matrimonium duxisse, ex quo coniugio Attalus III genitus esset. Livius autem et Diodorus obscurius loquuntur, quam quibus nitamur; cf. Liv. l. l. § 9 *in primo congressu non temperavit*[1]), *quin uxoris petendae immaturam festinationem obiceret.* Verbum *petendi* indicabit matrimonium omnino initum non esse; (Breccia p. 52). Quantopere vero ab Plutarcho cavendum sit, non modo monent natura ipsa argumentorum, de quibus libri *de fratr. amore* et *reg. et imp. apophth.* agunt, quippe quae fabellis variis pateant, sed etiam ille trimeter iambicus μὴ σπεῦδε γῆμαι πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς, quem novit Plutarchus (*reg. et imp. apophth.* l. l.) ab Eumene in aurem Attali II... *insussuratum* esse! Praeterea, etiamsi Attalus II Stratonicam uxorem duxit, Attalus III certe secundum eundem Plutarchum, ex eo coniugio natus non est.

1) Sc. Eumenes.

Digitized by Google

Nam *reg. et apophth.* l. l. legimus ἐκεῖνος [1])... τῷ Εὐμένους υἱῷ τὴν βασιλείαν... παρέδωκε; (Breccia p. 54).

Postremo Polybius secundum Koeppium nostro loco testans Attalum III Eumenis filium omnino non fuisse, diserte XXX, 18, 1 ipse dicit: ἡ σύγκλητος... εἰσεκαλέσατο τὸν Εὐμένους τοῦ βασιλέως υἱὸν Ἄτταλον.

Cum igitur iam testimonia veterum scriptorum per se infirmiora sint, accedit etiam, quod ratio opinioni Koeppii obstat. Licet enim nemo Eumeni vitio vertat, quod filium fatris suaeque uxoris non agnoverat nisi post quattuor fere aut plures etiam annos (Koepp l. l.), satis mirum tamen est. Sicut enim matrimonium Attali II et Stratonicae omnibus notum erat, si re vera initum est, sic etiam filium ex iis natum esse homines fugere nequit. Quia autem id matrimonium concordiam fratrum nihil perturbavit (Diod. l. l. οὐ μὴν Εὐμένης γε προσεποιήθη μετὰ ταῦτ' ἀνακάμψας, ἀλλὰ φιλοφρόνως ἀσπασάμενος τὸν ἀδελφὸν διέμενεν ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν εὐνοίᾳ; cf. Liv. l. l. § 9; Plut. l. l.), nihil erat, cur Eumenes, magnanimus ut erat, non statim filium illius matrimonii agnosceret (Breccia p. 55 sq.), quippe quod Attalus II commodi publici causa tantum egisset; (Niese III, 109). Mirabilis deinde pater fuisset Attalus II, qui omnem patrium amorem ab 171, quo anno Attalus III secundum Koepp certe natus est (cf. Wilcken *R. E.* II, 2, 2175) usque ad 139/8, quo anno Attalus II de vita decessit (cf. Niese III, 363) sic opprimere potuisset, ut ne vestigium quidem relinqueret; cf. Breccia l. l.; Niese III, 205.

Niese (III, 204[4] sq.) contra Koeppium affert etiam aetatem Attali III, qui a Polybio anno 152 ἔτι παῖς ὤν appellatus (XXXIII, 18, 2), id est nondum duodeviginti annos natus, maxime anno 169 a. Ch. natus esse potest. Sed hoc necesse non est. Nam Pol. l. l. ex rebus Italiae Olympiadis 156, 4 fluxit (cf. ed. B. W.) = 153/2. Fieri igitur potest, ut initio eius anni, e. g. mense Septembsi anni 153 Attalo, adhuc septendecim annos nato, Romae senatus datus sit, mox autem in fine eiusdem mensis vel initio Octobris duodevicessimus aetatis annus inceperit. Si sic computamus, Attalus III natus est in

1) Sc. Attalus II.

Digitized by Google

fine mensis Septembris vel initio Octobris anni 171, quod congruit cum tempore, quo Attalus II et Stratonica secundum Koeppium matrimonium inierunt, id est mense Decembri anni 172. Ut enim ipse Niese (III, 109; 118) recte concludit ex Liv. XLII, 15; 52, 8, insidiae Eumeni Delphis hieme anni 172 paratae sunt; cf. supra p. 201.

At contra cum Wilckio l. l. p. 2171 faciendum non est, qui Koeppium secutus sic secundum rerum naturam esse declarat, cur Attalus II per totam vitam regnaret, ab Eumene tutor tantum Attali III institutus; cf. Niese III, 205; 363. Nam filii legitimi, nondum imperio maturi, etiam Pergami demum post mortem tutoris regnabant, quamquam interea sui iuris facti (Breccia p. 58), nedum illegitimi. Etiamsi igitur Attalus II pater Attali III non fuit, diuturnum eius imperium non miramur.

Restat, ut Attalus III ex Eumene et concubina natus sit, sicut recte Breccia et Niese putant. Contra quos viros doctos oppugnans Cardinali p. 133 sq. Nieseno inscius, quia, quo tempore haec scripsit, pars tertia illius libri, qui inscribitur *Geschichte der Griechichen* e. q. s., nondum in lucem edita erat, versionem verborum Polybii subiecit, quam ille non proposuit. Nam non: *il figlio essente a lui per generazione naturale, quello che poi gli successe, non ancora era stato riconosciuto come legittimo* invenimus, sed: *denn der spätere König (Attalos III), der sein natürlicher Sohn war, war damals noch nicht bezeichnet oder ausgerufen worden.* Itaque verba κατὰ Φύσιν υἱός non subiectum sunt, ut Cardinali cogitabat, sed oppositio ad ὁ μετὰ ταῦτα διαδεξάμενος. Quamquam igitur contra Cardinalium articulus ὁ ante κατὰ Φύσιν υἱός non desideratur, tamen locus horum verborum mihi videtur non ante, sed post ὁ — ἀρχήν esse, si versio Nieseni recta esset; praesertim, quia Polybius sic hiatum inter αὐτῷ et ὁ vitavisset.

Cum Cardinalio autem faciendum est, quod attinet ad alteram difficultatem grammaticam contra Niesenum allatam. Certe non video, cur Niese scribat Polybium satis plane Attalum III filium spurium Eumenis declarare, nihil affirmans de Schweighaeuseri adnotationem ad κατὰ Φύσιν. Sane κατὰ Φύσιν υἱός, πατήρ, ἀδελφός per se nihil aliud significant, quam filius, pater,

Digitized by Google

frater *secundum normam naturae* (cf. Cardinali l. l.), qui et legitimi et illegitimi esse possunt (cf. Breccia p. 56). At si locos, quos apud Polybium invenire potui, consideramus, haec apparent. XXXII, 11, 10; 12, 1 (B.-W. XXXI, 25, 10; 26, 1) τοῦ κατὰ φύσιν πατρός dicitur de L. Aemilio Paulo, patre P. Cornelii Scipionis Aemiliani *genuino*, ut notum est., cui opponitur ἡ τοῦ κατὰ θέσιν πατρὸς μήτηρ.... γυνὴ δὲ τοῦ κατὰ θέσιν πάππου Σκιπίωνος. Sic XVIII, 18, 9 de eodem P. Cornelio Scipione Aemiliano fertur ὁ τούτου μὲν (sc. Aemilii Pauli) κατὰ φύσιν υἱὸς, Ποπλίου δὲ, τοῦ Μεγάλου κληθέντος, κατὰ θέσιν υἱωνός. Etiam ceteris locis verba κατὰ φύσιν, non opposita verbis κατὰ θέσιν, et nonnisi emphaseos nonnullius causa aut paene pleonastice adiecta (Schweighaeuser; melius mihi videtur hiatus evitandi causa; cf. Krebs *Die Präpositionen bei Polybius* p. 128), tamen indicant *genuinos*: III, 9, 6, ubi sermo est de indole Hamilcaris, τοῦ Βάρκα μὲν ἐπικαλουμένου, πατρὸς δὲ κατὰ Φύσιν Ἀννίβου γεγονότος; III, 12, 3: tales hostes praeparavit idem Hamilcar Romanis.... καὶ τὸν αὐτοῦ κατὰ φύσιν υἱὸν Ἀννίβαν, ut....; IV, 2, 5: Φίλιππος (sc. V).... ὁ Δημητρίου κατὰ φύσιν υἱός.... regnum accepit; XVIII, 18, 6 P. Cornelius Scipio Aemilianus et Q. Fabius Maximus Aemilianus, οἱ κατὰ φύσιν υἱοί sc. Aemilii Pauli (cf. Plut. *Aem. Paul.* 35; Liv. XLV, 41, 12). Tantum XXX, 2, 6 et XXXI, 21, 3 (B.-W. 13, 3) non liquent; ille locus, quia adhuc sub iudice est, hic, quia de Meleagro et Menestheo, qui ἦσαν Ἀπολλωνίου κατὰ φύσιν υἱοί non, quoad scio, notum est, utrum genuini essent, necne; quamquam nihil habemus, cur eos illegitimos putemus. Itaque, nisi nimia necessitas urget, verba κατὰ φύσιν existimanda non sunt idem significare ac *spurius*.

Quae autem nimia necessitas nondum adest. Licet enim Polybii verba vertere: *nondum enim agnitus erat pro genuino eius filio is* (spurius), *qui postea regnavit*; cf. Breccia p. 55.

Contra eiusmodi versionem a Cardinalio l. l. afferuntur Strab. XIII, 624 et Eumenis ἀπαιδία, de quibus iam vidimus (supra p. 200.; 198); deinde oratio Stratii medici, quae Attalum II magnopere permotura non fuisset, si tunc temporis Attalus III iam natus esset, cum Eumeni liceat eum puerum iamiam agnoscere et sic fratrem regno privare. Cum autem illegitimi

Digitized by Google

omnino nullum ius successionis haberent (Breccia p. 60), ea infirmitas aetasque Eumenis esset, ut prope diem de vita decederet, legitimi, nondum sui iuris demum post mortem tutoris regnarent (Breccia p. 58), nedum illegitimi, tantaque concordia fratrum esset, qua sola regnum eorum staret, metus Attali III tam levis erat, ut optime intellegamus, eum a Stratio, habenti τὴ νουνεχὲς καὶ πειστικόν (Pol. § 3) et etiam alias causas aptas afferenti, pulsum esse, licet μόγις; Pol. § 4.

Pietas autem Attali III erga Stratonicam cognomenque *Philometor* (Niese III, p. 363 sq.) propter ambiguitatem secundum Cardinalium l. l. evitandum hanc ob rem non obstant, quod Attalum III mirum levemque scimus (Niese l. l.), itaque ut in inimicos nimis severum, sic in amicos nimis amabilem et, suae matris amore carentem, patre in pueritia abrepto facile captum comitate mulieris, quae, per totam vitam partum ipsa non edens, filium admodum parvulum adoptatum habebat solum solacium. Qua re optime cognomen Attali III comprehendimus.

Hanc quaestiunculam, clarissime promotor, te invito in Polybii libro XXX edendo a me omissam, hic posthac libenter solvere conatus sum debitum honorem et doctrinae et humanitati tuae.

Digitized by Google

DE NOBILITATE APUD ATHENIENSES.

SCRIPSIT

D. LOENEN.

Nobilitas his rebus maxime nititur: 1° opulentia, 2° disciplina, 3° virtute generis.

1°. Nobiles propter opes, quas maiores fortitudine aliisve virtutibus sibi generique quaesiverant, inter alios excelluisse, inde ab temporibus Homericis accipimus, [1]) et per totam historiam Graeciae eos possessionibus praesertim altum honoris locum debuisse, constat. Iure igitur Simonides rogatus quid esset *εὐγένεια* respondisse videtur: „*οἱ ἐκ πάλαι πλουσίων*" (Ps.-Plut. pro Nob. XVIII 4), quam interpretationem etiam Plato significat (Theaet. 174 *e*); Aristoteles nobilitatem nihil aliud esse putat quam antiquas divitias et virtutem: *ἡ γὰρ εὐγένειά ἐστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή* [2]). Eam opinionem satis vulgarem fuisse apparet ex aliis locis Aristotelis et ex libello cui titulus est „pro Nobilitate" [3]). Secundum Euripidem quoque nobilitas cum opulentia coniuncta esse videtur. (Ion 580 sqq. Androm. 768 sqq.).

Quo tempore mercatores, navicularii, agricolae, artifices aliique sibi opes comparabant, eorum potentia dignitasque in civitate valde auctae sunt; ideo saepe accidit, ut nobiles, in paupertatem redacti, nuper divites factos auctoritate et splendore aequare non iam possent atque adeo ab iis contemnerentur;

1) Cf. Il. E 544. Z 14. N 664. Π 596. P 576. Ω 398. 535 sqq.; Od. ξ 206. Legas etiam Rud. Hirzel *Themis Dike und Verwandtes* p. 245 adn. 1. 2, p. 247 adn. 2.

2) Pol. VI (IV) 8, 1294 *a* 21. Cf. VII (V) 1, 1301 *b* 3).

3) Aristot. Pol. VIII (VI) 2, 1317 *b* 39. VI (IV) 8, 1293 *b* 37. Fr. 83 (Rosen); Ps.-Plut. pro Nob. V 3: *ἡ εὐγένεια... ἐκ τῶν παλαιῶν χρημάτων.* X 1. X 2: *ἐν πλουσίῳ τὸ εὐγενές.* Neque praetermittendum est, quod Julianus (Or. 2 p. 81 B) dicit: *φασι γὰρ οἱ πολλοὶ τοὺς ἐκ πάλαι πλουσίων εὐγενεῖς.* Adnotationem Newmanni ad Pol. VI (IV) 8, 1294 *a* 21 conferas.

Digitized by Google

ex ea quoque re dignitatem nobilium opibus nisam fuisse patet. In primis Euripides (qui, ut Theognis in sua patria, optime perspexit quae certamina inter ordines in re publica Atheniensium fierent), nobis ostendit, quomodo alii in locum nobilium succedentes splendorem nobilitatis sibi vindicarent, quid vulgus potissimum admiraretur, quo animo nobiles res mutatas ferrent:

ἆρ' οἶσθ' ὀθούνεχ' οἱ μὲν εὐγενεῖς βροτῶν
πένητες ὄντες οὐδὲν ἀλφάνουσ' ἔτι,
οἱ δ' οὐδὲν ἦσαν πρόσθεν, ὄλβιοι δὲ νῦν,
δόξαν φέρονται τοῦ νομίσματος χάριν
καὶ συμπλέκοντες σπέρμα καὶ γάμους τέκνων;
δοῦναι δὲ πᾶς τις μᾶλλον ὀλβίῳ κακῷ
πρόθυμός ἐστιν ἢ πένητι κἀγαθῷ
κακὸς δ' ὁ μὴ 'χων. οἱ δ' ἔχοντες ὄλβιοι. (fr. 328. Cf. fr. 329).

Conferenda sunt verba quibus Iocasta Polynicem consolari conatur:

οὐδ' ηὐγένεια σ' ἦρε εἰς ὕψος μέγα;

ad quae ille respondet: κακὸν τὸ μὴ 'χειν· τὸ γένος οὐκ ἐβοσκέ με. (Phoen. 404 sqq.). Quo versu acerrimo Euripides sine dubio ea significavit, quae multi nobiles, de statu amplissimo depulsi, sexto quintoque saeculo animo agitabant. (Vide etiam Soph. fr. 105. Ps.-Plut. pro Nob. II 2). Splendor quidam etiam tum remanebat:

Eur. fr. 234 κρεῖσσον τ' ἐστὶ πλουσίου γάμου
γένος· πένης γὰρ οὐκ ἐκεῖν' ἀπώλεσεν
τὸ τοῦ πατρὸς γενναῖον. (Cf. fr. 1051).

fr. 409 τὴν εὐγένειαν, κἂν ἄμορφος ᾖ γάμος,
τιμῶσι πολλοὶ πρὸς τέκνων χάριν λαβεῖν,
τὸ τ' ἀξίωμα μᾶλλον ἢ τὰ χρήματα.

Conferatur autem: fr. 399 πλούτου δ' ἀπορρυέντος ἀσθενεῖς γαμοί·
τὴν μὲν γὰρ εὐγένειαν αἰνοῦσιν βροτοὶ,
μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσιν.

Nobilitas demum opibus praedita valet et optanda est:

fr. 251 (Cf. fr. 364) ... κεῖνο δ' ἰσχύει μέγα,
πλοῦτος λάβῃν τε τοῦτον εὐγενὴς ἀνήρ. [1])

1) Cf. Eur. Androm. 768 sqq. Ion. 580. 581. fr. 287. 660. 662. 1016.

Digitized by Google

Vulgus autem haec promiscue habebat: divites tantum principes nobilesque esse existimabat, quia eos honoribus fungi videbat. Ut omittam plurimos locos, ex quibus apparet divitias hominesque opulentos maxime celebrari, Euripides noster dicit:

ἀλλ' οὐδὲν ηὐγένεια πρὸς τὰ χρήματα
τὸν γὰρ κάκιστον πλοῦτος εἰς πρώτους ἄγει (fr. 96).
τὴν δ' εὐγένειαν..... ἐν χρήμασι τόδ' ἐστίν
.....ᾧ δ' ἂν ἐν δόμοις (τὰ χρημάτα)
χρόνον συνοικῇ πλεῖστον, οὗτος εὐγενής (fr. 22). [1])

Neque mirum est Aristotelem non semper inter aristocratiam et oligarchiam distinguere, quippe qui dicat: ὀλιγαρχία καὶ γένει καὶ πλούτῳ καὶ παιδείᾳ ὁρίζεται (Pol. VII (V) 2, 1317 *b* 39).

2°. Opibus igitur instructi, res ad vitam necessarias nobiles habebant. Optima arma sibi comparare poterant, corporibus exercitandis vacabant eoque in re militari superiores manebant. Eadem de causa cultui animi ingeniique se dedere poterant, ut omnibus facultatibus disciplina excultis in re publica imperiis honoribusque fungerentur locumque semel occupatum obtinerent. Historia Atheniensis plane nobis demonstrat, nobiles optima disciplina usos fuisse; Aristoteles ipsis verbis (Pol. VI (IV) 8, 1293 *b* 37) disciplinam et nobilitatem locupletiores comitari, et alio loco (Pol. VI (IV) 15, 1299 *b* 24) in aristocratia homines eruditos magistratibus fungi dicit. (Cf. Pol. VIII (VI) 2, 1317 *b* 39. Aristoph. Ranae 727 sqq.). Nemo ignorat idcirco vulgus saepe nobilibus invidisse, neque forte factum est, ut φύλακες Platonis per totam vitam diligentissime educarentur.

3°. Illud autem ipsum, quod maiores perpetuo divitiis disciplina honoribusque inter ceteros excellebant, posteros eo deduxit, ut se ex egregiis viris natos suumque genus eximiis animi corporisque facultatibus praeditum esse sentirent. Quibus commodis meritisque patrum freti mox putaverunt, fieri non posse quin virtutes generis sui hereditariae essent eoque se suosque liberos *natura* nobiles esse scilicet stirpe divina vel heroica

1) Cf. fr. 343: σέβειν δὲ τοὺς κρατοῦντας ἀρχαῖος νόμος Vide etiam fr. 379. Apud Euripidem passim legimus opes ab hominibus expeti vicissimque divitias luxuriamque valde animis nocere. Neque mirum est praecipue Theogniden Platonemque nobili loco ortos de viris divitibus opulentiaque acriter detrahere.

Digitized by Google

ortos. Cum igitur sanguinem auctoris sincerum integrumque servarent, sibi *εὐγένειαν* assumere poterant. Apud Homerum heroes nobilitate generis gloriantur; uxores ducere videntur ex suo ordine, ne genus corrumpant (Il. I 390 sqq. Od. ζ 34 sqq.); ex appellationibus nobis patet, eos originem divinam magni aestimare (e. g. Il. Ξ 113 sqq.). Postea Theognis homines in coniunctione animalium omni modo providere, quae quibuscum coeant, sed nihil curare, quam uxorem ipsi ducant, queritur:

Κριοὺς μὲν καὶ ὄνους διζήμεθα, Κύρνε, καὶ ἵππους
εὐγενέας, καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν
βήσεσθαι· γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
ἐσθλὸς ἀνήρ (183 sqq.).

Licet libellus, cui titulus est „pro Nobilitate" multo post scriptus sit, commemoranda tamen sunt quae auctor ibi de ea re dicit, praesertim cum ex veteribus fontibus hauserit et hoc loco *sophistas* refellere conatus sit:

Ἄπιστος ἡ τῶν σοφιστῶν συκοφαντία κατὰ τῆς εὐγενείας, εἰ μὴ δὲ τὰ ἐν μέσῳ καὶ πᾶσι γνώριμα σκοποῦσιν, ὅτι πρὸς τὰς ὀχείας τοὺς εὐγενεῖς ἵππους καὶ κύνας ὠνοῦνται καὶ κιχρῶνται, καὶ ἀμπέλων εὐγενῆ σπέρματα καὶ ἐλαιῶν καὶ τῶν ἄλλων δένδρων, ἀνθρώπου δὲ οὐδὲν ὄφελος νομίζουσιν εὐγένειαν εἰς τὰς μελλούσας διαδοχάς· ἀλλ' αὐτὸ πείθονται βάρβαρον εἶναι καὶ Ἑλληνικὸν σπέρμα, καὶ οὐκ οἴονται λεληθυίας τινὰς ἀρχὰς καὶ σπέρματα ἀρετῆς συγκαταβάλλεσθαι τοῖς γεννωμένοις (I 1). Ex quibus verbis certe id apparet, quanti nobiles duxerint se *natura* generosos esse. Idem spectant ii loci, quibus hominum genera animalibus plantisque comparantur [1]). Quamquam enim nobiles disciplinam magni faciebant eique magnopere studebant, *natura* praesertim nobilitate niti, ordines hominum iam *nascentium* distingui, a parentibus nobilibus *utique* liberos nobiles procreari, iis persuasum erat. Ubicumque opiniones nobilium commemorantur ipsive de nobilitate scribunt, id fundamentum hereditatis nobilitati subicitur:

Eur. fr. 214 πᾶσι δ' ἀγγέλλω βροτοῖς
ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν εὐγενῆ σπείρειν τέκνα.

1) Socrates apud Stob. Flor. 86 17. Epicharmis apud Stob. 87 34. Eurip. fr. 53. Aristot. Rhet. II 15, 3.

Digitized by Google

Eur. fr. 524 *ἡγησάμην οὖν, εἰ παραζεύξειέ τις*
χρηστῷ πονηρὸν λέκτρον, οὐκ ἄν εὐτεκνεῖν,
ἐσθλοῖν δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἐσθλὸν ἄν φῦναι γόνον.
(Cf. fr. 231. Aristot. Rhet. I 5, 5).

Xenophon ex bonis bonos nasci arbitratus *εὐγονίαν* laudat [1]). Isocrates identidem in natura *εὐγένειαν* positam esse dicit [2]) Socrati roganti, an veri simile sit meliores esse naturas nobili in genere, quam ignobili, Alcibiades respondet: „Manifestum, in nobili." (Pl. Alc. I 120 *e*). In eodem dialogo Socrates narrat, Lacedaemonios et Persas providere, ut sanguine regio tantum principes procreentur (121 *b c*); in dialogo, qui Menexenus inscribitur, orator de iis, qui pro patria moriebantur, dicit: *ἀγαθοὶ δέ γ' ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶν* (237 *a*). Neque alia apud Platonem desunt; Socrates enim in alio dialogo dicit: *ἔσται γάρ ποτ' ἐκ βασιλέως βασιλεὺς καὶ ἐξ ἀγαθοῦ ἀγαθὸς καὶ ἐκ καλοῦ καλὸς καὶ τἄλλα πάνθ' οὕτως, ἐξ ἑκάστου γένους ἕτερον τοιοῦτον ἔκγονον, ἐὰν μὴ τέρας γίγνηται.* (Cratyl. 394 *a*). Totam. rationem ordinum natura constitutam et a Deo sanctam stabilire vult philosophus; itaque *εὐγονίᾳ* variis modis favet ut *εὐγένειαν* tueatur. Aristoteles quoque nobilitatem virtutem generis esse putat: *βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων· εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους* [3]). *Εὐγενεῖς γὰρ εἶναι δοκοῦσι, οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος* (Pol. VII (V) 1, 1301 *b* 3). Quomodo a nobilibus eorumque fautoribus *εὐγένεια* defensa sit, nobis plane demonstrant verba auctoris libelli iam commemorati (Ps.-Plut. pro Nob.):...*τὴν εὐγένειαν... ἐπαινῶ, καὶ ταύτης ἀπολογίας ἀξιῶ τὴν τοῦ γένους λεγομένην ἀρετήν, τὴν ὡς διὰ βήματα παρὰ προγόνων καὶ τῶν πάππων καὶ τῶν προπάππων μνήμην ἐν ἡμῖν ἀνανεάζουσαν, καὶ ἡμᾶς ἐν ἐκείνων ὀνόμασι καὶ γνωρίμους καὶ εὐσήμους ποιοῦσαν* (V 1. Cf. I 1). In historia heroum multos spurios quidem, sed sanguine deorum natos eoque viros egregios fuisse, ostendit. Neque nobilitati nocere contendit, si quis parum certis natalibus prodierit, dummodo auctor generis clarus fuerit. Concludit scriptor: *Εἰ δ' ἐξ εὐγενοῦς ἐπιθυμίας εἰς δημοτικὸν*

1) Mem. IV 4, 23. Lac. Rep. I 4. I 6.
2) Nicocl. 29. Hel. 16. Euag. 12. de Big. 25. Epist. IX 1, 13. Cf. Aegin. 36.
3) Pol. III 13, 1283 a 33. Cf. Rhet. I 9, 33; de Anim. Hist. I 1, 14; fr. 83.

Digitized by Google

πεπτωκυίας ἀνὴρ εὔσημος ἐγένετο, ὅσῳ εὐσημότερος ἔσεται ὁ ἐκ τοῦ καθαροῦ θαλάμου; (XIX 3. Totum caput legas).

Ei qui virtutes hereditarias esse arbitrantur, non semper nobiles solos spectant; ad omnes homines ea res quodammodo pertinet. Legentes e. g. apud Euripidem:

Φεῦ Φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·
οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός,

et rursus: οὐ γάρ τις οὕτω παῖδας εὖ παιδεύσεται,
ὥστ' ἐκ πονηρῶν μὴ οὐ κακοὺς πεφυκέναι [1])

omnino ex bonis parentibus liberos bonos vicissimque ex improbis improbos gigni, poetae multisque aliis persuasum fuisse libenter credimus. Attamen ex locis iam allatis satis apparuit, praecipue *nobiles* hereditarias virtutes suo generi assumpsisse. Neque semper iniuria: virtutes patrum natura propagari disciplinaque corroborari possunt. Nobiles tamen εὐγένειαν in maius celebrabant, dum contendunt, fieri non posse quin ex nobili stirpe progenies nobilis oreretur, quapropter id non firmissimum fundamentum nobilitatis fuisse puto. [2])

Restat ut explicemus, quo consilio nobiles εὐγένειαν sibi praesertim vindicaverint. Virtutum patrum generisque gloriae conscii sibi maiores imitandos proponebant. Verecundia adversus patres virtutisque suae sensus eos stimulabant, ut non solum commoda locumque defenderent, sed etiam maiores rebus gestis superarent. Cf. Aristot. Rhet. II 15, 2 εὐγενείας μὲν οὖν ἥθός ἐστι τὸ φιλοτιμότερον εἶναι τὸν κεκτημένον αὐτήν· ἅπαντες γάρ, ὅταν ὑπάρχῃ τι, πρὸς τοῦτο σωρεύειν εἰώθασιν, ἡ δ' εὐγένεια ἐντιμότης τις προγόνων ἐστίν· καὶ καταφρονητικὸν καὶ τῶν ὁμοίων ἐστὶ τοῖς προγόνοις τοῖς αὐτῶν, διότι πόρρω ταὐτὰ μᾶλλον ἢ ἐγγὺς γιγνόμενα εὐτιμότερα καὶ εὐαλαζόνευτα.

Cf. Eur. fr. 408 .... τὸ δ' εὐγενὲς
πολλὴν δίδωσιν ἐλπίδ' ὡς ἄρξουσι γῆς.

(Vide etiam Eur. fr. 739.) Ps.-Plut. pro Nob. V 1).

Neque id solum spectabant in vindicanda nobilitate. Eius

1) Fr. 344. 1053. Cf. Hec. 592—599, fr. 234. 1052.

2) Observandum est fortasse, supra εὐγένειαν ordinem nobilium, in hac autem parte disputationis virtutem generis significare.

Digitized by Google

species maiori etiam usui erat ad debilitandam audaciam adversariorum imperioque subiectorum, qui, splendore ordinis fascinati et occaecati, in viribus nobilium aestimandis fallerentur, neque temere potentiae et auctoritati eorum resistere auderent, quibus etiam dei favere viderentur. Eodem modo aliae appellationes, ut *ἀγαθοί*, *ἄριστοι χρηστοί* (Vide p. 220) generosis magnae utilitati erant ad verecundiam iniciendam impetusque eorum opprimendos, qui „bonis" inviderent et insidiarentur. Non sine causa igitur apud scriptores *splendor* nobilitatis passim celebratur: [1])

Eur. Hec. 379 sqq. *δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς*
ἐσθλῶν γενέσθαι, κἀπὶ μεῖζον ἔρχεται
τῆς εὐγενείας ὄνομα τοῖσιν ἀξίοις.

Androm. 772 sqq. *κηρυσσομένοισι δ' ἀπ' ἐσθλῶν δωμάτων*
τιμὰ καὶ κλέος.

(Cf. Phoen. 404. Heracl. 297. fr. 234. 409. Ps.-Plut. pro Nob. V 1. XIX 3). Plato, qui *τὴν μεγαλοπρέπειαν* et *τὸ εὐσχήμον* magni aestimabat, nonnullis dialogis iuvenibus splendorem quendam non recusat et Aristoteles *tempus* praesertim nobilitati multum laudis darc arbitratur (Rhet. II 15, 2. Cf. I 5, 5). Conferenda sunt etiam Ps.-Plut. pro Nob. V 1. Epist. Phalerid. apud Stob. Flor. 86 17.

Alia res etiam ad eum splendorem obtinendum pertinet. Ps.-Plut. pro Nob. legimus originem nobilitatis homines quidem latere, sed *deis* notam esse: *οὐκ οἴονται (οἱ σοφισταί) λελῃθυίας τινὰς ἀρχὰς καὶ σπέρματα ἀρετῆς συγκαταβάλλεσθαι τοῖς γεννωμένοις* (I 1) et rursus sub finem libelli haec verba *εὐγένειαν* spectant: *οὐ θέμις τὸ ὑπὸ Διὸς ἐπιτελούμενόν μοι τῶν ἱερῶν κλῆρον καταλείπειν· συμφέρειν τῷ Διὶ ἐκὰς τῶν μυστηρίων ἀποτρέπειν τὸν βεβήλων ὄχλον.* (Cf. etiam XVIII 3). Quamquam haec aliquanto post scripta sunt, tamen nobis demonstrant, nobiles interdum deorum auctoritate usos fuisse ad honorem suum confirmandum. Quod mirum non est: semper gentes a diis originem trahere conabantur [2]) et iis ipsis cultus deorum antea mandatus fuerat. Plato quoque fabulam civibus narrari vult, ut credant deos ipsos

---

1) Per totam historiam *τὸ γένος* etiam apud Athenienses multum valebat. Qua de re hic copiosius disputare non possumus.

2) Cf. i. a. Ed. Meyer *Forschungen* I 172 sqq.

Digitized by Google

aureum genus creavisse. (Rep. 415 *a*). Multum Jove genitorum intererat originis splendore illustrari: *ἀρχὴ γὰρ ἄνωθεν πάντων* (Aristot. fr. 83).

Ea aetate, cum nobiles summum locum in republica non iam obtinere possent, multi de *εὐγενείας* detrahebant:

a. Negabant *proprium* quicquam nobilitatis esse. Apud Euripidem legimus:

ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν· μία δὲ γονὰ
τό τ' εὐγενὲς καὶ τὸ δυσγενές. (fr. 53 Cf. fr. 22).

Quamquam nescimus quem locum in tota tragoedia versus obtinuerint, tamen hic non omittenda videntur:

Ἓν φῦλον ἀνθρώπων μί' ἔδειξε πατρὸς καὶ μητρὸς ἡμᾶς
ἁμέρᾳ τοὺς πάντας· οὐδεὶς ἔξοχος ἄλλος ἔβλαστεν ἄλλου.
(Soph. fr. 518). [1])

Lycophron sophista *κατὰ δ' ἀλήθειαν οὐθὲν διαφέροντας τοὺς ἀγεννεῖς τῶν εὐγενῶν.* (Aristot. fr. 81).

Menander Cnidia fr. 290 *οὐθὲν γένους γένος γὰρ οἶμαι διαφόρειν,*
εἰ δικαίως ἐξετάσεις.

Ii, qui id contendebant, argumenta ex vita hominum afferebant:

Phocylides (fr. 2) dicit de nobilitate in sua patria Mileto:

τί πλέον, γένος εὐγὲνες εἶναι
οἷς οὔτ' ἐν μύθοις ἔπεται χάρις οὔτ' ἐνὶ βουλῇ;

Conferantur verba senis apud Euripidem El. 550 sqq.:

Εὐγενεῖς μὲν· ἐν δὲ κιβδήλῳ τόδε
πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς εἰσιν κακοί.

Argumenta quoque Chrysippi legas: Ps.-Plut. pro Nob. V 2. XII 4. XIII 5.

b. Nonnulli eos, qui *stirpe divina* clarisve maioribus gloriantur, rident aut improbant. Apud Euripidem legimus:

τὴν δ' εὐγένειαν πρὸς θεῶν μή μοι λεγὲ
. . . . . .
κοινοῖσι δ' αὐτοῖς χρώμεθ'. (fr. 22 Cf. fr. 345).

„Socrates" (apud Platonem Theaet. 174 *e*) dicit: *τὰ δὲ δὴ γένη ὑμνούντων ὡς γενναῖος τις ἑπτὰ πάππους πλουσίους ἔχων ἀποφῆναι*

---

1) Omnino omnes, qui *ἰσότητα* laudabant, *εὐγένειαν* nimirum improbabant, sed eam quaestionem diligentius cognoscere hic non possum.

Digitized by Google

παντάπασιν ἀμβλὺ καὶ ἐπὶ σμικρὸν ὁρῶντων ἡγεῖται τὸν ἔπαινον (ὁ φιλόσοφος) Cf. Hdts. II 143. Menander fr. 533:

Ἀπολεῖ με τὸ γένος· μὴ λέγ' εἰ φιλεῖς ἐμέ,
Μῆτερ, ἐφ' ἑκάστῳ τὸ γένος· οἷς ἂν τῇ φύσει
Ἀγαθὸν ὑπάρχῃ μηθὲν οἰκεῖον προσόν,
Ἐκεῖσε καταφεύγουσιν, εἰς τὰ μνήματα,
Καὶ τὸ γένος, ἀριθμοῦσιν τε τοὺς πάππους ὅσοι.
Οὐδ' ἕνα δ' ἔχοις ἰδεῖν ἂν, οὐδ' εἰπεῖν ὅτῳ
Οὐκ εἰσὶ πάπποι· πῶς γὰρ ἐγένοντ' ἄν ποτε;

Aristoteles quoque dicit nihil ad praestantiam referre, nobiline an infimo loco natus sit is, qui artibus operam det (Pol. III 12, 1282 *b* 30 sqq.). Conferendae sunt sententiae Bionis et Antigoni (Stob. Flor. 86 13. 87 39).

c. Alii virtutes generis *hereditarias* esse negabant.

Epicharmis dixisse videtur:

οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ἀποδεδειγμένος τόπος
ὃς ἢ πονηροὺς πάντας ἢ χρηστοὺς ποιεῖ. (Stob. Flor. 87 34).

Eur. fr. 531 .... καλὸς δὲ τις
κἂν ἐκ πονηρῶν σωμάτων γένοιτο παῖς Cf. Soph. fr. 606.

Ad omnes quidem ordines pertinebant

ἤ δη γὰρ εἶδον παῖδα γενναίου πατρὸς
τὸ μηδὲν ὄντα· χρηστὰ δ' ἐκ κακῶν τέκνα.
(Eur. Electra 369 sqq.).

sed iis temporibus in nobilitatem maxime cadebant, praesertim cum vocabulum γενναῖος, ut εὐγένης, ordinem nobilium significare videretur. Socrates eiusmodi sententiis assensus fuisse videtur: οὔτε σῖτον ἄριστον ἐκ τοῦ καλλίστου πεδίου κρίνομεν, ἀλλὰ τὸν εὔθετον πρὸς τὴν τροφήν, οὔτε ἄνδρα σπουδαῖον ἢ φίλον εὕνουν τὸν ἐξ ἐπιφανοῦς ὄντα γένους, ἀλλὰ τὸν ὑπάρχοντα τῷ τρόπῳ κρείττονα (Stob. Flor. 86 23. Cf. Aristot. fr. 82). Aristoteles quoque, quamquam virtutem generis laudat (p. 210), tamen eam plerumque nobilibus deesse, immo multos eorum levis pretii esse, concedit (Rhet. II 15, 3): φορὰ γάρ τίς ἐστιν ἐν τοῖς γένεσιν ἀνδρῶν ὥσπερ ἐν τοῖς κατὰ τὰς χώρας γιγνομένοις, καὶ ἐνίοτε ἄν ᾖ ἀγαθὸν τὸ γένος, ἐγγίγνονται διά τινος χρόνου ἄνδρες περιττοί, κἄπειτα πάλιν ἀναδίδωσιν. Nominat filios Cimonis, Periclis, Alcibiadis, Socratis, Dionysii primi. In epistula Phalaridis ad Axiochum (Stob. Flor. 86 17) legimus: καὶ γένοιτ' ἄν ὁ

Digitized by Google

μὲν ἐκ Φαύλων ἀγαθὸς καὶ βασιλέων καὶ πάντων εὐγενέστερος, ὁ δὲ ἐξ ἀγαθῶν Φαῦλος αὐτός τε αὐτοῦ καὶ τῶν ταπεινοτάτων δυσγενέστερος (Conferendum est responsum Iphicratis Plut. Apopht. Iphicr. 5 p. 187; Stob. Flor. 86 15). Postremo addendum est, nonnullos fuisse qui contra hereditariam generis virtutem *lege* quadam nobilitatem illustrem esse contenderent (Eur. fr. 53). Quaestio igitur *φύσει-νόμῳ* his in rebus quoque exstitisse videtur.

d. Fuerunt qui *splendorem* nobilitatis nihil valere dicerent. Lycophron sophista (Aristot. fr. 81): Εὐγενείας μὲν οὖν φησίν ἀΦανὲς τὸ κάλλος· ἐν λόγῳ δὲ τὸ σεμνόν ὡς πρὸς δόξαν οὖσαν τὴν αἵρεσιν αὐτῆς, κατὰ δ' ἀλήθειαν οὐθὲν διαΦέροντας τοὺς ἀγεννεῖς τῶν εὐγενῶν· Euripides fr. 53: νόμῳ δὲ γαῦρον αὐτὸ κραίνει χρόνος. (Cf. Arist. Rhet. II 15, 2). Socrates (D. L. II 5, 14) πλούτου καὶ εὐγένειαν οὐδὲν σεμνὸν ἔχειν dixisse videtur. De Diogene traditur (fr. 297): Εὐγενείας δὲ καὶ δόξας καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα διέπαιζε προκοσμήματα κακίας λέγων (Cf. fr. 253. 209). Chrysippus, postquam vehementer in nobiles invectus est, nobilatem περίτηγμα et διάξυσμα vocavit, proinde nihil referre generosone patre nasci an ignobili dixit. (Ps.-Plut. pro Nob. XII 2).

e. Chrysippus opes et gloriam, praecipua nobilitatis fundamenta, nihili pendet: neutrum horum in nostra potestate, sed alterum fortunae mutabili, alterum hominum libidini esse obnoxium (Ps.-Plut. pro Nob. X 1. Cf. Eur. fr. 22. Vide etiam ibid. fr. 424).

Populus Atheniensis, qui Solone auctore sexto saeculo nonnulla commoda iuraque consecutus post tyrannos expulsos summam rerum in re publica per Clisthenem obtinuerat, Persis victis inter omnes Graecos demum potentia et auctoritate excellebat. Iam aetate tyrannorum agris diligenter colendis, coloniis deducendis, classe aedificanda, peregrinisque recipiendis, opes auctae et gloria amplificata fuerat. Cum vero civitas hostibus fortissime restitisset et in defendenda sua patria etiam a ceteris Graecis barbaros propulsavisset, Athenienses validissimi facti sunt, quippe qui principes multorum sociorum exstitissent, cuius rei beneficia ac commoda hic, ut omnibus nota, praetereunda esse videntur. Ad hoc in re publica populus imperiis honoribusque fungebatur multisque emolumentis frue-

Digitized by Google

batur, ut, civitatem magnae utilitati esse cognoscens, eam sibi ipsi potissimum vindicaret. Itaque propter fructus ex civitate captos rarissime eam Graecis peregrinisve dabant, immo vero interdum civibus, neque iis indignis, adimebat. Opibus, natione, genere, praeterea ordine atque artibus, varia genera popularium distinguebantur. Athenienses, partim in suos cives, partim in servos sociosque dominati, multos, ut antea nobiles, imperio suo subiectos habebant. Rebus gestis ac potentia freti et se ipsos egregiis virtutibus praeditos esse arbitrati, adversus barbaros, advenas, ceterosque Graecos magnos spiritus sumebant [1]). Ita fiebat, ut Athenis eodem saeculo, quo opibus potentiaque nobilium diminutis vis iuraque veteris nobilitatis in dubium vocabantur, nonnulli *εὐγένειαν populo Atheniensi* vindicarent. Speciem nobilitatis multum Eupatridis valuisse ad vires augendas ex usu cives intellexerant: iam tempus erat ut in rem suam averterent. Conscii igitur suarum virium ac potentiae cupidique splendoris hanc hereditatem gentium adiisse videntur; se terra Attica ortos esse gloriari coeperunt: ea vis verbi nobilitatis fiebat. Ut nobiles inter se *ὅμοιοι* fuerant, sic cives Athenienses nunc *ἴσοι* appellabantur, quapropter etiam *ἰσογονίαν* praedicabant, quae una cum *ἰσότητι*, *ἰσοκρατίᾳ*, *ἰσηγορίᾳ ἰσοψηφίᾳ* commoda et iura populi indicaret. Cum posteri eo maiorem verecundiam admirationemque moverent quo clariores maiores apparerent, duces et oratores nullam occasionem res gestas patrum laudandi praetermittebant. Hac quoque re igitur populus Atheniensis nobilitati similis fuit [2]). Neque alia desunt in locis inspiciendis tractanda.

---

1) Cf. e. g. Isocr. de Pace 50. Menander, Inc. Fr. 4. Anacharsis apud St. Flor. 86 16 (*δυσγένεια* barbarorum. Qua de re etiam Arist. Pol. III 13, 1283 a 35, Theophr. Char. 31, Ps-Plut. pro Nob. XII 1 conferas); superbiam erga ceteros Graecos et aliis locis et in comoediis sentimus; de illa superbia (*λῆμα*) Atheniensium: Eur. Heraclid. 198. Demadas fr. 27. Cf. Isocr. Paneg. 25; de Pace 50. Laudes urbis passim apud scriptores invenimus. Hic locus est, ut etiam dies festi in honorem Minerva, praesidis urbis magnifice celebrati, statua speciosissima templumque eius magnis sumptibus aedificatum commemorentur.

2) Rerum gestarum monumenta in porticu picturata exstabant: Aesch. III 186. Vide etiam 183. 243. In orationibus funebribus quotannis habitis, ex quibus infra nonnulla commemorabo, semper virtutes populi et facinora egregia patrum celebrabantur: Thuc. II 36 sqq. Pl. Menexenus; (Lys.) Or. Fun. (Dem.) Or. Fun.

Digitized by Google

ἧς αὐτόχθονες ὁμολογοῦνται εἶναι. μόνοι γὰρ πάντων ἀνθρώπων, ἐξ ἥσπερ ἔφυσαν, ταύτην ὤκησαν καὶ τοῖς ἐξ αὐτῶν παρέδωκαν, ὥστε δικαίως ἄν τις ὑπολάβοι, τοὺς μὲν ἐπήλυδας ἐλθόντας εἰς τὰς πόλεις καὶ τούτων πολίτας προσαγορευομένους, ὁμοίους εἶναι τοῖς εἰσποιητοῖς τῶν παίδων, τούτους δὲ γνησίους γόνῳ τῆς πατρίδος πολίτας εἶναι. (Cf. 27). Philippus Demadam captivum rogavisse videtur: Ποῦ ἡ εὐγένεια καὶ ἡ ὑπεροχὴ τῆς Ἀθηναίων πόλεως; (Demadas fr. 27). Omnibus igitur notum erat, Athenienses sibi εὐγένειαν vindicavisse. Ut nobilium legitima origo ab utrisque parentibus erat, sic populus non solum ceteros Graecos ut adoptivos, sed etiam cives, qui ex alia terra postea Athenis consederant, paululum despiciebat [1]); incolas vero, quibus alteruter parentum civis Atheniensis non erat, saepe civitate spoliabat. Quod etiam tempore Periclis factum est. Quamquam postea bellis morbisque prementibus νόθοι aliique civitate donabantur, sub finem saeculi lex denuo multos eiecit [2]). Mirum igitur non est, Athenas apud Euripidem (Ion. 673 cf. 589) καθαρὰν πόλιν appellari, ex quo nobis patet in hac quoque re Athenienses suum genus cum nobilibus comparavisse. Iure id dici poterat de urbe illorum, quos Isocrates (de Pace 49. 50) admonet, ut se indigenas esse rati exemplum praebeant bonae ordinataeque rei publicae. Nobilitas obligat! Idem scriptor Athenas laudaturus a maioribus incipit (Panath. 5. Cf. 114), sicut primum patres nobilium deinde homines ipsos laudibus effert (Euag. 12. Hel. 16. Nic. 29. de Big. 25. Aegin. 36. Epist. IX 1, 3). Eodem modo alii quoque patriam celebrabant [3]). His rebus cognitis Aristotelem hoc modo εὐγένειαν definivisse intellegimus [4]): εὐγένεια μὲν οὖν ἐστὶν ἔθνει μὲν καὶ πόλει τὸ αὐτόχθονας ἢ ἀρχαίους εἶναι, καὶ ἡγεμόνας τοὺς πρώτους ἐπιφανεῖς, καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς γεγονέναι ἐξ αὐτῶν ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις· ἰδίᾳ δὲ εὐγένεια ἢ ἀπ' ἀνδρῶν ἢ ἀπὸ γυναικῶν καὶ γνησιότης ἀπ' ἄμφοῖν καὶ ὥσπερ ἐπὶ

1) Vide Newmannum ad Arist. Pol. VI (IV) 4, 1291 b 26.

2) Quomodo postea legibus obsolescentibus interdum querebantur laudatores temporis acti: Lyc. c. Leocr. 41. ὁ γὰρ δῆμος ὁ Ἀθηναίων... καλὸν καὶ σεμνὸν ἡγήσατ' εἶναι δῶρον τὸ Ἀθηναῖον γένεσθαι.... (Dem.) LIX 88.

3) Vide locos supra allatos (p. 215, 217 sq.).

4) Cf. Suidas s. v. εὐγενής ἐπὶ γένους ἢ ἐπὶ πατρίδος. Quinct. III 7, 26: Laudantur autem urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor; et multum auctoritas effert vetustas ut iis qui terra dicuntur orti.

Digitized by Google

vim tum demum intellegimus, si nobiscum reputamus, hunc eundem populum Theseum regem democratiae conditorem existimavisse et principes veterum tribuum *Φυλοβασιλεῖς* appellatos fuisse. Eandem adulationem Euripides spectare videtur, qui, adversus diversam famam (Apollod. I 73) ab Apolline originem Iones ducere contendit [1]), qui eum deum patrium vocare solebant [2]). Orator noster paulo post dicit, Athenienses ab omni barbarorum immixtione puros integrosque Graecos esse: *αὐτοὶ Ἕλληνες* (245 *d*). Quid id sibi velit, nobis inspicientibus omnes locos, in quibus indigenae (*αὐτόχθονες*) vocantur, facile apparebit. Passim enim accipimus, Athenienses non advenas terram vacuam occupavisse (e. g. Isocr. Paneg. 24, Panath. 125 Suidas s. v. *αὐτόχθονες*), neque aliis expulsis sua domicilia expugnavisse (Cf. Lesbonax Hort. II), sed nulla barbarorum confusione infectos, in Attica indigenas consedisse (Isocr. Panath. 24) eoque ipso vere nobiles esse (Vide etiam Isocr. Panath. 125. Cf. (Lys.) Or. Fun. 17). Iuvat ceteros quoque locos enumerare, in quibus ea res laudatur, ut appareat, quantopere cives patria gloriati sint: Eur. Ion. 29. 589. 737. fr. 362. Cf. Isocr. de Pace 49. Hdts. I 56. VII 16 [3]). Thuc. II 36. Plato Critias 109 *d*. Cf. Sophistes 247 *c*. Dem. XIX 261. Lyc. c. Leocr. 41. 48. Secundum Lysiam virtutes Atheniensium *γνήσιοι καὶ αὐτόχθονες* sunt (II 43). Quamquam etiam alii se indigenas esse contendebant [4]), Athenienses sibi solis id ius praecipuum identidem arrogabant: *μόνοις γὰρ ἡμῖν τῶν Ἑλλήνων τὴν αὐτὴν τροφὸν καὶ πατρίδα καὶ μητέρα καλέσαι προσήκει* (Isocr. Paneg. 25) et rursus: *Ἀττικοὶ μόνοι δικαίως εὐγενεῖς αὐτόχθονες* (Arist. Vespae 1076). Hoc versu *εὐγένειαν* cum gloria patriae coniungens, poeta optime id elocutus est, quod spectatores in theatro sentiebant. Postremo [Dem.] Or. Fun. 4 legimus: *Ἡ γὰρ εὐγένεια τῶνδε τῶν ἀνδρῶν ἐκ πλείστου χρόνου παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀνωμολόγηται. οὐ γὰρ μόνον εἰσ πατέρ' αὐτοῖς καὶ τῶν ἄνω προγόνων κατ' ἄνδρ' ἀνενεγκεῖν ἑκάστῳ τὴν φύσιν ἔστιν, ἀλλ' εἰς ὅλην κοινῇ τὴν ὑπάρχουσαν πατρίδα.*

1) Vide C. S. Jerram ed. Eur. Ion. p. XV sqq.
2) Vide Ed. Meyer *Forschungen* II 520 sqq.
3) Vide Steinium ad locum.
4) Kares (Hdts. I 171) et Arcadii (Dem. XIX 261).

Digitized by Google

ἧς αὐτόχθονες ὁμολογοῦνται εἶναι. μόνοι γὰρ πάντων ἀνθρώπων, ἐξ ἥσπερ ἔφυσαν, ταύτην ὤκησαν καὶ τοῖς ἐξ αὐτῶν παρέδωκαν, ὥστε δικαίως ἄν τις ὑπολάβοι, τοὺς μὲν ἐπήλυδας ἐλθόντας εἰς τὰς πόλεις καὶ τούτων πολίτας προσαγορευομένους, ὁμοίους εἶναι τοῖς εἰσποιητοῖς τῶν παίδων, τούτους δὲ γνησίους γόνῳ τῆς πατρίδος πολίτας εἶναι. (Cf. 27). Philippus Demadam captivum rogavisse videtur: Ποῦ ἡ εὐγένεια καὶ ἡ ὑπεροχὴ τῆς Ἀθηναίων πόλεως; (Demadas fr. 27). Omnibus igitur notum erat, Athenienses sibi εὐγένειαν vindicavisse. Ut nobilium legitima origo ab utrisque parentibus erat, sic populus non solum ceteros Graecos ut adoptivos, sed etiam cives, qui ex alia terra postea Athenis consederant, paululum despiciebat [1]); incolas vero, quibus alteruter parentum civis Atheniensis non erat, saepe civitate spoliabat. Quod etiam tempore Periclis factum est. Quamquam postea bellis morbisque prementibus νόθοι aliique civitate donabantur, sub finem saeculi lex denuo multos eiecit [2]). Mirum igitur non est, Athenas apud Euripidem (Ion. 673 cf. 589) καθαρὰν πόλιν appellari, ex quo nobis patet in hac quoque re Athenienses suum genus cum nobilibus comparavisse. Iure id dici poterat de urbe illorum, quos Isocrates (de Pace 49. 50) admonet, ut se indigenas esse rati exemplum praebeant bonae ordinataeque rei publicae. Nobilitas obligat! Idem scriptor Athenas laudaturus a maioribus incipit (Panath. 5. Cf. 114), sicut primum patres nobilium deinde homines ipsos laudibus effert (Euag. 12. Hel. 16. Nic. 29. de Big. 25. Aegin. 36. Epist. IX 1, 3). Eodem modo alii quoque patriam celebrabant [3]). His rebus cognitis Aristotelem hoc modo εὐγένειαν definivisse intellegimus [4]): εὐγένεια μὲν οὖν ἐστὶν ἔθνει μὲν καὶ πόλει τὸ αὐτόχθονας ἢ ἀρχαίους εἶναι, καὶ ἡγεμόνας τοὺς πρώτους ἐπιφανεῖς, καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς γεγονέναι ἐξ αὐτῶν ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις· ἰδίᾳ δὲ εὐγένεια ἢ ἀπ' ἀνδρῶν ἢ ἀπὸ γυναικῶν καὶ γνησιότης ἀπ' ἄμφοῖν καὶ ὥσπερ ἐπὶ

1) Vide Newmannum ad Arist. Pol. VI (IV) 4, 1291 b 26.

2) Quomodo postea legibus obsolescentibus interdum querebantur laudatores temporis acti: Lyc. c. Leocr. 41. ὁ γὰρ δῆμος ὁ Ἀθηναίων ... καλὸν καὶ σεμνὸν ἡγήσατ' εἶναι δῶρον τὸ Ἀθηναῖον γένεσθαι .... (Dem.) LIX 88.

3) Vide locos supra allatos (p. 215, 217 sq.).

4) Cf. Suidas s. v. εὐγενής ἐπὶ γένους ἢ ἐπὶ πατρίδος. Quinct. III 7, 26: Laudantur autem urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor; et multum auctoritas effert vetustas ut iis qui terra dicuntur orti.

Digitized by Google

πόλεως τούς τε πρώτους γνωρίμους ἢ ἐπ' ἀρετῇ ἢ πλούτῳ ἢ ἄλλῳ τῳ τῶν τιμωμένων, [1]) καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς ἐκ τοῦ γένους καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας καὶ νέους καὶ πρεσβυτέρους (Rhet. I 5, 5).

Restat ut breviter exponamus, quo modo εὐγένεια et ἐλευθερία apud Athenienses inter se cohaeserint. Principio libertas statum quendam in re publica significabat: viri eiusdem aetatis, eiusdemve dilectus, liberi vocabantur [2]), id est viri ex summo ordine, quippe qui soli militarent. Athenis quoque ἐλεύθεροι in primis ii erant, qui principatum in re publica habebant. Cum Persas depulissent et in multos dominari coepissent, cives commodorum suorum conscii praecipuo iure libertatis gloriabantur. Ἐλευθερία Iove nata fuisse dicebatur eique statua in porticu picturata constituta erat. Ut omittam multa alia, quae in laudem libertatis dicebantur, ἐλευθερίαν ad εὐγένειαν pertinere apud nonnullos auctores invenimus. Ille orator apud Platonem (Menex. 245 *c*) dicit morem civitatis Atheniensis generosum et liberum esse. Demosthenes Athenienses indigenas ideoque liberos vocat. (XIX, 261. Cf. Lyc. c. Leocr. 41) et alio loco (XXI 124. Cf. XV 18) ἰσηγορίαν et ἐλευθερίαν eximia iura civium vocat. Cognatione quadam nobilitas cum libertate cohaerebat (Cf. etiam Aesch. c. Tim. 42. Diog. fr. 268), interdum etiam vocabula promiscue adhibebantur. Iure igitur Newmannus (ad Arist. Pol. I 6, 1255 *a* 26. Cf. 32) dicit: „Εὐγένεια was commonly viewed as akin to ἐλευθερία and a kind of superlative degree of it. Hence the transition here and in 32 from the one in the other." [3]).

Dum et Eupatridae et divites et populus Atheniensis nobilitate gloriantur, alia vis verbo εὐγένειᾳ subiecta est. Sicut enim nobiles appellationes, in quibus sensus quidam boni pulchrive inerat, praecipue sibi vindicabant, ut virtutem et humanitatem, praeterea dignitatem ac elegantiam nobilium esse vulgo probarent, quapropter verba ἀγαθοί, ἄριστοι, βελτιστοί, γνώριμοι,

1) Cf. Plato apud Diog. Laert. III 88.

2) Cf. F. Muller Gr. Wbk. s. v.

3) Cf. Newmannum ad Arist. Pol. III 13, 1283 a 33: „In some places the word ἐλεύθερος appears to have been used to designate the noble". Vide etiam III 2, 1275 b 21. VI (IV) 4, 1291 b 9.

Digitized by Google

ἐπιεικεῖς, ἐσθλοί, καλοὶ κἀγαθοὶ, σοφοί, χαρίεντες, χρηστοί etiam ordinem principem in re publica significabant, ita verba εὐγένεια, εὐγενής, γενναῖος, quibuscum inde ab initio in ordine nobilium designando notio quaedam excellentiae coniuncta erat, mox etiam praestantiam animi virtutemque denotare coeperunt. Εὐγενής fiebat κατὰ μεταφορὰν μεγαλοπρεπῆς καὶ γενναῖος. Neque forte id accidit, immo cohaerebat cum motibus rei publicae. Quemadmodum autem patrum memoria nobiles propter virtutes egregias primum locum obtinentes optime de re publica meruerant, sic quinto saeculo populus Atheniensis opibus meritisque fretus rei publicae praestabat et se quoque virtutibus facultatibusque instructum esse publice et privatim ostendebat. Itaque multis persuadebatur hominem ignobilem quoque excellere posse. Quicumque veterem εὐγένειαν impugnabant, libenter novam vim verbo subiciebant. Putabant enim omnes, qui inter cives animo ingeniove eminerent, dignos esse qui εὐγενεῖς appellarentur, εὐγένειαν non iam virtutem generis (ἀρετὴν γενοῦς) sed ἀρετὴν νοῦ τε καὶ ἤθους significare contendebant. Cuius sententiae in locis scriptorum inspiciendis nonnulla indicia inveniemus simulque videbimus, quam varie pro temporibus hominibus doctrinisque philosophorum virtus, verbo εὐγένειᾳ designata, intellegeretur.

Democritus fr. 57 .... ἀνθρώπων δὲ (εὐγένεια) ἡ τοῦ ἤθεος εὐτροπίη.

Euripides fr. 530 τὸ τοι κράτιστον, κἂν γονῇ κακός τις ᾖ,
τοῦτ' ἔστιν ἀρετή· τὸ δ' ὄνομ' οὐ διαφέρει.

fr. 345 εἰς δ' εὐγένειαν ὀλιγ' ἔχω φράσαι καλά·
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνὴρ,
ὁ δ' οὐ δίκαιος κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

fr. 514 ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδ' ὅπως δὴ σκοπεῖν χρεὼν
τὴν εὐγένειαν· τοὺς γὰρ ἀνδρείους φύσιν
καὶ τοὺς δικαίους τῶν κενῶν δοξασμάτων
κἂν ὦσι δοῦλων, εὐγενεστέρους λέγω.

fr. 53 .... τὸ φρόνιμον εὐγένεια.

El. 390 .... τὸ εὐγενὲς
ἐν τῇ φύσει δὲ τοῦτο κἂν εὐψυχίᾳ.

fr. 54 οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια
παρ' ἀγαθοῖσι δ' ἀνδρῶν. (Cf. fr. 418).

Res optandae quidem vocantur εὐγένεια et πλοῦτος (fr. 660.

Digitized by Google

662), sed virtute superantur (fr. 1016). Apud eundem alibi videmus, quo modo paulatim significatio verborem *εὐγένειας* etc. mutata sit, e. g.: Hippol. 1390. Phoen. 1623. fr. 418.

Socrates (Stob. Flor. 86 20. Cf. 86 23): *Σωκράτης ἐρωτηθεὶς τί εὐγένεια, 'Εὐκρασία' ἔφη 'ψυχῆς καὶ σώματος'.* Apud Aristotelem (fr. 80): *Οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἐξ ἀγαθῶν γονέων εὐγενεῖς εἶναι νομίζουσιν καθάπερ καὶ Σωκράτης.*

Antisthenes (D. L. VI 10): *τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρέτους* Menander Cnidia fr. 290 *γνήσιος ὁ χρηστός ἐστιν* Cf. fr. Inc. 4. (Meineke).

Plato Definitiones. *Εὐγένεια ἀρετὴ εὐγενοῦς ἤθους· εὐαγωγία ψυχῆς πρὸς λόγους καὶ πράξεις.*

Secundum Diogenem Laertium (III 89) Plato de nobilitate i. a. dixit: *Ἄλλο εἶδος, ἐὰν αὐτός τις ᾖ γεννάδας τὴν ψυχὴν καὶ μεγαλόψυχος καὶ τοῦτον εὐγενῆ φασι. καὶ τῆς γε εὐγενείας αὕτη κρατίστη.* Eam nobilitatem vocat *ἀπὸ τῆς αὐτοῦ καλοκἀγαθίας.* Quamquam luce clarius apparet, quid Plato hic de *εὐγένειας* senserit, tamen aliorum locorum ratio habenda est. Eos quidem, qui in aestimandis hominibus numerum maiorum locupletium tantum respiciunt, hebetes nihilque magnum propter ignorantiam videntes vocat (Theaet. 174 *e*. Cf. Alc. I 121 *a* sqq.), eius doctrina sine dubio passim nos docet veram nobilitatem in virtute animi ingeniique positam esse neque eius disciplina alio spectat, attamen multa quoque in doctrina de anima, in rerum civilium scientia et in disciplina inveniuntur, quae nobilium opinionibus respondent. Virtutes hereditarias esse arbitratus *εὐγονίᾳ* favet; ne ordinum ratio in re publica pereat, valde cavet; in occupandis honoribus interdum generis magistratuum rationem habet (Leg. 744 *b*), ipse genere suo, in primis Solone proavo, gloriabatur. Philosophum universe de quaestionibus causisve disserentem *εὐγένειαν* parvi aestimavisse cognoscimus. (Vide etiam: Rep. 618 *d*. Euthyd. 279 *b*. Diog. Laert. III 78). Ubi primum autem definite de hominibus rebusve Plato disputare coepit, eum de regibus Athenarum generis originem trahere apparet.

Diogenes fr. 61: *Διογένης πυνθανομένου τινός τίνες τῶν ἀνθρώπων εὐγενέστατοι· Οἱ καταφρονοῦντες, εἶπε, πλούτου, δόξης, ἡδονῆς, ζωῆς, τῶν δὲ ἐναντίων ὑπεράνω ὄντες, πενίας, ἀδοξίας, πόνου, θανάτου.* (Cf. fr. 209).

Digitized by Google

Ps. Plut. (pro Nob. XI) adversarium haec dicentem inducit: *τοῦτ' ἔστιν ἡ ὄντως εὐγένεια ὁμοίωσις δικαιοσύνης* quam sententiam auctor vehementer impugnat (Cf. V 1. VII 3). In epistula Phalaridos invenimus: *Ἐγὼ δὲ μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν οἶδα.*

Apud Euripidem (fr. 514) Melannippa dicit:

ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδ' ὅπως δὴ σκοπεῖν χρεὼν τὴν εὐγένειαν, Aristoteles (fr. 80) nobis narrat: *ἀμφισβητεῖται δὲ, καθάπερ καὶ περῖ τοῦ πηλίκον ἀγαθόν ἐστι, οὕτω καὶ τίνας δεῖ καλεῖν εὐγενεῖς* et Philo quoque (Ps. Plut. XVIII 1) dubitabat quos nobiles appellaret. „Mirum non est", scriptor dicit: *καὶ γὰρ παρὰ τῶν σοφῶν τὰ μὲν ἀμφισβητεῖται, τὰ δὲ οὐ λέγεται σαφῶς εὐθὺς τὰ περὶ τῆς δυνάμεως.* (Cf. V 1). Quibus ex locis apparet, veteribus auctoribus difficile fuisse, dilucide explicare quam vim verbum *εὐγένεια* apud Athenienses haberet.

Digitized by Google

DE VERSIONE GRAECA MONUMENTI ANCYRANI QUAESTIONES.

SCRIPSIT

A. P. M. MEUWESE.

In commentariorum *Revue des études anciennes* volumine XXVI, 1924, p. 147—161 disputatio prodiit „*La version grecque du Monument d' Ancyre*", in qua vir doctus Paulus F. Regard hoc mihi tribuit, ut de opusculo *De rerum gestarum divi Augusti versione graeca*, quod a. 1920 ederam, pluribus dissereret. In cuius opusculi praefatione p. 2 de sermone graeco versionis Ancyranae, quam a Romano confectam esse Kaibelius et alii viri docti contenderant, sic statuere posse mihi visus eram: *quidquid esset de origine interpretis Rerum gestarum, multas res, quae simillimae latinis verbis pro imitatione latini sermonis haberentur, ex communi Graecorum dialecto fluxisse.* Qua in re virum doctum Regardium mihi assentiri [1]) summopere gaudeo. Iam mihi propositum non est, ut, quae v. d. Regardius in opusculo meo improbaverit, defendam, — defendam, quod graviter incusat, me libros his annis in Gallia editos neglexisse, admonendo opusculum meum tempore belli scriptum esse, cum nos in Neerlandia acie bellica populorum sese impugnantium a Gallis disiuncti eramus, — sed hac disputatiuncula supplere volo, quae praetermissa esse Regardius notavit. Qua re optatissima occasio mihi offertur denuo revertendi ad

1) Qui v. d., quod opusculo *De rerum gestarum divi Augusti versione graeca* comprobatum esse dicit, speciosius, ut sibi videtur, sed meo iudicio incautius sic reddit: „*Le texte grec du Monument d' Ancyre constitue un des beaux documents de la κοινή*".

Digitized by Google

quaestionem, quam ut auctore et duce clarissimo viro Ursulo Philippo Boissevain olim tractarem, mihi contigit.

Itaque Regardius in fine disputationis p. 159 notat, me de sermone graeco Ancyranae versionis disserentem nec de natura nec de structura sententiarum egisse.

Ac primum quidem seorsum disputassem vellet de sententiis, quae verbo substantivo seu copula carent [1]). Revocat vir doctus ad librum suum „*La phrase nominale dans la langue du Nouveau Testament*" (Parisiis 1919), in quo permultis locis exscriptis demonstraverat, linguam Novi Testamenti, non secus ac sermonem atticum, crebro uti his sententiis, cum in eadem Novi Testamenti lingua sententiae formis verbi εἶναι instructae, prout in ionica dialecto maiore in usu sunt, non minus usurpentur [2]). Notum est, linguam latinam sententiis, quae nonnisi nominibus constant, fere carere [3]). Iam vero Regardius ex Monumento Ancyrano exemplum profert huiusmodi sententiae 19, 5 sqq. Δαπάναι δὲ εἰς θέας καὶ μονομάχους καὶ ἀθλητὰς καὶ ναυμαχίαν καὶ θηρομαχίαν δωρεαί τε ἀποικίαις πόλεσιν ἐν Ἰταλίᾳ, πόλεσιν ἐν ἐπαρχείαις σεισμῷ καὶ ἐνπυρισμοῖς πεπονηκυίαις ἢ κατ' ἄνδρα φίλοις καὶ συνκλητικοῖς, ὧν τὰς τειμήσεις προσεξεπλήρωσεν: ἄπειρον πλῆθος. Sed huic exemplo ad sermonem interpretis intellegendum magnam vim inesse non puto, cum latine quoque hoc loco copula desideretur: *Impensa ... et donata pecunia ... amicis senatoribusque, quorum census explevit, innumerabilis.*

Ceterum, quamvis studio sententiarum, quae solis nominibus constant, ad sermonem graecum vulgarem perspiciendum mul-

---

1) Sic dicit *Revue des études anc. l.l.*: „*En lisant son livre, on ne se douterait pas qu'il existe une phrase nominale à côté de la phrase verbale et que l'étude de la phrase nominale pure et de la phrase à verbe „être" offre une réelle importance quand il s'agit de la κοινή*".

2) Post priorem partem operis *La phrase nominale* concludit p. 107:

„*La Κοινή représentée par les textes du Nouveau Testament possède d'une manière générale à la fois le type nominal pur et le type nominal à copule; et ces deux types, qui se côtoient pour ainsi dire, sont l'un et l'autre frais et forts, vivants et productifs.*

3) Cf. Meillet et Vendryes, *Traité de grammaire comparée* p. 541: „*En latin, l'emploi de „est, sunt" est à peu près constant, aussi bien que celui de „es, eram" ou „sim". La phrase nominale en est arrivée à comprendre une copule*".

Digitized by Google

tum tribuendum sit, exiguas harum sententiarum in Monumento Ancyrano partes esse, mirum non est. Namque ex libro quoque Regardii elucet, sententias copula destitutas, exceptis veritatibus generalibus et quibusdam formulis cotidiani sermonis, his tantum locis frequenter usurpari, ubi verbum *εἶνχι* in tertia persona praesentis indicativi explicandum fuisset [1]). In Monumento Ancyrano autem, ubi ipse Augustus res gestas suas recenset, haec tertia persona *ἐστίν* semel tantum invenitur: 14, 22 *μέχρι πόλεως Ναβάτης, ἥτις ἐστὶν ἔνγιστα Μερόη, ad oppidum Nabata, cui proxima est Meroe*; ubi verbum *ἐστίν* non est copula, sed significat „*sita est*", et hac vi praeditum numquam in sermone attico nec in lingua vulgari graeca omittitur.

Imperfectum *ἦν* in Monumento Ancyrano constanter exprimitur: 1, 22; 14, 3; 15, 7; 16, 9; 17, 10, cum et in lingua attica et in lingua vulgari hoc *ἦν* raro tantum omittitur [2]). Fortasse primo loco, quem laudavi, 1, 22 *τὰ ἔθνη, οἷς ἀσφαλὲς ἦν συνγνώμην ἔχειν*, a Graeco homine *ἦν* omissum esset, namque apud adjectiva neutrius generis varias verbi *εἶναι* figuras saepius omitti, ex exemplis, quae afferunt viri docti, elucet. [3])

Attamen in Monumento Ancyrano quoque notabile exemplum est, quo discrimen, quod est inter utramque linguam, illustratur. Namque quod Augustus, sacerdotia sua recensens, dixerat 1, 45 [*Pontifex maximus, augur, quindecimviru*]*m sacris* [*faciundis, septemvirum epulonum, frater arvalis, sodalis Titius, fetiali*]*s fui*, interpres sic reddidit 4, 5 *Ἀρχιερεύς, αὔγουρ, τῶν δεκαπέντε ἀνδρῶν τῶν ἱεροποιῶν, τῶν ἑπτὰ ἀνδρῶν ἱεροποιῶν, ἀδελφὸς ἀρουᾶλις, ἑταῖρος Τίτιος, Φητιᾶλις*. Itaque interpreti visum est, verbum *ἐγενόμην*, quo aliis locis latinum *fui* reddidit [4]), hoc loco omitti quoque posse, cum subjectum sententiae, — haec etenim causa est omnium sententiarum, quae solis nominibus constant, —

1) Regard, *La phrase nominale* p. 50.

2) Cf. Kühner-Gerth I p. 41. In lingua Novi Testamenti, praeterquam in formulis *ᾧ ὄνομα, οὗ τὸ ὄνομα*, imperfectum *ἦν* non fere omitti dicunt Blass-Debrunner § 128; unum exemplum afferunt: *Gal.* 4, 15 *εἰ δυνατόν* (sc. *ἦν*). Regard, *La phrase nominale* p. 59 aliquanto plura, sed pauca itidem exempla protulit, v. g. *Philipp.* 2, 5 *ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* (sc. *ἦν*), *Luc.* 1, 27 *καὶ τὸ ὄνομα τῆς παρθένου Μαριάμ.*

3) Cf. Blass-Debrunner § 127, 2, Regard, *l. l.* p. 32 sq.

4) E. g. 4, 1 *τριῶν ἀνδρῶν ἐγενόμην δημοσίων πραγμάτων κατορθωτής.*

Digitized by Google

satis perspicuum esset. Itaque ex Monumento Ancyrano unum exemplum afferri potest, quo sententia copula destituta usurpatur contra exemplar latinum. [1])

Deinde, quod ad sententiarum structuram attinet, Regardius reprehendit p. 160, quod in paragrapho *De enuntiatorum coniunctione* non fusius disputavi de particulis, quibus graece enuntiata coniungi solent. Eius rei responsio est, me de his maxime rebus disseruisse, quas v. d. Kaibel, Viereck, Hahn, Diehl in sermone huius tituli vituperaverant, quas ob res interpretem Monumenti Romanum hominem fuisse intellegere sibi visi sunt. Contra quos probare conatus sum, multa, quae nimis latine dicta iudicaverant, ad linguam vulgarem pertinuisse. Sed quod ad particulas attinet, quibus sententiae iunguntur, nihil notaverant. At etiamnunc exquirere volo, quae Monumento Ancyrano in usu harum particularum propria sint, quamquam certo fidem rei excedit, quod dicit Regard: „*Le texte grec du Monument d' Ancyre fournissait une matière propice à l'étude des particules de liaison, qui unissent habituellement les phrases entre elles dans le grec de l' époque classique*".

Antequam de particulis in Monumento Ancyrano conspicuis agam, dicendum est de multis locis, ubi quaevis particula desideratur. Namque non tantum cum singula verba enumerantur, sed etiam cum totae sententiae conserendae sunt, saepius omnes particulas praetermissas videmus. Quod singula vocabula *ἀσυνδέτως* sese excipiunt, graece toleratur in longioribus enumerationibus, quae multae sunt in Monumento Ancyrano, sed quaedam exempla sunt, quae ab usu Graecorum abhorrent, ut 1, 5. 6 *Γαΐῳ Πά[νσ]α [Αὔλῳ Ἰρτίῳ ὑ]π[ά]το[ι]ς*, et 8, 9 *δημαρχικῆς ἐξουσίας ἐκτωκαιδέκατον, ὕπατ[ος] δ[ωδέκατον]* [2]). Sententiarum, quae sine particulis conseruntur, exempla pro-

1) Quod vocabulum *φητιᾶλις* in extremo versu 4, 7 est, causa esse non potest, quod lapicidam copulam omisisse credamus. Namque lapicidam verba interpretis mutavisse nusquam animadvertimus; interpreti autem certo nihil erat, cur copulam omitteret. Praeterea aliis locis, ut 3, 1; 18, 16 ob unum alterumve vocabulum lapicidam novum versum inchoantem videmus, quamvis versum antecedentem contrahere potuisset.

2) Conferantur quae dicit Blass § 460 de lingua Novi Testamenti: „*Zwischen nur zwei Begriffen wird Asyndeton nicht gern angewendet (wie klass.)*". De loco 1, 5. 6 iam egi *De rerum gestarum divi Augusti versione graeca* p. 59.

Digitized by Google

ferre opus non est. Nam fere sententiae aliae aliis absque particulis iunguntur, et rara sunt haec enuntiata 1, 10 [Ὁ δ]ὲ δῆμος..., vel 2, 18 [Ἡμ]έραι οὖν αὐ[τα]ι..., ubi particulis δέ, οὖν latinum vocabulum *autem* redditur.

Regardius omnes hos locos comparare vult cum exemplis Menandri et linguae Novi Testamenti, ubi singula verba vel totae sententiae ἀσυνδέτως copulantur [1]). Certum est, in communis usu sermonis et apud scriptores Graecos, qui ad hunc usum propius accedunt, verba et enuntiata multo minus particulis conserta fuisse, quam apud optimos auctores [2]). Sed neque in communi lingua, qua posteriore aetate homines utebantur, asyndeton, quod dicunt, frequens erat. Conferantur quae dicit Blass § 458 de usu linguae Novi Testamenti: „*Die asyndetische Anfügung widerstrebt im grossen und ganzen dem Geist der griechischen Sprache, ob nun die asyndetisch parallelisierten Glieder ganze Sätze oder bloss Satzteile oder Wörter seien, und findet sich demgemäss auch im N. T. meist nur in beschränkter Anwendung*". Idem, quod Blass de lingua Novi Testamenti statuit, comprobatum videmus apud recentiores scriptores, ut Polybium [3]), Appianum [4]), Herodianum [5]), cum apud eos scriptores, qui recentiore aetate Atticorum sermonem repetunt, asyndeton sententiarum admodum rarum est [6]). Deinde particulae illae δέ, οὖν, quibus in attica dialecto sententiae plerumque copulantur, Byzantinorum demum tempore ex lingua evanuerunt [7]); utraque particula frequens adhuc est in *Prato spirituali*, a Joanne Moscho saeculo VI p. Chr. n. satis communi sermone conscripto.

---

1) *Revue des études anciennes*, 1924 p. 160: „*Les exemples d' asyndète abondent sur le Monument d' Ancyre. Il vaut la peine d' expliquer et de commenter ce fait. Si l' asyndète est chose courante dans l'autobiographie d' Auguste et s' observe souvent dans le Nouveau Testament, c'est parce que l'usage des particules de liaison était, dès l' époque classique, beaucoup moins constant dans la langue familière que ne le laissent supposer en général les textes littéraires. Le texte de Ménandre nous a renseignés sur ce point*".

2) Cf. Meillet et Vendryes, *Traité de grammaire comparée* p. 567.

3) Stich, *De Polybii dicendi genere*, Acta Seminarii Philol. Erlangensis II p. 208.

4) Kratt, *De Appiani elocutione* p. 30.

5) Schmid, *Der Atticismus in seinen Hauptvertretern* I p. 179.

6) Schmid, *Der Atticismus* I p. 175, II p. 286.

7) Cf. Jannaris, *Historical Greek Grammar* n. 1709.

Digitized by Google

In titulis quoque graecis asyndeton, si rem omnem spectas, raro tantum invenitur. Inter singula quidem verba sat frequens illud esse in rationibus et in titulis dedicatoriis dicit Meisterhans p. 250 [1]). Sed rarissime totae sententiae absque particulis conseruntur in titulis, qui a Graecis hominibus conscripti sunt. Sic in titulis Syllogae Dittenbergerianae exempla huius usus non inveni, nisi in senatus consultis Romanorum. [2])

Itaque nimium asyndeti figurae usum, quem in Monumento Ancyrano conspicimus, ex consuetudine linguae vulgaris huius aetatis fuisse cum Regardio non existimo. At negandum est, hunc particularum defectum similius vero facere, interpretem Monumenti Romanum hominem fuisse, qui secundum Romanorum consuetudinem particulas omiserit. Namque potissima causa, cur particulae plerumque neglectae sint, haec videtur fuisse, quod interpres in hoc publico monumento latinum exemplar ad verbum exprimens ne has quidem voculas addidit. Dein non secus ac Romani etiam Asiani homines ex sermone patrio ad particulas omittendas inclinare potuerunt; ut in titulis, qui non a Graecis hominibus conscripti sunt, asyndeton nonnumquam conspicitur. Exemplo uti possum Monumento Adulitano, qui titulus argumento similis ac tempore aequalis est Monumento Ancyrano, Ditt. *O. G. I. S.* 199 (inter annos 1—60 p. Chr. n.) 4. 12. 13 [3]). Et nisi dedecus esset Rebus gestis divi Augusti, titulum conferrem Silconis, Nubadum regis, Ditt. *O. G. I. S.* 201 (saeculo sexto ad finem vergente), ubi rex ille res gestas nullis particulis interiectis recenset: 5. 7. 9. 10. 16. 19.

Dicendum iam de particulis in Monumento Ancyrano conspicuis.

De senatus consultis ac foederibus Romanorum, quae certo a Romanis in graecum sermonem conversa sunt, haec habet

---

1) Ex rationibus exemplum nominat C. I. A. II 652, A 17 (a. 398 a. Chr. n.) *κεφαλή, στεφάνη, ἐνωδίω, ὅρμος, ὑποδερίς*, ex titulis dedicatoriis C. I. A. IV 1, b, 373, 180 (saec. VI a. Chr. n.) *Αἰσχίνης, Χαρίας ἀνέθηκαν τἀθηναίᾳ ἀπαρχήν.*

2) E. g. Dittenberger, *Sylloge* 646 (in senatus consulto de Thisbensibus, a. 170 a. Chr. n.). Idem de senatus consultis statuit Viereck, *Sermo graecus* p. 69.

3) Aliis locis huius tituli sententiae particula *δέ* conseruntur: 22. 24. 29. 37.

Digitized by Google

Viereck, *Sermo graecus* p. 69: „*in iis subtilitas ulla elegantiae quod ad particularum usum attinet non potest inveniri. Nam praeter καί, τέ, quarum haec pro Romanorum „que", illa pro „et" posita est, deinde praeter δέ, οὐδέ, μηδέ, οὔτε, μήτε nullae inveniuntur; μέν, οὖν, μέντοι, γάρ, μήν aliae alienae sunt ab his decretis nec magis enuntiata vel singula vocabula per τε — καί coniunguntur*". Eodem modo res se non habet in Monumento Ancyrano.

Namque hic iunctae particulae *τε ... καί* saepe adhibentur [1]). Hae iunctae particulae in textibus quoque vulgaribus priorum post Christum saeculorum crebro conspiciuntur, cum iam simplex particula *τε* multo minus usurpabatur. [2])

Ubi Viereck nullum *μέν* invenit in senatus consultis ac foederibus Romanorum, in Monumento Ancyrano, ut in epistulis magistratuum Romanorum, quae elegantiore sermone graeco scriptae sunt [3]), saepius particulis *μέν ... δέ* sententiarum membra copulantur [4]). Nonnumquam autem in titulo nostro *δέ* particula exprimitur, sed *μέν* desideratur; quos locos infra exscriptos habes [5]). Duobus posterioribus ex his locis interpres propter verba latina, quae solum vocabulum *autem* habent, etiam solam particulam *δέ* addidisse videtur. Sed in prioribus exemplis 14, 22;

---

1) Ut in titulo Monumenti *πράξεις τε καὶ δωρεαί*, praeterea 3, 16; 7, 6; 10, 21; semper dicitur ut 7, 12 *ἥ τε σύνκλητος καὶ ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων*, sic 3, 3; 3, 14; 4, 9.

2) Cf. Jannaris, *Historical Greek Grammar* n. 1707, Schmid, *Der Atticismus* III p. 344.

3) E. g. in epistulis Augusti apud Viereck, *Sermo graecus* VI, IX.

4) E. g. 7, 7 *πρὸ μὲν ἐμοῦ ...*, *ἐπὶ δὲ ἐμοῦ ἡγεμόνος, cum priusquam nascerer ..., ter me principe*, praeterea 5, 12; 8, 22; 9, 23; 16, 23.

5) 14, 22 *καὶ προέβη ἐν Αἰθιοπίᾳ μέχρι πόλεως Ναβάτης, ἥτις ἐστὶν ἐγγυτάτω Μερόη, ἐν Ἀραβίᾳ δὲ μέχρι πόλεως Μαρίβας*, ubi *ἐν Αἰθιοπίᾳ μέν* exspectamus, lat.: *In Aethiopiam usque ad oppidum Nabata perventum est, cui proxime est Meroe. In Arabiam usque in fines Sabaeorum processit exercitus ad oppidum Mariba*; 16, 19 *καὶ Σαρματῶν οἱ ἐπιτάδε ὄντες τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ καὶ οἱ πέραν δὲ βασιλεῖς, et Sarmatarum qui sunt citra flumen Tanaim et ultra reges*, ubi et ceteris rebus verba latina male graece reddita sunt, et post *ἐπιτάδε* particulam *μέν* exspectamus; 18, 6 *ἀξιώματι πάντων διήνεγκα, ἐξουσίας δὲ οὐδέν τι πλεῖον ἔσχον τῶν συναρξάντων μοι, post id tempus praestiti omnibus dignitate, potestatis autem nihilo amplius habui quam qui fuerunt mihi quoque in magistratu conlegae*, melius *ἀξιώματι μέν*; 12, 7 *θεὰς ἐπόησα δι' ἐμοῦ τετράκις, διὰ δὲ τῶν ἄλλων ἀρχῶν ..., Ludos feci meo nomine quater, aliorum autem magistratuum vicem*, pro *δι' ἐμοῦ μέν*.

Digitized by Google

16, 19 res contrarias particula δέ distinguit non imitans latina verba; et certa hic exempla habemus huius usus, ex quo recentior lingua graeca, ubi μέν... δέ particulae locum habent, μέν particulam saepenumero omittit. Quod cum apud scriptores atticos invenitur, nonnihil iis causae erat, quod priorem particulam omitterent; tres huius usus causas nominant Kühner-Gerth II p. 273; sed nulla ex his causis interdum apud posteriores scriptores animadvertitur. Polybium crebro particulam μέν omittere auctor est Hutsch I p. LXV sqq., item ex Polybio exempla proferunt v. d. Kaelker [1]) et Stich [2]), ex Appiano complura exempla recenset Kratt. [3])

Deinde in Monumento Ancyrano aliquid offensionis habet immoderatus usus particulae τε. Namque non tantum ad tota enuntiata adiungenda, sed etiam ad singula vocabula copulanda saepius simplex particula τε usurpatur. [4])

Quae sententias adnectit sola particula τε, frequens est apud antiquissimos solutae orationis scriptores, Herodotum dico et Thucydidem, sed raro apud alios scriptores graecos reperitur (cf. Kühner-Gerth II p. 242). Quae autem singula vocabula iungit, non fere nisi a poëtis usurpatur (cf. Kühner-Gerth II p. 241). Herodoti et Thucydidis usum ab iis recentioris aetatis auctoribus repeti, qui Atticorum sermonem presse secuti sunt, admirationem non habet. [5])

Immoderatum autem huius particulae usum, quem in Monumento Ancyrano conspicimus, ad vulgarum sermonem graecum huius aetatis pertinuisse, sine ulla dubitatione negaverim. Sunt quidem posterioris aetatis scriptores, qui quamvis Atticorum artem dicendi non ita imitantur, aliquotiens hac particula utuntur,

---

1) *Quaestiones de elocutione Polybiana* = Leipziger Studien III p. 288.

2) *De Polybii dicendi genere* = Acta Seminarii Phil. Erlangensis II p. 207.

3) *De Appiani elocutione* p. 59.

4) Sententias adnectit particula τε: 1, 7 ῥάβδους τ' ἐμοὶ ἔδωκεν, [*et im*]*perium mihi dedit*, 1, 21 νεικήσας τε πάντων ἐφεισάμην, *victorque omnibus peperci*, praeterea 3, 9; 5, 18; 6, 13; 8, 1; 13, 10; 14, 19; 16, 3. 10; 17, 8. 24. Singula vocabula iungit: 10, 3 βουλευτήριον... ναόν τε Ἀπόλλωνος, *Curiam ... templumque Apollinis*, praeterea 11, 8. 10; 14, 14; 15, 18; 17, 6; 19, 7.

5) Ex Atticistis in primis Aelianus et Philostratus simplici hac particula saepe utuntur, cf. Schmid, *Der Atticismus* III p. 343 sq., IV p. 559 sq.

Digitized by Google

ut Polybius [1]), Diodorus [2]), Herodianus [3]). Sed ex Novi Testamenti scriptoribus soli Lucas et Paulus, qui cultiore sermone graeco utuntur, crebo simplicem τε particulam usurpant [4]). Item apud LXX interpretes non nisi libri *Sapientiae Salomonis* et *II Macchabaeorum*, qui non ex hebraeo sermone conversi sed nitidiore sermone graeco ab auctore conscripti sunt, frequenter hunc usum ostendunt. [5])

In titulis quoque Graecorum exempla rara sunt [6]), nec facio cum Schmidio, qui in libro *Der Atticismus* IV p. 563 asserit, simplicem particulam τε sermone in curiis et aula Diadochorum solito receptam fuisse [7]). Namque loci tam rari sunt, ut dicere vix possimus, hanc particulam publico sermoni huius aetatis in usu fuisse. [8])

Non nisi in titulis Romanorum frequenter simplicem particulam τε usurpatam videmus [9]). Quibus titulis Monumentum

---

1) cf. Kaelker, *De elocutione Polybiana* p. 286: „*Solet Polybius simplici particula τε coniungere enuntiata tum maxime, cum arctissime inter se cohaerent*". Cuius usus complura exempla affert.

2) cf. Schmid, *Der Atticismus* II p. 309. Sic in capite 97 libri I *Bibliothecae* quinquies simplex τε legitur. 3) cf. Schmid, *Der Atticismus* I p. 179.

4) cf. Blass § 443. In *Actibus Apostolorum*, in quibus 150ies particulam τε inesse dicit Zorell, bis frequentius reperitur quam in ceteris libris simul sumptis.

5) *Sapientia Salomonis* 1, 3; 7, 6. 21; 8, 19; 10, 2. 20; 12, 8; 15, 5. 6. 10; 16, 5, *Liber II Macchabaeorum* 3, 21; 10, 17; 12, 14. 16. 18. 22. 23. 43; 15, 20. 21. Contra nusquam simplex particula τε usurpatur in libro *I Macchabaeorum*, neque in libro *Daniel*.

6) In titulis atticis non nisi Romanorum tempore τε inveniri dicit Meisterhans p. 249, qui exemplum nominat C. I. A. II 470, 42 = Kirchner, *Inscr. Atticae* 1011, a. 106/5 a. Chr. n. ὅθεν διά τε τὰ εἰρημένα.

7) Schmid, *l. l.*: „*Der Kanzleistil der Diadochenzeit hat das satzverbindende τε aufgenommen*". Exempla hic et III p. 343 profert: Ditt. *O. G. I. S.* 266, 32. 42 (Pergami, c. a. 263 a. Chr. n.), Ditt. *Syll.* 741, 30. 32 (in epistula Mithridatis, c. a. 88 a. Chr. n.), Le Bas, *Voyage archéol.* III 394 (Mylasae in Caria), 398, 7 (Mylasae in Caria), 499, 9. 12 (Caryandae in Caria, saec. II vel I a. Chr. n.).

8) Locis a Schmidio allatis haec pauca exempla addere possum: Cagnat, *I. G. R.* III 222, 6 (Pergami, inter annos 159—138 a. Chr. n.), Ditt. *O. G. I. S.* 532, 13. 14. 18. 23 (in Galatia, a. 3 a. Chr. n.), Ditt. *O. G. I. S.* 767, 13 (Cyrenis, principatu Augusti), Ditt. *Syll.* 797, 14 (Assi, a. 37 p. Chr. n.), Ditt. *O. G. I. S.* 629, 104 (Palmyris, a. 136 p. Chr. n.), Cagnat, *I. G. R.* III 292 (Isaurae in Galatia, saec. II p. Chr. n.).

9) cf. verba Viereckii, quae supra laudavi p. 230. Exempla sunt in unaquaque pagina titulorum, quos Viereck exscripsit.

Digitized by Google

Ancyranum hac in re consentire dicendum est, sed hoc ne minimum quidem indicium Romanae originis interpretis haberi potest. Namque totam huius usus rationem hanc esse puto, quod cuivis interpreti, cui verba latina in graecum sermonem convertenda erant, graeca particula τε ipsa se offerebat ad latinam voculam *que* reddendam. Atque non solos Romanos, sed et viros ex Asia oriundos in titulis parum graece scriptis huic usui indulsisse, videre est ex titulo Antiochi, Commagenorum regis (Ditt. *O. G. I. S.* 383, Nemrud-Dagh, a. 69—31 a. Chr. n.), in quo non secus ac in Monumento Ancyrano simplex τε particula saepernumero invenitur. [1])

Itaque, quamquam, quod ad naturam et structuram sententiarum attinet, quaedam sunt in Monumento Ancyrano, quae non tantum ab Atticorum sermone longe remota sint, sed nec ad usum communis sermonis graeci pertinuisse videantur, tamen neque ex his rebus interpretem Monumenti Romanum hominem fuisse certo demonstrari existimo.

---

1) Tota enuntiata adnectit in versibus 14. 17. 59. 118. 127. 148. 158. 169. 218, singula vocabula coniungit 125. 130. 133. 178. 215.

Digitized by Google

DE „HISTORIAE" VOCABULO ATQUE NOTIONE

AD URSULUM PHILIPPUM BOISSEVAIN

SCRIPSIT

F. MULLER I. fil.

Decimum quartum iamiam lustrum condituro, venerande olim magister, hodie collega, semper amicissime, quid tibi offerrem haud diu quaesivi. Philologus enim inter historicos, inter philologos historicus cum per tot annos fuisses, mihi quidem linguarum historiam etiam in litteris obviam indaganti nullum officium tibi gratius, mihi aptius posse iniungi videbatur quam quo speculum quoddam tibi proponerem, in quo tam „historiae" historiam quam vitae tuae adumbratam cognoscere atque perspicere posses.

Semper enim atque ubique ipse a videndi primo atque praecipuo officio profectus sensim inde et caute in rerum cognitionem penetrasti. Multo hercle plura vidisti, legisti, cogitasti quam scripto sustinuisti mandare. Quisquis litteras manu tua curiose exaratas, per se quamque positas, semel tantum inspexerit, quasi imaginem tuam sibi oblatam agnoscet: en virum criticum parva numquam neglegentem, en hominem litteras et quicquid erit per litteras traditum magno amore amplexantem.

In his tamen minutiis gradum non stetisti. Litterae tuae lepidissime ductae infinitum agmen claudentes se moverunt, ut unum idque maximum aggrederentur opus, Cassium Dionem ita edendum ut omnibus numeris perfectus clare diuque testaretur religiosam tuam erga munus tuum pietatem. Quoniam „tribus, ut ait poeta, cartis doctis nec non laboriosis" omnem nobis Dionem explicasti, nos in ista religiosa pietate te

Digitized by Google

ipsum invenimus semperque reperiemus. Revera unius operis fuisti *φιλόλογος ἀνήρ*, unius tęnoris homo, qui multa spernens profana, plura tegens arcana „tuto silentio", vitam tuam muneris Adeodati nomine signaveris neque dilabi patiaris tristi carie.

Ergo mecum recognosce „historiae" historiam, dum a pristino „videndi" sensu profecta ad „cognoscendi" notitiam procedet disputatio, dumque plura historiae munera vitae magis minusve accommodata describet, vitae denique *τέλος καὶ τελέτην* aut non suspiciet aut certa voce pronuntiare vitabit.

Duae res his studiis lucem afferent, quarum neutra carere altera poterit, ita ut tantummodo coniunctae ad finem destinatum nos perducant: quaerendum, quid vocabulo „*ἱστορία* ~ historia" factum sit per saeculorum seriem, deinde quam vocabuli formam notio „Geschiedenis" induerit.

Longum est, ut utramque te sodale ingrediar viam. Hodie nobis sufficiat vocabuli „*ἱστορίας* ~ historiae" breviter explicationem depinxisse.

I.

Quid fuerit *ἱστορία*, quaerimus. Iam statim iterandum est, quod alibi pluribus demonstravimus: nulla vox usquam vel unquam per se stat, per se valet; semper una cum pluribus se explicat vocabulis eandem fere notionem reddentibus, a quibus se defendat, in quae ultro ingruat, aeterno omnis implicata „duello".

De his autem vocibus *σοφία*, *γνώμη*, *σύνεσις*, *ἱστορία*, *μάθημα*, *ἐπιστήμη* nuperrime feliciter disputavit Bruno Snell [1]) neque hodie nos, quae protulit, impune spernamus. Nobis autem potius materia ab eo collecta quam quae inde conclusit, magno erit usui.

Utrumque enim vocabulum *ἱστορέω* et *ἱστορία* ab *ϝίστωρ* esse derivatum, non est quod amplius moneam. De hac autem voce *ϝίστωρ* nondum convenit inter viros doctos. Fuit ne is, qui rem,

1) Die Ausdrücke für den Begriff des Wissens in der vorplatonischen Philosophie, Berlin 1924 (= Philol. Unters. herausgeg. v. Kiessling und v. Wilamowitz-Moellendorf, 29).

Digitized by Google

de qua agitur, vidit (~ [ϝ]ἴδεῖν), an potius is, qui rem penitus perspectam habet eamque novit (~ [ϝ]οἶδα, εἰδέναι)? Hanc quaestionem non iam posuerunt, nedum solverint qui de vocabula ἵστωρ egerunt W. Aly [1]), E. Fränkel [2]), Bruno Snell [3]). Namque eius suffixi -τωρ exempla graeca nullo modo eodem tendent dum omnes aut aoristi aut perfecti formam atque usum demonstrant. Ut συλ-λήπτωρ perfecti causam defendere videtur, ita γενέτωρ et alia eiusdemmodi vocabula aoristi tutantur. Radicis vero ἀλ(ε)κ- derivatis adhibitis nihilo magis proficimus: namque ἀλκ-τήρ iuxta ἀλέκτωρ, quibus adiunguntur ἀλεξη-τήρ ~ ἀλεξή-τωρ [4]) rem denuo integram relinquunt.

Iam igitur forma omissa usum vocis consulamus.

Duobus locis in vetustissimo Graecitatis monumento occurrit:

Ψ 486 ἵστορα δ' Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα θείομεν ἄμφω,
ὁππότεραι πρόσθ' ἵπποι, ἵνα γνώῃς ἀποτίνων

ita Aiaci obloquitur Idomeneus; ubi scholia haec tantum annotant ἵστορα: μάρτυρα, συνθηκοφύλακα. Manifeste hoc loco apparet Agamemnonem ideo adhiberi, ut videat uter palmam adipiscatur et quasi testis munere fungatur.

Alter locus est Σ 499 sqq.:

ὁ μὲν εὔχετο πάντ' ἀποδοῦναι
δήμῳ πιφαύσκων, ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲν ἑλέσθαι·
ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἵστορι πεῖραρ ἑλέσθαι.

Quae verba manifesto arbitrum vel iudicem unum respiciunt. Scholia haec habent: μάρτυρι ἢ κριτῇ τὸ τέλος τῆς δίκης οἱ δικασταὶ ἐτίθεντο.

Aliter res se habet in hymni Homerici XXXII v. 2 ubi Musae vocantur ἵστορες ὠδῆς, quod nihil aliud valet nisi: carminum peritae. Accedit locus Hesiodeus, Op. 792

εἰκάδι δ' ἐν μεγάλῃ, πλέῳ ἤματι, ἵστορα φῶτα
γείνασθαι· μάλα γάρ τε γόον πεπυκασμένος ἐστίν.

Virum ibi nimirum significat poeta omni doctrina refertum.

Supremos testes audiamus Bacchylidem et Sophoclem.

Prior ubi agit de Amazonibus ita loquitur (VIII, 44): ἐγχέων ἵστορες κοῦρκι διωξίπποι' Ἄρηος,

1) De Aeschyli copia verborum 26 sqq.
2) Geschichte der griech. Nomina agentis I 218, II 10.
3) l.l. 59. 4) Fränkel ib. II, 11.

Digitized by Google

Sophocles (El. 850) haec verba dat Electrae revera doloris sui ipsum pondus expertae, cum chorus se tantum modo vidisse respondeat:

ΗΛ. κἀγὼ τοῦδ' ἵστωρ, ὑπερίστωρ,
πανδύρτῳ πανθρήνῳ πολλῶν
δεινῶν στυγνῶν τ' αἰῶνι.
ΧΟ. εἴδομεν ἃ θροεῖς.

Quibus locis attente perlectis magis iam ut plane et penitus sciendi, non videndi tantum vocabuli ἵστωρ primam fuisse notionem credamus adducimur.

Idem optime quadrat in Herculis imaginem, qualem habemus Φ 26: μεγάλων ἐπίστορα ἔργων
(quo loco scelera fuisse ista μέγαλα ἔργα ex locis Homericis γ 261, λ 474, μ 373, τ 92 apparet). Vehementer errat B. Snell, qui hoc quoque loco significationem „videndi" fuisse ponit. Namque si poeta ipse X 61, Herodotus VI, 52, Xenophon An. III, 1, 13 ἐπιδεῖν sensu „videndi, beleven" adhibent, hoc solum arguunt loci laudati, quam arte aetate homerica οἶδα, „experientia doctus scio" et εἶδον „vidi" inter se cohaereant. Namque verbo ἔποιδα nusquam occurrente, ἐπ(ι)ίστωρ luculenter demonstrat olim tale verbum in lingua Graeca extitisse. [1])

Etiam alterum audiendi sensum eidem mutationi expositum fuisse probaverimus. Hesychius sic loquitur, eadem usus praepositione: ἐπήκοοι· κριταί. καὶ οἱ δικάζοντες, et ἐπάκοοι· οἱ μάρτυρες. καὶ οἱ ἐπισκοποῦντες τὰς δικαστικὰς ψήφους.

Cui non statim in mentem veniunt verba prae clarissima, Solis maiestatem describentia (Γ 277)

Ἥλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις?

Noli igitur mirari, si participium εἰδότες apud oratores Atticos notionem induit „testium" [2]). Testes enim in Graecia et in Italia olim Iovis vicem obtinentes, omnium testium iudicumque optimi maximi, quasi ex Deorum patre, ex Sole ipso originem

---

1) Schol. V rectissime annotat: μεγαλουργὸν, ἐπί μεγάλοις ἔργοις ἱστορούμενον, ἐπιστήμονα; nam quid valeant illa μεγάλα ἔργα statim ex versu sequente apparet: ὅς μιν ξεῖνον ἐόντα κατέκτανε σῷ ἐνὶ οἴκῳ, σχέτλιος οὐδὲ θεῶν ὄπιν ᾐδέσατ' οὐδὲ τράπεζαν.

2) Dem. 55, 9. 11 sqq. 35, Isocr. 17, 44.

Digitized by Google

ducunt. Audiamus Homerum plus semel in iurisiurandi exordio vel fine ita loquentem:

H 411 ὅρκια δὲ Ζεὺς ἴστω, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης, et
K 328 καὶ οἱ ὄμοσσεν·
ἴστω νῦν Ζεὺς αὐτός, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης.

Quae infra scripta sunt, fusius demonstrabunt id quod nunc quamquam spissa adhuc caligine obvolutum paulisper nobis adumbratum apparet: historiae sensum atque rationem ex testium munere ortam esse, ea solum quae vidissent quaeque audivissent tamquam certo cognita accipientium atque in iudicio Iovis vicem pronuntiantium.

Mutantibus autem temporibus dum a pristinae religionis vinculis paulatim solvebantur homines dumque non amplius tamquam in conspectu deorum se vitam agere profitebantur et homines, non dei tantum testes adhibebantur, eo res procedebant, ut hinc homines, illinc dei testium loco adessent iudicio. Dei inde soli esse testes, arbitri, iudices desierunt; una cum hominibus coeperunt eo munere fungi.

Ut saepe, ita hoc quoque loco comparatum est, ut res multis saeculis superiores sero tantum in eis, quae nobis quidem innotuerunt, litteris nomine signarentur. Vocabulum enim συν-ίστωρ apud Thucydidem demum invenitur, cuius loci exemplum hic attulimus (II, 74, 3). Archidamus, Lacedaemoniorum rex sanctissimo iure iurando se suosque obstringens ita ait: „Θεοὶ ὅσοι γῆν τὴν Πλαταιίδα ἔχετε καὶ ἥρωες ξυνίστορες ἔστε (imp.), ὅτι οὔτε τὴν ἀρχὴν ἀδίκως, ἐκλιπόντων δὲ τῶνδε πρότερον τὸ ξυνώμοτον ἐπὶ γῆν τήνδε ἤλθομεν ..., οὔτε νῦν, ἢν τι ποιῶμεν, ἀδικήσομεν· .... ξυγγνώμονες δὲ ἔστε τῆς μὲν ἀδικίας κολάζεσθαι τοῖς ὑπάρχουσι προτέροις, τῆς δὲ τιμωρίας τυγχάνειν τοῖς ἐπιφέρουσι νομίμως" „Vidistis et scitis optimo iure nos hanc petere terram ....; nunc eadem vobis stet, oramus, γνώμη, sententia ⟨quae hominibus, i.e. Spartanis (et Plataeensibus?)⟩, ut qui priores fecerint iniuriam, iniuria afficiantur, qui ad ulciscendum sunt profecti, se ulciscantur". Ita ἐς ἐπιμαρτυρίαν καὶ θεῶν καὶ ἡρώων τῶν ἐγχωρίων Ἀρχίδαμος βασιλεὺς κατέστη. Verba sunt ipsa manifesta adeo, ut nemo, opinor, praepositione ξυν-(ίστωρ, γνώμων) consensum quaedam deorum inter se his verbis significari

Digitized by Google

contendat. Reapse ipsi adesse dei credebantur priscis temporibus; quinto saeculo aliter iam se res habebat. Quod nisi fuisset, Thucydides numquam scripsisset (c. 75 in.) τοσαῦτα ἐπιθείασας [1]) verum τούτους vel τοσούτους.

Nominis autem ἵστωρ „testis" in lingua Attica saeculo quinto exoleverat, ita ut in pristinis tantum formulis conservaretur. In Lycurgi Leocratea veteris iuramenti verba concepta a Turnebo ex Polluce VIII, 105 sqq. sunt inserta, quorum ultima ephebus pronuntiat haecce: ἵστορες θεοὶ [τούτων] Ἄγλαυρος, Ἐνυάλιος Ἄρης, Ζεύς, Θαλλώ, Αὐξώ, Ἡγεμόνη.

Huius nominis agentis ἵστωρ propagines fuerunt tres: ἱστορ-έω, ἱστορ-ία, ἱστόρ-ιον. Quaerenti, quid primitus significaverit verbum ἱστορεῖν, respondemus adhibito exemplo eiusdem structurae morphologicae. Sit φίλος [2]) „amans, amicus", φιλέω ergo erit „amans sive amicus sum", φιλ-ία „*amant-ia, amīc-itia". Itidem fuit ἵστωρ „sciens", ἱστορ-έω „sciens sum (sive scio)", ἱστορ-ία „scient-ia", et ἱστόρ-ιον erit „viri rem scientis munus, i.e. testimonium".

Totam huius familiae originem et domicilium dialecto ionica et fortasse etiam aeolica [3]) contineri rectissime monuit E. Fränkel [4]). Asia Minor et coloniae graecae trans mare sitae, quae totiens iam in explicandis litteris atque in aperiendis ingenii dotibus ipsam Graeciam praecurrerunt, etiam hoc investigationis historicae primordio principatum Helladis obtinuerunt. In Hippocrate atque in Herodoto permulta eorum vocabulorum exstant documenta, in quibus notissimum est Herodoteum illud in exordio

---

1) Nomen ἐπίορκος haud scio an hac via suam explicationem inveniat: qui ἐπὶ τὸν ὅρκον vocatus iuri iurando adfuit? An potius fuit is qui ἐπὶ τῷ ὅρκῳ εἰλημμένος (coll. ἐπ' αὐτοφώρῳ εἰλῆφθαι Ar. Pl. 455) „in ⟨prave⟩ exsequendo iuramenti officio deprensus" poenas adversario debebat? Perperam de hac voce Schoemann Gr. Alterthümer II, 258.

2) Rogare hodie omitto, utrum temporibus praehistoricis φί-λο-ς vicem participii in *-lo-* exeuntis (cf. Brugmann, Grundriss² II 360 sqq., 373) impleverit, an potius φιλ-ο-ς sit dividendum; illud verba, qualia sunt lat. *sileo*, got. *ana-silan* „desinere, obmutescere" probant, hoc formae graecae φίλτρον et φῖλαι, imp. Aoristi ἐ-φίλαμην apud Homerum.

3) Bechtel, Gr. Dialekte I 306 nomen boeoticum ϝιστωρ ex vetustiore eiusdem linguae fundamento Aeolico originem duxisse perhibet.

4) Gr. Nom. agentis I 218 sqq.

Digitized by Google

libri obvium: *ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε*. Ex Iade etiam in tragoedias manavit.

At ne graveris, quod *τοῦ ἱστορεῖν* vis fuit transitiva, cum in re posita esse videatur iuxta *ἵστωρ τινος* constructio etiam *ἱστορέω *τινος*, breviter moneo etiam in verbo *φιλεῖν*, denominativo a *φίλος* profecto, eandem rectionem inveniri. Qua via hoc ita factum sit dum mecum reputo, suspicor in eius modi nominibus agentis solito diutius rectionem verbalem quae dicitur [1]) perseverasse; forte huius ipsius nominis exemplum luculentum exstat apud Aeschylum Ag. 1090 ubi legimus:

(*στέγην*) *πολλὰ συνίστορα*
αὐτόφονα κακὰ καρατόμα κτλ. [2])

Nunc iam historiae patrem, Herodotum audiamus. Nam de eius inquirendi ratione qui postremus scripsit, F. Jacoby [3]), haud semper recte de ea re statuisse mihi quidem videtur.

Prius nobiscum cogitatione informemus, quae Herodoto sint oblatae condiciones ad veram certamque rerum cognitionem penetrandi. Arte ac fideliter inibi vis et sensus vocis *ἵστωρ* est tenendus.

Numquam enim, nisi omnia me fallunt, exempli gratia is qui in templo vas quoddam aureum, ad hunc usque diem ibi permanens, se vidisse testatur, ideo *ἵστωρ* appellatur. Verum, ut denuo exemplo utamur, qui, tribus hominibus iter facientibus, caedem esse factan praesens vidit, dum A rixa orta B occidit, ipse tertius astans, i.e. testis „Drittsteher", is demum eius rei *ἵστωρ* est. Hoc ponamus *ἱστορία* et *ἱστορεῖν* facta solum („gebeurtenissen"), numquam res („concrete dingen") respicere voluisse. Quodsi caede facta iste testis non idem rei iudex esse poterit — id quod tantum saeculi admodum rudis et prisci

1) Haud raro enim fit, ut etiam substantiva verbalia eundem „regant" casum quem verbum. Exempla sunt talia: *hoc nescius ne esses* Bücheler CLE. 53; v. ibid. 84, 8; 90, 5 (aliter Ov. Fa. 4, 909: *ritūs ne nescius essem*), *inscius* (c. acc.) CLE. 492, 16 (?), *ignara* ib. 548, 5, iam in H. de Bacch. 23 legimus: *sententiam utei scientes esetis*. De re ipsa etiam v. Geyer Arch. f. lat. Lexicogr. 9, 577, Heraeus ib. 15, 560 sqq., Löfstedt Glotta 4, 259 et Eranos 8, 112, E. Frankel Gesch. d. gr. Nom. agentis I 70, 72.

2) Alia exempla sunt apud Aeschylum: *χοὰς πρόπομπός* Ch. 23, *μύρα πεμπαστάν* Pers. 984, *ἄπορα πόριμος* Prom. 935, apud Sophoclem *σε φύξιμος* Ant. 787.

3) Pauly-Wissowa Suppl. II, 395.

Digitized by Google

temporis rationi forsitan respondeat! —, is cui rem cernendi iniungitur munus, sive magistratus erit sive iudex, operam dabit, ut τὸν ἵστορα aut ἵστορά τινα inveniat, qui recentem et praesentem rei notitiam ipsi tradat. Quo facto iudex, hucusque nomen homicidae ignorans, ἵστωρ evadit: secundus ille ἵστωρ et... ultimus. Nam qui rei narrationem iterum sive consulto sive casu ex iudice cognoverit, is λόγους modo, non rei expositionem primariam accipiet [1]).

Ea demum sit definitio tam τῆς ἱστορίας quam τοῦ ἱστορεῖν: requirendo ex eo, qui factum facinusve aliquod ipse vidit et propterea penitus cognovit, ad certam fidamque eius rei notitiam pervenire.

Arto igitur vocabuli sensu, quiequid avorum memoria aut priscis temporibus est factum, ἱστορίας nomine dignum non erit et λόγοις adnumerandum esse videtur.

Ecce, nunc demum intellegimus cur Herodotus in prooemio scripserit verba illa praeclara: Ἡροδότου Ἁλικαρνησσέος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε, ὡς μήτε τὰ γενόμενα (gebeurtenissen!) ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα (daden; v. supra p. 237 de istis μεγάλοις ἔργοις) τε καὶ θαυμαστά.... ἀκλεᾶ γένηται. Investigandi labore absoluto dum per illud prooemium cunctae rerum gestarum notitiae, maximam atque iusto maiorem fidei dignitatem addere conatur, misere est lapsus. Posthac enim quasi per bivium scinditur via: hinc quae revera fuerunt λόγοι, praeclaro historiae nomine ornati, ipsum historiae genus praecipua gloriae parte orbarunt, ita ut fide historica sibi dempta „historia" ad genus narrationum et rerum fictarum, ad ἀδύνατα καὶ ἄπιστα sensim sit delapsum [2]);

1) Unus tantum restat scrupulus. Habemus exemplum vocis ἱστόριον „testimonium", deest exemplum ἱστορεῖν sensu „testandi" sive „rei notitiam alteri tradendi", id quod allata serie μάρτυς „testis", μαρτυρέω „testor", μαρτυρία „testimonium" parvam suspicionem movet.

2) Huc pertinet, quod posteriore aetate miraculorum scriptores, ut fidem sibi faciant, aut falsam dignationem ostentation prae se ferunt auctores et testes laudare neglegentes, aut contra modum excedunt dum iusto saepius testes auctoresque producunt. Priorem rationem sequitur Seneca in Apocolocyntosi (I, 1), ubi rogat: *„quis umquam ab historico iuratores exegit?"* et pergit: *„tamen si necesse fuerit auctorem producere, quaerito ab eo qui Drusillam eundem in caelum vidit"*; posteriorem apud Romanos inter alios Iuvenalis scribens (XV, 27): *nos miranda quidem, sed nuper consule Iunco gesta... referemus*, Plinius (Ep. 9, 33):

Digitized by Google

illinc vis atque usus historiae haud parum imminuta sunt, siquidem, omisso rerum vinculo „causali" saepe abscondito et propter ingenii humani infirmitatem semper difficili, rerum descriptione contenta historia magis magisque idem voluit, quod lingua batava nomine „feitenkennis" designat. Vel eo usque descendit, ut tamquam ethicae ancilla „exemplorum" copiam nesciocui sophistae afferre glorietur. [1])

Quibus praemissis Herodotus, opinor, optime respondit. Loci praecipui sunt hi: II 29 μέχρι μὲν Ἐλεφαντίνης πόλιος αὐτόπτης ἐλθών, τὰ δ'ἀπὸ τούτου ἀκοῇ ἤδη ἱστορέων (non „wetende", sed „informeerende", cf. I 20: Δελφῶν οἶδα ἐγὼ ἀκούσας).

II 99 μέχρι μὲν τούτου ὄψις τε ἐμὴ (autopsie) καὶ γνώμη (meening op grond van voorhanden data) καὶ ἱστορίη (aanvulling door niet voorhanden doch gewenschte data) ταῦτα λέγουσα ἐστι, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦδε Αἰγυπτίους ἔρχομαι λόγους ἐρέων κατὰ τὰ ἤκουον (doorloopende verhalen, als geheel gegeven en aanvaard; e.g. narratio de Phoenice II 73).

II 18 μαρτυρεῖ δὲ μοι τῇ γνώμῃ (combinatie, opvatting)... καὶ τὸ Ἄμμωνος χρηστήριον γενόμενον τὸ ἐγὼ τῆς ἐμαυτοῦ γνώμης ὕστερον περὶ Αἴγυπτον ἐπύθομην; πυνθάνεσθαι non est: casu cognoscere, sed inquirere, non in factum, sed in rerum qualitatem ac descriptionem cf. II 75 πυνθανόμενος περὶ τῶν πτερωτῶν ὀφίων.

II 118 ubi Herodotus tertio denique loco se percontantem et audientem facit (v. supra p. 241) εἰρομένου δὲ μευ τοὺς ἱρέας, εἰ μάταιον λόγον λέγουσι οἱ Ἕλληνες τὰ περὶ Ἴλιον γενέσθαι ἢ οὔ, ἔφασαν πρὸς ταῦτα τάδε ἱστορίῃσι φάμενοι εἰδέναι παρ' αὐτοῦ Μενελέω.

Etiam in iis rebus, quibus fidem habere videtur narrationibus alienis aut rem integram aut parum probabilem (ἐμοὶ οὐ πιστὰ λέγοντες II 73) lectoribus permittit, semper ad historici primum officium redire conatur dum addit: προσέσται δέ τι αὐτοῖσι καὶ τῆς ἐμῆς ὄψιος.

---

incidi in materiam veram, sed simillimam fictae..., incidi autem dum super cenam varia miraculum referuntur. Magna auctori fides: temetsi quid poetae cum fide? Is tamen auctor, cui bene vel historiam scripturus credidisses, apud Graecos Lucianus. De hac re fusius egerunt Reitzenstein Hellenist. Wundererz. 28, O. Schissel v. Fleschenberg, Novellenkränze Lukians 99 ff., O. Weinreich Seneca's Apocolocyntosis, p. 21.

1) Cf. Quint. XII, 4, 1 sqq. et B. Appel Das Bildungsideal Quintilians (Diss. München 1914), 25.

Digitized by Google

Quid tandem movit Thucydidem ut annis fere XXX minor Herodoto prorsus alio vocabulo sua in historia studia notaret? Sprevit [1]) enim data opera nomen historiae suoque operi novam eamque exsanguem indidit appellationem: *σύγγραμμα* et *συγγράφειν*. Nam ipse quae iudicat de arte critica historici propria haud ita multum ab Herodoti sententia abhorrent (I, 20): *τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα ηὗρον, χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἐξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι* (cuivis argumento prout tibi erit oblatum confidere). *οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται.*

Duae fuerunt causae, cur ita faceret. Nam „historia" totaque scientiarum explicatio hucusque Ioniae fuerat propria: ionicum vocabulum tamquam scopulum, ut Ciceronis verbis utar, fugit Thucydides idque patriae linguae obtrudere vitavit.

Altera causa fuit haec. Herodotus permulta fecerat itinera; ut Ulixes, *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω*. Ioniae, coloniarum multarum matris, fuerat filius, ubi vita erat incitata et commota, homines vegeti et audaces, urbes orae maritimae acclines [2]), ubi locorum condicio non minus quam temporum ratio ea carebat continua coniunctione, quam vernacule reddimus vocabulis „achterland" et „verleden, traditie". Huic opponas Thucydidem: alumnum terrae vetustae, moribus antiquis addictae, omnibus vetustatis exemplis repletae, per longam saeculorum seriem iam variorum dominationum quasi proscenii; peregre raro fuerat excepta una Thracia, quae terra a cultura subtiliore humana absque vetustatis monumentis longe fuerat remota. Ita factum est ut Herodoti studium se dilataret, Thucydidis, quasi parvae atque antiquissimae patriae dediti, in profundum se mergens, certum atque undique corroboratum peteret laboris proventum.

Non solum in historiae explicatione nominis *ἵστωρ* vestigia deprehendimus sed etiam in philosophiae progressibus.

---

1) Vide von Essen, Ind. Thucydideum, Steup in Thucydidis ed. I^5, p. XXXIV, Bruno Snell l.l. p. 65.

2) De hac re conferas disputationem subtilem v. cl. W. Otto, Kulturgeschichte des Altertums 1925, p. 72 sqq.

Digitized by Google

Laudamus Heraclitum: χρὴ γὰρ, inquit (fr. 35 Diels) εὖ μάλα πολλῶν ἵστορας φιλοσόφους ἄνδρας εἶναι καθ' Ἡράκλειτον (Clem. Alex. Strom. V 141). Wilamowitzius [1]) verba sola εὖ μάλα πολλῶν ἵστορας Heraclito tribuit: iniuria, ut mihi quidem videtur. Id enim si dicere voluisset Clemens Alexandrinus, scripsisset, opinor: χρὴ .... ἵστορας, ὥς φησιν Ἡράκλειτος, φιλοσόφους ἄνδρας εἶναι. Vocabulum φιλόσοφος in dialecto Ionica saepius occurrit (Hdt. I 30, Hippocr. I 620 al.), ut Diels ad Heracliti locum animadvertit. At qui πολυμαθίην impugnavit Heraclitus his verbis notissimis: πολυμαθίη νόον ἔχειν οὐ διδάσκει, nonne eum ita de utilitate ἱστορ-ίης locutum esse parum est probabile? Ita enim arguit Wilamowitzius (Platon I 107 ann.): „der ganze Spruch gehört nicht eben dem Philosophen, der die Polymathie verwarf".

Iterum nego. Cum ἵστωρ in partibus Graeciae orientalibus eum designat, qui ad ipsam in qualibet re veritatem quam potest proxime accedit rebus bene perpensis, auctoribus et auditis et aestimatis, tum μαθήσις idem valet quod latine „discere", hoc est cogitationes et argumenta aliena fideli tradere memoriae incognita causa. In Graecia autem ad occidentem versa, quae Magna dicitur Graecia, longe aliter res comparata fuit: ibi propter scholae Pythogoreae miram felicitatem μάθησις et μαθήματα grande dignitatis acquisivit incrementum; summum ibi honorem adesta sunt, quae usque in hunc diem „mathematicae" nomini permansit. Quod argute demonstravit Bruno Snell l. l. p. 72 sqq..

Ipsa autem Graecia, inter utramque Orientis et occidentis partem posita, vocabulum ἱστορίας repudiavit: neque sophistae, neque Plato ut proprio usi sunt. Unus locus sufficiat: Pl. Phaed. 96 *a* τῆς σοφίας, ἣν δὴ καλοῦσι περὶ φυσέως ἱστορίαν. Alibi (Phaedr. 244 *c*, Cratyl. 437 *b*) ex ipso ioco etymologico, quam fuerit ei vocabulum peregrinum ad tales lusus aptum, apparet.

Quandoquidem in Attica demum propter Socratis et Platonis eximia in hac re merita philosophia novam induit vim, a naturae

1) Philol. Unters. I, 215, Platon I, 107 cum ann.

Digitized by Google

cognitione abalienata, immo totam se in vitae humanae rationem ingurgitans, idcirco factum est ut non ἱστορίας nomen ionicum, sensu „geschiedenis" hodie quoque superstes, etiam notione „wetenschap > philosophie" ad nostra usque tempora permaneret. „Diese Philosophie macht dann Platon zu dem, was wir Wissenschaft nennen, so dass das alte ionische Wort Historie verdrängt und auf die engere Bedeutung beschränkt wird, die es behalten hat." [1])

Post Platonem ipsa quae vocatur Attica aetate absoluta cum Alexandro atque Aristotele novum incipit saeculum quod Hellenismi nomine notum est. Eius lingua „communis", ἡ Κοινὴ διάλεκτος, ionicae linguae elementa plurima in se recepit: ergo apud Aristotelem denuo ἱστορία (non ἱστορίη) occurrit sensu ionico „wetenschap op goed gecontroleerde gegevens berustend". Aristoteles (de part. anim. 3, 14, p. 674 *b*, 16) et Theophrastus, ut omnibus notum est, rursus ἱστορίαν περὶ τὰ ζῷα agnoscunt. Unde fluxit Plinii Naturalis historia, quae et ipsa posteriori aetati portentosum vocabulum obtrusit: „Natuurlijke historie, Naturgeschichte".

Non minus quam in philosophia etiam in tragoedia inusitatum fuit ἱστορίας nomen [2]). Hic quoque dialecto ionicae, hucusque in litteris facile principatum obtinenti, tragoediarum poetae illud vocabulum acceptum referunt: aliquoties apud Aeschylum, minus saepe iam apud Sophoclem, raro apud Euripidem occurrit. Aeschylus etiam sensu antiquissimo „novisse et scire quod quis vidit ipse" adhibet: Eum. 455 Ἀργεῖος εἰμι, πάτερα δ' ἱστορεῖς καλῶς (vertendum: probe scis, optime novisti patrem meum; non: iure in patrem meum inquiris). Eodem tendunt verba obvoluta et ambigua Soph. O. R. 1484: ὃς ὑμιν, ὦ τέκν' οὐθ' ὁρῶν οὐθ' ἱστ(-)ορῶν πατὴρ ἐφάνθην, ἔνθεν αὐτὸς ἠρόθην [3]). Nimirum οὐθ' ὁρῶν οὐθ' ἱστορῶν sc. ὅτι πατὴρ φανείην ἄν interpretandem est.

1) Sunt verba Wilamowitzi Platon I, 107.

2) W. Aly, de Aeschyli copia verborum. Cf. E. Fränkel, Geseh. d. gr. Nom. ag. I, 218 sqq., Bruno Snell l.l. 61 sqq.

3) Latetne hoc loco perplexa illa significationum coniunctio, quae alibi quoque emergit: ἵστωρ „getuige", ἱστορέω? („bekennen"), lat. testis „getuige" ~ testes, testiculi „scrotum", germ. Zeuge „getuige", zeugen, neerl. getogen, ab eadem radice

Digitized by Google

Ultimum restat Euripidis fragmentum 910, quod qui diligentius perlexerit, protinus ipsam Ionicae doctrinae agnoscet indolem qualem apud prae-Socraticos deprehendas *περὶ Φύσεως* divinantes. Ita ruunt anapaesti:

ὄλβιος ὅστις τῆς ἱστορίας (qui veritatem indagari didicit)
ἔσχε μάθησιν μήτε πολιτῶν
ἐπὶ πημοσύνην μητ' εἰς ἀδίκους
πράξεις ὁρμῶν, ἀλλ' ἀθανάτου
καθορῶν [= *ἵστωρ*] *Φύσεως κόσμον ἀγήρων,*
ᾗ τε συνέστη χὤπηι χὤπως.
τοῖς δὲ το(ι)ούτοις οὐδέποτ' αἰσχρῶν
ἔργων μελέδημα προσίζει.

Triplicem igitur *ἱστορίας* invenimus usus varietatem:

a. Praecipue rerum gestarum inquisitio et expositio, Geschiedenis". [1])

b. In istud historiae corpus iam ab Herodoto, a Ctesia, aliis insertae narrationes fabulosae.

c. In naturae rerum varietate quae inveniuntur oculis submissae fidelibus, rerum descriptio accurata.

Prima ultimaque significatio etiam in litteras latinas quasi furtim irrepserunt [2]). Quae vero medium obtinet locum et apud Graecos et apud Romanos longo usu floruit atque medio aevo admodum fuit vulgaris. Qoc bene monstrant scholia innumera, quorum unum tantum affero. Inde apparet, ut *ἱστορία* idem valuerit quod historia fabularis, ita *ἱστορέω* in posteriore graecitate sensum narrandi aut referendi eiusmodi historias accepisse. Scholia enim ad Hom. M 292 haec habet: A *ἡ ἱστορία παρ' Ἡσιόδῳ καὶ Βακχυλίδῃ*, B *ἱστορεῖ Ἡσίοδος*. [3])

---

ortum qua lat. dūco, gr. *γιγνώσκω* „bekennen", N. T. Luc. 1, 34, lat. feminam cognoscere neerl. bekennen. Cf. F. Muller, Altit. Wtb. p. 495.

1) Qui usus, praecipue numero plurali, usque in posterioris latinitatis actatem se vindicavit. E. g. apud Poetam Saxonem qui dicitur (± anno 890 p.C.), res gestas Caroli Magni describentem haec verba leguntur (V, 653)

Ob hoc, mirificos Karoli qui legeris actus,
Desine mirari historias veterum.

Et Otto Freisingensis a° 1156, Friderici Barbarossae „res gestas" descripturus, in fine prooemii loquitur de „propositae historiae exordio".

2) De fatis vocabuli „historia", qualia fuerunt apud Romanos, alio loco agemus.

3) De ea re v. Robert Herm. 52, 311.

Digitized by Google

Priores duae, quas litteris notavimus *a* et *b*, immensum fere nobis pandunt curriculum. At optime, hercle, evenit, ut in hoc stadio habeamus qui ante nos idem spatium sit emensus. De historiae enim conscribendae arte qualis feurit aetate hellenistica, fusius egit P. Scheller (diss. Lips. anni 1911). Ibi copiose egit: I. De definitionibus ac partitionibus historiae, II. De historiae conscribendae ac variandae arte, III. De fine atque usu historiae.

Accedunt Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen p. 84—94 et 152 sq., O. Schissel von Fleschenberg, Die Einteilung der ἱστορίκ bei Asklepiades Myrleanos, Herm. 48, 623.

II.

Ex materia uberrima tres aetates, tres historiographiae rationes lustrare mihi est propositum.

§ 1. tripartitio Asclepiadis Myrleani.

§ 2. praecepta ad monographiam pertinentia.

§ 3. quomodo exinde historiae dignitas studiumque veri investigandi imminuta sint.

Atqui, si paulisper summatim quid nobis rei caput esse videatur, exponere velimus, ita rem, nisi omnia me fallunt, mihi esse complectendam duco.

Ut ad eandem pervenirent studii circumscriptionem quam nos habemus in voce „geschiedenis ~ geschieden = res gesta vel res facta", Graecos vidimus a nomine agentis ϝίστωρ „(oog)kenner" esse profectos. „Historia" igitur valuit priscis temporibus „kennerschap". Duo autem habemus in omni historiae genere: narratorem vel subiectum, narrationem vel obiectum. Graecis olim adeo graviter subiectum, i.e. personam videntem et inquirentem, in medio collocantibus factum est, ut contra materia historiae dudum isto colore personali vel subiectivo careret. Itaque per longissimum temporis spatium personae historicae insignis momenti numquam obiecti vice fungentes in historiae enarratione suum et iustum honorem consecuti sunt neque dignum sibi vindicarunt locum, ex quo omnem rerum gestarum expositionem, velut ex quadam arce media dominantes, constringerent.

Digitized by Google

Ergo in historiographia graeca duo fuerunt: A singularis momenti fuit ἵστωρ, i.e. subiectum omnibus animi viribus ad quam potuit maximam contendens veritatem penetrare, B. minoris fuit momenti res descripta, i.e. obiectum sive expositionis materia.

Hinc oriuntur sua sponte duae divisiones vel partitiones: una (I „subiectiva") secundum gradum veritatis, altera (II „obiectiva") secundum temporum rationem in ipso obiecto expressam.

II. Posteriorem prius adumbremus [1]).

Polybius (IX prooem. 1, § 3) dicit omnes vel plerosque rerum scriptores πᾶσι τοῖς τῆς ἱστορίας μέρεσι usos esse, quo melius sibi legentium conciliarent favorem: totam igitur eos historiam evolvise ab origine usque ad tempora historica; se tantum posteriorem, i. e. historicam aetatem sibi describendam proposuisse.

Distinguit inde:		et ib. c. 1, § 1—4
a. ὁ γενεαλογικὸς τρόπος	=	τὰ περὶ τὰς γενεαλογίας καὶ μύθους.
b. ὁ περὶ τὰς ἀποικίας καὶ κτίσεις καὶ συγγενείας	=	τὰ περὶ τὰς ἀποικίας, ἔτι δὲ συγγενείας καὶ κτίσεις.
c. ὁ περὶ τὰς πράξεις τῶν ἐθνῶν καὶ πόλεων καὶ δυναστῶν	=	ὁ πραγματικὸς τρόπος.

a. = aetas heroica

b. = aetas quam Burckhardt „das agonale Zeitalter" vocat, qua coloniae novaeque conditae sunt urbes.

c. = aetas historica sive politica.

Postea aetas *a* etiam tamquam aetas personarum, περὶ (τὰ) πρόσωπα θεῶν καὶ ἡρώων καὶ ἀνδρῶν ἐπιφανῶν designabitur, aetas *b* tamquam περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους, aetas tamen *c* permanebit ὁ πραγματικός, (Cicero: *gestarum rerum* v. infra). Apparet statim — id quod nobis mirum esse videtur — notionem personarum („individuen") primitus et quidem propter γενεαλογίας tantum (quales Ἡοῖαι fuerunt) suo iure in sola aetate praehistorica inveniri, in aetate vero historica personarum ne tenuissimum quidem deprehendi vestigium.

1) Cf. Sext. Emp. adv. gramm. 657, 2 B., Cic. de Or. II § 53, Scheller ll. p. 18, O. Schissel v. Fleschenberg Herm. 48, 624.

Digitized by Google

I. Sequitur prior partitio secundum gradum veritatis, quam cunctis minutiis omissis exilem et inornatam distinguere conabor.

Tria hic discernuntur narrationis elementa:

A. quod factum esse apparet sive constat,

B. quod factum esse non constat,

C. quod non factum esse constat.

B. et C. varias admittant rationes:

B. Aliquid enim factum esse non constat, sive (1) quod res est cogitatione ficta, non revera facta, sive (2) quod testes locupletes desunt; nihilo minus id „tamquam factum, *ὡς γεγονός*" repraesentare possumus. Priore casu habemus merum figmentum, *πλάσμα* („fantasie"), quod quanto magis **veri-simile** erit, tanto magis delectabit lectorem; posteriore, utrum rem veram tetigerimus an post appareat nos erravisse et pro vero falsum rettulisse, in incerto interim est.

C. Aliquid non factum esse constat, sive (1) quod veri prorsus dissimile est et, ut Quintilianus ait (II, 4, 2) „a forma veritatis remotum" (onwaarschijnlijk, onmogelijk), sive (2) quod testibus locupletibus constat non esse factum.

Priore casu habemus *ἄπιστα* et *ἀδύνατα* figmenti genus iam propius mendacio, quod quo magis — non dico ut supra in B „verisimile erit" sed — verum repraesentatur, eo magis delectabit lectorem; posteriori si speciem veritatis commodaremus plane falsam, nullam omnino lector inde caperet voluptatem. Vocabulum graecum *ψεῦδος*, latinum *mentiri* tam B et C respicit.

Nunciam hanc intellegimus divisionem:

A	B	C
ἀληθής διήγημα ἱστορικόν.	(*ψεῦδος*) *ὡς ἀληθής διήγημα πλασματικόν.*	*ψεῦδος διήγημα μυθικόν.*
Ad Herenn. I § 13:	Ib.:	Ib.:
historia *(est gesta res, sed ab aetatis nostrae memoria remota).*	*argumentum (est ficta res quae tamen fieri potuit, velut argumenta comoediarum).*	*fabula (est, quae neque veras neque verisimiles continet res, ut eae sunt quae tragoediis traditae sunt).*

Digitized by Google

Cic. de inv. I § 27:	Ib.:	Ib.:
historia (est gesta res, ab aetatis nostra memoria remota).	*argumentum (est ficta res, quae tamen fieri potuit)* [sequitur Terenti versus].	*fabula (est, in qua nec verae nec veri similes res continentur)* [sequitur versus tragicus].
Quint. II, 4, 2:	Ib.:	Ib.:
historia (in qua est gestae rei expositio).	*argumentum (quod falsum, sed vero simile comoediae fingunt).*	*fabula (quae versatur in tragoediis atque carminibus non a veritate modo sed etiam a forma veritatis remota).*

Tribus rebus Quintilianus ab auctoribus prioribus differt: hunc exhibet ordinem C B A; pressius vocabula graeca sequitur, ita ut *formae veritatis* respondeat *τρόπος* (?) *τῆς ἀληθείας*, *falso τὸ ψεῦδος* vel *τὸ ψευδές*, *fingunt πλάττουσι*; in historiae descriptione omittit suprema verba „ab aetatis nostrae memoriā remotā". [1])

Sunt haec omnia „narrationum" genera (vel species, ut Quintilianus ait) = *τρόποι διηγήσεως.*

Eandem, quae in vocibus *ἀληθής* ~ *ψευδής* inest, habemus divisionem in progymnasmaticis generibus narrationum, quae definiuntur: *ἐκθέσεις πραγμάτος γεγονότος* = Cic. de inv. I § 27: *narratio est gestarum rerum aut ut gestarum rerum ex-positio* = Quint. IV, 2, 31: *narratio est rei factae aut ut factae utilis ad persuadendum ex-positio* (< *ἔκ-θεσις*, ut apud Ciceronem).

Adhuc nulla nisi veritatis mensura narrationi apposita est, id, quod cum morphologia vocis *ἱστορ-ία* artissime coniunctum esse demonstravimus.

Hae autem narrationes tantum pars quaedam omnium, sed pars praecipua et maxima fuerunt. Namque l.l. et Auctor ad Herenn. et Cicero bifariam diviserunt genera: *unum quod in negotiis*

1) Ultima differentia maximi esse momenti videtur, quippe quae Sallustii et Taciti „Historias", scriptoris aequalium res gestas exponentes, et explanet et ab Ciceronis ratione ac via (quam supra tetigimus) plane separet.

Digitized by Google

(ἐν πράγμασιν), *alterum quod in personis positum est.* Quae supra tractavimus, „in negotiis" tantum ea versantar. Noli mirari, si epos, tragoedia, comoedia, historia, quasi πράγματα, non πρόσωπα respiciant, ab antiquis hominibus sunt habita et exculta. Rectissime enim monet Reitzenstein [1]) Graecorum (atque Romanorum) sententia tragoediam fuisse ψευδὴ ἱστορίαν περὶ πράξεις, quippe qui ψευδὴ ἱστορίαν περὶ πρόσωπον ne cogitatione quidem informaverint. Nonne optime haec quadrant cum tragoediae antiquae more universo, quae potius „heilige Handlung" quam unius hominis vitae partem spectatoribus producat in scenam? Disquire Sophoclis Antigonam: num Antigona primas tenet partes? An potius Kreon? Immo particulam quandam historiae Labdacidarum inducere sibi proposuit poeta, dum in γενεαλογίᾳ ista antiqua materiam sibi petivit.

§ 1.

In hoc rerum statu bene de litteris promeruit Asclepiades Myrleanus. Qui sibi id agendum putavit, ut duas illas partitiones: per tres actates unam, alteram per tres veritatis gradus, intermisceret, hoc sibi persuadens et in aetate recentiore minus vera minusve probabilia reperiri posse et in aetate praehistorica posse indagari, quae ab omni parte essent certa.

Sunt haec eius verba (apud Sextum Empir. Πρὸς γραμματικούς p. 655, 25 B.): τριχῇ ὑποδιαιρεῖται τὸ ἱστορικόν· τῆς γὰρ ἱστορίας τὴν μέν τινα ἀληθῆ εἶναι.., τὴν δὲ ψευδῆ, τὴν δὲ ὡς ἀληθῆ (v. supra), καὶ ἀληθῆ μὲν τὴν πρακτικήν, ψευδῆ δὲ τὴν περὶ μύθους, ὡς ἀληθῆ δὲ τὴν περὶ πλάσματα, οἷα ἐστὶν ἡ κωμῳδία καὶ οἱ μῖμοι. τῆς δὲ ἀληθοῦς τρία πάλιν μέρη·

ἡ μὲν γὰρ ἐστι περὶ τὰ πρόσωπα θεῶν καὶ ἡρώων καὶ ἀνδρῶν ἐπιφανῶν

ἡ δὲ περὶ τοὺς τόπους καὶ χρόνους,

ἡ δὲ περὶ τὰς πράξεις.

τῆς δὲ ψευδοῦς τοῦτ'ἐστι τῆς μυθικῆς ἓν εἶδος μόνον ὑπάρχειν λέγει τὸ γενεαλογικόν.

De illo igitur ὡς ἀληθής genere amplius sermo non est. Hoc imprimis est manifestum historiam πρακτικήν genus indi-

1) Hellenist. Wundererz. p. 94, cum ann.

Digitized by Google

care, cuius species sit historia *περὶ τὰς πράξεις* (historische feiten). Etiam de priscis temporibus fidem historicam ad certum veritatis scopum pervenire posse asseverat Asclepiades, scilicet ubi personarum, sive deorum, sive heroum, sive virorum illustrium vitam describat; actatem igitur illam pervetustam in duas dividi partes, quarum alteram, quae ad conclusionem ab omni parte certam scriptorem pervenire non sinit, tribui poetae, alteram, quae oculorum aciem ad eundem finem penetrare patitur, dari historico: *τὰς μυθικὰς διηγήσεις τάς τε ὑπὸ τῶν ποιητῶν καὶ τὰς ὑπὸ τῶν ἱστορικῶν λεγομένας κτλ.* (Theon ap. Spengel p. 95, 4). Itaque secundo saeculo a. C. propter communem utrorumque materiam poetae et historici artissimo iam confinio sibi dirant coniuncti. Nonne haec est vox, cuius debilem imaginem agnoscimus in sententia Quintiliani (X, 1, 31)[1]) *historia proxima poetis et quodammodo carmen solutum.* Verum maximum huius rationis momentum mihi quidem videtur, quod hic primum iura p e r s o n a r u m agnoscuntur, licet tantum in antiquissimis temporibus sedem suam habeant, in aetatem historicam, quae *περὶ πράξεις* versatur, nondum admittantur.

Ista Asclepiadis ratio per se stetit neque multum apud posteros valuit. Attamen tractatio p e r s o n a r u m in historia conscribenda magis magisque increbruit paulatim scriptorumque gratiam sibi conciliavit. Inde factum est, ut apud Auctorem ad Herennium et apud Ciceronem, haud ita multo post Asclepiadem Myrleanum florentes, „p e r s o n a", iam in alterum narrationum genus, *ὡς ἀληθής* sive *διήγημα πλασματικόν*, i. e. in comoedam viam celeriter munierit. Illa autem narratio, Cicero ait, „*quae versatur in p e r s o n i s*, eius modi est, *ut in ea s i m u l cum r e b u s ipsis* (sic) *personarum sermones et animi perspici possint* (sequuntur versus Ter. Ad. 60 sqq.). „. . . simul cum rebus ipsis"! ita nondum plane sui iuris erat persona in litteris, narrationibus, historiis, ut quasi insitiva poma ex alieno surculo haurirent sucum vitamque.

1) Merito hanc doctrinam Peripatcticis vindicare studet B. Appel (v. supra p. 242) p. 26. De ratione, quae intercedit inter Asclepiadem et Quintilianum, nuper egit K. Barwick Remmius Palaemon p. 252, cf. 214.

Digitized by Google

§ 2.

Sed longius etiam progrediendum erat historiae, ut *personae* tandem — non dico in aetatis mythicae caligine neque in comoediae ficto argumento sed in clara luce recentiorum temporum ius suum partesque suas adiudicaret integras. Quod factum esse videtur vivo Cicerone. Novae huius artis historiae conscribendae rudera in Ciceronis epistulis eruimus, ut rectissime animadvertit Reitzenstein [1]). Ciceronis verba si attente excutimus, apparet in hac arte primum p e r s o n a m tamquam nucleum, hucusque spretum, rerum gestarum agnosci, quae circum se facta, dicta, homines concinnet ita ut ab eo et per eum inter se coniuncta quasi usum efficiant corpus. Epistulam dico, gravissima vituperatione et cavillatione vexatam ad Lucceium datam (ad Fam. V, 12), qua Cicero amicum movere conatur, ut de suo consulatu nobilissimo deque annis insequentibus libellum scribat singularem, quam monographiam vocamus. Pauca inde seligo verba: (§ 2) *si uno in a r g u m e n t o unaque in p e r s o n a mens tua tota v e r s a b i t u r* [sunt haec verba, quae supra p. 250 iam saepius rettulimus], *cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint...* (§ 4); *a principio... coniurationis usque ad reditum nostrum videtur mihi modicum quoddam c o r p u s confici posse...; multam etiam casus nostri varietatem tibi in scribendo suppeditabunt plenam cuiusdam v o l u p t a t i s, quae vementer animos hominum in legendo, te scriptore, tenere possit: nihil est enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates fortunaeque vicissitudines.* [Loquitur deinceps de *misericordia ac miseratione* legentium, de *admiratione, exspectatione, laetitia, molestia, spe, timore*; dein hoc modo pergit:] *sivbero exitu notabili concluduntur, expletur animus iucundissima lectionis voluptate.* (§ 6) *quo mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut a continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi f a b u l a m rerum eventorumque nostrorum (habet enim varios actus mutationesque et consiliorum et temporum)*".

Nemo hucusque animadvertit, quam mire haec verba concinant

1) Hellenist. Wundererz. 84 sqq.

Digitized by Google

cum ipsius Ciceronis sententia de comoediae argumento pronuntiata (de inv. I § 19 ~ Auct. ad Her. I § 13). Quisquis attente utrumque locum comparaverit, mecum faciat necesse est ita statuente: inter annum 84 a. C., quo Cicero libros de Inventione scripsit et anni 56 mensem Iunium, quo nostram epistolam dedit ad Lucceium, novam istam historiographiam personas monographiis depingentem esse exortam, et celeriter adolevisse. Scripserat enim anno 84 verba, quibuscum conferenda sunt quae dixi p. 253, *hoc in genere narrationis multa debet inesse festivitas, confecta ex rerum varietate, animorum dissimilitudine, gravitate, levitate, spe, metu, suspicione, desiderio, dissimulatione, errore, misericordia, fortunae commutatione, insperato incommodo, subita laetitia, iucundo exitu rerum!*

Tantae molis erat, vix me retineo quin exclamem, in historia antiqua personae vim atque facultatem ab omni impedimento exsolvere atque in plenam libertatem vindicare.

Quae ex superiore disputatione lucrati sumus, magnum nobis etiam in latinis litteris intellegendis atque aestimandis opem praebebunt.

Namque ideo non solum Sallustii viam ac rationem melius cognoscimus [1]): qui a duabus libellis profectus, Catilinam dico et Iugurtham, et ipsis iustum „*corpus*" efficientibus, post „*perpetuam rerum gestarum historiam*" aggressus est. Etiam ad Tacitum, haec demum vestigium si sequemur, sine ambagibus perveniemus. Is enim itidem artem suam scribendis monographiis excoluit dum Dialogum composuit, Agricolam, Germaniam; quo facto ubi ad maius ingenii experimentum se accinxit, etiam in Annalibus atque in Historiis novo atque inaudito more res ac facta circum principes et ἄνδρας ἐπιφανεῖς collocavit, non in res gestas eos abscondidit et quasi disseminavit; ipse singulorum librorum ordo ac ratio luculenter declarat, quanti in conscribendo duxerit personarum, praesertim. Principis vim atque potentiam. [2])

1) Hoc etiam Reitzenstein, Hellenist. Wundererz. 87 sq. animadvertit.

2) F. A. Marx Herm. 60 (1925) 74 Untersuchungen zur Komposition von Tacitus' Annalen.

Digitized by Google

Sallustium fuisse qui in litteris romanis primus „Historias" a descriptione atque expositione rerum „ab aetatis nostrae memoria remotarum", ut Cicero ultimus n. f. rem definit, in recentia, quae quis viderit (ἱστωρ) ipse, transtulisse, vix est quod moneam. Qua in re Tacitus eius exemplum presse sequitur, „historias" dum opponit libris „ab excessu divi Augusti". Nimis inde audax esse videtur coniectura Sallustium tam in rebus politicis quam in litteris [1]) Ciceronis impugnatorem vehementem necnon intrepidum etiam hac in re a Ciceronis sodaliumque doctrina sponte et ultro escivisse, id quod non solum Tacitum commoverit sed etiam Quintilianum quem in definitione historiae verba illa notissima „ab aetatis nostrae memoria remota" haud fortuito omisisse, immo consulto, appareat?

Hac in re igitur maxime adauctam deprehendimus, immo plane innovatam historiam antiquam.

§ 3.

Alibi inde orta est ubertas quaedam carum litterarum, quod batave vocamus „novellen" et „romans", tanta et tam prolixa, ut denuo nomen historiae dignationis multum ideo amiserit.

Manifesta eius rei vestigia invenimus apud Lucianum, Petronium, Apuleium [2]). Historia dum magis semper ab alta sede descendit, *fabula* (verhaal, historie, geschiedenis) est facta. Utraque, historia et fabula, hodierni tunc sunt temporis, non amplius „ab aetatis nostrae memoria remota" (v. supra p. 250, 254); narratur fabula, scribitur et ornatur historia; ambae vero prorsus eandem tractant materiem. „*Visetur*, ita Apuleius (Met. VI, 29) *et in fabulis audietur, doctorumque stilis rudis perpetuabitur historia* cf. VIII, 1. Vehementius etiam quam in historiographia factum erat, affectantur, quae utpote nova et inaudita stimulant et commovent; sed sunt revera eadem, quae apud Ciceronem (supra p. 253) deprehendimus.

Ut antea poetae (= tragici) et historici simul nominabantur,

---

1) Nuper de hac re denuo A. W. de Groot, Die Antike Prosarythmus I, 78.

2) B. Dombart, Arch. f. lat. Lexikogr. III, 230 sqq., R. Reitzenstein Das Märchen von Amor und Psyche bei Apuleius p. 66 sqq., O. Schissel von Fleschenberg Novellenkränze Lukians 87 sqq.

Digitized by Google

quippe qui inter se affines essent, ita nunc tragoedia et historia sive fabula inter se opposita atque adversaria sunt. Duo loci ad hoc demonstrandum sufficient: Petron. 77, 6: *nec se* (sc. Eumolpum) *tragoedias veteres curare aut nomina saeculis nota, sed rem sua memoria factam, quam expositurum se esse, si vellemus audire*; Apul. Met. X, 2: *iam ergo, lector optime, scito te tragoediam, non fabulam legere et a socco ad coturnum ascendere.* Quam brevi hic sunt omnia mutata. — Documentum nobis sit vocabulum *fabula*. Priscis temporibus *fābŭla* (: *fārī*; aliter μῦθος: μυθέομαι) fuerat id quod graece δρᾶμα, sive tragoedia, sive comoedia; Ciceronis aetate fuit tragoedia (supra p. 450); primo saeculo p. C. iam fit narratio (lasciva), ipsi historiae cedens et dignitate et stilo.

Hae dura aetate imperatoria, dum praeceps ruit vita antiqua in litteris tamquam in speculo nobis tradita, solae ex tam multis reliquae, inter se opponuntur: tragoedia paucis lectoribus scripta, non amplius acta, fabula sive historia (sive, per gestus traditus, mimus) multitudini accommodata et gratissima. Quae fuerit utriusque indoles atque natura, ita descripsit O. Schissel von Fleschenberg [1]):

tragoedia	fabula (historia)
1 ὡρισμένον	ἀόριστον
2 παλαιόν (vetus)	τὸ καθ' ἡμᾶς αὐτούς (res mea memoria facta)
3 ψευδές (μύθοις ὅμοιον)	ἀληθές (= „reeel", vel „quasi realistisch")
4 πάθος: καλόν	ἦθος: ἡδύ.

Ex plurimis pauca tantum decerpsi, venerande Boissevain, plura in posterum reservaturus. Summa admiratione dignum fuerat illud historiae graecae initium: homo ipse, suis oculis quod viderat, distantum fidem habens, cetera spernens, ἵστωρ. Quid oe factum sit, quaesivimus. Ecquid Graeci promisso steterunt? Negare ausim. Dum illam vocem ἵστωρ „ziener", „kenner" tamquam bullam vitae defensorem adolescenti Clius alumno commiserunt eumque prosecuti sunt in vitam exeuntem hoc carmine:

1 Novellenkränze Lukians p. 94.

Digitized by Google

νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστειν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν Φρενῶν, etiam huius aevi hominibus clare indicant, quam fuerint ad austerum imprimis geometriae, philosophiae laborem summis ingeni dotibus prae ceteris populis felices. Optimo enim iure vir princeps inter aequales nostros ita loquitur [1]):

„Die Griechen haben eine wirkliche Geschichtswissenschaft nicht erzeugt; ihr Denken war darauf gerichtet, aus der Beobachtung Regeln zu abstrahieren und diesen den absolut verbindlichen Wert von Naturgesetzen zu geben".

Inde factum est ut semper fere τὴν ἀλήθειαν, in rebus gestis adeo ποικίλην variamque secundum personas, locos, tempora, unicum verumque agnoscere historiae finem supersederent, immo iustum historiae scopum atque gloriam in eo ponerent ut prodesset, ad metam ὠφελείας vel χρησίμου tendentes, cui delectandi muneri sodalem adiungerent τὸ τερπνόν sive ἡδύ, extremum nostrae disputationis vocabulum. Etiam Polybius hac labe non omnino caruit, scribens (IX 2, 6) διόπερ ἡμεῖς ὡχ οὕτως τῆς τέρψεως στοχαζόμενοι τῶν ἀναγνωσομένων ὡς τῆς ὠφελείας τῶν προσεχόντων, τἄλλα παρέντες ἐπὶ τοῦτο τὸ μέρος (sc. τὸν πραγματικὸν τρόπον) παρηνέχθημεν. Is demum, qui ultimus de hac re scripsit tunc, cum de historia graeca actum iam esset, Lucianus praeclare vaticinatus est (De Conscr. hist. 9), solus recte opinatus: ὅσοι δὲ οἴονται καλῶς διαιρεῖν ἐς δύο τὴν ἱστορίαν, ἐς τὸ τερπνὸν καὶ χρήσιμον ..., ὁρᾷς ὅσον τἀληθοῦς ἡμαρτήκασι; ... ἓν γὰρ ἔργον ἱστορίας καὶ τέλος, τὸ χρήσιμον, ὅπερ ἐκ τοῦ ἀληθοῦς μόνου συνάγεται(!).... ἄχρι ἂν καὶ μόνον ἔχῃ τὸ ἴδιον ἐντελὲς, λέγω δὲ τὴν τῆς ἀληθείας δήλωσιν, ὀλίγον τοῦ κάλλους Φροντιεῖ.

Tibi autem, qui, nunc septuagenarius, semper et ubique veritati indagandae hucusque inservisti, quis non inter amicos tuos discipulosque orabit, ut praeter viridis senectae ἐντελὲς τέλος iuxta χρήσιμον etiam τερπνόν τι καὶ ἡδύ obveniat post tot vitae procellas strenue toleratas?

1) Griech. Literatur[3] 1912, p. 4, laudatum a Bruno Snell ll. p. 70.

Digitized by Google

DE GLYCERA MENANDRI AMORIBUS.

SCRIPSIT

M. A. SCHEPERS.

Recordanti mihi quid tibi, vir clarissime Boissevain, deberem, qui quondam nocti qua involutus tenebar lucem adspersisses viamque mihi ex erroribus monstrasses, grati animi testandi causa non indignum visum est disserere de Glycera illa, quae primas agit partes in notissimis earum epistularum, quas editurum me juvenem summo tuo ingenio summaque benevolentia adjuvisti.

Ex epistulis, quae Alciphronis nomine feruntur, procul dubio Amatoriae et elegantissimae et maximi sunt momenti. Majorem ibi scribendi artem nec non jucundiora argumenta invenies, quam in ceteris ejusdem rhetoris epistulis. Et in universum aestimanti Piscatoriae atque Rusticae maximam partem satis insulsae et parvi momenti, Parasiticarum nonnullae jam non spernendae, Amatoriae vero dignissimae videbuntur quae legantur. Paulatim igitur Alciphro Atticista Attice et venuste scribere didicit.

Alia vero extat causa, cur Amatoriae illae epistulae legentium animos delectent et identidem voluptate quadam afficiant. Cum ceterae enim scriptae esse fingantur ab hominibus fictis et ipsis, hae contra agunt de rebus atque personis non tantum aliunde jam notis verum etiam magnam partem praeclaris seculi ante eram nostram quarti; et tam feliciter ad vitam expressae sunt, ut scribentes coram adspicere vel audire nobis videamur.

Ecce Phryne, hetaera illa formosissima, quae Praxiteli sculp-

Digitized by Google

tori eidemque amatori suo gratias agit quam maximas: sculpta nempe ab illo jam adstat inter Venerem atque Amorem; ecce Bacchis Phrynae amica, quae omnium hetaerarum nomine gratum testatur animum in Hyperidem oratorem pro notissima illa Phrynae defensione contra Euthiae minas; eccc Lamia Demetrii Poliorcetae amores; ecce Leontium, quae ad Lamiam amicam litteras dat de Epicuro philosopho, sene jam debili, quem male odit; ecce (Ep. 18 et 19) Glycera quoque cum Menandro suo.

Menander, qui valetudinis causa in praedio suo ad Piraeum versatur, Athenas ad Glyceram scribit se quidem ab rege Ptolemaeo multis precibus invitatum esse ut in Aegyptum veniret cum Philemone amico, sed eo proficisci nolle sine amica sua carissima: Athenas multo se praeferre Aegypto.

Quibus litteris acceptis atque perlectis Glycera, amore superbia gaudio sui jam vix compos, respondet per lepidissimam illam epistulam qua Menandrum suum ejusque fabulas et amorem summis effert laudibus: 'quid Athenae sine Menandro, quid Menander sine Glycera?' Suadet ei ut de invitatione regia amicos suos Theophrastum atque Epicurum consulat, vel etiam Apollinem deum, — immo ipsa feminam quandam Phrygiam arcesset, quae nocte intempesta exta inspiciat. Autumat quidem fieri nullo modo posse ut Menander Glycerae oblitus proficiscatur, verum si forte in animo habet iter in Aegyptum suscipere, in nrbem festinet necesse est, ut ex fabulis suis eas eligat quas Ptolemaeo profuturas vel placituras putaverit, *εἴτε Θαΐδα εἴτε Μισούμενον εἴτε Θρασυλέοντα εἴτα Ἐπιτρέποντας εἴτε Ῥαπιζομένην εἴτε Σικυώνιον, εἶθ' ὁτιοῦν ἄλλο*. Sed ne oblitus sit fabulam illam secum ferre qua Glyceram ipsam depinxerit!

Glycera autem haec Menandrea, quam coloribus tam vividis ante oculos nobis posuit Alciphro, num revera extiterit, Körte vir clarissimus in dubium vocavit. In Herme enim (t. 54 p. 87—90) ex temporum atque rerum indiciis efficit, fieri vix potuisse, ut Glycera, hetaera illa nobilissima, concubina Harpali, Alexandri Magni procuratoris infidi, quae ab Harpalo Tarsum arcessita tota Syria honoribus vere regiis elata esset, post reditum suum Menandri amores fieret. Quod si jam verisimile non sit, minus etiam veri esse simile id quod Alciphro

Digitized by Google

finxerit: litteras enim eas, quibus rex Ptolemaeus poetam invitaverit ut in Aegyptum veniret, mitti non potuisse ante annum 305/4, quo anno Ptolemaeus rex appellatus sit; Glyceram autem tunc temporis fuisse feminam aetatis provectioris, quae nullo modo epistulam, qualis est Alc. IV 19, scribere potuerit.

Et recte quidem hucusque Körte: ex toto enim scribendi genere et colore, ex verbis ipsis, ex amicis luce clarius appareret Glyceram hanc Alciphroneam minime fuisse feminam natu grandiorem, immo adulescentulam potius. Meretricem, qualis Harpali concubina nobis depingitur, talia scripsisse ne cogitandum quidem.

Verumtamen de Menandri atque Glycerae amore non ab Alciphrone tantum agitur. Jam Aristodemo, *γελοίων ἀπομνημονευμάτων* auctori, notissimus fuit (Athen. 13, 585 c) nec non Martiali poetae (14, 187); Philostratus eam appellat *τὸ Μενάνδρου Γλυκέριον* (ep. 68) et Athenaeus declarat (13, 594 d) *ὅτι δὲ καὶ Μένανδροσ ὁ ποιητὴσ ἥρα Γλυκέρασ κοινόν.*

Qua temporum atque rerum inconcinnitate perspecta Kaibel in Indice editionis suae Athenaei (III 700) conjecerat duas extitisse hetaeras Glycerae nomine, quarum major natu Harpali concubina, minor Menandri amica fuisset. Cui assentitur Studniczka in N. Jahrb. 41 p. 29 ann., qui ibidem pag. 28 sq. in tractanda imagine illa officinae Menandreae (vid. Christ-Schmid Gr. Litt., imago 15) non sine specie contendit per figuram femininam ibi non, ut vulgo putent, Thaliam Musam exprimi, quae poëtam inspiratura officinam modo intraverit, verum Glyceram, quae poëtae adjutrix personas modo pictas et paratas inspiciendas ei tradiderit: ex habitu enim atque vestitu apparere artificem hic non deam quandam exprimere voluisse, ut in imagine simili Euripidea (Chr.-Schmid ibid., im. 14), sed mortalem; neque dubium esse quin imago Menandrea illustretur hisce verbis Alciphronis (IV 19, 5): *τί δὲ Μένανδροσ χωρὶσ Γλυκέρασ; ἥτισ αὐτῶι καὶ τὰ προσωπεῖα διασκευάζω κ.τ.λ.*

Quae explicatio si vera est, hac quoque ratione apparet primo jam seculo a. C. n. (quo tempore imago ea confecta esse videtur) Menandri atque Glycerae amorem omnibus hominibus

Digitized by Google

paulo eruditioribus notissimum fuisse. Körte vero et Kaibelio et Studiczkae oblocutus perhibet Glyceram illam minorem non magis extitisse quam Thaïdem eam, quae Martiali auctore Menandri adulescentis amores fuerit: extitisse quippe Glyceram Harpali concubinam nec non Thaïdem Alexandri atque Ptolemaei amores, sed Menandri amicas inde effictas esse a posterioribus. Quod ad imaginem illam officinae Menandreae profitetur se Studniczkae adstipulari nequire: collata nempe imagine Euripidea explicationem vulgatam se praeferre. Nihil igitur movetur observatione Studiczkae, qui data opera disseruit habitum atque vestitum hic deam illic hominem prodere.

Hanc autem quaestionem, utrum Glycera Menandri amica revera extiterit necne, alia ratione ad finem perduci posse mihi persuasi.

In responso suo Glycera, ut vidimus, i. a. haec scribit Menandro (§ 20): *πάντως δὲ δέομαι, Μένανδρε, κἀκεῖνο παρασκευάσασθαι τὸ δρᾶμα ἐν ᾧι ἐμὲ γέγραφας*. Ex quibus verbis collatis cum Priscian. XVII p. 1192 „Attici *ὀμοῦμαί σοι τοὺς θεούς*. Menander *Γλυκέραι·*

τί κλάεισ; ὀμνύω σοι τὸν Δια
τὸν Ὀλύμπιον καὶ τὴν Ἀθηνᾶν, φιλτάτη,
ὀμωμοκὼς καὶ πρότερον ἤδη πολλάκισ",

non sine specie quis conjiciat Menandrum Glycerae suae partes primas dedisse in fabula quadam quae et ipsa *Γλυκέρα* inscriberetur. At Meineke (Men. et Phil. rell. p. 38 sq.) vidit, in editione Prisciani Aldina non legi *Μένανδροσ Γλυκέραι· τί κλάεισ κ. τ. λ.*, sed *Μένανδροσ· Γλυκέρα, τί κλάεισ κ. τ. λ.* Praeterea animadvertit vir acutissimus Athenaeum 13, 567 c Menandri fabulas meretricum nominibus insignitas enumerantem de Glycera tacere. Cum autem ex verbis Alciphroneis *τὸ δρᾶμα ἐν ᾧι ἐμὲ γέγραφας* non necessario efficiatur eam fabulam Glycerae nomine inscriptam fuisse, Meineke *Γλυκέραν* fabulis Menandreis adnumerare non ausus est.

Quae si recte disputata sunt (et assentitur Körte l.l. p. 92 ann. 4), equidem collatis Glycerae verbis in extrema epistula Alc. IV 19 *καὶ μαντεύσαιτο ἡ Φρυγία τὰ συμφέροντα κρεῖσσον τῆς θεοφορουμένης σου κόρης*, crediderim fragmentum illud sumptum esse ex fabula Menandrea quae *Θεοφορουμένη* inscribitur (Meineke

Digitized by Google

l.l. pag. 78 sqq.). Sed sive Γλυκέρα sive θεοφορουμένη inscripta fuit, ex fragmento a Prisciano allato ad oculos demonstrari posse mihi videtur, in illa fabula non, ut Körte contendit, agi de ficta aliqua Glycera, verum de ipsius Menandri amoribus.

Ex Luciani Lexiphan. 22 sqq. atque Piscat. 6 novimus Atticistas rhetores operam dedisse, ut quam maxime ex scriptis suis appareret, quantopere in classicis qui dicuntur scriptoribus versati essent. Mirum igitur non est si in Alciphronis quoque opere dictiones atque vocabula hic ex Aristophane illic ex Homero Platone Demosthene Theocrito aliis sumpta deprehendere nobis videmur. Cum autem rhetor noster prae ceteris Menandreae aetati mentem atque animum intenderit, in lingua ejus plurima vestigia Novae quae dicitur Comoediae reperiri par est. At si quaerimus quibus igitur locis ille unum alterumve versum Menandreum procul dubio sive imitando expresserit sive prosa oratione reddiderit, unum tantum reperimus, initium nempe illius epistulae quae a Menandro ipso ad Glyceram scripta esse fingitur. Ibi enim ad fragmentum supra laudatum hoc modo alluditur (IV 18, 1): *ἐγὼ μὰ τὰς Ἐλευσινίας θεάς, μὰ τὰ μυστήρια αὐτῶν, ἃ σοι καὶ ἐναντίον ἐκείνων ἅμοτα πολλάκις, Γλυκέρα, μόνος μόνῃ κ. τ. λ.* Qua re perpensa haud dubium mihi videtur, quin Alciphro joci causa Menandrum eadem fere verba ad Glyceram scribentem induxerit quibus per dramatis personam poëta ad eandem Glyceram usus esset in fabula sua.

Digitized by Google

VARIA.

SCRIPSIT

H. SMILDA.

I

AD CIC. AD FAM. VIII 1, 4.

In epistula, qua Caelius primum stat promisso, quo pollicitus erat se Ciceronem de omnibus rebus, quae paulo digniores essent, certiorem facturum in fine haec leguntur: te a. d. VIII Kal. Iun. subrostrani — quod illorum capiti sit — dissiparant perisse. Urbe ac foro toto maximus rumor fuit te a Q. Pompeio in itinere occisum, ego qui scirem Q. Pompeium Baulis embaeneticam facere et usque eo, ut ego miserer eius, esurire, non sum commotus et hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi.

Quamquam sic plane in cod. M. scriptum legimus, in plerisque editionibus stellula ad verbum „embaeneticam" apponitur, et primus H. Sjögren in novissima editione nude nullo signo corrupti textus apposito sic scripsit (etiam Tyrrell et Purser in edit. secunda III n. 192° embaeneticam ediderunt quamquam titulo de quo statim acturus sum iam reperto).

Quid enim factum est? Ut saepissime ex titulis nova lux allata est. Anno enim 1897 vir doct. Sogliano edidit Not. d. Scavi 1897 p. 12 titulum Baiis a 1896 repertum = Dessau n° 6339: d. m. L. Caecilio Dioscuro curatori Augustalium Cumanor(um) perpetuo itemque Augustali dupl(icario) Puteolanor(um) et curatori perpet(uo) embaenitariorum III (trierum? Sogliano) Piscinensium vixit annis LXIII et m. VIII... e. q. s., quae editor statim ad verba nostrae epistulae rettulit sed non fusius explicavit. Paulo post v. d. H. B. Walters (Cl. Rev. 11

Digitized by Google

(1897) p. 367 hanc explicationem proposuit: the last three words (embaenitariorum trierum? Piscinensium) must relate to makers of fishingboats, which were used on the piscinae attached of large villas, such as were possessed by Nero (at Baiae) and Severus Alexander, quibus verbis Tyrr. et Purs. (l. l.) optime addunt: „the phrase would then be like: is in the fishingsmack business. But of course one cannot regard it as wholly satisfactory", et ad veterem coniecturam Gronovii ἐμετικήν redeunt. meo iudicio sine causa.

Ex titulo prolato apparet Baiis fuisse collegium vel corpus embaenitariorum sive hominum qui ut in nostra epistula legitur, embaeneticam (artem) exercent. Sed qui sunt embaenitarii vel quae est ars embaenetica?

Quominus recta explicatio daretur hoc impedisse videtur, quod verbum ἐμβαινεῖν (ἐμβαινέω) a quo solo vox ἐμβαινητικήν derivari potest, quod sciam, non extat et usus talium verborum nondum perspiciebatur. Posterioribus enim temporibus linguae Graecae usus factitivus verborum in εω desinentium latius patere coepit. Sic quattuor locis apud Menandrum (Epitrep. 488. Peripeikom. 126. Samia 324. fr. 861 legitur τὴν θύραν-τις ἐψόφηκεν et apud Theocritum II (Pharmak.) 36: τό χαλκέον ὡς τάχος ἄχει. His verbis iam ἐμβαινεῖν adnumerandum esse apparet sensu imponendi merces in navem, ut embaenitarius is sit, qui merces in naves imponat, nostra lingua inlader, stuwadoor.

Q. Pompeius igitur Rufus, quem scimus hoc tempore cum matre discordantem fuisse, eo inopiae redactus erat, ut Baulis artem embaeneticam exerceret.

Attamen etiam iocum subesse suspicor, nam Caelius mihi hoc significare voluisse videtur: quamquam ipse naves mercibus et sarcinis vectorum replet, tamen se ipsum tam parce cibis replere potest hoc quaestu ut saepe esuriat.

Itaque Caelius quem Pompeii revera miserebat, quod factis etiam testatus est, nam Val. Max. IV, 2. 7 narravit Caelium Q. Pompeio olim collegae et a se (de vi) accusato opitulatum esse, cum mater Pompeii Cornelia praedia fidei commissa reddere noluisset, temperare sibi non potuit, quin Ciceroni absenti res urbanas diligentissime perscribens de inopia Pompeii iocaretur nescio an modum excedens.

Digitized by Google

II

SENECA. APOCOLOCUNTOSIS C. 6:

Luguduni natus est, Marci municipem vides.

Ita in codd. legitur, sed editores locum corruptum putaverunt et coniectura emendare conati sunt, unus nisi fallor O. B. Caspari (Class. Rev. XV (1911) p. 11) sanum putavit et explicare conatus est, quem secuti sunt Münzer Jahresber. 192, p. 153 et nuper Otto Weinreich in editione luculentissima, in qua permulta egregie explicavit. Caspari autem putat cogitandum esse de M. Antonio triumviro sub quo Lugudunum a. 43 municipium factum esse contendit, et hunc eo magis nominatum esse quod Antonii ab Hercule orti esse dicerentur cf. Plut. Ant. 4.

Sed cum in titulo nobilissimo L. Munatii Planci C. I. L. X. 1. 6087 = Dessau n° 886 legantur: — in Gallia colonias deduxit Lugudunum et Rauricam, quae confirmantur a scriptoribus (Suet ed. Roth p. 289: cum Galliam regeret comatam Lugudunum condidit; Dio 46, 50, 3—5 (quamquam hic minus recte Lepidum quoque nominat): ἐκέλευσαν αὐτοῖς (sc. Λεπίδῳ καὶ Πλάγκῳ τῷ Λουκίῳ) τοὺς ἐκ Οὐιέννης τῆς Ναρβωνησίας ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρίγων ποτὲ ἐκπεσόντας καὶ ἐς τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Ἀραρίδος ἢ συμμίγνυνται ἀλλήλοις, ἱδρυθέντας συνοικίσαι, καὶ οὕτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες τὸ Λουγούδσυνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν δὲ Λούγδσυνον καλούμενον ἔκτισαν; Sen. Ep. 91, 14: a Planco deducta) patet semper L. Munatium Plancum conditorem Luguduni habitum esse. Rectissime igitur Otto Hirschfeld in editione inscriptionum Gallicarum C. I. L. XIII p. 248 opinionem eorum qui M. Antonium conditorem Luguduni fuisse putant, improbasse mihi videtur.

Si igitur Claudius municeps eius, qui Lugudunum condidit nominandus esset, nullum aliud nomen nostro loco legendum esset nisi L. Munati Planci, cuius tamen praenomen et cognomen a tradita lectione nimis differunt.

Nihil aliud igitur restat nisi ut aut locum corruptum putemus aut aliam explicationem vel coniecturam afferamus.

Digitized by Google

Büchelerus, qui in editione prima Gronovii coniecturam "Planci" probaverat, postea in tertia coniecit "Marci" corruptum esse e nomine Gallico, tum (Korrespondensbl. Westd. Z. f. Gesch. XV 214) censuit civem Romanum facete vocari ex colonia municipiove quasi non natum civem R. sed factum, quem leporem nimis obscurum esse autumo.

Ex hominibus, quos Hercules bene noverat et ita noverat, ut nudum praenomen vel cognomen auditum eum admoneret quis intellegendus esset, tantum de Antonio et de Planco cogitari potest, sed ut iam dixi, ille conditor Luguduni non fuit, huius nomen nimis a tradita lectione distat.

At necessariumne est de homine mortali tantum cogitare? Ut statim dicam quid sentiam, de Deo quodam agi puto. Urbs Lugudunum nomen suum accepit a deo Celtico Lugo qui inter primos deos a Gallis colebatur et nomen ipsum valet idem quod Latine dicitur collis Lugi.

Hunc deum multi viri docti putant similem fuisse dei Latini Mercurii. Ex multis, quos afferre possum, testibus, tantum producam virum doctissimum J. Loth, qui Rev. Archéol. (XXIV) 1914, p. 205—230 agens de deis quibusdam Celticis haec scripsit (p. 226): „Aussi je n' hésite pas aujourd'hui, en ce qui concerne Lug, à me ranger à l'opinion de M. d'Arbois de Jubainville: les Romains ont assimilé Lugus à leur Mercure en raison de certains attributs, qui les ont particulièrement frappés".

Quamquam concedo nullum nobis testimonium ipsius Senecae esse, quo intellegamus eum Lugum Mercurio adaequavisse, opinione virorum rerum Celticarum peritissimorum prolata fretus censeo nostro loco pro „Marci" legendum esse „Mercuri" Praesertim si ut in titulo C. I. L VIII S. 12002 = Dessau n. 3196 Mercrio sob[rio] in codice pro Mercuri scriptum esset „Mercri" facile „Merci" et pro hoc Marci scribi potuit. Si Lugus nomine Mercuri significari potuit, Hercules utpote deorum omnium terrarum bene peritus statim intellexisse putandus est quem dea Febris significaverit.

Digitized by Google

III

DE QUADAM RELIGIONE ORIENTALI.

Xenophon Anab. I. 4. 18 narrat cum Cyri exercitus Euphratem flumen transiret nullum militem supra pectus madefactum esse, quod nunquam antea factum fuisse. Tum ita pergit: *ἐδόκει δὴ θεῖον εἶναι καὶ σαφῶς ὑποχωρῆσαι τὸν ποταμὸν Κύρῳ ὡς βασιλεύσοντι.* Vulgo hoc ita explicant quasi Euphrates fl. regem futurum honore afficere voluerit, nisi fallor non ab omni parte recte. Subesse enim puto religionem quandam per totum Orientem diffusam singulas res terrestres convenire cum singulis rebus caelestibus, ita ut e. g. rex Babyloniae et rex Persarum isdem partibus fungatur in terra quibus deus summus in caelo (cf. Jeremias, Handb. d. Or. Geisteskultur p. 171 sqq.) et flumina terrestria originem ducere e fluminibus caelestibus et horum simulaera esse. (Jeremias l. l. p. 189, 193). Ut igitur Euphrates flumen simulacrum est fluminis caelestis, quod iussis summi dei paret, sic flumen iussis regis Persarum obtemperat. Eadem religio mihi perlucere videtur in notissima narratione, quam Herodotus tradit (VII. 35). Xerxem Hellespontum flagellari et compedibus demissis etiam vinciri iussisse. Recte enim rex putabat Hellespontum utpote simulacrum fluminis vel maris cuiusdam caelestis iussis obnoxii summi dei, cuius simulacrum in terra ipse esset suo imperio oboedire debuisse nec oboedientem recte a se puniri.

Etiam magis haec illustrari mihi videntur altera narratione eiusdem auctoris (VII. 54) qua Hellespontum a Xerxe honoratum esse et post libationem regem haec fecisse tradit: *εὐξάμενος δὲ ἐσέβαλε τὴν Φιάλην ἐς τὸν Ἑλλήσποντον καὶ χρύσεον κρητῆρα καὶ Περσικὸν ξίφος, τὸν ἀκινάκην καλεουσι. — οὐκ ἔχω ἀτρεκέως διακρῖναι — εἰ μετεμέλησε οἱ τὸν Ἑλλήσποντον μαστιγώσαντι καὶ ἀντὶ τούτων τὴν θάλασσαν ἐδωρέετο.*

Acinacem inter dona fuisse, quibus reges Persarum aulicos et amicos suos honorabant res notissima est cf. e. g. Xen. Anab. I. 2. 27. Mimine igitur rex paenitentia commotus illa dona demisit in mare sed *aulicum* suum pro merito affecit debito honore sicut male meritum antea puniri iusserat.

Digitized by Google

IV

FLAXTABULA.

Varronem amavisse saturas Menippeas ita inscribere, ut inscriptio potius aenigma quam significatio esse videretur, notum est. Ipse ideo saepius alteram inscriptionem Graece addidit, ut in satura quae Flaxtabula inscribitur additis Graecis verbis περὶ ἐπαρχιῶν agi de provinciis significavit.

Latinum nomen ita explicandum esse mihi videtur, ut compositum sit ex duobus vocabulis, quorum alterum est substantivum stabulum, alterum eiusdem stirpis est atque substantivum „flagrum" i. e. *flag.*, quae Varro iocose ita copulavit, ut pro duabus litteris g et s unam litteram x scripserit.

Significare noster voluit in ea satura agi de eis terris, ubi incolae vapulant, nostra lingua „klappenland".

Digitized by Google

DE NECE VINDICANDA IURE GORTYNIO.

SCRIPSIT

J. H. THIEL.

In codice iuris Gortynii anno 1884 ab Halbherrio Fabricioque reperto de nece vindicanda nil praefinitur; quae res Kohlerum et Ziebarthium viros doctos adduxit ut argumentum e silentio ducendo Gortynae id temporis [1]) homicidas poenae publicae nondum obnoxios, verum viri caesi propinquis privatam necis ultionem (vernacule *bloedwraak*) etiamtum permissam fuisse asseverarent [2]). Quibus cum assentiri nequeam, immo privatam caedis ultionem a iuris Gortynii indole, qualem ex titulo nostro cognitam habeamus, prorsus alienam esse mihi persuaserim, eorum sententiam refellere conabor. Iuris enim Graeci notitiam nostram magna ex parte Gortyniis legibus niti quis est qui nesciat? Itaque in quamvis parvas res, dum meliorem nobis iuris Gortynii notionem praebeant, minutius inquirere haud inutile puto. Sed antequam ad hoc ipsum exquirendum accedamus, vigueritne Gortynae saeculo quinto ultio privata necne, pauca de privata iuris vindicatione [3]) *universe* praemittere necesse.

Antiquissimis temporibus rem publicam ius non reddidisse petentibus, sed privatis hominibus ut propinquis iuvantibus

1) Saeculo quinto a. Chr. n. titulus ascribendus videtur, cf. *Recueil des Inscr. Jurid. Gr.* (1894) I, p. 437 seq., Kohler-Ziebarth, *Stadtrecht von Gortyn* (1912) p. VII.

2) *L. l.* p. 76: „*Das Strafrecht war noch grösztenteils Familien-Strafrecht und folgte den Regeln der Familiensühne nach innen und der Blutrache nach auszen*". Assentiri videtur Gertrude Smith, *Administration of Justice from Hesiod to Solon* (1924) p. 32[4].

3) Ita id Latine reddere velim, quod vernacule *eigenrichting* audit, apud Germanos *Selbsthilfe*, Brittannice *selfhelp*, a Gallis *justice privée* dicitur.

Digitized by Google

ius suum ipsi persequerentur plene permissum fuisse omnibus notum est. Crescente auctoritate ac potestate publica licentia privata paulatim resecatur coërceturque, magis magisque res publica iurisdictionem sibi vindicat; quanto populus et res publica adultior, tanto magis iuris privatim persequendi licentiam reprimi necesse: res publica hodierna rarissimo hominibus permittit ut ius suum privatim vindicent [1]); contra vim tantum illatam ut se defendant iis concedit [2]). Ut alibi, ita in Graecia antiqua iuris vindicatio privata, quae primo viguerat, auctoritati publicae paulatim cedere coacta est. Quam rem post multos alios dilucide descripsit disputavitque Gertrude Smith in libello, qui inscribitur *Administration of Justice from Hesiod to Solon* [3]) (1924). Necis autem privatam ultionem separatim tractavit H. J. Treston [4]) in libro egregio, qui inscribitur *Poine* (*a study in ancient greek blood-vengeance*, 1923). Usque ad octavum septimumve a. Chr. n. saeculum privata caedis ultio per totam Graeciam viguit, varias tamen formas exhibens. Iam aetate Homerica iuxta meram sanguinis ultionem, qua caedes caede expendebatur, altera mitigata ultionis privatae forma vigebat, qua sanguinis pretium (*weergeld*) a facinoris auctore eiusque propinquis hominis caesi consanguineis solvebatur [5]). Duae praesertim res fuerunt, quae caedis ultio privata ut reprimeretur substituereturque publica vindicatio effecerunt: 1° crescens rei publicae potestas, 2° religionis Apollineae auctoritas. 1° Caedes non iam iniuria existimabatur privato tantum homini illata, quae privatim esset ulciscenda, verum saluti publicae nocere

1) Cf. e. g. Dernburg, *Pandekten* I, p. 294 seq.: „*Die zwangsweise Durchführung des Rechtes geschieht auf älteren Kulturstufen vorzugsweise durch Selbsthülfe, die jedoch mehr und mehr unter staatliche Kontrolle gestellt wird. Erst der entwickelte Staat stellt seine Rechtshülfe an die Stelle der Selbsthülfe*".

2) Dernberg, *l.l.* p. 295: „*In der Regel ist Selbstverteidigung berechtigt*". Accedunt pauca alia ad vicinorum commercium pertinentia.

3) De aetate Homerica Hesiodeaque iam scripserat Bonner, *Administr. of Justice in the age of Homer*, *Class. Phil.* VI (1911), p. 12 seq. et *Admin. of Justice in the age of Hesiod*, *ibid.* VII (1912), p. 17 seq.

4) Quae Glotz congesserat disputaveratque in optimo libro, cui nomen *la solidarité de la famille dans le droit criminel en Grèce* (1904), partim supplevit partim in controversiam vocavit.

5) Hanc ultionis formam Treston (*l.l.* p. 1—126) Pelasgam dicit, illam Achivam, de qua re hic disputare longum est.

Digitized by Google

ac rei publicae deos offendere eam credere coeperunt. 2° Apollinis, immaculati luminis dei, religio illis praecipue temporibus [1]) homines adducere coepit ut crederent caedis auctorem sanguine imbui atque pollui; si facinus inultum maneret — id quod semper fieri poterat dum viri caesi propinquis ultio permittebatur — totam civitatem, in qua homo caede pollutus impune versaretur, pollui putabant: publice igitur homo noxius puniendus erat civitasque a contagione defendenda [2]). Cum pollutionis doctrina Apollinea arcte coniuncta fuit varia *culpae* aestimatio. Temporibus Homericis non intentio, ipsum necis factum spectatum semper erat [3]); postquam Graeci duce Apolline necis auctorem pollui sanguine credere coeperunt, nece ex intentione parata foedius eum maculari sibi persuaserunt quam homicidio involuntario. Rem publicam igitur inde a saeculo septimo *caedis* imprimis *voluntariae* (quippe quae graviorem toti civitati labem minitaretur) ultionem sibi vindicasse ac viri caesi propinquis ademisse non est quod miremur. Neque enim *sanguinis pretium*, quod occisi hominis propinqui a necis auctore eiusque familia poscere solebant, *pollutionis* notioni convenire, immo quam maxime ab ea abhorrere iam videbatur [4]). Quo factum est ut inde ab illis temporibus, si caedis voluntariae reus iudicium exspectavisset essetque damnatus, supplicium publice de eo sumeretur, sin exsilio perpetuo — id quod ante iudicium facillime permittebatur — supplicium subterfugisset, bona eius publicarentur; neque enim pecunia rem cum viri caesi familia transigere ei iam fas erat: sive supplicium publicum sive bonorum publicatio in sanguinis pretii locum successerat [5]). — Sed et homicidii involuntarii vindicationem res publica sibi assumpsit; id enim quoque maculam, quamquam minus foedam, inferre credebatur. Homicidae autem invito, postquam brevi exsilio poenam luisset, ut reverteretur in patriam permittebatur, si cum viri occisi

---

1) Cf. Treston, *l.l.* p. 156 seq.

2) Cf. Treston, *l.l.* p. 141 seq.

3) Iam tum varias culpae formas distinguendi *desiderium* dumtaxat fuisse haud immerito ex loco *Il.* 23, 88 seq. efficias, cf. Treston p. 56. Minus recte Vrijheid, *Schuld en schuldverband in het Romeinsche strafrecht* (1918) p. 34.

4) Cf. Treston p. 111 et passim.

5) Cf. Treston inde a p. 127 passim.

Digitized by Google

propinquis rem pecunia transigere potuisset; quale pactum ex superioris aetatis ultione privata sanguinisque pretio relictum haud immerito dicas. Quibus de rebus plura hic scribere supersedeo, quoniam Treston omnia, quae ad eas pertinent, fuse docteque tractavit; iam constat religionis Apollineae auctoritate Graecos inde a saeculo septimo adductos, ut necem publice vindicarent; cuius rei illustre exemplum Draconis leges Athenienses praebent: originem Delphicam manifeste produnt [1]). At postea quoque, dicat quis, multa ius Graecum in nece punienda ipsis hominis defuncti propinquis permisit: ius postulandi iis semper sepositum fuit, cum necis involuntariae auctore post breve exsilium rem privatim transigere licuit. Equidem haec ex pristina sanguinis ultione privata haud negaverim relicta; tamen ipsa necis vindicatio propinquis adempta iudicibusque publicis permissa [2]), neque de Draconis e.g. legibus iure tuo dicas, quod Kohler et Ziebarth de saeculi quinti iure Gortynio asseverant: *das Strafrecht war noch grösztenteils Familien-Strafrecht und folgte den Regeln der Blutrache* [3]).

Itaque, cum Athenis aliisque locis Graeciae inde a saeculo septimo necis vindicatio publica privatam ultionem loco moverit, Gortynae saeculo quinto hanc etiamtum viguisse vix credibile [4]), cum praesertim ius Gortynium indolem quam maxime liberalem moderatamque exhibeat [5]). Accedit quod Apollinis cultum Cretae arcte coniunctum fuisse certum est; Gortynae inde a saeculo octavo Apollo Pythius praecipuo honore semper habebatur [6]). Pollutionis igitur notionem ac iunctam ei publicam necis vindicationem (v. s.) saeculo quinto Cretam nondum

---

1) Cf. Treston p. 159 seq.

2) Rem privatim excluso iudicio publico cum caedis auctore transigere viri occisi propinquis semper licuisse — id quod contendit Glotz — Treston negat (p. 173 seq.); quem cum acu rem tetigisse mihi persuasum habeam, ad argutissimam eius argumentationem causam reicere satis habeo.

3) Cf. Glotz, *histoire grecque* (1925) I, p. 421.

4) Idem iudicat Treston (p. 11): *at the time of the Gortyn laws Crete had passed out of the stage, in which murder was materially compensated.*

5) Quod ad demonstrandum exempla praeter ea quae infra tractabo hic non afferam; nam res in controversia non est, cf. Mitteis, *Reichsrecht und Volksrecht* (1891) p. 237.

6) Cf. Glotz, *l.l.* p. 566.

Digitized by Google

penetrasse veri dissimillimum est; immo Rohdio [1]) viro docto plene assentiri necesse antiquissimam doctrinae expiatoriae sedem Cretam nominanti; ipse Apollo caede cruentatus Tarrhae in urbe Cretae expiatus esse traditur [2]). —

Universa vindicationis privatae publicaeque disputatione ad finem perducta tabulas Gortynias paulo accuratius inspiciamus; nam et ipsae argumenta nobis ad Kohleri Ziebarthiique sententiam redarguendam subministrare possunt. Quanto res publica adultior, tanto mâgis privatam iuris vindicationem reprimi supra iam indicavimus. Id autem legis Gortyniae quam maxime proprium est, quod vindicatio privata acerrime in ea opprimitur restinguiturque. Tabulae nobis servatae integrum absolutumque iuris codicem non continent: novellae sunt, ad legem antiquiorem corrigendam postea additae [3]). Id ipsum Gortynii saeculo quinto egerunt ut privatam iuris vindicationem, hactenus minus acriter restrictam, nova lege quam severissime coërcerent. Quod duobus exemplis illustrare haud inutile videtur.

I. *Vindicatio servi, vindicatio in servitutem, proclamatio in libertatem.* Quos omnes casus complectitur acerrimum illud praescriptum, quod in ipso legis initio invenimus: Ὅος κ' ἐλευθέροι ἐ δόλοι μέλλει ἀνπιμολῆν, πρὸ δίκας μὲ ἄγεν. Seu quis alterius servum seu hominem liberum suum esse contendit sive servum alterius liberum esse sibi persuasit, ante iudicium ne manum inicito neu ducito. Manus iniectio atque ductio, pristino iure concessae, nova lege quam acerrime prohibitae sunt [4]). Qua praecipue in re indolem valde mitigatam liberalemque ius Gortynium exhibere, quippe quod et Attico et Romano iure multo esset moderatius, alii demonstraverunt [5]). Privatam

1) Rohde, *Psyche* II, p. 96 seq., cf. Treston, *l.l.* p. 173.

2) Pausan. 2, 7, 7; 2, 30, 3; 10, 6, 7; 10, 16, 5.

3) Cf. e. g. Kohler-Ziebarth, *l.l.* p. VIII: „*ein korrektorisches Novellengesetz*", et p. 42.

4) Cf. *Rec. des Inscr. Jur. Gr.* I, p. 443—'44: „*probablement une innovation importante de la loi*".

5) Vide quod dicit Dareste, *I. J. G.* I, p. 444: „*en posant la règle absolue du § 1er, le législateur de Gortyne est, du premier coup, allé plus loin dans cette voie que ne l'ont jamais été ceux d' Athènes et de Rome*". Ibidem praescriptum legis Gortyniae accuratissime cum iure Attico Romanoque comparat. Vide etiam Kohl.-Zieb., *l.l.* p. 80 et 125—'26.

Digitized by Google

iuris vindicationem in huiusmodi causis plane prohibendo Gortynii illi menti hodiernae multo propiores fuerunt quam Athenienses et Romani, qui eam, quamvis resectam, nunquam prorsus aboleverint. Neque id, quod in legis parte extrema (*I. J. G.* I, p. 388, § 70; Kohl.-Zieb. XI 22 *ἄντροπον ἐξ κ' ἄγει πρὸ δίκας αἰεὶ ἐπιδέκεθαι*) invenimus, ab initio legis alienum existimaverim. Nempe quod hominem liberum, si in servitutem ante iudicium vi ducatur, vi liberandi causamque eius complectendi potestas cuivis civi hic datur, id a praescripto nostro non abhorret, immo prorsus cum eo congruit: si ductionem illicitam vi prohibere cuivis licuit, quid mirum? Vindicationis privatae ad vim illicitam prohibendam lege sanctae exemplum est[1]).

II. *Moechus manifestus.* Inquirentibus quatenus adulterii ultio volventibus saeculis indolem mutaverit, hoc vel primo obtutu perspicuum est, varias eius formas caedis ultioni optime esse comparandas. Tardius modo hisce in rebus vindicationem publicam privatam ultionem loco movisse infra me demonstraturum spero. Primo ut adulterum manifestum statim ipse necaret marito laeso permittebatur. Quae ultionis privatae forma deinde hactenus mitigata, quod moechus prensus in flagranti delicto non iam occidi, pretium [2]) solum ab eo exigi poterat. Privata ultio tamen etiamtum vigebat [3]). Postea demum ultio marito adempta est: adulterum *postulare*, non iam privatim punire poterat. — Mitigatam ultionis privatae formam lege Gortynia sanctam invenimus [4]). Pretium lege constitutum maritus laesus exigere poterat; quod prorsus idem fuisse ac sanguinis pretium pro caede exactum iam ex eo apparet, quod a moechi *propinquis* poscebatur [5]). Quibus demum recusantibus marito ut adulterum necaret permittebatur. Itaque et hac in re Gortynii saeculo quinto vindicationem privatam restringere atque opprimere studuerunt. Pristino iure moechum manifestum statim

1) Vide *I. J. G.* I, p. 446.

2) De quo vide infra; sanguinis pretio (*weergeld*) comparandum videtur.

3) Privatim enim sine iudicum auxilio pretium exigebatur; si non solveretur, moechus a marito necari poterat, de qua re vide infra.

4) *I. J. G.* I, p. 358—'60, §§ 11—13; Kohl.-Zieb., *l.l.* II 21 seq.

5) *Προεπάτο δὲ ἀντὶ μαιτύρον τριῶν τοῖς καδεσταῖς τῶ ἐναιλεθέντος ἀλλύεθθαι ἐν ταῖς πέντ' ἀμέραις.*

Digitized by Google

conficere marito procul dubio licuerat [1]). Nova lege adulterii ultio privata prorsus quidem abolita non est, tamen mitigata. Post saeculum quintum et hanc ultionis formam Gortynae esse abolitam publicamque adulterii vindicationem in locum eius successisse ex loco Aeliani [2]) apparet. — Sed pauca hic dicenda sunt ad refellendum Trestonem, qui ius exigendi ab adultero pretium non ex necandi iure prodisse eiusque formam mitigatam fuisse, immo adulterii pretium antiquissimo, ius necandi recentiori iuris statui attribuendum Glotzium sequens mordicus asseverat [3]). Ius Atheniense marito ut moechum manifestum occideret saeculo quarto etiamtum permittens [4]) recentiorem Trestone iudice indolem exhibet quam ius Gortynium, quod morem vetustissimum iam aetate Homerica vigentem servasse affirmat. Quod iam ideo vix credibile quia durior iuris forma vetustior, mitior recentior esse solet. Quid quod ex ipsis legis Gortyniae verbis pro antiquo iure necandi tum demum [5]) pretium substitutum esse plane apparet? Aetate enimvero Homerica ius necandi adulterum manifestum marito laeso non fuisse Treston haudquaquam probavit. Nam quod Mars in adulterio a Vulcano deprensus *μοιχάγρια* debere dicitur notissimo Odysseae loco [6]), id tantum non nihil demonstrat. Treston enim prorsus oblitus esse videtur Martem necari omnino non potuisse, *οὐ μὲν γάρ τι καταθνητός γ' ἐτέτυκτο*! Vulcanus igitur cum fratre immortali rem pecunia transigere dura fati necessitate cogebatur neque cuiquam hinc licet concludere mortalibus quoque aetate Homerica ius necandi adulterum non fuisse. Scilicet, ut Athenienses saeculi quarti [7]), ita Graecos Homericos *μοιχάγρια* ultioni cruentae saepe praetulisse ratio fert; verum enim vero *ius* interficiendi iis

1) Propinqui enim si pretium solvere recusaverant, ius necandi, quod antea statim habuerat, marito restituebatur.

2) *Var. hist.* 12, 12 *μοιχὸς ἐν Γορτύνῃ ἁλοὺς ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἤγετο, εἶτα ἐλεγχθεὶς ἐστεφανοῦτο ἐρίῳ.... καὶ ἐπιπράσκετο δημοσίᾳ καὶ ἀτιμότατος ἦν καὶ οὐδενός οἱ μετῆν τῶν κοινῶν.*

3) *L.l.* p. 59, 217.

4) Cf. Treston p. 215 seq. et Lipsius, *das Attische Recht und Rechtsverfahren* (1905) p. 430.

5) De qua re vide supra. 6) 8, 332.

7) Vide quod dicit Groeneboom v. c. in primae Lysiae orationis editione sua (1924) p. 1 seq.

Digitized by Google

non fuisse hinc non est efficiendum [1]). Argumentum vero ex Bellerophontis casu [2]) ductum haud minus debile aestimandum est. Nam Bellerophon moechus *manifestus* non fuit: a Proeti uxore *falso* stupri accusatus erat nedum a Proeto deprensus in adulterio, quod non admisisset! Itaque si Proetus Bellerophontem necare veritus est, hoc nequaquam demonstrat hominibus id aetatis moechum *manifestum* interficere non licuisse. Quid igitur Trestonem adduxerit ut ius necandi aetate Homerica marito non fuisse idque recentiori potius iuris statui esse attribuendum asseveraret, me quidem fugit: cruentam adulterii ultionem antiquiori potius iuri attribuerim, pretium recentiori [3]). Antiquissimum, quod sciam, testimonium de iure necandi adulterum marito adempto non apud Homerum invenitur, sed loco Hesiodeo a Pausania (9, 36, 7) laudato [4]). Tardissime autem adulterii pretium pro necandi iure esse substitutum ac non solum Athenienses, verum etiam multas alias *πόλεις* Graecas saeculo quarto etiamtum antiquum ius necandi retinuisse ex loco Xenophonteo [5]) apparet. Et hisce in rebus igitur ius Gortynium quinti saeculi moderatius mitiusque se praestat quam — ut unum exemplum afferam — ius Atheniense, quod antiquissimum necandi morem ne quarto quidem saeculo aboleverat [6]).

Quae res optimum praebet argumentum ad demonstrandum quod nobis proposuimus: privatam caedis ultionem a iuris Gortynii saeculo quinto vigentis indole esse alienam. Necis ultio privata multo citius quam adulterii restricta et repressa est. Quod ad demonstrandum duo exempla, quae in promptu

---

1) Multa alioquin hunc locum Homericum valere ad ius Graecum cognoscendum equidem negare non possum, cf. Vinogradoff, *Outlines of historical jurisprudence* II (*Jurisprudence of the Greek City*, 1922), p. 232 seq.

2) *Iliad.* 6, 160 seq.

3) Vide quod dicit Bonner (*Class. Phil.* VI, p. 19) de aetate Homerica: „*The injured husband might slay the adulterer*".

4) In codice iuris Hethitici saeculi XIV a. Chr. n., quem edidit Hrozný (1922), ius necandi moechum marito laeso conceditur (§ 197). Quod apud Graecos quoque veterrimos viguisse mihi persuasum est.

5) *Hiero*, 3, 3 *μόνους γοῦν τοὺς μοιχοὺς νομίζουσι πολλαὶ τῶν πόλεων νηποινὶ ἀποκτείνειν*, cf. Weisz, *Griech. Privatrecht* I (1923), p. 11.

6) Cf. Vinogradoff, *l.l.* I (*Tribal law*, 1920), p. 356.

Digitized by Google

sunt, afferam. I. Athenis ex Draconis temporibus necis vindicatio viri occisi propinquis adempta publicisque iudicibus permissa fuit; adulterum contra in delicto prensum necare ibidem saeculo adhuc quarto marito laeso licuit (v. s.). II. Apud Romanos caedis ultio privata maturrime ad nihilum recidit; moechum vero manifestum sine iudicio necare usque ad annum duodevicesimum a. Chr. n. marito licuit; ac ne tum quidem lege Iulia ultio privata prorsus abolita est, restricta tantum [1]). Itaque cum Gortynii iam saeculo quinto ius necandi statim adulterum aboleverint pretiumque adulterii substituerint, isdem temporibus privatam necis ultionem apud eos etiamtum viguisse haud credibile est; immo vero, si adulterii ultionem saeculo quinto mitigaverunt, iam multo ante caedis ultionem eos repressisse ego quidem crediderim.

Nil igitur disputatiuncula nostra ad finem fere perducta restat nobis nisi ut breviter inquiramus, perierintne ex quinti saeculi lege Gortynia, qualem nunc habeamus, praecepta quaedam ad caedis vindicationem pertinentia necne. Equidem, etsi talibus in rebus nil pro certo affirmari posse haud ignoro, his de causis non putaverim:

1°. Titulum nostrum novellas tantum continere legem antiquiorem corrigentes supplentesve iam supra vidimus. Si lex antiquior nobis perdita de nece vindicanda praescripta iam continuit [2]), in novellis postea additis nil de hisce praefiniri non est quod miremur.

2°. Quoniam adulterii ultio cruenta lege recentiore restricta est caedisque ultionem privatam alibi multo maturius repressam quam ius necandi adulterum supra iam vidimus, hanc pristina, non saeculi quinti lege esse abolitam ratio fert.

3°. Apollinis Pythii auctoritate Graecos saeculi septimi adductos ut caedis ultionem privatam reprimendo publicam vindicationem substituerent, supra demonstravimus. Draco Atheniensibus *νόμους φονικοὺς* scripsit; in aliis Graeciae

1) Cf. Vrijheid, *l.l.* p. 26 seq.; Jobbé-Duval, *les morts malfaisants d'après le droit et les croyances populaires des Romains* (1924) p. 232 seq.

2) Quod veri esse simillimum infra demonstrabo.

Digitized by Google

civitatibus legum conditores illis temporibus idem perpetrasse certum videtur [1]). Itaque Gortynae quoque non quinto demum, sed iam sexto vel septimo saeculo rem publicam ius ulciscendi necem viri caesi propinquis ademisse sibique vindicasse verisimile est.

Non ex quinti igitur saeculi lege, qualem nunc legimus, partem quandam ad necem pertinentem perisse, verum vetustiorem legem nobis perditam praescripta de hisce rebus iam continuisse concludere licet. — Qualia fuerint praecepta illa, coniectura tantum consequi possumus. Talia fere fuisse puto qualia a Dracone data Athenienses diu retinuerint. Utique et sanguinis pretium abolitum fuisse credamus necesse; id enim a pollutionis notione abhorrere supra demonstratum est. Neque ex eo quod stupri adulteriique pretia lex nostra continet [2]), caedis quoque pretium exigere mortui propinquis quinto adhuc saeculo Gortynae licuisse iure tuo conicias. Nam sanguinis pretio abolito minoribus tamen delictis id diu fuisse retentum absurdum non videtur; cuius rei et aliunde exempla proferre in promptu est [3]).

Sed finis sit, nam in meris coniecturis diutius morari aspernor et quamquam res parvulas et obscuras subtiliter persequi viris philologis atque historicis dira quaedam necessitas est, his quoque ne modum excedant cavendum, cum praesertim de iis rebus agatur, quae demonstrari non possint, probari tantum. Quod si effecero, ambagum non poenitebit.

---

1) Androdamam Rheginum *Χαλκιδεῦσι τοῖς ἐπὶ Θράκης* legem de nece vindicanda scripsisse Aristoteles (*Pol.* 1274 b 23 seq.) tradidit. Quem Charondae leges in Thraciam transtulisse ideo crediderim, quia omnes coloniae Chalcidicae Charondae leges receperunt (Ar. *Pol.* 1274 a 22) ac Rhegium, Androdamae patria, colonia Chalcidica fuit. Accedit quod Cumarum quoque *νόμους φονικοὺς* Aristoteles (*Pol.* 1269 a 1) memorat; quos a Charonda Cumaeos mutuatos esse, quippe qui et ipsi Chalcidenses fuerint, certum videtur. Itaque et Charondas *νόμους φονικοὺς* scripsit. Cf. Gertrude Smith, *Early Greek Codes*, *Class. Phil.* XVII (1922), p. 189, 197[1].

2) *I. J. G.* I, p. 358 seq., §§ 8—13; Kohl.-Zieb. II 2 seq.

3) Cf. Seebohm, *Tribal custom in Anglo-Saxon law* p. 123, quem locum laudat Treston p. 10.

Digitized by Google

IOHANNES PRESBYTEROS.

SCRIPSIT

DR. SEB. TROMP S. I.

In principio erat Verbum
et Verbum erat apud Deum,
Et Deus erat Verbum.
Hoc erat in principio apud Deum....
Et Verbum caro factum est
et habitavit in nobis.
Et vidimus gloriam Eius,
gloriam quasi unigeniti a Patre,
plenum gratiae et veritatis.

Hac in re, ni fallor, omnes consentiunt, rarissime sublimiores ideas lingua humana adumbratas fuisse. Profluunt autem verba illa secundum traditionem haud minus venerabilem quam perantiquam, ex ore discipuli illius, qui in coena ultima recumbebat in sinu Christi. Qui discipulus praedilectus factus est ὁ θεολόγος.

Multi autem huius aetatis viri docti, qui evolutionem dogmatis prorsus naturalem profitentur — quippe quibus revelatio omnis supernaturalis, habenda est velut quoddam irrationale aut saltem spernenda — a piscatore Genesarethano verba illa esse conscripta, admittere vix et ne vix quidem possunt. Quare Iohannem alium sibi fingunt, doctrina Platonica imbutum, qui simplicissimam praedicationem Christi, evangelium paternitatis divinae, redigisset praelucente sapientia Graecorum, humilemque magistrum Nazarethanum divinizasset, sicut quondam Plato Socratem. Sic praeiudicio philosophico hypothesis orta est alterius cuiusdam Iohannis, a filio Zebedaei prorsus diversi. Immo hypothesis quasi postulatum quoddam factum est.

Digitized by Google

Intuitione illa et perspicuitate quibus poëtae gaudent, Goethe aliquando dixit, nil veri nil falsi excogitari posse, quod iam antiquitus cogitatum non fuerit. Quare mirum non est etiam alterum illum Iohannem iam multis saeculis abhinc anima effictum fuisse a binis eruditissimis viris, Eusebio inquam et Hieronymo. Quorum Eusebius Iohannem alterum, ab apostolo distinctum, fingit auctorem apocalypsis; Hieronymus earum epistolarum quae *altera* et *tertia Iohannis* inscribuntur. Mirabile dictu! Nam rationibus licet toto coelo distent, saltem in altero Iohanne admittendo propugnatores illi ardentissimi traditionis ecclesiasticae et critici nonnulli rationalistae pacifice summaque concordia procedere videntur.

Ex praedictis autem etiam clare apparet quaestionem quam Iohanneam vocant haud eandem esse ac illa de utriusque Iohannis existentia. Praeterea hisce quoque diebus non desunt qui authenticitatem quarti evangelii reiciant, minime autem existentiam admittant Iohannis cuiusdam presbyteri, sicut ex altera parte ii adsunt, qui authenticitatem acriter defendant, simulque concedant fuisse Iohannem quemdam celebrem Ephesinum ab apostolo distinctum.

Nituntur autem tum Eusebius et Hieronymus, tum hodierni critici fragmento litterario desumpto ex operibus Papiae, Hierapolitani episcopi, quem Irenaeus tamquam Iohannis auditorem, Polycarpi sodalem, antiquitate venerabilem commendat [1]). Vixit autem circa annos 65—145 post Chr. n., opusque edidit [2]), cui titulus: λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως συγγράμματα (vel βιβλία) πέντε, seu ut Hieronymus *Catal.* 18 vertit: *Explanationes sermonum Domini.* Quibus in *explanationibus*, quarum vix pauca restant fragmenta, haud raro testem invocabat Iohannem quemdam, quem vocabat: τὸν πρεσβύτερον. Cum autem ipsius Papiae aequalibus in libro *explanationum* perlegendo haud obscurum esset quis illa voce significaretur, Papias personam illius presbyteri non accuratius determinavit. Quod enim si fecisset, Eusebius qui de natura huius hominis perite inquireret, nobis narrasset, immo nobiscum communicare id debuisset.

---

1) Cf. Iren. *adv. haer.* V 33. 4 = Euseb. *H E* III 39. 1.
2) Cf. Iren. et Euseb. *l. l.*.

Digitized by Google

Uno autem et unico *explanationum* loco, in fragmento celeberrimo ab Eusebio tradito [1]), Papias saltem speciem prae se ferre videtur distinguendi inter Iohannem presbyterum quemdam et Iohannem apostolum. Scribit enim: *εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν ἢ τί Φίλιππος ἢ τί Θωμᾶς ἢ Ἰάκωβος ἢ τί Ἰωάννης ἢ Ματθαῖος ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν, ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, τοῦ Κυρίου μαθηταί, λέγουσιν.* Ex hoc fragmento et Eusebius et aliquando Hieronymus [2]), plaudentibus multis huius temporis eruditis, docte sibi postulaverunt alterum Iohannem, virum sat magnae auctoritatis, unum ex Christi mediatis vel immediatis discipulis, haud aliter ac traditio de apostolo narrat, Ephesi habitantem, cuius auditor Papias iuvenis fuisset.

Tantum valet auctoritas quantum argumenta: cui legi etiam Eusebius et Hieronymus subiciuntur. Etenim etsi magna est utriusque in rebus ecclesiasticis auctoritas, hac tamen in re non ita valet ut iisdem assentiri cogamur.

Priusquam igitur ad crisin internam celebris fragmenti Papiae accedamus, dicenda quaedam erunt de totius traditionis discrepantia ab Eusebii opinione. Deinde quia res nostra cum alio subobscuro Papiae testimonio cohaeret, quod eliminandum videtur, ne postea ipsius fragmenti explicatio aliis quaestionibus diversi ordinis intricetur, praeponenda quaedam erunt de traditione indirecta, nominatim de Iohannis apostoli postulato martyrio. Quo facto pauca annotabo de ipsorum Eusebii et Hieronymi dubitationibus, ut tandem aliquando exponam quid de Papiae fragmenti interpretatione sentiam.

* * *

Agamus igitur de traditione directa. Hoc prae ceteris valde mirum est, traditioni quae est ante Eusebium, Iohannem alterum ab apostolo diversum esse ignotum. Nam ipse Irenaeus, in Asia natus, traditionis religiosissimus indagator, Polycarpi

1) Cf. Euseb. *H E* III 39. 3—5.

2) Cf. Euseb. *l. l.*, 5—6 et Hieron. *de vir. ill.* cap. 9 et cap. 18.

Digitized by Google

et si Hieronymo credis [1]), ipsius Papiae auditor, presbyterum Iohannem eumque Papiae magistrum prorsus ignorare videtur. Quod ardentissimi quidem alterius Iohannis defensores concedunt et concedere debent. Nam ubicumque Irenaeus Iohannem commemorat, apostolum cumque solum intendit [2]). Si igitur idem ipse sanctus Irenaeus simpliciter affirmat [3]): Παπίας ὁ Ἰωάννου μὲν ἀκουστής, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονώς, ἀρχαῖος ἀνήρ, apostolum significasse censeatur, nisi contrarium accuratissime probetur. Quod ni fallor et ipse Eusebius re ipsa concedit. Etenim toto suo argumentandi modo saltem indirecte affirmat se novam proponere opinionem, ab Irenaei sententia longe alienam [4]). Deinde, uti ex Irenaei testimonio audivimus, Papias erat sodalis et condiscipulus Polycarpi, qua in re Eusebius ab Irenaei sententia nullo modo recedit [5]). Cum autem ex libris Irenaei et praecipue ex eiusdem epistolis ad Victorem Papam et Florinum datis, luculenter constet Polycarpum discipulum apostolorum fuisse, ab apostolis episcopum fuisse consecratum, nominatim Iohanni apostolo fuisse familiarem [6]), non est cur negemus secundum Irenaeum Iohannem magistrum Polycarpi et Iohannem magistrum Papiae unam eandemque fuisse personam, eamque apostolum.

Deinde Dionysius Alexandrinus, episcopus et Origenis discipulus, circa annum 260 librum conscripsit de authenticitate Apocalypsis [7]), mirum specimen artis criticae veterum illorum temporum. *Nonnulli ex iis qui nos praecessere*, inquit, *librum penitus repudiaverunt... negantes auctorem esse Iohannem.* Quare ad Cerinthum, auctorem haereseos Cerinthianae profugiebant veteres illi, eumque falsificatorem Apocalypseos esse affirmabant. Quod Dionysius admittere nequit: ex una parte

---

1) Cf. Hieron. *epist.* 75 ad Theodoram Span. cap. 3, ed. Hilberg II p. 32.

2) Cf. Iren. *adv. haer.* I 8. 5; 9. 2; 16. 3; III 1. 1; V 26. 1; 28. 2. De hac re postea plura.

3) Cf. Euseb. *H E* III 39. 1 = Iren. *adv. haer.* V 33. 4.

4) Cf. Euseb. *H E* III 39. 1 et 2.

5) Cf. Euseb. *H E* III 36. 1 et 2.

6) Cf. Iren. *adv. haer.* III 3. 4; Euseb. *H E* V 20. 4—6 et 24. 16.

7) Cf. Euseb. *H E* VII 25, ubi tota doctrina Dionysii exponitur; de Cerintho § 2 et § 3; de rationibus cur authenticitas negetur § 4—§ 14; de epistolis Iohannis § 11; de duobus Iohannis § 14; de duobus sepulcris § 16.

Digitized by Google

librum ut canonicum reicere omnino non audet, cum graviter suspicetur sensum altiorem et divinum verbis huius libri subiacere; ex altera parte apostolum Iohannem fuisse auctorem sibi persuadere omnino non potest, quod multis validis argumentis ex visceribus causae depromptis indicare se posse existimat. Auctorem igitur fuisse virum sanctum et apostolicum, divino spiritu afflatum, Iohannis nomine; minime vero apostolum, filium Zebedaei, fratem Iacobi, evangelistam auctoremque epistolae catholicae.

Quid igitur hisce omnibus statutis, ad enodationem quaestionis affert ipse Dionysius? Forsitan ipsemet indicat celebrem Ephesinum presbyterum? Minime. Immo concedit epistolas illas Iohanneas, quae ὁ πρεσβύτερος inscribuntur, generatim apostolo attribui. Una tantum Dionysio solutio restat, sane infelix. Plurimos opinatur Iohannis apostoli fuisse homonymos, cum fideles propter singularem evangelistae venerationem hoc praenomen adamarent, ὥσπερ καὶ ὁ Παῦλος πολὺς καὶ δὴ καὶ ὁ Πέτρος ἐν τοῖς τῶν πιστῶν παισὶν ὀνομάζεται. Tamen altera ex parte Dionysius de rebus Ephesinis sat accurate erat instructus. Quomodo enim scivisset Ephesi duo monumenta fuisse, eaque ambo Iohannis nomine insignita?

Si igitur, uti ex hactenus dictis patet, iam iure merito miratur quis frustra desiderari in traditione ante-Eusebiana vestigium aliquod alterius Iohannis, magis forsitan mirandum est quam cito presbyter ille ex historia ecclesiastica evanuerit. Magis mirandum, inquam. Notum enim est, quam aegre posteriores ab Eusebio recedant. Immo nonnulli auctores posteriores, qui sat clare insinuant se opera Papiae prae oculis habuisse, Iohannem presbyterum magistrum Papiae non cognoscere videntur. Quam magna sit haec difficultas, defensores hodierni huius presbyteri tacite concedunt. Profugere enim debent ad hypothesin: „physionomiam Iohannis apostoli physionomiam Iohannis presbyteri omnino delevisse", vel quod peius est: „falsificatione aliqua dolo malo confusionem utriusque Iohannis esse provocatam, quo magis valor quarti Evangelii in oculis fidelium augeretur". Sed haec ut generatim fit facilius affirmantur quam probantur...

Digitized by Google

Quodsi ab Hieronymo abstineas, de cuius dubitationibus plura erunt infra dicenda, ex scriptoribus mox Eusebium sequentibus, solus compositor *Constitutionum ps.apostolicarum* hac in re Eusebio praestitit fidem [1]). Nam in episcoporum numerum ab apostolis creatorum Iohannem quemdam refert: Ἰωάννης δὲ ὑπ' ἐμοῦ Ἰωάννου! Sed inde ab illo per varia saecula Iohannes presbyter oblivioni traditur altoque silentio premitur.

Apollinaris Laodicenus [2]), florens in medio saeculi quarti, in suis operibus exegeticis ipsius Papiae verbis mortem Iudae proditoris narrat et simpliciter ulla sine additione Papiam vocat Iohannis discipulum.

Andreas Caesareënsis, sexto saeculo vivens, qui in libro suo scribendo de Apocalypsi, Papiae opus prae oculis habuit, eumque aliquando ἐπὶ λέξεως allegat, Iohannem presbyterum ignorat; Arethas vero postea ex Andreae libro Papiae verba transcribens Papiam diadochum nuncupat Iohannis evangelistae.

Maximus Confessor, saeculi septimi scriptor, aliquotiens Papiae dicta referens, clare affirmat Papiam Hierapolitanum episcopum fuisse [3]), συνακμάσαντα τῷ θείῳ εὐαγγελιστῇ Ἰωάννῃ.

Anastasius Sinaita, qui eodem saeculo Papiam exegeseos suae decessorem laudat, haec habet: Παπίου τοῦ πάνυ, τοῦ Ἱεραπολίτου, τοῦ τῷ ἐπιστηθίῳ Φοιτήσαντος et alibi: Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ εὐαγγελιστοῦ Φοιτητής, ὁ Ἱεραπολίτης, quae verba re vera claritate quadam non carent.

Addas Georgium Hamartolum, qui in *Chronico* saeculo nono elucubrato affirmat a Papia Iohannem apostolum visum esse, de quo testimonio postea fusius disserendum erit.

Constat igitur librum Papiae per multa saecula in ecclesia orientali fuisse lectum, quod etiam de occidentali statuendum est. Nam ut de notissimo *fragmento Vaticano* [4]) taceam, dubitari

---

1) Vide *Apostol. Constit.* VII 46, ed. Lagarde p. 228. 20, apud Zahn, *Forschungen*, VI p. 124. Etiam Harnack, *Chronologie*, I p. 662, n. 1 concedit, Ps.-Clementem sub influxu Eusebii scribere potuisse.

2) Pro testimoniis Apollinaris, Andreae, Maximi Confessoris, Anastasii Sinaitae conferas Funk, *Patr. Apost.*, frgm. 3, 4, 5, 8, 9, p. 360—364. De Aretha vide p. 363 in nota.

3) Papiae ἀκμή ut patet habenda est tempus quo episcopi munere Hierapolitanam rexit ecclesiam.

4) Cf. Funk, *Patr. Apost.*, I, Papiae frgm. 18, p. 373.

Digitized by Google

non potest saeculo decimo tertio Papiae codicem fuisse in bibliotheca paroeciali Nemausiensi (Nismes), saeculo decimo quarto in bibliotheca coenobii cuiusdam Tirolii [1]). Nemo tamen ex allatis deutero-Johannem duce Eusebio in medio proferre ausus est et voluit.

Tres tantum sunt auctores, ni fallor, qui Eusebium post Ps. Clementem in statuendo altero Iohanne secuti sunt [2]). Qui autem clare ostendunt sese ipsius Papiae librum minime habuisse prae oculis, et multa mire confundentes in iudicio historico proferendo variis ducuntur praeiudiciis.

Primus est Cosmas Indicopleustes, saeculi sexti scriptor, qui in *topographiae christianae* libro septimo contendit Eusebium duos distinxisse Iohannes, unum evangelistam, presbyterum alterum, quorum sepulcra Ephesi essent et quorum presbyter duos parvas epistolas Iohanneas scripsisset. In medium tamen eorum quoque opinionem profert qui contendunt etiam epistolas ὁ πρεσβύτερος inscriptas, opus esse evangelistae. Favet autem ipse illis exegetis, qui omnes tres litteras Iohanni abnegant. Quare mihi videtur et ipse duos Iohannes admisisse. Sed Papiam certe non legit, Eusebioque, quem male intellexit, opinionem tribuit ab Eusebii mente prorsus alienam [3]).

Alter est Nicephorus Callistus, qui in *ecclesiastica historia* saepius rem nostram attingit [4]). In libri secundi capite 45 de origine secundi evangelii loquens, testimonium Papiae adducit et paulo post omnes epistolas Iohanneas ab apostolo scriptas esse affirmat. In capite sequenti dicit epistolam secundam et tertiam Iohannis aliquando fuisse dubitationibus criticis subiectas, cum crederentur a Iohanne presbytero conscriptas. Quo dicto narrationem Eusebii de duobus sepulcris Ephesinis per errorem Papiae tribuit et suo modo celebre Papiae fragmentum explicans, ostendere conatur Papiam Iohannis presbyteri

1) Cf. Bickell, *Z K Th* 1879, p. 799 sqq.; Funk, *Patr. Apost.*, I, prolegomena p. CVIII.

2) Cf. Zahn, *Forschungen*, VI p. 124, n. 1.

3) Cf. *M G* 88 p. 373, ed. Montfaucon 292.

4) Cf. *Eccl. hist.* II 45 et 46, *M G* 145, p. 884 et 885; III 20. p. 936; IV 14, p. 1008; collato Eusebio *H E* III 39 et VII 25. Vide etiam Zahn, *Forschungen*, VI p. 124 et p. 125. n. 1. Vixit Nicephorus saeculo 14.

Digitized by Google

discipulum fuisse. Sed ex altera parte phantasiae indulgere affirmat illos omnes, qui illo presbytero epistolas et apocalypsin tribuant. In libri tertii capite 20 iterum Eusebium proferens, personam presbyteri mira quadam certitudine affirmat et praecise ex eius existentia dubitationes explicat circa apocalypsis epistolarumque authenticitatem! Postremum in libri quarti capite 14 opinionem suam proponit, etiam presbyterum illum, qui ab Irenaeo saepius laudatur, fuisse Iohannem presbyterum. Mirum sane est ex una parte Nicephorum, Eusebii vestigia sequentem, firmius proponere quam ipsum Eusebium, Iohannem alterum revera exstitisse, dum ex altera parte nullam dubitationem de genuitate librorum Iohanneorum admittit. Quidquid sit, ex iis quae diximus satis apparet, Nicephorum Papiae *explanationes* numquam prae oculis habuisse, sed suam doctrinam tantummodo hausisse ex Eusebio.

Tertius est Syrus, Salomon Basrensis, apprime solus in Syriacis litteris ecclesiasticis, qui Iohannem presbyterum commemoret. Notum est quantopere apud Syros iam inde ab initio Eusebii auctoritas valeret [1]). Scripsit Salomo circa a. 1220 et satis ingeniose hac in re commiscuit verba Eusebii, Ps. Clementis, Hieronymi, alia quoque addens propria marte. Mira simplicitate narrat Iohannem apostolum, cum diu Ephesi vixisset, tandem aliquando provecta aetate defunctum esse sepultumque a discipulo suo altero Iohanne, ipsius apostoli in sacerdotio successore. Apostolum autem presbytero defendisse ne quis sepulcrum suum cognosceret. Ideoque Ephesi duo sepulcra esse, unum apostoli idque ignotum, alterum presbyteri auctoris Apocalypseos. Haec omnia Salomo e Mar Eusebio hausisse contendit, qua in re nimia gaudet phantasia orientali [2]).

Et haec de traditione directa ex litteris hausta dixisse sufficiat. Quod si ex iis quae hactenus vidimus fructum aliquem carpere velis, hic certe erit ni fallor: auctores illos, qui

1) Cf. Zahn. *Forschungen*, VI p. 125, n. 1. et 113, n. 1. Eusebii historia ecclesiastica iam initio saeculi quinti, vel forsan exeunte saeculo quarto a Syris vertebatur. Vide etiam Pauly-Wissowa, *R E* VI 1 p. 1407.

2) De opere Salomonis, quod *Apis* inscribitur, videas Zahn, loco modo laudato, ubi textum traductum et subsidia litteraria affert; et Harnack, *Chronologie*, I p. 662, n. 1.

Digitized by Google

Eusebium praecedant Iohannem presbyterum non cognovisse; in operibus post Eusebium de illo generatim altum regnare silentium; illos omnes qui probabilius vel certe Papiae opus prae oculis habuerint, ne verbulo quidem de presbytero facere mentionem; quattuor autem illos, qui presbyterum construant, clare ostendere se Papiae *explanationes* non legisse, e contra pendere ab Eusebio; prae ceteris Salomonem Nicephorumque multa hac in re tam egregie permiscere, ut iuremerito nullius auctoritatis digni censeantur.

* * *

Quae hactenus de traditione directa disputavimus, certe existentiae presbyteri Eusebiique opinioni non favent. Sunt autem qui dicunt hanc existentiam ex traditione ecclesiastica indirecte saltem ostendi posse. Duplici modo scilicet: ex duobus sepulcris Iohanneis et ex Iohannis apostoli martyrio. Illam viam antiqui quidam iniere, hanc nonnulli huius aevi eruditi.

De duobus Iohannis apostoli sepulcris Ephesinis, non est cur multa disputem. Habes enim hac in re exemplum mirificum quam vere dictum sit: fama crescit eundo.

Primus de duobus sepulcris Dionysius Alexandrinus loquitur[1]) hisce verbis: *δυό φασὶν ἐν Ἐφέσῳ γενέσθαι μνήματα, καὶ ἑκάτερον Ἰωάννου λεγέσθαι.* Est igitur iam traditio tertii saeculi. Sed de presbyteri alicuius famosi sepulcro Dionysius ne cogitat quidem. Immo quamquam agit de duabus illis epistolis, quae *ὁ πρεσβύτερος* inscribuntur, nullo modo ei in mentem venit ut connexum aliquem inter presbyterum illum illaque sepulcra insinuet.

Dionysium sequitur Eusebius, qui statuta alia ex ratione discrimine inter duos Iohannes, sic pergit[2]): *καὶ διὰ τούτων ἀποδείκνυσθαι τὴν ἱστορίαν ἀληθῆ τῶν δύο κατὰ τὴν Ἀσίαν ὁμωνυμίᾳ κεχρῆσθαι εἰρηκότων, δύο τε ἐν Ἐφέσῳ γενέσθαι μνήματα καὶ ἑκάτερον Ἰωάννου ἔτι νῦν λέγεσθαι.* Fons Eusebii fuit ut patet Dio-

1) Cf. Euseb. *H E* VII 25. 16.
2) Cf. Euseb. *H E* III 39. 6.

Digitized by Google

nysius. Bene autem animadvertatur ab Eusebio non statui ex duobus sepulcris presbyteri existentiam, sed vice versa: ex eo quod existimet distinctionem adesse inter duos Iohannes, veritatem deducit traditionis duo monumenta Iohannea praedicantis.

Hieronymus vero in libro quem conscripsit *de viris illustribus* [1]), traditionem Dionysii et Eusebii confirmat, sed quaedam summi momenti addit: *Reliquae autem duae (epistolae) quarum principium est „Senior electae dominae et natis eius" et sequentis „Senior Caio carissimo, quem diligo in veritate", Iohannis presbyteri asseruntur, cuius et hodie alterum apud Ephesum sepulcrum ostenditur, et(si) nonnulli putant duas memorias eiusdem Ioannis evangelistae esse, super qua re cum per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, disseremus.* Ex una parte Hieronymus exagerat, dicens „presbyteri" sepulcrum ostendi, ex altera vero concedit, suo tempore traditionem exstitisse, quae non de sepulcris stricto sensu acceptis, sed de monumentis religiosis tantum [2]) loqueretur. Cum autem Hieronymus in capite decimo octavo per ordinem ad Papiam pervenit, silet de sepulcris. Ratio huius silentii, uti postea ostendemus, haec est, quia tunc temporis Papiae librum nondum propriis oculis inspexerat, sed Hierapolitanum tantum ex Eusebii scriptis cognoscebat. Eusebius autem nil novi de sepulcris afferre ei potuit.

Eodem fere tempore quo Hieronymus floruit, Eusebii verba, de quibus modo diximus, sic a Rufino vertebantur: *Verum est quod quidam Asiani scribunt, quod duo sint apud Ephesum sepulcra et utrumque Iohannis appelletur.* Fontem Eusebii Rufinus male indicat, quia Eusebius de „traditione" tantum loquitur [3]). Iam firmius saeculo sexto Cosmas rem affirmat: Eusebium dicere, duo sepulcra esse Ephesi, aliud Iohannis evangelistae,

1) Cap. 9 collato capite 18.

2) Vox *memoriae* apud Hieronymum non tantum vim habet monumenti sepulcralis, sed etiam alterius cuiuslibet monumenti. Sensu ecclesiastico autem *memoria* significat tum sepulcra, tum vero loculos reliquiarum, sacella, ecclesias, altaria cetera. Cf. August. *de civ. Dei* XXII 8. 7, 10, 11, 12. Vide etiam Kaufmann, *Handb. der altchr. Epigr.*, p. 217.

3) Cf. versionem Rufini in edit. Eusebii Schwartz-Mommsen, III 39. 6.

Digitized by Google

Iohannis presbyteri aliud, auctoris scilicet epistolarum. Exagerat sententiam, eamque loquens de epistolis false interpretatur [1]).

Nicephorus multo post in libro tertio quidem *historiae ecclesiasticae* opinionem Eusebii quae ad sepulcra spectat, satis accurate refert, sed in secundo libro omnia quae Eusebius proponit, simpliciter ipsi Papiae tribuit [2]); dum Salomo Basrensis rem totam mystico quodam velamine tegit, asserens sepulcrum verum Iohannis apostoli ex eius praecepto omnibus esse ignotum [3]).

Quid igitur restat ut nucleus historicus? Nil aliud quam traditio saeculi tertii, Ephesi duo quaedam monumenta Iohannea exstitisse. Quod ad naturam horum monumentorum attinet, rogari potest utrum ambo fuerint vera sepulcra necne. Ultimum probabilius videtur. Nam traditio illa Hieronymiana, agi tantum de duabus *memoriis* minime spernenda est. Etenim si haec traditio nullius valoris esset, Hieronymus eam certe non commemorasset, utpote sibimetipsi minime convenientem. Si autem re vera agatur de duobus monumentis sepulcralibus, quid inde? Certissime constat unum horum attributum esse evangelistae. Alterum autem antiquitus ullo modo ascriptum esse presbytero famoso, ex nullo testimonio apparet. Igitur vel putabatur sepulcrum ignoti cuiusdam, unius ex multis illis Christianis qui nomen Iohannis gerebant, ut vult Dionysius: vel utrumque sepulcrum a populo de facto Iohanni apostolo asscribebatur. Quod si ultimum verum est, ratio valde obvia indicari potest, scilicet corpus apostoli, ut saepe in cultu sanctorum accidebat, esse translatum [4]). Nisi forte sanctum Iohannem id cum multis sanctis commune habere dicas, plura loca simul contendisse se veras eius reliquias possidere. Quod mirum non est, si in memoriam revoces Homerum septem in locis incunabula habuisse.

Et haec de Iohannis sepulcro sufficiant. Res autem sua

---

1) Cf. *Top. Christ. M G* 88 p. 372, ed. Montfaucon 292.

2) Cf. *Eccl. Hist.* 2. 46 et 3. 20, *M G* 145 p. 885 et p. 936.

3) Vide Zahn, *Forschungen*, VI p. 125.

4) Quomodo translatione oriri possit memoria aliqua, bene ostendit testimonium Augustini *de civ. Dei* XXII 8. 10, ubi agitur de translatione S. Stephani.

Digitized by Google

utilitate non caret. Ostendit enim quam firma fuerit persuasio perantiqua Iohannem apostolum Ephesi vitam finivisse. [1])

Iam agendum est de Iohannis apostoli martyrio. Universalissima et perantiqua ecclesiae traditio est, Iohannem Zebedaei filium provecta aetate morte naturali Ephesi esse defunctum. Quae traditio ut ita dicam, ad Christianismi incunabula ascendit.

Affirmant hanc traditionem Eusebius, Dionysius et Clemens Alexandrinus, Tertullianus [2]). Saeculo secundo exeunte praeter Theophilum Antiochenum Polycrates [3]) hisce verbis solemnibus traditionem venerabilem suae Ephesinae ecclesiae refert: Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη τὸ πέταλον πεφορεκὼς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος· οὗτος ἐν Ἐφέσῳ κεκοίμηται; eandemque traditionem sanctus Irenaeus non semel confirmat [4]). In medio saeculo secundo Iustinus haud aliter ac adversarii eius apocalypsin Iohanni apostolo tribuunt, quod perinde est ac asserere, apostolum Asianis praefuisse ecclesiis. Immo evan-

---

1) Quam celebre fuerit Ioannis sepulcrum, testantur tum alii, tum Coelestinus Papa et Iohannes Antiochenus in *Conc. Ephes.*, Mansi IV p. 1288 et p. 1276, tum *Peregr. Aether.*, ed. Geyer p. 71. De sepulcro et variis narrationibus, quae cum eo connectuntur, alio loco fusius agam.

2) Cf. Euseb. *H E* III 1. 1; 20. 9; 23. 1—19; Dionys. Alex. apud Euseb. *l. l.* VII 25. 16; Clemens Alex. *si dives salvetur* 42, *M G* 9 p. 647 apud Euseb. *l. l.* III 23. 6; Tertull. *adv. Marc.* 4. 5, *M L* 2 p. 395. Vide etiam *frgm. Murator.*

3) Cf. Theoph. Antioch. *adv. Autolyc.* 2. 22. *M G* 6 p. 1088; Polycr. *epist. ad Vict. papam* apud Euseb. *l. l.* V 24. 3—7.

4) Cf. Iren. *adv. haer.* II 22. 5; III 1. 1 et 3. 4. Iniuria H. J. Holtzmann, *Ev. Brief. u. Offenb. des Iohannes*, p. 19 Irenaei testimonium in dubium revocat. Rem ex eo probare conatur, quod Irenaeus III 3. 4 Iohannem non apostolum vocat, sed discipulum Domini tantum. Sed non observat vir doctus, Irenaeum *l. l.*, postquam narravit qualem Iohannes et Polycarpus aversionem contra haereses habuissent, sic pergere: τοσαύτην οἱ ἀποστόλοι, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτῶν ἔσχον εὐλάβειαν; non observat Irenaeum II 22. 5 dixisse: *non solum Iohannem sed et alios apostolos*; non observat ab Irenaeo ubique Iohannem discipuli voce praedicari et quidem III 1. 1 hisce verbis: Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ οὗτος ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῇ Ἀσίας διατρίβων. Cum autem Irenaeus authenticitatem quarti evangelii admittat, mirum non est, eum praedilectione quadam discipuli vocem adhibere, utpote summopere Iohanneam.

Digitized by Google

gelium quartum — quidquid sit de eius origine — toto suo tenore ostendens scriptorem aetate alios Christi discipulos superasse, numquam Iohannis apostoli nomine inscribi potuisset, nisi iam inde ab initio firma fuisset Asiana traditio, filium Zebedaei post omnes alios diem supremum obiisse. Gravia igitur argumenta afferantur necesse est, ut eiusdem testimoniorum veracitas in dubium revocetur.

Ex altera vero parte iam inde a priscis temporibus Iohannes apostolus quodammodo ut martyr habetur coliturque. Fundamentum huius venerationis erat exilium quo mulctatus est auctor Apocalypseos in insula Patmos, ut indicatur *Apoc.* 1. 9: ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Πάτμῳ διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ, collato 1. 2: ὃς ἐμαρτύρησεν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅσα εἶδεν. Deinde Iohannes obnoxius etiam fuit crudelissimis illis persecutionibus, de quibus Eusebius *H E* III 5. 2. Haud improbabile quoque est, venerationem hanc promotam esse verbis propheticis Christi ad Zebedaei filios prolatis, de qua re statim plura. Quaenam autem historica veritas lateat in traditione quae iam saeculo secundo exeunte apparet de calice mortifero et oleo igneo, nos latet, praecipue quia haec duo tantopere correspondent calici et baptismati a Christo praedictis. Quidquid sit de origine huius venerationis, constat certissime illam iam ante tertium saeculum tum in oriente tum in occidente floruisse, uti patet ex verbis Polycratis, supra allatis, e testimonio Tertulliani, ex actis Iohanneis apocryphis, ex verbis Origenis [1]). Sed in aperto est in hoc cultu non agi de martyrio mortifero, sed de passione quadam intellecta sensu latiori.

1) De martyrio Iohannis cf. Polycr. *ad Victor.* apud Euseb. *H E* V. 24. 3 = Hieron. *de vir. ill.* 45; Tertull. *de praescript.* 36 = Hieron. *c. Iovin.* 1. 26, *M L* 23 p. 259 et *in Matth.* 3. 20, *M L* 26 p. 149; *Act. Ioh.* 9, ed. Bonnet II 1 p. 156 et Gregor. Nyss. *laud. alt. S. Steph.*, *M G* 46 p. 730; Orig. *in Matth.* 16. 6, *M G* 13 p. 1386. Polycrates Iohannem martyrem vocat; Origenes commemorat relegationem; acta loquuntur de calice a Domitiano porrecto; Tertullianus de oleo igneo. Vide deinde *Peregr. Aeth.*, ed. Geyer p. 71; Ps. Isid. *de ortu et obitu patr.* 43, *M L* 83 p. 1288; Ps. August. *Solil. anim. ad Deum* 22, *M L* 40 p. 882; *Concil. Eph.*, Mansi IV p. 1276; *Sacram. Leon.*, *M L* 55 p. 151; *Liturg. Mozarab.*, *M L* 85 p. 205. De testimoniis Ioh. Chrys. et *Liturg. Gallic.* postea plura. Romae martyrii traditio annexa est ecclesiae antiquae Iohannis ante port. Lat.

Digitized by Google

Illud etiam praenotari iuvat Zebedaei filios certe non ambo eodem tempore pro Christo mortem subiisse. Etenim dum mors Iacobi narratur *Act. Apost.* 12. 2, ubi satis clare tempus indicatur, Sanctus Paulus in epistola *ad Galatas* 2. 9, Iohannem inter vivos commemorat. Quod differentia est fere decem annorum. Contrarium autem hucusque nullo argumento vero probatum est. [1])

Traditio igitur perantiqua contendit Iohannem longaevum Ephesi esse mortuum simulque apostolum latiore quodam sensu martyrem proclamat. Contendunt autem quidam moderni [2]) se ex Papia ostendere posse, Iohannem Zebedaei filium a Iudaeis martyrio stricto esse affectum in Palaestinae regionibus. Quibus probatis sic argumentari licet: Certissimum est in Asia minori fuisse hominem magnae auctoritatis nomine Iohannem, eumque Ephesi esse mortuum. Atqui homo ille non erat apostolus, quippe qui in Palaestina interfectus est a Iudaeis, ut patet ex Papiae testimonio. Ergo Papias saltem indirecte docet Iohannem Ephesinum non fuisse apostolum, sed Iohannem alium, scilicet presbyterum.

Iam argumentum ex Papia desumptum inspiciamus. Agitur de duobus sat obscuris fragmentis. Primum nobis relictum est in epitome quadam saeculo septimo vel octavo conscripta. Vir doctus de Boor mihi demonstrasse videtur, fontem epitomatoris fuisse historiam ecclesiasticam Philippi Sidetis, qui ineunte saeculo quinto floruit [3]). Quae maxime ad rem nostram spectant transcribo [4]):

Παπίας Ἱεραπόλεως ἐπίσκοπος ἀκουστὴς τοῦ θεολόγου Ἰωάννου γενόμενος, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος, πέντε λόγους κυριακῶν λογίων ἔγραψεν. ἐν οἷς ἀπαριθμησιν ἀποστόλων ποιούμενος μετὰ Πέτρου καὶ Ἰωάννην, Φίλιππον καὶ Θωμὰν καὶ Ματθαῖον εἰς μαθητὰς τοῦ Κυρίου ἀνέγραψεν Ἀριστίωνα καὶ Ἰωάννην ἕτερον ὃν καὶ πρεσβύτερον

1) Vide quae hac de re animo haud incommoto scripserit vir doctus E. Schwartz, *Z N T W.* 1910 p. 89 sqq..

2) Cf. Latimer Jackson, *The problem of the fourth Gospel*, Excurse 1; E. Schwartz, *Abh. d. Gött. Ges. d. Wiss., N F*, VII 5, 1904; *Gött. Nachr.*, 1907, p. 266 sqq..

3) Cf. de Boor, *Text. u. Unters.*, 1888. V 2 p. 170—174.

4) Cf. Funk, *Patr. Apost.*, I, Papiae frgm. 11 p. 366 et de Boor, *l. l.*.

Digitized by Google

ἐκάλεσεν... Παπίας ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ λέγει, ὅτι Ἰωάννης ὁ θεολόγος καὶ Ἰάκωβος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθησαν.

Alterum fragmentum invenitur in codice Coisliniano 305 *chronici* Georgii Hamartoli seu Monachi et verbotenus sic sonat: [1])

Μετὰ δὲ Δομετιανὸν ἐβασίλευσε Νερούας ἔτος ἕν, ὃς ἀνακαλεσάμενος Ἰωάννην ἐκ τῆς νήσου ἀπέλυσεν οἰκεῖν ἐν Ἐφέσῳ. μόνος τότε περιὼν τῷ βίῳ ἐκ τῶν ιβ' μαθητῶν καὶ συγγραψάμενος τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον μαρτυρίου κατηξίωται. Παπίας γὰρ ὁ Ἱεραπόλεως ἐπίσκοπος, αὐτόπτης τούτου γενόμενος, ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ τῶν κυριακῶν λογίων φάσκει, ὅτι ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθη. πληρώσας δηλαδὴ μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ τὴν τοῦ Χριστοῦ περὶ αὐτῶν πρόρρησιν καὶ τὴν ἑαυτῶν ὁμολογίαν περὶ τούτου καὶ συγκατάθεσιν. εἰπὼν γὰρ ὁ Κύριος πρὸς αὐτούς· „δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ πίνω", καὶ κατανευσάντων προθύμως καὶ συνθεμένων· „τὸ ποτήριόν μου", φησίν, „πίεσθε καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε". καὶ εἰκότως· ἀδύνατον γὰρ θεὸν ψεύσασθαι. οὕτω δὲ καὶ ὁ πολυμαθὴς Ὠριγένης ἐν τῇ κατὰ Ματθαῖον ἑρμηνείᾳ διαβεβαιοῦται, ὡς ὅτι μεμαρτύρηκεν Ἰωάννης, ἐκ τῶν διαδόχων τῶν ἀποστόλων ὑποσημαινάμενος τοῦτο μεμαθηκέναι. καὶ μὲν δὴ καὶ ὁ πολυΐστωρ Εὐσέβειος ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ (cf. III. 1, 1) φησι· „Θωμᾶς μὲν τὴν Παρθίαν εἴληχεν, Ἰωάννης δὲ τὴν Ἀσίαν, πρὸς οὓς καὶ διατρίψας ἐτελεύτησεν ἐν Ἐφέσῳ". πάλιν: „ἐπὶ τούτοις ὢν καὶ Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας τελευτᾷ καὶ θάπτεται πρὸς τῶν αὐτόθι πιστῶν".

Ita praedictus codex. Ceteri vero omnes: [2]) Μετὰ δὲ Δομετιανὸν ἐβασίλευσε Νερούας ἔτος ἕν, ὃς ἀνακαλεσάμενος Ἰωάννην ἐκ τῆς νήσου ἀπέλυσεν οἰκεῖν ἐν Ἐφέσῳ. μόνος τότε περιὼν τῷ βίῳ ἐκ τῶν ιβ' μαθητῶν καὶ συγγραψάμενος τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο· περὶ οὗ ὁ πολυΐστωρ Εὐσέβειος κ. τ. λ. Quare quae Coislinianus solus habet et in aliis codicibus desunt, generatim interpolatori adscribuntur.

Quod si absque ulla ulteriore inquisitione duo fragmenta, ex epitome et Coisliniano desumpta, inspicimus, hac in re ut

1) Cf. Funk, *l. l.*, frgm. 12. p. 369.

2) Cf. Georg. Hamart., *Chron.* III 134, *M G* 110 p. 522; ed. Teubn. de Boor II p. 447. Varias lectiones quae pro re nostra minoris momenti sunt non refero.

Digitized by Google

patet conveniunt, Iohannem fratrem Iacobi ideoque apostolum a Iudaeis esse interfectum. Epitomator vero dicit Papiam huius Iohannis auditorem fuisse, dum codex aliquid plus affirmat, nempe Papiam martyrii fuisse testem ocularem [1]). Non agitur igitur de martyrio Palestinensi, sed de nece in Asia perlata; immo, ut Coislinianus indicat, Iohannes momento martyrii fuisset sat provectae aetatis; quae omnia haud credibile videntur nec passim tenent viri docti. Etenim explicari nullo modo potest hac in hypothesi, cur ecclesia Ephesina et tota traditio Asiana de tam gloriosa sui apostoli victoria tacuerit. Neque dici potest, Papiam de Iohanne presbytero egisse illumque Ephesi a Iudaeis fuisse necatum. Eusebius enim, ni fallor, rem certe nobis narrasset, quippe qui haud omisisset hoc criterio Iohannem presbyterum ab apostolo distinguere, quod tantopere ei cordi fuisse novimus.

At res critice inspicienda est, dicunt illi omnes, qui theoriam construunt, apostolum in Palaestina a Iudaeis esse interfectum: inquirendus est nucleus historicus et ex eo quod utrumque testimonium commune habet, clare elucebit, Papiam in secundo libro dixisse: Ἰωάννης καὶ Ἰάκωβος ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθησαν. Iohannes autem ille non alius esse potest nisi apostolus. Rem critice esse inspiciendam concedo libenter; quae autem exinde deducuntur admittere non possum.

Prae ceteris id constare videtur, ambo testimonia desumi ex fonte communi. Etenim modo insolito tum epitomator tum codex Coislinianus opus Papiae inscribunt κυριακὰ λόγια, opusque totum non in libros dividunt, sed in λόγους. Fons autem ille communis non erat ipsius Papiae liber. Nam non solum epitomator locutionem adhibet: Ἰωάννης ὁ θεολόγος, quae certo Papiae adscribi nequit, sed etiam in priore parte fragmenti, ubi de „enumeratione apostolorum" agit, clare ostendit se Hierapolitanum non inspexisse, sed potius rem deprompsisse ex Eusebio III 39 et 25. Vir doctus C. de Boor, ut dixi, se ostendisse existimat fontem epitomatoris fuisse Philippi Sidetis *historiam ecclesiasticam*, quod eo libentius concedo, quo mihi

1) Αὐτόπτης τούτου probabilius = testis ocularis huius rei. Conferas quae sequuntur: ὁμολογίαν περὶ τούτου.

Digitized by Google

veri similius est Iohannem Hamartolum, qui ut vidimus eodem ac epitomator fonte utebatur, non solum adhibuisse Eusebii et Iohannis Diaconi historiam, quod ex ipso chronico elucet, verum etiam Philippum, quippe qui illis intermedius est.

Philippi autem testimonium pro re nostra nullius valoris habeatur. Etenim epitomator aut Philippi sententiam verbotenus retulit aut sicut et auctor codicis fecit, liberius tantummodo excerpsit. Quod si excerpsit, quid Philippus praecise intenderit omnino ignoramus. Nam, ut ostendi, constat non esse verum Iohannem aetate provectum in Asia martyrium subiisse. Ideoque hac in re tum epitomator tum Coislinianus Philippi testimonium non clare perspexisse censeantur. Nec mirum. Nam epitomator etiam Eusebii verba sat confuse interpretatur, auctor codicis vero tum alibi multos textus disturbat, tum in re nostra superficialiter legendo Origenis verba male explicavit [1]). Si autem Philippi testimonium ab epitomatore ad litteram relatum est, omnia quae de epitomatoris infidelitate dixi in ipsum Philippum redundant, eiusque auctoritas prorsus depravatur. Accedit quod auctore de Boor haud absonum est, etiam Origenis testimonium male intellectum Philippo deberi. Quod si verum est etiam hanc ob causam Philippi auctoritas valde diminuitur. Quod si igitur ex fragmentis allatis ne colligere quidem possumus, quae ipsius Philippi verba fuerint et multo minus quid ipse Papias scripserit, luce clarius apparet quantopere a recta ratione absit, quasi pro re indubitabili affirmare Papiam certissime scripsisse: Ἰωάννης καὶ Ἰάκωβος ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθησαν. Quod tamen haud pauci faciunt. Immo ne Philippo quidem cum aliqua certitudine haec verba tribui possunt ob nimiam fontium infidelitatem.

Papiam vero aliquid scripsisse verbis Graecis modo conscriptis non omnino dissimile in aperto est. Attamen certe non dixit Iohannem Zebedaei a Iudaeis Palaestinensibus fuisse interfectum. Quod apparet ex origine codicis Coisliniani, de qua egregie disputavit de Boor in praefatione ea quam scripsit ad Georgii Monachi *Chronicon* [2]). Etenim codex Coislinianus non est opus

1) Cf. Orig. *in Matth.* 16. 6, *M G* 13 p. 1379; Funk, *Patr. Apost.*, I p. 370 n. 3.

2) Cf. *praefat.* in edit. Teubn. p. LX sqq. collatis *Text. u. Unters.*, 1888, V 2 p. 170 sqq. et Praechter, *Byz. Zeitschr.* 15, 1906, p. 307—330; Heisenberg,

Digitized by Google

alicuius interpolatoris, quod ad multa inter se pugnantia viam sterneret, sed potius primum quoddam schema, postea ab Hamartole expolitum atque correctum. In secunda lucubratione Georgius indigestam excerptorum molem melius ordinavit, multa addidit, longiora decurtavit, quaedam correxit. Ad hanc editionem emendatam alii omnes codices redeunt. Ita sagaciter de Boor, cuius opinio confirmatur ex eo, quod recensio prorsus singularis Coisliniana a posterioribus numquam allegatur, ex quo delucide apparet, primum schema non fuisse redactionem definitivam atque promulgatam.

Quibus praemissis pro re nostra oritur quaestio, cur Hamartolus in altera Chronici editione, testimonia duo perantiqua, Papiae dico et Origenis, expunxerit? Ne dixeris hanc quaestionem ne moveri quidem posse, cum agatur de monacho haud critico. Nam revera constat, duabus recensionibus inter se comparatis, Georgium in secunda redactione nonnullos fontes melius inspexisse, praecipue vero historiam Theodori Lectoris. Non est igitur cur negetur eum et Philippi libros denuo revolvisse. Quo facto Origenis testimonium utpote falsissimum iure merito eiecit. Quare si Papiae verba repudiat, non solum id fecisse censendus est, quia cum sequentibus Eusebii testimoniis pugnant, sed quia re denuo considerata perperam intellecta videbantur.

Et hac de causa nullo modo concedi potest Papiam re vera dixisse apostolum Iohannem a Iudaeis Palaestinensibus interfectum esse. Quod et aliis rationibus non tantum confirmatur sed etiam probatur. Etenim si re vera Papias haec verba scripsisset, quomodo explicatur ea ab Eusebio non commemorata fuisse? Verum est Eusebium non magnam Papiae existimationem habuisse, et despexisse multas Hierapolitani doctrinas mythicas et fabulosiores [1]). Sed hac in re non de mythis et parabolis agitur, sed de mero et simplici facto historico, quo Eusebii distinctio, quae est inter Iohannem presbyterum aposto-

---

Deutsch. Litt. Zeit., 1905, p. 855 sqq.; Meyer, *Theol. Litt. Zeit.*, 1906 p. 527 sqq.. Notes velim, codicem Coislinianum non esse ipsius Georgii manu conscriptum, sed opus librarii, qui suo modo multas annotationes marginales in textum ipsum inseruit.

1) Cf. Euseb. *H E* III 39. 11 et 12.

Digitized by Google

lumque, egregie esset confirmata non aliter ac theoria quam defendit de apocalypseos auctore atque origine. Deinde: quomodo explicatur adeo magnum factum historicum, ab homine relatum antiquitate venerabili, omnes illos fugisse, qui ante et post Eusebium Papiae opera propriis oculis perlustrarunt, cum ex altera parte constet iam inde ab initio propensionem fuisse, ut saltem aliquomodo Iohannes apostolus martyrii corona ornaretur [1]), et iam in antiqua ecclesia inquietudo quaedam exstaret et anxietas, utrum revera Christi verba ad calicem Zebedaei filiis bibendum spectantia, de facto essent expleta [2]).

Iure merito igitur affirmamus maiore certitudine quam generatim in rebus difficilioribus et intricatioribus philologicis habemus, Papiam non docuisse apostolum Iohannem a Iudaeis sanguineo martyrio esse interemptum. Disputari tantum potest de ratione qua error excerptorum ortus sit. Variae vias iniere viri docti, quarum quaedam iure merito relictae sunt. Sua probabilitate vero non caret sententia eruditi viri Zahn, qui [3]) supponit Papiam scripsisse: Ἰωάννης ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθη. Quem secutus est clarissimus Funk, qui autem lectionem praefert: Ἰωάννης καὶ Ἰάκωβος ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθησαν. Contendunt ambo Papiam non egisse de Iohanne apostolo sed de praecursore Domini, idque a posterioribus male esse intellectum. Bene observant a Papia Iohannem praeponi Iacobo, quod mirum esset si de apostolo ageretur, quippe qui certe post Iacobum vitam finivit. Nec absonum est Papiam simul de Baptista et de Iacobo Zebedaei egisse, cum uterque a rege interficeretur qui Herodes nuncupabatur. Zahnii sententia forsan ex eo confirmatur, quod in antiquo martyrologio Carthaginiensi [4]) VI Kal. Ian. simul commemorantur *Iohannes Baptista et Iacobus Apostolus quem Herodes occidit.* Sed obstat quod Iohannes et Iacobus a „Iudaeis" interfecti dicuntur. Quod quidem Zahn *l. l.* locis quibusdam consimilibus bene explicat. Sed si Iudaei dicuntur interfectores, ratio principalis cur Baptista et Iacobus

1) In memoriam revoces quae diximus supra, agentes de Iohannis martyrio latiore sensu intellecto.

2) Qua de re plura mox dicemus, de Christi vaticinio acturi.

3) Cf. Zahn, *Forschungen*, VI p. 147 sqq.; Funk, *Patr. Apost.*, I p. 366—369.

4) Cf. Lagrange, *Évangile selon saint Jean*, p. XLI sq..

Digitized by Google

coniungantur corruere videtur, homonymiam interfectorum dico. Quare mihi alia explicatio praeplacet. Credo Papiam egisse de iis rebus, quas Eusebius narrat *H E* III 5. 2 absque ulla fontis commemoratione. Agitur ibi de morte duorum Iacobum, quorum frater Iohannis apostoli unus, alter frater Domini. Quod si legeris verba Eusebii: *πρώτου τε Στεφάνου λίθοις ὑπ' αὐτῶν (Ἰουδαίων) ἀνῃρημένου εἶτα δὲ μετ' αὐτὸν Ἰακώβου ὃς ἦν Ζεβεδαίου μὲν παῖς ἀδελφὸς δὲ Ἰωάννου τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθέντος ἐπὶ πᾶσι τε Ἰακώβου τοῦ τὸν αὐτόθι τῆς ἐπισκοπῆς θρόνον πρώτου μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀνάληψιν κεκληρωμένου τον προδηλωθέντα τρόπον μεταλλάξαντος*, non miraberis ex talibus vel similibus verbis excerptores illos de quibus supra egimus, facile haurire potuisse etiam Iohannem apostolum subiisse martyrium. Quidquid autem de origine erroris sit, id certe constat Papiam non docuisse Iohannem Zebedaei filium in Palaestino a Iudaeis fuisse interfectum.

At adversarii putant se putativum Papiae testimonium confirmare posse variis indiciis historicis, quae licet singula quaeque rem non dirimant, simul tamen considerata haud parum valere contendunt [1]). Quare singula accuratius inspicienda erunt et cum singula quaeque vera probabilitate historica careant, relinquenda.

Argumentum primum desumitur ex celebris illis pericopis *Matth.* 20. 20—23 et *Marc.* 10. 35—40, ubi Christus Zebedaei filiis denegat quidem sedem a dextra sua et sinistra, promittit vero calicis sui et baptismatis participationem. Concedo libenter Iesum Zebedaeidis praedixisse labores passionesque futuras, sed prophetasse Christum martyrium perfectum sanguineum non video. Etenim res per se evidens minime est. Disputant theologi de multis, quae ad hanc praedictionem spectant; disputant inter se quid redemptor noster praecise dixerit, cum verba

1) Prae ceteris conferatur H. Latimer Jackson, *The problem of the fourth Gospel*, in excursione prima, p. 143—150, ubi omnia argumenta comprehenduntur. Deinde Lietzmann, *Petrus und Paulus in Rom*, p. 98 sqq. Quod ad crisin vide Lepin, *L'origine du quatrième évangile*, p. 108 sqq.; Stanton, *The Gospels as hist. doc.*, III p. 113 sqq.; Spitta, *Z N T W*, 1910, p. 39 sqq.; Lagrange, *Évangile selon saint Marc*, p. 260 sqq.; *Évangile selon saint Jean*, XL sqq..

Digitized by Google

Marci et Matthaei non sint plane eadem [1]). Sed quidquid sit de hisce quaestionibus, falsa mihi illa exegesis videtur, qua imaginibus quibus Christus utitur, calicis dico et baptismatis, sensus subicitur, quem verba illa non nisi post passionem Christi accepere. Calix apud Hebraeos imago erat notissima fortunae sive faustae sive infelicis, quam cuique Deus tribuit. Quod si vero Christus de baptismate loquitur, eo ipso in memoriam revocatur solemnis illa hora, qua Iohannis baptismati sese subiciens summae humilitatis exemplum praebuerat. Certe non licet in testimonia allata reflexionem theologicam Paulinam introducere (*Rom.* 6. 3). Constat deinde apostolos nil intellexisse de vero sensu verborum, quibus Christus mortem suam indicaverat (*Luc.* 18. 34), ideoque nec Iacobus nec Iohannes de vero martyrio cogitaverunt, cum Christo responderent se calicem ipsius bibere posse. Christus autem iis id tantum praedixit, quod illi se portaturos firmiter affirmaverant. Quod etiam ex iis quae sequuntur elucere videtur. Etenim contentione quadam exorta inter apostolos de Zebedaeidarum praesumptione, Christus apostolos docet eum solum fore maiorem in regno suo et primas partes habiturum, qui quam maxime se humiliasset.

Sed theologum non ago. Unum est hac in re quod mirer, impletionem vaticinii tam acriter defendi a multis, qui alibi prophetias quam minime admittant. Historice autem si res spectatur, argumentum desumptum e praedictione Christi vanum est. Nimis facile retorquetur. Si enim re vera Iohannes martyrium subiit, illudque re vera erat praedictum a Christo, aut, ut e mente quorundam adversariorum clarius eloquer, si Iohannes re vera cum Iacobo interfectus est et Christi prophetia inventa est, ut mors illa gloriosa per evangelium in toto mundo celebraretur, fieri omnino non potuit, ut huius vaticinii impletio oblivioni daretur et antiqui patres inquietudine quadam angerentur de Christi verborum exitu. Iam secundo saeculo *versione Syriaca* [2]) verba Christi: *calicem quidem*

1) Primaria difficultas in eo est, quod Marcus loquitur de calice, quem Christus bibebat, Matthaeus de calice bibendo postea.

2) De versione Syriaca scite Lagrange, *Évangile selon saint Marc*, p. 262;

Digitized by Google

meum bibetis, mitigantur et redduntur: *calicem quidem meum bibere potestis*, et speciatim quod ad Iohannem spectat, de prophetiae impletione multi patres suam quisque solutionem proponunt [1]). Quare melius erit argumentum e vaticinio Christi depromptum omnino relinquere. Forsitan plus quam alii apostoli omnes praedilectus discipulus sub cruce magistri calicem Domini participavit et sine sanguinis effusione: haec dominicae passionis participatio sola iam sufficit ut Christi verba plene comprobata censeantur.

Minime autem persuasum mihi est, argumentum ex prophetia Christi depromptum aliquomodo corrobari posse verbis sancti Polycarpi, quae referuntur in *martyrii* eius relatione [2]) cap. 14: *κύριε .... εὐλογῶ σε, ὅτι ἠξίωσάς με τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας ταύτης, τοῦ λαβεῖν με μέρος ἐν ἀριθμῷ τῶν μαρτύρων ἐν τῷ ποτηρίῳ τοῦ Χριστοῦ σου*. Nam etsi haec verba procul dubio allusionem continere possunt ad Christi vaticinium, id solum ostendunt calicis vocem a Polycarpo adhiberi ut martyrium significet, minime vero participare calicem semper idem valere ac necem subire. Immo qui contendit se in numero martyrum partem calicis habere, quod utique maxime gloriosum est, concedere videtur etiam in confessorum numero Christi calicem participari posse. Quod ni fallor clare elucet ex vetusto testimonio Clementis Alexandrini, qui licet minime teneat omnes apos-

---

selon saint Jean, p. XLII. Eodem modo Hilar. *in Matth.* 20. 9, *M L* 9 p. 1031: *Dominus collaudans eorum fidem ait, martyrio quidem eos secum compati posse.*

1) Cf. *frgm. Polyc.* 2, apud Funk, *Patr. Apost.*, II p. 397; Origen. *in Matth.* 16. 6—8. *M G* 13 p. 1383 sqq.; *exh. ad mart.* 28, *M G* 11 p. 596; Hilar. *l. l.*; Hieron. *in Matth.* 3. 20, *M L* 26 p. 148; Ambros. *de fide* V 5. 6, *M L* 16 p. 692; August. *Serm.* 296: 4. 5, *M L* 38 p. 1354; Gregor. Magn. *Dial.* 3. 26, *M L* 77 p. 281 et *Hom. in Ev.* II h. 35. 7, *M L* 76 p. 1263; Clem. Alex. *Paed.* 1. 6, *M G* 8 p. 304 C; Basil. *Hom. in ps.* 115, *M G* 30, p. 110; Greg. Naz. (*in Mtth.* 19. 14) *or.* 37. 14, *M G* 36 p. 299; August. *in epist. Ioh. ad Parth.*, *M L* 85 p. 2014.

2) Cf. Funk, *Patr. Apost.*, I p. 330. In refutatione non refero ad *frgm. Polycarp.* 2, Funk, *l. l.*, II p. 397, ubi verba Christi: *calicem meum bibetis* sic explicantur: *per huismodi potum significat passionem, et Iacobum quidem non sine* (cod. *novissimum*; Funk *novit primum*; Zahn *novimus*) *martyrio consummandum, fratrem vero eius Iohannem transiturum absque martyrio. Quamvis et afflictiones plurimas et exilia tolerarit, sed praeparatam martyrio mentem Christus martyrem indicavit.* Non enim constat, unde Victor Capuae episcopus haec verba desumpserit.

Digitized by Google

tolos martyrio suum sanguinem pro Christi nomine fudisse, tamen haec habet: [1]) *μόνος τοίνυν ὁ Κύριος διὰ τὴν τῶν ἐπιβουλευόντων αὐτῷ ἀνθρώπων καὶ τὴν τῶν ἀπιστίων ἀποκάθαρσιν „ἔπιε τὸ ποτήριον", ὃν μεμούμενοι οἱ ἀποστόλοι ... ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν, ἃς ἔπηξαν, ἔπαθον*, et paulo post affirmat omnes illos veros gnosticos, qui *ἀσκανδάλιστοι τὰς θλίψεις ὑπομένουσιν*, esse eos qui *τὸ ποτήριον πίωσιν*.

Aliud argumentum pro Iohannis martyrio Palaestinense allatum, quod a nonnullis habetur firmissimum, desumitur ex antiquo *martyrologio Syriaco* Ariano, ubi secundum versionem quam nobis praebuit vir doctus Lietzmann haec habentur: *et die 27 Dec. Ioannes et Iacobus apostoli in Hierosolymis et die 28 Dec. in eodem primo canone in urbe Romae Paulus apostolus et Symeon Kephas, caput apostolorum Domini nostri.* Cui consonum est *martyrologium Armeniae*, quod exeunte mense Dec. festum refert filiorum tonitrui Iacobi et Ioannis [2]).

Non disputo de valore historico testimonii Syriaci, licet non sit primi ordinis [3]), neque de discrepantia *martyrologii Carthaginiensis*, ubi VI Kal. Ianuar. annuntiatur festum *Ioannis Baptistae et Iacobi apostoli quem Herodes occidit*, quam traditionem vir doctus Lagrange, dissentiente vero Lietzmannio, primitivam putat et genuinam non solum Carthagine sed etiam Hierosolymis [4]). Suppono martyrologium Arianum re vera

---

1) Cf. Clem. Alex. *Strom.* 4. 9, *M G* 8 p. 1284 *d* et 1285 *a*.

2) Cf. Lietzmann, *Die drei ältesten Martyrologien*, *Kl. T.* II p. 9 et *Petrus und Paulus in Rom.*, p. 92 et p. 94.

3) Hac de re vide Stanton, *The Gospels as histor. doc.*, III p. 114 sqq., ubi fusius agitur de Syriaci martyrologii indole historica. Conscriptum est documentum illud initio saeculi quinti; est autem abbreviatio documenti Graeci medio saeculo quarto confecti. Opus haud accurate redactum est. Sic exempli gratia Alexandriae dicitur commemoratio fuisse Claudiani atque Didymi, dum aliunde constat Alexandriae non nisi Didymum, Nicomediae vero solum Claudianum commemoratum fuisse. Cf. Lietzmann, *l. l.*, *Kl. T.* II, p. 11 die 5 April.

4) Cf. Lietzmann, *Kl. T.*, II p. 7. atque *Petr. u. Paul. in Rom*, p. 101; Lagrange, *Évangile selon saint Jean*, p. XLI. Quod ad opionem spectat quam defendit Lagrange, vides quam arcte cohaereat cum iis quae supra diximus de Philippi Sidetis testimonio. Lietzmann vero putat etiam Carthagine iam inde ab initio Iacobum et Johannem apostolum simul cultos fuisse. Ratio quam affert, cur Cathaginienses postea Baptistam in Evangelistae locum elegissent, convincere nequit. Dicit convictionem, aetate posteriore subortam, sc. Iohannem senem Ephesi

Digitized by Google

referre cultum Palaestinensem saeculi quarti. Quid inde? Iam antea vidimus saeculo altero exeunte atque deinceps Iohanni apostolo latiore quodam sensu martyrum venerationem tributum fuisse; *martyrologium Syriacum* autem minime eos solos sanctos recensere, qui veri nominis martyrio interempti sint, clare elucet e festo 6 Iulii, commemoratione ipsius Arii! Ergo ad perfectum Iohannis martyrium adstruendum pro cultu primitivo Arianum testimonium ne afferatur. Accedit quod gravissimae rationes aderant, cur etiam absque communi martyrio Iohannes atque Iacobus coniungerentur. Erant enim fratres, in evangeliis ut filii Zebedaei et filii tonitrui arctissime coniuncti, ideoque et in cultu facilius uniendi. Insuper non ignoramus iam antiquitus a fidelibus praedilectione quadam consanguineos [1]) Salvatoris in festivo nativitatis Christi Domini cyclo esse collocatos, qua in re habemus mirum documentum, relatum a Cosma Indicopleusta [2]), quo egregie Syriacum Kalendarium complere possumus. Refert Cosmas quaedam, quibus haud obscure ostenditur quantum errent, qui argumentum e Syriaco martyrologio peremptorium proclament: Μόνοι δὲ οἱ Ἱεροσολυμῖται ἐκ στοχασμοῦ πιθανοῦ, οὐκ ἀκριβῶς δὲ, ποιοῦσι τοῖς ἐπιφανίοις (festum nativitatis). τῇ δὲ γέννᾳ μνήμην ἐπιτελοῦσι τοῦ Δαυῒδ καὶ Ἰακώβου τοῦ ἀποστόλου· οὐ πάντως καὶ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῶν δύο τελευτησάντων· ἀλλ' ὡς γε οἶμαι, ἵνα καὶ αὐτοὶ μὴ ἔξωθεν τῆς ἑορτῆς μείνωσι τῶν κατὰ σάρκα συγγενῶν τοῦ Χριστοῦ, ἐκτελοῦσι μνήμην πάντες, τὸν Θεὸν διὰ πάντων δοξάζοντες. Ἀμήν. Quae verba licet primo aspectu videantur singularia,

---

fuisse mortuum, minime cum festo Iacobi et Iohannis „martyrum" componi potuisse. Desideratur autem argumentum convincens traditionem Ephesinam non esse primitivam. Sed etiamsi convictio talis posterius exorta sit, ne tunc quidem erat cur festivitas mutaretur. Nam ex Tertulliani dictis constat, iam antiquitus in Africa Iohannem martyrum choro asscriptum fuisse tum ob exilium tum ob oleum igneum. Immo in ipsa urbe Ephesi Iohannes martyr simul et confessor habebatur! Credo ambo viros doctos errare, et iam inde ab initio kalendarium Hierosolymitanum et kalendarium Carthaginiense dissimilia fuisse. Cf. etiam Ps. Isidor. *de ortu et obitu patrum* 43, *M L* 83 p. 1289: *Eiusdem itaque Iohannis natale in Epheso VI Kal. Ianuar. colitur. Alii dormitionem eius VIII Kal. Iulii dicunt, quando nativitas Iohannis Baptistae celebratur.*

1) Mater filiorum Zebedaei Salome erat, consanguinea ut fertur B. M. V..

2) Cf. *Topogr. Christ.* 5, *M G* 88 p. 197, ed. Montfaucon 195.

Digitized by Google

triplici documento firmiter comprobantur. Etenim non solum confirmantur a scriptore quodam orientali [1]), non solum Armeni quoque in hoc festo peragendo Hierosolymitanos secuti sunt [2]), in sexta adventus hebdomada memoriam venerantes *prophetae Davidis atque Iacobi apostoli, fratris Domini*; sed etiam origo huius festi nobis nota est. Cohaeret enim cum solemnitate antiqua Iudaica Davidis regis et Iacobi patriarchae, quam Christiani imitati sunt, Iacobo apostolo pro patriarcha substituto [3]). Si igitur David et Iacobus frater Domini, e mente antiquorum Christianorum absque mutuo martyrio feliciter coniungi poterant, eo magis Iohannes et Iacobus fratres, martyres ambo, licet non ambo perempti fuerint martyrio.

Sed et alia ratione ostendi potest ex festo Hierosylimitanae ecclesiae deduci non posse, agi de communi filiorum Zebedaei perfecto martyrio. Nam exeunte saeculo quarto tum in Cappadocia tum in urbe Antiochiae Iohannis Iacobique commemoratio habebatur, addito Petro apostolorum principe. In Cappadocia haec festivitas agebatur die 27 Dec., ut recte probavit vir doctus Usener ex quibusdam Gregorii Nysseni orationibus [4]), Lietzmann autem ex testimoniis indirectis Iohannis Chrysostomi ostendit kalendarium Cappadociae etiam Antiochiae valuisse [5]). Minime autem in regionibus illis Iohannes colebatur ut martyr perfectus, sed latiore tantum sensu martyrum choro „adnumerabatur", ut fusius postea ex Chrysostomi testimoniis probabo, sed et ipsissimis verbis a Gregorio Nysseno indicatur [6]). Ratio

---

1) Ananias Schiracensis, Armenus. Cf. Lietzmann, *Petr. und Paul. in Rom*, p. 94 n. 5.

2) De Kalendario Armeno, vide Lietzmann, *l. l.*, p. 94.

3) Cf. Antonin. Placent. *Itin. Hier.*, ed. Geyer, p. 179: *Depositio Iacob et David in terra illa alio die de natale Domini devotissime celebratur, ita ut ex omni terra illa Iudaei conveniant*, apud. Lietzmann, *l. l.*, p. 95 n. 1.

4) Vide Usener, *Weihnachtsfest*, 255 sqq.; cf. Greg. Nyss. *in laud. Basil.*, *M G* 46 p. 788 *c*.; *alt. laud. S. Stephani*, *M G* 46 p. 725 *c*, p. 729 *b*, p. 733 *a*; Lietzmann, *l. l.*, p. 93.

5) Lietzmann, *l. l.*, p. 93 sq..

6) Cf. *alt. laud. S. Stephani*, p. 729 *d* et 732 *a*: ὁ δὲ μακάριος Ἰωάννης ἐν πολλαῖς καὶ διαφόροις κατὰ τὸν βίον ἀθλήσας ἀγῶσι, καὶ ἐν πᾶσι διαπρέψας τοῖς κατορθώμασι τῆς εὐσεβείας, κενὸν μὲν εἰς ὕδωρ τοιοῦτο πέρας κατακεκριμένος, τῷ χορῷ τῶν μαρτύρων συνηρίθμηται. (παρὰ γὰρ δικάζουσιν, οὐκ ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως τοῦ πάθους, ἀλλὰ πάς' αἱρέσεως τοῦ πόθου κρίνεται τὸ μαρτύριον). Cod. Vatic. Gr.

Digitized by Google

autem triadis illius, Petri Iohannis Iacobi, eodem Gregorio testante, in ipsa scriptura erat fundata. Nam tres illi apostoli iique soli cum Christo erant in monte Thabor, in domo Iairi, in hortulo Olivarum [1]). Apparet e praedictis quam varia consideranda sint, ut origo explicetur alicuius festi in quo plures sancti coniunguntur: ipsorum sanctorum consanguinitas, traditio Iudaica, coniunctio specialis quae erat cum Christo, festorum cycli, evangeliorum narratio.

Cum antiquis martyrologiis arcte connectuntur alia quaedam documenta, e quibus aliqui deduci posse sibi persuasum habent non quidem immediate Iohannis perfectum martyrium sed saltem traditionem antiquam qua commune Zebedaeidarum martyrium supponeretur [2]): preces dico *liturgiae Gallicanae*, quae conscriptae saeculo septimo etiam praecedentis aevi ritum conservant. Tum missale Gothicum tum Bobbiense in natale apostolorum Iacobi et Iohannis in orationibus missae gloriosum utriusque martyrium exaltat, quod Christus bibitione sui calicis praedixerat. Missae evangelium in libro Bobbiense est celebris pericope *Matth.* 20. 20—23, in lectionario Gallicano Luxoviense *Marc.* 10. 35 cetera. Sed quomodo ex hisce documentis pro re nostra aliquid deduci possit non video. Nam probandum est martyrium Iohannis perfectum. Saeculo autem sexto in tota ecclesia ex una parte Iohannes martyr habetur, ex altera parte confessor aetate provecta defunctus Ephesi [3]); quod utrumque in liturgia Gallicana clare exprimitur. Nam in benedictione populi recte Iohannis et Iacobi diversa conditio hisce verbis indicatur: *fructificet in hoc populo, quod semina-*

446, saec. XIII, f. 268: κενὸν μὲν εἰς ὕδωρ τοῦτο πέρας κ . . . κεκρίμενος.. Verbis illis: *frusta tandemaliquando ad talius aquae poenam condemnatus*, indicatur ni fallor oleum igneum.

1) Cf. *alt. laud. S. Stephani*, p. 732. In *oratione de S. Theod. martyr.*, *M G* 46 p. 747 solemni precatione invocantur fundatores ecclesiarum Asianarum: Petrus et Paulus et Iohannes, theologus ac discipulus dilectus. Non nominatur Iacobus. Vides quae differentia inter duos fratres sit.

2) Cf. Lietzmann, *Petr. und Paul. in Rom*, p. 102. Quoad missam Iohannis et Iacobi, cf. *missale Gothicum*, *M L* 72, p. 232, *missale Bobbiense*, *ibid.* p. 468; *lection. Gallic.*, *ibid.* p. 175.

3) Immo in *liturgia Mozarabica* simul commemoratur „lethale virus" quod Iohannes bibit et gloriosa eius corporalis assumptio! *M L* 85, p. 205.

Digitized by Google

vit iste verbo, plantavit ille martyrio et in collectione ad pacem [1]) liturgia haud obscure testatur, Iohannem post omnes apostolos esse mortuum: *Domine aeterne, cui ita in sanctis apostolis tuis Iacobo et Iohanne placuit arcanum dispensationis implere, ut glorioso passionis exemplo, chorum apostolorum ille praecederet, iste praemitteret* [2]*; atque ita inter utrumque grex consummaretur beatus, ut omnium devotionem ille praecederet, iste concluderet; miserere nostri et exaudi nos et praesta, ut possimus praedictorum martyrum tuorum apostolorumque, vel illius exemplo fidem tenere, qua coronatur vel istius magisterio caritatem discere, quam docetur.* Quae ulteriore explicatione non indigent.

De liturgia Romana non est cur multa dicam. In natali sancti Iohannis evangelistae *sacramentarium Leonianum* [3]) hanc orationem refert: *Miserator et misericors Dómine, qui nos continuis coelestium martyrum non deseris sacramentis, praesta quaesumus, ut quae sedulo celebramus affectu, grato tibi percipiamus obsequio.* Patet igitur, quod ex traditione quoque scimus, quae annexa est ecclesiae Sancti Iohannis ante port. lat., evangelistam in urbe Romae inter martyres fuisse collocatum, ni fallor, ob venenosi calicis oleique ignei supplicium mirifice superatum. E forma plurali „martyrum" vero minime erui potest, olim etiam in Romana liturgia Iacobum et Iohannem coniunctos fuisse, ut ex aliis precibus liturgicis apparet. [4])

Post documentum Arianum variasque liturgiae orationes videamus testimonium quoddam gnosticum, cui autem minor vis probandi inest. Clemens Alexandrinus [5]) scilicet memoriae servavit fragmentum haud ita parvum Heracleonis gnostici

---

1) Collectio ad pacem, *M L* 72 p. 233 *b* et 469 *c*; benedictio populi, *ibid.* p. 234 *a*.

2) Praemittere chorum = permittere ut chorus praecedat.

3) Cf. *Sacram. Leon.*, *M L* 55 p. 151 *d*.

4) Vide exempli gratia orationes in honorem sancti Stephani, *M L* 55 p. 90 *b* et *c*; orationem in honorem sancti Laurentii, *ibid.*, p. 95 *a*, cetera. Mirum est in *Capitul. cod. S. Gallens.* 349, ed. Silva—Tarouca (*Memor. pontif. acad. Rom. di archeol.* ser. II vol. I p. I, 1923, p. 194) ecclesiam Romanam, dictam „ad apostolos", quae dedicata est sanctis Philippo et Iacobo, nuncupari: *ad apostolus Iacobi et Iohannis.* Conferas tamen *Capit. ibid.* p. 218 not. ad p. 194.

5) Cf. *Strom.* 4. 9, *M G* 8 p. 1281.

Digitized by Google

atque Valentini discipuli, quod tum alia tum haec refert: ὡ γὰρ πάντες οἱ σωζόμενοι ὡμολόγησαν τὴν διὰ τῆς Φωνῆς ὁμολογίαν, καὶ ἐξῆλθον. ἐξ ὧν Ματθαῖος, Φίλιππος, Θωμᾶς, Λευΐς, καὶ ἄλλοι πολλοί. Agit de illis qui professionem fidei publicam repudiant seseque fuga subtrahunt, quod Heracleon magnopere laudat, et deinde quattuor apostolos commemorat, quos putat martyrium non subisse; Iohannem vero non nominat, unde adversariorum difficultas. Concederem forsitan argumentum aliquid valere, si enumeratio esset accurata atque completa nec illa sequerentur: *et alii multi.* Sed etiam ex contextu apparet, testimonium omni probandi vi carere. Etenim Heracleon exegetice declarat *Luc.* XII 11 et 12, ubi sermo est de professione fidei coram magistratibus et civili potestate facienda, et binas professionum species distinguit, unam quae verbis fit apud magistratus, alteram quae in probitate vitae consistit; quarum primam contendit etiam in hypocrita adesse posse, ideoque per se non multum valere. Igitur nec omnes apostolos publice coram iudice testimonium dedisse ac sese periculo subtraxisse. Apparet ex praedictis cur auctor ille gnosticus Ioannem reticuerit. Nam Iohannes non solum solemne ac publicum fidei testimonium dedit, sed illud apud summam imperii potestatem praebuit, mortem non renegans. Clemens vero Heracleoni respondet distinguendo. Concedit et improbos aliquando publice confessos esse, negat autem martyrium „perfectum" strenue et constanter ab hypocrita perferri posse, utpote naturales improbi vires nimium excedens.

Quintum argumentum quo stabiliatur Iohannis veri nominis martyrium, desumitur ex apocrypha *passione Sancti Andreae*, apud Bonnet II 1 p. 46. In proöemio nempe narratur qui factum sit ut apostoli post adventum Spiritus Sancti inter se totum orbem terrarum dividerent: καὶ ἐκληρώθη Πέτρος τὴν περιτομήν· Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης τὴν ἀνατολήν· Φίλιππος τὰς πόλεις τῆς Σκυθίας καὶ τὴν Ἀσίαν κ. τ. λ. Relicta iterum discussione, quinam sit apocryphi huius valor historicus, illud unum animadvertam Iacobum non in Orientales plagas esse profectum, sed Hierosolymis degentem morte gloriosa esse coronatum. Quodsi vero voce ἀνατολῆς Palaestinam intellegis, mirum non est Iohannem inde expulsum, alibi praedicasse Christum Dominum, prout rerum eventus exigerent.

Digitized by Google

Restat testimonium Syri Aphraatis, qui in fine homiliae quae *de persecutione* inscribitur [1]), haec habet: *Magnum et praeeminens est Iesu martyrium ... quem secutus fidelis martyr Stephanus, lapidatur a Iudaeis. Simon quoque et Paulus perfecti erant martyres. Iacobus et Iohannes pressere magistri sui Christi vestigia. Et alii ex apostolis postea variis in locis confessi sese veros martyres praebuere.* Primum in memoriam revoco animadversionem viri docti Lagrange, constare ex Syriacis evangelii versionibus Syros de mortifero Iohannis martyrio ne cogitasse quidem. Deinde patet luculenter ex ipso testimonio allato, ab Aphraate separari perfectos martyres a minus perfectis. Videre quoque est Syrum multo fortius de Petro et Paulo quam de filiis Zebedaei sese exprimere. Et postremum in afferendis testimoniis „oratorum" cautio aliqua non est superflua; quod ex mon dicturis apparebit.

Est enim documentum in operibus Sancti Iohannis Chrysostomi [2]) quod prima fronte quaestionem sua claritate videtur omnino dirimere. Scriptum legimus *in Matth. hom.* 65 (66) 2, *M G* 58. p. 620, ubi orator sermonem facit de prophetia Christi data filiis Zebedaei: *μεγάλα αὐτοῖς προφήτευσεν ἀγαθά. τουτέστι, Μαρτυρίου καταξιωθήσεσθε, καὶ ταῦτα πείσεσθε ἅπερ ἐγώ. βιαίῳ θανάτῳ τὴν ζωὴν καταλύσετε, καὶ τούτων μοι κοινωνήσετε*, et cap. 3: *ὃ τοίνυν φησὶν ὁ Χριστὸς, τοῦτό ἐστιν. Ἀποθανεῖσθε μὲν δι' ἐμέ καὶ σφαγήσεσθε τοῦ κηρύγματος ἕνεκεν, καὶ κοινωνήσετέ μοι κατὰ τὸ πάθος.* Re vera haec verba sua claritate minime carent. Quando autem non multo post cap. 4 apostolorum virtutes inter se comparans, iterum de Zebedaei filiis mentionem facit, Iacobi martyrium quidem narrat: *ὁ δὲ Ἰάκωβος μακρὸν μὲν οὐκ ἐπέζησε χρονον ... καὶ πάντα τὰ ἀνθρώπινα ἀφεὶς πρὸς ὕψος ἀνέδραμεν ἄφατον, ὡς εὐθέως σφαγῆναι*, Iohannis vero passionem non indicat, tantum humilitatem eius extollens. Quod iam mirum est. Multo autem magis miraberis ea perlegens, quae Chrysostomus scribit in homilia quam *contra Anomoeos* habuit

1) Cf. H. Latimer Jackson, *The problem of the fourth Gospel*, in excursione prima p. 147; G. Bert, *Aphrahat's Homilien*, p. 347 sq..

2) Vide etiam modum loquendi Gregorii Nysseni, *M G* 46. p. 729 b; qui et p. 789 *b* sanctum Stephanum aliquomodo apostolis adiungit.

Digitized by Google

de petitione filiorum Zebedaei cap. 5, *MG* 48 p. 775. Calicem enim atque baptisma, quorum Iohannes et Iacobus participes erunt sic explicat: *τὸν θάνατον οὕτω λέγων· καὶ γὰρ Ἰάκωβος ἀπετμήθη μαχαίρᾳ, καὶ Ἰωάννης πολλάκις ἀπέθανεν*, alludens ni fallor ad traditionem calicis venenosi et olei ignei! Alibi *in Matth.* 76 (77). 2, *MG* 58 p. 696 explicat, cur Iohannes in quarto evangelio nil de prophetia dixerit quam Christus fecerat de excidio Hierosolymae, et rationem affert: ne Iohannes qui multum temporis post excidium vixerit, ex eventu scripsisse videatur. Iohannem vero in Asia habitasse, explicite affirmat *in Ioh. hom.* 1 (2), *MG* 59 p. 31, dicens Iohannem vixisse in Asia, ubi philosopharent Graeci sapientes. Traditionem Ephesinam confirmat *ad Theod. laps.* 1. 17, *MG* 47 p. 305, historiam Clementinam apostoli et latronis pernotam supponens. Et tandem aliquando in argumento *comm. ad Eph.*, *MG* 62 p. 9 simpliciter declarat: *καὶ ὁ μακάριος δὲ Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς τὰ πολλὰ ἐνδιέτριψεν ἐκεῖ* (sc. Ephesi)· *καὶ γὰρ ἐξωρίσθη ἐκεῖ καὶ ἐτελεύτησεν.* Vides modo me non nimium audere cum illud contendam, oratoris verba cum grano quodam salis esse accipienda.

Haec sunt celebra illa argumenta, quibus Iohannis apostoli verum martyrium demonstratur quaeque antiquissimae et universali traditioni Ephesinae opponuntur. Certe non omnia attulissem, si non a viris doctis acriter essent defensa [1]).

* * *

Ex praedictis omnibus patet traditionem Eusebio anteriorem et posteriorem, sive directam sive indirectam, theoriae existentiae Iohannis cuiusdam presbyteri ab apostolo distincti minime favere vel potius contradicere. Sed insuper: tum Eusebius tum Hieronymus in sua hypothesi minime sibi constant.

Quod ad Eusebium spectat: in *Chronico post Traianum*

1) Operae pretium forsitan erit in ea inquirere, quae Patres de alia Christi locutione sentiant, *Ioh.* 21. 22: *ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ*; Conferas exempli causa: Tertull. *de anima* 50; Hilar. *de Trinit.* 6. 39; Ambros. *in Luc.* 7. 4; *in Ps.* 118, 20. 12; *de exc. fratr.* 2. 49; August. *Tract.. 124 in Ioh.* 21. 1—3, *ML* 35 p. 1969 sq. et *Serm.* 253. 3 et 4, *ML* 38 p. 1181 cet., qua de re alibi agam.

Digitized by Google

scribit, post Iohannem apostolum eius auditores Papiam Hierapolitanum et Polycarpum Smyrnae episcopum insignes fuisse [1]), postea autem in libro tertio *Historiae Ecclesiasticae* cap. 39 suam sententiam mutat. Sed nova illa opinio ei non multum placuisse videtur. Nam in libro septimo eiusdem operis cap. 25 non sine voluptate referens quid Dionysius Alexandrinus de reicienda apocalypseos authenticitate sentiat, alterius Iohannis existentiam non denuo attingit, quamquam Dionysius sua relatione Eusebium invitaret aliquomodo, ut ad ea quae antea de Papia et de presbytero dixerat, iterum rediret. Et in *Demonstr. Evang.* 5, *M G* 22 p. 215 Eusebius sic scribit: ἐν μὲν γὰρ ταῖς ἐπιστολαῖς αὐτοῦ (Ἰωάννης) οὐδὲ μνήμην τῆς οἰκείας προσηγορίας ποιεῖται, ἢ πρεσβύτερον ἑαυτὸν ὀνομάζει, οὐδαμοῦ δὲ ἀπόστολον. Admittit igitur epistolam secundam et tertiam Iohanneam scriptas esse ab apostolo, non a presbytero Iohanne, etsi auctor non nisi presbyterum semetipsum praedicat.

Dum Eusebius suam opinionem certe magni non habuit, Hieronymus eam, implicite saltem, retractavit. Nam certum est Hieronymum, *de vir. ill.* c. 18, Eusebii hypothesin laudantem, nondum propriis oculis ipsa Papiae opera perlegisse. Quod clare apparet ex verbis: *Hic (Papias) dicitur mille annorum iudaicam edidisse* δευτέρωσιν, ut bene vir doctus Funk in animadversionibus suis annotavit. Constat autem caput illud scriptum esse ante annum 392, quia et celebre caput 135, ubi ipsius Hieronymi opera enumerantur, illo anno scriptum est. Sed apparet Hieronymum postea Papiae opus perlustrasse. Nam anno 398 scribit ad Lucinum Baeticum [2]) falsum esse rumorem se Iosephi, Polycarpi, Papiae volumina transtulisse, cum nec otii sui nec virium esset tantas res eadem in alteram linguam exprimere venustate. Et non multo post, anno 399, cum Lucinus mortem obierat, in epistola ad Theodoram Spanam data, — viduam eiusdem viri, cui Papiae versio tam cordi erat, — apertis verbis Papiam auditorem Ioannis evangelistae vocat [3]). Constat igitur Hieronymum, ipsis Papiae voluminibus

1) Cf. Funk, *Patr. Apost.*, I Papiae frgm. 14, p. 370. Notes velim ab Eusebio hoc loco Papiam praeponi Polycarpo.

2) Cf. Hieron. *epist.* 71. 5, ed. Hilberg II p. 6.

3) Cf. Hieron. *l. l.*, 75. 3, apud Funk, *Patr. Apost.*, I, frgm. Papiae 17, p. 373.

Digitized by Google

perlectis, sententiam priorem reliquisse. Sed mirum non est Eusebium Hieronymumque fluctuasse, cum uterque praeiudicio instigaretur theologico. Eusebius enim non favebat apocalypsis nec Hieronymus parvarum epistolarum authenticitati. Utrique suo tempore Iohannis cuiusdam presbyteri existentia haud ingrata erat et quod quisque volebat, credebat libenter.

* * *

Sed iam ad interpretationem celebris fragmenti Papiani transeamus. Ne autem propriam meam verbis Papiae supponam opinionem, in ipso textu interpretando quam plurimum rationem habebo Eusebii et Rufini et Hieronymi, qui linguam Graecam optime callebant, meaeque opinioni minime favent, ideoque boni et aequi iudices sunt. Papiae fragmentum lectoris gratia triplici conspectu refero [1]).

Euseb. *HE* III 39. 3:

οὐκ ὀκνήσω δέ σοι καὶ ὅσα ποτὲ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων καλῶς ἔμαθον καὶ καλῶς ἐμνημόνευσα, συγκατατάξαι ταῖς ἑρμηνείαις, διαβεβαιούμενος ὑπὲρ αὐτῶν ἀλήθειαν. οὐ γὰρ τοῖς τὰ πολλὰ λέγουσιν ἔχαιρον ὥσπερ οἱ πολλοί, ἀλλὰ τοις τὰ ἀληθῆ διδάσκουσιν, οὐδὲ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας ἐντολὰς μνημονεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς τὰς παρὰ τοῦ κυρίου τῇ πίστει δεδομένας καὶ ἀπ' αὐτῆς παραγινομένας τῆς ἀληθείας.

Rufin. *ibid.*:

Non pigebit autem nos tibi omnia, quae quondam a presbyteris didicimus et bene retinemus, recordantes exponere, cum interpretationibus suis, et ut se eorum veritas habet, explicare. Neque enim multa dicentibus, sed vera tradentibus auscultavimus, neque his qui hominum praecepta, sed qui domini mandata memorabant ab ipsa veritate suscepta.

Hier. *de vir. ill.* 18:

Papias . . . . . cum se in praefatione adserat non varias opiniones sequi, sed apostolos habere auctores, ait:

1) Cf. Funk, *Patr. Apost.*, Papiae frgm. 2 et 15, p. 350 et p. 372; Euseb.-Rufin., ed. Schwartz-Mommsen, II 1, p. 287.

Digitized by Google

εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν ἢ τί Φίλιππος ἢ τί Θωμᾶς ἢ Ἰάκωβος ἢ τί Ἰωάννης ἢ Ματθαῖος ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ κυρίου μαθητῶν, ἃ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, τοῦ κυρίου μαθηταί[1]), λέγουσιν.·

Quod si quando advenisset aliquis ex his, qui secuti sunt apostolos, ab ipso sedulo expiscabar quid Andreas, quid Petrus dixerit, quid autem Philippus vel Thomas, quid vero Iacobus, quid Iohannes aut quid Matthaeus vel alius quis ex discipulis domini, quaeve Aristion vel Iohannes presbyter ceterique discipuli dicebant.

Considerabam, quid Andreas, quid Petrus dixissent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Iohannes, quid Matthaeus vel alius quilibet discipulorum domini; quid etiam Aristion et senior Iohannes, discipuli domini loquebantur.

οὐ γὰρ τὰ ἐκ τῶν βιβλίων τοσοῦτόν με ὠφελεῖν ὑπελάμβανον, ὅσον τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης.

Nec enim tantum mihi librorum lectiones prodesse credebam, quantum vivae vocis praesentisque magisterium.

Non enim tantum mihi libri ad legendum prosunt, quantum viva vox usque hodie in suis auctoribus personans.

Prima pars fragmenti, si a voce πρεσβυτέρων abstrahas, non nimia difficultate laborat. Dicit Papias se ea quae sive directe sive indirecte a presbyteris didicerit quaeque fideliter memoriae mandaverit, summa veracitate cum explanationibus verborum Domini exponere velle. Se nil nisi verum quaesivisse, ideoque se a fabulosis gnosticorum narrationibus abstinere, multo magis a falsis haereticorum doctrinis; ideoque se solos eos relaturum esse qui doceant, quae ab ipsa Veritate processerint. Quae ultima sententia valde Iohanneum sapit.

Sed Papias, ut ipse statim indicat, ulterius procedebat. Etenim: etiamsi quis veniebat — attendas velim ad Graecum

1) Verba τοῦ κυρίου μαθηταί, ubi Rufinus vertit: *ceterique discipuli*, in Syriaca versione desiderantur; Cod. Parisinus 1430 habet: οἱ τοῦ κυρίου μαθηταί. De Aristione (Syr. Aristone) cf. Funk, *l. l.*, p. 353 in nota; Zahn, *Forschungen*, VI p. 217—220.

Digitized by Google

illud *εἰ δὲ που καὶ* — etiamsi si quis veniebat, dicens se cum presbyteris consuetudinem habuisse, tamen episcopus Hierapolitanus magna cautione utebatur, *ἀνέκρινεν*.

Iam statim oritur prima gravis quaestio. Quinam sunt illi presbyteri? Gravis quaestio et fundamentalis, quippe quae cum soluta fuerit solutionem quoque faciliorem reddit verborum eorum quae postea sequuntur: *ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης λέγουσιν*.

Hoc prae ceteris notandum est, vocem *πρεσβυτέρου* apud antiquos ecclesiasticos auctores duplicem habere vim: absolutam dico atque relativam. Absoluta significatione exprimuntur tum alia multa tum dignitas aliqua ecclesiastica, quae iam in epistolis sancti Pauli invenitur, ubi nominantur *οἱ προεστῶτες πρεσβύτεροι*, quorum collegium *τὸ πρεσβυτέριον* constituit [1]). Vi autem relativa indicatur relatio quaedam pietatis, quae inter magistrum divinae traditionis intercedit eiusque discipulos. Hac venerabili appellatione Clemens Alexandrinus viros illos prosequitur, a quibus in apostolica doctrina erat eruditus [2]); et prae ceteris Pantaenum vocat *τὸν μακάριον πρεσβύτερον* vel simpliciter absque ullo addito [3]) *τὸν πρεσβύτερον*. Nec aliter Origines magistros traditionis *πρεσβυτέρους* nominat [4]), sicut et sanctus Irenaeus mediatos vel immediatos apostolorum discipulos, quos de sacra doctrina interrogabat eodem venerationis nomine commemorat [5]). Sed et ipse Irenaeus iam non discipuli sed magistri officio

1) Cf. I *Tim* 5. 17 et 4. 14; *Tit* 1. 5; *Jacob*. 5. 14; Clem. Rom. I *Cor* 54. 2: *οἱ καθεστάμενοι πρεσβύτεροι*., cet. Varias alias significationes: doctoris legis, senatoris, sodalis synhedrii, cet. et sensum honorificum huius vocis in pap. Aegypt., praetermitto.

2) Multa testimonia apud Zahn, *Forschungen*, III pp. 32 et 72 et VI p. 79 in notis.

3) Testimonia apud Zahn, *l. l.*, VI p. 79 et III pp. 71, 79, 87. Agi de Pantaeno patet tum ex ipso Clemente, tum ex Euseb. *H E* VI 13. 2.

4) Cf. Zahn, *l. l.*, VI p. 60. Quam venerabilis sit vox presbyteri, clare elucet ex verbis Origenis, *in Iosue hom.* 16. 1, *M G* 12, p. 905.

5) Cf. Iren. *adv. haer.* IV 27. 1 et 2; 30. 1; 32. 1. Primis duobus locis agitur de presbytero qui apostolorum discipulos audivit; ultimo loco de ipsorum apostolorum discipulo. Quia Irenaeus iuvenis erat, cum Iohannis discipulum Polycarpum audiret, ut patet ex Euseb. *H E* V 20. 6, tum immediatos tum etiam aliquos mediatos apostolorum discipulos sibi seniores habebat. De Irenaei „presbyteris Asianis" statim dicetur.

Digitized by Google

fungens, a sui ipsius discipulo Hippolyto non sine pietate dicitur [1]): ὁ μακάριος πρεσβύτερος Εἰρηναῖος. Aliis verbis: cum divinae veritatis doctrina a custodibus depositi fidei quasi παῖς παρὰ πατρός traderetur [2]), in vocis presbyteri significatione, ut ita dicam, differentia totius generationis esse potest, prout a generatione antiquiore vel a mox subsequente adhibetur. Quare ab antiquis illis scriptoribus homines generationis sive mediate sive immediate praecedentis „presbyteri" vocari solent, aequales autem numquam. Quae licet sat simplicia, hac tamen in quaestione haud semper prae oculis habita fuerunt.

Quibus praedictis, ad Papiae verba redeamus. Papiam episcopum non loqui de hominibus in sacerdotii dignitate constitutis, iam non est cur ostendam [3]). Sed vir doctus Harnack, et multi qui non immerito Harnackium quasi presbyterum venerantur, contendit presbyteros illos, de quorum effatis Papias ex aliis hominibus quaesivisse sese dicit, apostolorum discipulos fuisse, „Apostelschüler" quos vocat. Mihi contra manet firma persuasio, a Papia „Herrnschüler", i. e. Christi discipulos esse significatos. Aliis verbis: Papiae πρεσβύτεροι non sunt nisi ipsius Domini apostoli atque discipuli.

Qui enim absque praeiudicio verba illa Papiae legit: εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν κ. τ. λ.: qui absque praeiudicio ullo haec verba legit, concedere debet, ni fallor, verbis Papiae re vera vim inferendam esse, nisi sub specifico nomine πρεσβυτέρου contineri dicas Andream Petrum ceteros, quos nunc apostolorum nomine comprehendere solemus. Nec Rufinus aliter rem intellexit, verba Graeca simpliciter vertens: *quod si quando advenisset aliquis ex his, qui secuti sunt apostolos.* Et quod maius est, etiam Eusebius nobiscum consentit. Nam § 7 eiusdem capitis Papiae verba sic explanat: Παπίας τοὺς μὲν τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι, Ἀριστίωνος δὲ καὶ τοῦ πρεσβυ-

1) Cf. Hippol. *Refut. Haer.*, VI 42 et 55, ed. Berol. Wendland III p. 173 et p. 189.

2) Cf. Clem. Alex., *Strom.* l. 11 = Euseb. *H E* V 11. 5.

3) Hac de sententia confer quae recte annotat Funk, *Patr. Apost.*, I p. 352 in nota.

Digitized by Google

τέρου Ἰωάννου αὐτήκοον ἑαυτόν φησι γενέσθαι", cui correspondet § 2, ubi Eusebius affirmat Papiam docuisse, se res fidei a sanctorum apostolorum familiaribus accepisse. Quem modo nominavimus Harnack [1]) autem tenet Papiae presbyteros non esse separandos ab illis quos Irenaeus commemorat haud raro et quidem hisce verbis [2]): οἱ πρεσβύτεροι, οἱ κατὰ τὴν Ἀσίαν Ἰωάννῃ τῷ τοῦ Κυρίου μαθητῇ συμβεβληκότες... τῶν ἀποστόλων μαθηταί... οἱ κατ' ὄψιν Ἰωάννην ἑωρακότες. Quae Harnacki opinio longe a vero distat. Etenim ex variis Irenaei testimoniis clare apparet inter presbyteros illos Asianos, non parvum locum occupasse Sanctum Polycarpum, quippe qui ab Irenaeo tum vocatur ἐκεῖνος ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος, tum speciali modo inter presbyteros illos Asianos commemoratur, tum specialem cum Iohanne consuetiudinem habuisse ab Irenaeo dicitur [3]). Cum autem idem ipse Irenaeus clare testetur Papiam atque Polycarpum sodales fuisse [4]), ex Harnacki sententia illud necessario sequatur necesse est, Papiam ut apostolorum traditionem cognosceret praecipue discipulos suimetipsius aequalium consuluisse, quod Papiae argumentationem in fragmento laudato ad nihil reducit ac plane pessumdat. Quae ita certe constant, ut nullo modo hypothesibus illis, quas Harnackius de Irenaeis presbyteris composuit, mutari possint, nec magis conatibus illis, quibus auctoritatem Irenaei diminuat. Nam si ex una parte verum est, quod Harnack prorsus concedit, ipsum Papiam fuisse unum ex Irenaei presbyteris [5]), ex altera parte autem verum esset, Irenaeum nos docuisse, quinam Papiae presbyteri fuissent, ut alio loco ipse contendit [6]), Papias secun-

1) Cf. Harnack, *Chronol.*, I in annotatione 2 p. 333 sqq. et p. 656 sqq..

2) Cf. Iren. *adv. haer.* II 22. 5 = Euseb. *H E* III 23. 3; Iren. *l.l.*, IV 28. 1; V 5. 1; 20. 2; 30. 1; 33. 3.

3) Cf. Iren. *epist. ad Flor.* apud Euseb. *H E* V 20. 4—6 et *epist. ad Victor. papam* apud Euseb. *l. l.*, V 24. 16; Iren. *adv. haer.* III 3. 4.

4) Cf. Iren. *adv. haer.* V 33. 4 = Euseb. *H E* III 39. 1.

5) Cf. *Chronol.*, I p. 333, n. 2, ubi Harnack agens de presbyteris Irenaei dicit: *„Weder ihre Namen (ausser Polykarp und Papias, je einmal citiert) werden genannt"*. Ergo etiam Papias est unus ex presbyteris illis.

6) Cf. *Chronol.*, I p. 660, n. 1: *„Ich kann mich nicht davon überzeugen, dass Papias „Apostel" und „Presbyter" identificirt hat; er konnte dann nicht nachträglich von ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης sprechen: ausserdem wissen wir durch Irenäus, wer die Presbyter des Papias sind"*.

Digitized by Google

dum Harnackii sententiam, ut magis intime penetraret traditionem apostolicam, extraneos interrogasset, quid suimetipsius aequales et collegae de sacra doctrina docerent. Qui potest credere, credat.

Deinde Harnack non omnino inconscius sibi est, Eusebium indicasse, a Papia presbyterorum voce significatos esse apostolos. Quae res, alicuius saltem momenti puto, a viro docto uno alterove annotationis [1]) verbulo, quasi difficultas nullius valoris removetur: „*In Bezug auf „Apostel" „Presbyter" bei Papias hat Eusebius das, was die Vorrede bietet, nicht ganz correct, resp. mit einem Widerspruch behaftet, wiedergegeben (s. § 7). Aber die Nachlässigkeit ist verzeichlich, da es dem Eusebius auf diesem Punkt nicht ankam, sondern nur auf das angebliche Verhältniss des Papias zum Apostel Iohannes*". Sed iam animadverti Eusebium id non semel sed bis affirmasse, eundem ipsum Eusebium de quo Harnack alibi (p. 657) dicit: „*Und Eusebius las gründlich*".

Quare tum ex ratione qua Papias sententiam construxerit, tum ex Rufini versione, tum ex duplici testimonio Eusebii, tum ex relationibus Irenaei, quadruplici argumento constat: Papiae presbyteros esse ipsos apostolos. [2])

Altera quaestio summi momenti atque necessario solvenda est verbi κρίνειν vis atque significatio, quae per se duplex esse potest „interrogandi" dico atque „examinandi".

Sunt qui [3]) Papiae verba: τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους ita vertunt: *interrogabam (sc. illos qui presbyteros cognoverant) de presbyterorum dictis*, statuentes rem sat miram, scilicet hoc loco verbum ἀνακρίνειν, vim interrogandi habens et non examinandi, adhiberi cum solo obiecto reali, persona interrogata grammaticaliter non expressa. Non nego aliquando obiecta personalia reticeri atque subintellegi posse; sed in casu sin-

1) Cf. *Chronol.*, I p. 659 n. 2.

2) Fateor sincere me minime intelligere posse sententiam viri docti Lagrange, dicentis: *Évangile selon saint Jean*. p. XXXII: admitti a quibusdam, voce πρεσβυτέρου a Papia apostolos indicari non posse, esse progressum notabilem exegeos catholicae.

3) Ex antiquis Rufinus; e recentibus cf. Zahn, *Forschungen*, VI p. 131 et p. 134.

Digitized by Google

gularis difficultas haec est, quod tantum adhibito obiecto reali, verbi ἀνακρίνειν significatio eo ipso mutatur. Etiam in praeferenda examinandi significatione Eusebius mihi assentitur. Nam si ἀνακρίνειν loco Papiae laudato re vera vim interrogandi haberet, etiam verba ultima: ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης λέγουσιν, cum Rufino vertenda essent: *ab ipso sedulo expiscabar... quae Aristion et Iohannes presbyter dicebant*, et nullo modo appareret ex Papiae testimonio, eum stricto sensu auditorem presbyteri Iohannes fuisse, quod Eusebius ipsissimis verbis affirmat, dicens § 7: Παπίας.... τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου αὐτήκοον ἑαυτόν φησι γενέσθαι. Eadem de causa, ut hoc iam statim animadvertam, verba illa ultima: ἅ τε... λέγουσιν non immediate dependere possunt ab illis: τούς τῶν πρεσβυτέρων λόγους. Recte igitur Hieronymus ἀνακρίνειν verbo latino „considerandi" reddit; recte sua translatione claro modo indicat Papiam duas res considerasse, ex una parte presbyterorum verba relata ab extraneis, ex altera vero effata Iohannis Aristionisque. [1])

Sed operae pretium erit paululum accuratius verbi ἀνακρίνειν significationem determinare. Statuimus hactenus verbo Graeco inesse vim: considerandi, examinandi. Sed, ut iam dixi, Papias examinabat non rem unicam sed duplicem: tum verba a quibusdam ut apostolica tradita, tum alia quae ipse en ore Iohannis et Aristionis auscultaverat. Quod vel magis apparebit si diversitatem temporum grammaticalium respicias: hic: τοὺς λόγους... τί εἶπεν, illuc: ἅ τε... λέγουσιν, vel ut optime Hieronymus: *considerabam... quid dixisset.... quid loquebantur.* Optime, dico, Hieronymus: non solum quia tempora recte distinguit, sed etiam quia non vertit: *considerabam... quid Aristion et Iohannes loquerentur* sed potius: *quid loquebantur, i. e. ea quae loquebantur*, ut differentia indicativi *quid loquebantur* et coniunctivi praecedentis: *quid dixissent* eo accuratius, licet forsan minus latine, distingueretur, quid Papias aliorum nar-

1) Notandum tamen est non immediate iuxtaponi varia particula interrogativa τί... τί et relativum illud ἅ τε, sed mediate tantum. Immediate parallela sunt: τοὺς τῶν πρεσβυτέρων λόγους et ἅ τε... λεγουσιν = τοὺς λόγους Ἀριστίωνος καὶ Ἰωάννου. Minus recte Zahn, *Forschungen* VI p. 138.

Digitized by Google

ratione, quid ex propria auscultatione haberet [1]). Minime autem affirmare velim, Papiam eodem modo de dictis quorundam ignotorum, eodem modo de Iohannis Aristionisque verbis censuram atque iudicium fecisse. Aliter res se habet; nam clarissime e fragmenti tenore apparet, prae omnibus aliis testimoniis Iohannis effata a Papia maximi aestimata fuisse, immo Papiam ut ita dicam in illius verba ut in Veritatis verba iurasse. Iam vero Papias in examinanda traditione procedebat modo suae erga Iohannem quae erat pietati prorsus convenienti: scilicet ex iis quae ipse ex ore Iohannis Aristionisque quasi ex magisterio vivo audiebat, diiudicabat norma quasi infallibili, quid valerent narrationes relatae ab extraneis fidelibus, etsi ex ipsis apostolorum relationibus profluere dicebantur. Aliis verbis, suam instituendo *ἀνακάρισιν*, Papias testimonia incerta ex testimoniis certissimis diiudicabat.

Hac vero cum explicatione data verbi *ἀνακρίνειν* vis atque significatio optime concordat. Etenim *ἀνακρίνειν* seu facere *ἀνάκρισιν* vox iudicialis est, quae non tantopere ad ipsum indicium spectat, sed ad eam quae indicio praecedit inquisitionem praeviam et litis contestationem. Sic iam antiquitus tempore Platonis atque Demosthenis [2]); sic postea imperatorum periodo, ut e documentis papyrorum et actibus apostolorum patet [3]). Non aliter vox audiebat adhibita in iudicio ecclesiastico [4]). Cum autem in litis contestatione et una et altera pars audiatur oporteat [5]), verbum *ἀνακρίνειν* sensu iudiciali usurpata, natura-

---

1) Iniuria Funk, *Patr. Apost.*, I p. 352. n. 4 in optima sua fragmenti Papiani explicatione, contendit Hieronymum praesens illud graecum *λέγουσιν* minus recte imperfecto latino *dicebant* reddidisse. Iniuria dico: nam graece interrogatio obliqua eodem tempore construi potest ac ipsa interrogatio directa haberet: latine vero praevalet consecutio temporum. Quodsi directe dicere velis, quae Papias oblique expressit, habebis: *Quid apostoli tunc temporis secundum aliorum relationes dixerunt?* et *Quid hoc momento Aristion et Iohannes dicunt?*

2) Cf. Plat. Leges IX 879 *e*; Demosth. 48. 31 et 43 cetera.

3) Quod ad papyros spectat, vide: Moulton and Milligan, *The vocab. of the Greek Test.*, s. v. *ἀνακρίνω* et *ἀνάκρισις*; quod ad *Act. Apost.* cf. 25. 26. Vox *ἀνακρίνειν* I Cor. 9. 3. significat: *aliquem interrogare modo quasi iudiciali.*

4) Cf. *Const. Apost.* II 16: *τότε σύ κελεύσεις εἰσελθεῖν αὐτὸν, καὶ ἀνακρίνας, εἰ μετανοεῖ καὶ ἄξιός ἐστιν εἰς ἐκκλησίαν παραδεχθῆναι κ. τ. λ.*

5) Vide exempli gratia Demosth. 48. 43: *ἀνακρίνειν τὰς ἀμφισβητήσεις.*

Digitized by Google

liter comparationem connotat. Quare metaphorice Isocrates [1]): τὰ σπουδαῖα τῶν πραγμάτου ταῖς ἡδοναῖς ἀνακρίνειν et eodem modo vocem ἀνακρισέως adhibens Tatianus [2]) dicit, se semper fore paratum ut cum adversariis Graecis ἀνάκρισιν τῶν δογμάτων id est utriusque doctrinae comparationem criticam faciat. Quae omnia, ni fallor, ea quae de Papiae inquisitione et comparatione dixi, bene illustrant atque confirmant [3]).

Ultima superest quaestio: quid praecise sibi velit: ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης? Cum Papias in eadem sententia bis voce πρεσβυτέρου apostolos indicaverit, id imprimis constat ab „apostoli" significatione non esse recedendum. Sed etiam tunc explicatio duplex proponitur, quia verba ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης per se significare possunt vel: *Iohannes, apostolum dico, quo eum ab aliis homonymis distinguam* vel ὁ ἀπόστολος κατ' ἐξοχήν, *dico Iohannem.* Electio haud dubia est. Nam patet ex eo quod nobis narrat Eusebius § 14 et 15 eiusdem celeberrimi capitis, Iohannem presbyterum saepius sine ullo addito a Papia τὸν πρεσβύτερον vocari. Non aliter ac nos hodie sanctum Paulum nominamus „apostolum" prae ceteris. Hac cum re bene concordat initium secundae et tertiae epistolae Iohanneae, ubi auctor se simpliciter τὸν πρεσβύτερον proclamat; omnes autem in eo saltem inter se conveniunt, scriptorem illum audivisse Iohannem.

De verbis autem illis quae post Aristionis et Iohannis mentionem adiiciuntur, τοῦ κυρίου μαθηταί dico, non est cur multa disseram. In versione Syriaca desiderantur, ideoque a nonnullis expunguntur, nescio an iure merito, cum Hieronymus ea certe prae oculis habuerit et Rufinus saltem simile quid legisse videatur. Rem tamen in medium relinquo. Admissa meam opinionem confirmant, expuncta non minuunt.

Iam ea omnia quae hactenus de fragmento disseruimus, in

---

1) Cf. Isocrat. 24 e, *orat. 2 c. Nicocl.* 50. Minus recte κρίνειν.

2) Cf. Tatian. *adv. Graec.* 42, *M G* 6 p. 887: ἕτοιμον ἐμαυτὸν ὑμῖν πρὸς τὴν ἀνάκρισιν τῶν δογμάτων παρίστημι.

3) Eandem vim comparativam praep. ἀνα habet in verbis ἀναλογίζεσθαι = *comparando diudicare* et ἀναφέρειν = *rem unam ad alteram referre.*

Digitized by Google

simplici eiusdem versione latina comprehendamus. Scripsit Papias episcopus:

Immo etiamsi aliquis veniret, qui dicebat se apostolos fuisse secutum, diligenti examine comparabam relata apostolorum verba, quid Andreas vel quid Petrus, vel quid Thomas vel Iacobus vel quid Iohannes vel Matthaeus vel alius quis ex discipulis domini aliquando dixissent, cum iis quae meo tempore Aristion et ipse Apostolus, Iohannem dico, (domini discipuli) dicebant. Non enim tantum me ex librorum lectione iuvare credebam, quam vivae et manentis vocis oraculo.

Verba ultima τὰ παρὰ ζώσης φωνῆς καὶ μενούσης facilius intelleguntur quam vertuntur. φωνή non tantum vocem materialem significat, sed verbum aliquod auctoritatis plenum ideoque ipsam personam cum auctoritate loquentem; μενούσης est: *quae existere nondum desinit.* Alludere Papias videtur ad *Ioh.* 21. 22: ἐὰν αὐτον θέλω μένειν κ. τ. λ.

Quid igitur? Fuitne presbyter Iohannes ab apostolo distinctus? Minime. Saltem e Papiae verbis ostendi nequit, immo contrarium ostenditur.

Mirandumne forsan est Papiam comparare ea quae testantibus aliis quibusdam Iohannes olim, in Palaestina puta, dixisset atque ea quae Iohannes Papiae tempore in Asia docebat? Res non solum mira non est, sed et in vita quotidiana haud ita rara. Fateor equidem me universitatis Amstelodamensis discipulum saepius comparasse ea quae magistri secundum aliorum testimonia dixissent, quaeque ipse ex eorum ore haud indiligenter annotaveram. Et hodie Romae saepissime comparo, quod theologi Romani docent, quaeque illos ipsos docuisse, alibi aliquando ab aliis audiveram.

Papias igiturne, Papias ille quem Eusebius § 13 σφόδρα σμικρὸν τὸν νοῦν praedicat, erat traditionum iudex criticus? Nescio. Id saltem scio Papiam tam alta „tentasse", quod non miror in homine qui nobis auctore Eusebio § 15 tam pretiosa de origine evangelii Marci reliquit. Non credo Papiam tam mediocris ingenii fuisse. Eusebii testimonium praecedit e praeconcepto iudicio.

Quid deinde Papias ille in proöemio docuit?

Digitized by Google

a. Se habere fontes scriptos (cf. etiam § 15 et 16).
b. Se non locuturum de fabulosis gnosticorum narrationibus.
c. Multo minus se haereticas doctrinas prolaturum.
d. Se interpretationibus suis inserturum dicta varia apostolorum, quae ab iis audivisset, qui cum Christi discipulis consuetudinem habuisse sese praedicarent.
e. Se talia dicta non sine ulteriore inquisitione acceptasse, sed eorum valorem diiudicasse ex iis quae suo tempore Aristion, unus ex discipulis Domini et prae ceteris ipse apostolus Iohannes docuissent.
f. Fontem summae auctoritatis sibi fuisse doctrinam vivam Iohannis apostoli.
g. Super omnia, etiam super omnes Libros, stare traditionem sanctam apostolicam.

Et haec de traditione directa et indirecta, de Papiae testimoniis, de Iohanne presbytero-apostolo dicta sint. Credo Iohannem apostolum Zebedaei filium, piscatorem Genesarethanum scripsisse sublime quartum evangelium. Intellego illos omnes qui totis viribus admittere renuunt revelationem supernaturalem, concedere non posse, piscatorem Galilaeum tam alta et sublimia edidisse. Hic et non alibi est totius quaestionis Iohanneae cardo.

Quod si vero historica traditio spectatur, quae docet Iohannem Zebedaei filium Ephesi vixisse ibique evangelium scripsisse: intacta manet et sua venerabili antiquitate firmissima. Lacerata non est [1]); nec testimoniis Papiae vel putativo quodam Iohannis martyrio diminuta et sua universalitate orbata [2]). Immo Papiae auctoritate confirmatur atque roboratur. Factum historicum est: Irenaeum fuisse auditorem Polycarpi; Polycarpum atque Papiam fuisse auditores Iohannis apostoli, qui Ephesi obdormivit et in coena ultima quiescebat in sinu Iesu.

1) Cf. E. Schwartz, *Z N T W*, 1910 p. 89.
2) Cf. H. Latimer Jackson, *The problem of the fourth Gospel*, exc. 1, p. 150

Digitized by Google

DE CASSII DIONIS HISTORIIS.

SCRIPSIT

G. VRIND.

Cum antea de Dionis cursu honorum agens id quoque statui, quibus annis ille Historias suas conscripserit [1]), in hoc opusculo de ipsis Historiis quaedam prolaturus sum [2]); et quidem primum de fontibus eius agam, sc. unde materiam suam congesserit; deinde de forma materiae collectae, sc. qua forma materia collecta in Historiis conscribendis ei praesto fuerit; denique Caesaris bellum Helvetiorum cum Dione comparare mihi in animo est, ad probandam illustrandamque expositionem meam.

I.

De Fontibus.

Ipse Dio nobis narrat decem annos se consumpsisse in colligenda materia: *συνέλεξα δὲ πάντα τὰ ἀπ' ἀρχῆς τοῖς Ῥωμαίοις μέχρι τῆς Σεουήρου μεταλλαγῆς πραχθέντα ἐν ἔτεσι δέκα καὶ συνέγραψα ἐν ἄλλοις δώδεκα* (lib. 72, 23, 5; ed. Boiss. III p. 305. 3). Si putamus eum, qui homo impigerrimus fuisse videtur, singulis diebus vicenas paginas Livianas, ut in editione Teubneriana, legisse atque inde materiam suam elegisse, non nimium nos computavisse verisimile est; cum singuli libri

1) cf. Vrind *De Cassii Dionis Vocabulis, quae ad ius publicum pertinent* (Hagae Comitis apud Bernard Mensing 1923) p. 163—168.

2) Id iam promisi *l.l.* p. 2 adn. 4; quem librum commemoravi *l.l.* adn. 3: *De sermone Dioneo*, is nondum prodiit, fortasse nunquam prodibit, quia eum rescribere necesse mihi videtur.

Digitized by Google

Livii circiter sexagenas tales paginas contineant, ternis diebus unus liber ab eo legi atque excerpi potuit, totum autem Livii opus minus quam uno anno et dimidio potuit pervolutari. [1])

Si iam reputamus, quantam multitudinem librorum Dio his decem annis perlegere potuerit, praesertim cum singuli annalium scriptores non eadem magna diligentia legendi essent, patet pervolutavisse eum omnia fere opera de historia populi Romani, quae quidem ea aetate nota erant, neque tempus ei defuisse alios quoque libros velut commentarios atque orationes legere hominum illustrium. Recte igitur, utique quod ad sententiam, Maio praeeunte a Bekkero suppletum esse videtur fragmentum 1, 2 (ed. Boiss. I, p. 1. 1) ⟨ἀνέγνων μὲν⟩ πάντα ὡς εἰπεῖν τὰ περὶ αὐτῶν τισι γεγραμμένα, συνέγραψα δὲ οὐ πάντα, ἀλλ' ὅσα ἐξέκρινα. Itaque ponere possumus fere omnia opera de historia populi Romani, quae quidem tunc nota erant, Dionem perlegisse [2]); verba posteriora συνέγραψα... ἐξέκρινα sic interpretari velim neque omnes res neque omnes varias sententias se commemoravisse eum dicere [3]), sed eas modo res, quae satis graves sibi viderentur, narravisse atque in varietate narrationum eam tantum sententiam plerumque protulisse, quam probabiliorem putaret [4]), ceteris plerumque non commemoratis [5]). Itaque ille, quod ad colligendam praeparandamque materiem

1) Ita nequaquam nimium a Dionis labore postulari mihi videtur. Sed etiamsi quis minorem numerum paginarum ei singulis diebus attribueret, id argumentationem meam non multum mutaret; equidem tamen minorem numerum ponere nolui, ne insigni eius industriae, quae in omnibus Dioneis disputationibus nobis obversari debet, obtrectem.

2) Cf. lib. 53, 19, 6 (II p. 429. 30) ἐκ πολλῶν ὧν ἀνέγνων. Sine causa Schwartz apud Pauly-Wissowa *R.E.* 3 p. 1709 l. 15 sqq. putat Dionem his decem annis etiam Thucydidi atque oratoribus Graecis operam dedisse; ceterum hoc parvi momenti est et eius operi maxime egregio, cui plurimum me debere grato animo confiteor, nequaquam obtrectare velim.

3) Cf. lib. 40, 15, 1 (I p. 509, 21) περὶ μὲν οὖν τοῦ τε γένους καὶ τῆς χώρας τῆς τε ἰδιότητος τῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτῶν (Parthorum) πολλοῖς τε εἴρηται καὶ ἐγὼ οὐκ ἐν γνώμῃ ποιοῦμαι συγγράψαι·

4) Cf. lib. 39, 33, 3 (I p. 483. 23) ὡς γε τἀληθὲς εὑρίσκεται.

5) Raro ea commemoravit velut lib. 44, 19, 5 (II p. 116, 27) ταῦτα μὲν τἀληθέστατα· ἤδη δέ τινες καὶ ἐκεῖνο εἶπον ὅτι..., lib. 49, 4, 1 (II p. 293. 12) ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ καὶ τὸ εἰκὸς συμβάλλεται... ὡς δέ τινες λέγουσιν...

Livius, Tacitus, plerique sententias discrepantes saepius quam Dio enumerant.

Digitized by Google

attinet, magnus existimandus est historiae scriptor [1]). Ex eo quod rem vel interpretationem quandam non commemoravit, conici non potest eam rem vel eam interpretationem atque id opus ipsum, in quo invenitur, eum non cognovisse; id tantum statui potest opus quoddam, vel saepius rem interpretationem sententiam quandam aut ab eo esse reiectam, quippe quam non veram rectamque putaret, aut neglectam, ut quae non satis gravis ipsi videretur [2]). In omni investigatione de Dionis fontibus ponendum est eum quodvis opus cognovisse, idque modo spectandum est, quae causa esse potuerit, cur ille hanc sententiam reiecerit, illam secutus sit.

Cum igitur Dio quam plurimos libros consuluerit et cum ex variis sententiis eam unam exscribere soleat, quam ceteris praetulerit, patet, quo modo factum sit, ut modo cum Dionysio modo cum Livio congruat ille, modo ab utroque abhorreat, ut statuit Schwartz apud Pauly-Wissowa *R. E.* 3 p. 1691—1696. Quod ille saepius cum Dionysio congruit, id eo explicari potest, quod Dionysii argumentatio ad rationem provocans eius ingenium maxime movit.

Ita certe rationem eius fuisse re publica Romana libera, confirmatur iis, quae ipse dicit lib. 53, 19, 2 (II p. 429. 12) *καὶ ἡ ἀληθεία αὐτῶν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα καὶ φόβῳ τινὰ καὶ χάριτι φιλίᾳ τε καὶ ἔχθρᾳ τισὶν ἐρρήθη, παρὰ γοῦν τοῖς ἄλλοις τοῖς τὰ αὐτὰ γράψασι τοῖς τε ὑπομνήμασι τοῖς δημοσίοις τρόπον τινὰ εὑρίσκετο.* Imperatoria autem aetate Dio queritur difficilius factum esse veritatem inquirere atque rationem suam quadamtenus se mutavisse dicit lib. 53, 19, 6 *ὅθενπερ καὶ ἐγὼ πάντα τὰ ἔξης, ὅσα γε καὶ ἀναγκαῖον ἔσται εἰπεῖν, ὥς που καὶ δεδήμωται, φράσω, εἴτ' ὄντως οὕτως εἴτε καὶ ἑτέρως πως ἔχει. πρόσεστι μέντοι τι αὐτοῖς καὶ τῆς ἐμῆς δοξασίας, ἐς ὅσον ἐνδέχεται, ἐν οἷς ἄλλο τι μᾶλλον*

1) Cf. Ed. Meyer *Caesars Monarchie* p. 605: *Er ist ein wirklicher Historiker... ebenso wie Polybius beschränkt er sich keineswegs auf ein einfaches Nacherzählen, sondern sucht die Überlieferung auf Grund der durch eigenes Nachdenken gewonnenen Anschauung kritisch zu gestalten; und wo er einen Anstoss findet, wo ihm das Berichtete unwahrscheinlich oder unmöglich vorkommt, scheut er vor energischem Eingreifen und selbstständigen Kombinationen so wenig zurück, wie irgendein moderner Historiker.....* p. 606: *Seine römische Geschichte ist eine grossartige Leistung.*

2) Cf. lib. 53, 19, 6 (II p. 429. 27) *ὅσα γε καὶ ἀναγκαῖον ἔσται εἰπεῖν.*

Digitized by Google

ἢ τὸ θρυλούμενον ἠδυνήθην ἐκ πολλῶν ὧν ἀνέγνων ἢ καὶ ἤκουσα ἢ καὶ εἶδον τεκμήρασθαι.

II.

DE FORMA MATERIAE COLLECTAE.

Dio postquam materiem suam per decem annos collegit, Historiis suis conscribendis annos duodecim consumpsit: *συνέλεξα δὲ πάντα ... ἐν ἔτεσι δέκα καὶ συνέγραψα ἐν ἄλλοις δώδεκα.* Neque igitur statim, quae legerat, rescripsit, sed multis demum annis post. Ex eo sequi mihi videtur, ut in fontibus suis legendis vel maiora vel minora excerpta fecerit, quibus usus Historias suas conscriberet. Si id ita est, in Dione interpretando non tam ad lapsum memoriae vel tale quid provocandum est, cum a fonte suo discrepare videtur, quam ad formam horum excerptorum. Itaque, quantum possumus, hanc formam coniectura restituere operae pretium est. Iam supra vidimus eum singulis auctoribus discrepantibus eam narrationem vel sententiam ceteris plerumque non commemoratis elegisse quae sibi probabilior videretur; quamque iam statim in excerptis conficiendis eum elegisse verisimile est; tum enim res maxime perspicuae ob oculos ei versabantur [1]). Itaque singulos annos vel potius singulas res apud annalium scriptores perlegisse eum suspicor atque, ubi singulae narrationes inter se discreparent, quae ei probabilior videretur, continuo eum elegisse. Ex iis quae infra de comparatione cum Caesaris bello Helvetiorum disseram, conici potest ex uno auctore excerptum fundamentum sibi sumere atque id ex ceterorum narratione corrigere eum solitum esse. Quod ad historias, commentarios, orationes, omnia opera quae singulas res tractarent, attinet, non solum fieri potuit, ut excerptum ex iis factum sibi fundamentum sumeret, sed etiam, ut excerptum suum ex annalibus factum ad ea corrigeret; sed

1) In conscribendo eum ipsos fontes denuo consuluisse non causa est cur putemus; neque enim amplius fidem historicam sectabatur, sed iam ad altiora tendebat; tum omnem animum atque omne suum tempus in eo consumpsit, ut haec excerpta sermone vulgari scripta converteret in pulcherrimum sermonem veteribus accommodatum, atque ut orationes longas inanesque componeret; prope omnes veteres perscrutatus est, prope omnia verba atque dicta, usum temporum modorumque ad veterum normam, ut eius temporibus iudicabatur, perpendit.

Digitized by Google

verisimile est eum modo hoc, modo illud fecisse neque in eadem re enarranda semper eandem rationem secutum esse sicut in bello Helvetiorum Commentarios Caesaris, in bello cum Ariovisto gesto aliquem alium scriptorem secutus est [1]).

Ad Dionis rerum expositionem illustrandam omen quoddam a Plutarcho ex Livio redditum cum Dionis verbis componam, cui ipsi quoque Livius fons fuisse videtur. [2])

Plut. *Caes.* cap. 47 Ἐν δὲ Πατσυουίῳ Γάιος Κορνήλιος ἀνὴρ εὐδόκιμος ἐπὶ μαντικῇ, Λιουίου τοῦ συγγραφέως πολίτης καὶ γνώριμος, ἐτύγχανεν ἐπ' οἰωνοῖς καθήμενος ἐκείνην τὴν ἡμέραν. Καὶ πρῶτον μὲν ὡς Λίουιός Φησι, τὸν καιρὸν ἔγνω τῆς μάχης, καὶ πρὸς τοὺς παρόντας ἔφη, ὅτι καὶ δὴ περαίνεται τὸ χρῆμα καὶ συνίασιν εἰς ἔργον οἱ ἄνδρες. Αὖθις δὲ πρὸς τῇ θέᾳ γενόμενος καὶ τὰ σημεῖα κατιδὼν ἀνήλατο βοῶν: „Νικᾷς, ὦ Καῖσαρ". Ἐκπλαγέντων δὲ τῶν παρατυχόντων, περιελὼν τὸν στέφανον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐνωμότως ἔφη, μὴ πρὶν ἐπιθήσεσθαι πάλιν, ἢ τῇ τέχνῃ μαρτυρῆσαι τὸ ἔργον. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ Λίουιος οὕτω γενέσθαι καταβεβαιοῦται.

Eadem res ita a Dione narrata est lib. 41, 61, 5: καὶ ἐν Πατσυουίῳ τῆς νῦν Ἰταλίας τότε δὲ ἔτι Γαλατίας ὀρνιθάς τινας οὐχ ὅτι διαγγεῖλαι αὐτὴν ἀλλὰ καὶ δεῖξαι τρόπον τινά. Γάιος γάρ τις Κορνήλιος πάντα τὰ γενόμενα ἀκριβῶς τε ἐξ αὐτῶν ἐτεκμήρατο καὶ τοῖς παροῦσιν ἐξηγήσατο.

Exceptis illis nominibus quae contra consuetudinem suam diligenter commemoravit [3]), hic modus narrandi Dionis proprius est; atque eum fere totum excerptum, quod ei praesto erat,

1) Ita fieri poterat, ut inscius rem quandam bis narraret ex Historia Parthorum, sc. lib. 36, 51 et 37, 6, 4; cf. adn. Boissevaini ad I p. 398. 4—6; eum plures scriptores de rebus Parthicis legisse apparet lib. 40, 15, 1 (I p. 509. 21).

2) Ceterum etiamsi haec non ex Livio sumpsisset, tamen Livium cognovit atque talis utique narrandi modus quem praetulit, Dionis proprius est.

3) Dioni persuasum est futura posse portendi; fortasse autem nonnunquam dubitabatur, an omnia omina, quae tradebantur, non vera essent; at hoc omen utique omnem dubitationem expellit; et Plutarchi narrationem legentes ipsi quoque magnopere movemur; Dio autem putat huius ominis vim auctoritatemque se posse augere non ipsa narratione, sed loci hominisque nominibus commemoratis; qualis error apud plures homines vulgaris ingenii occurrit. Dionem fugisse videtur auctore ominis, qui ipse Patavii natus erat, commemorato fidem eius quam maxime potuisse confirmari. Boissevain adnotat ad II p. 36 l. 7 τῆς νῦν — Γαλατίας *observa verba a Dione e fonte suo (Livio) translata.*

Digitized by Google

perscripsisse, omniaque excerpta quibus usus Historias suas conscripsit, aeque breviter concepta fuisse verisimile est; cirri omnes venustasque omnis adempta est, omnia omissa sunt, quae non satis gravia videbantur, omnis nitor, omnis perspicuitas evanuit; sic etiam pleraque nomina gentium, hominum, locorum, dierum, plerique numeri sublati sunt. In materia sua eligenda Dio ratione ductus est atque ubi narrationes inter se discrepantes aderant, eas praetulit, quae argumentatione quadam ingeniique viribus confirmatae essent; ut ipse quadamtenus significat lib. 46, 35, 1 *καὶ γὰρ καὶ παίδευσις ἐν τούτῳ μάλιστα εἶναί μοι δοκεῖ, ὅταν τις τὰ ἔργα τοῖς λογισμοῖς ὑπολέγων τήν τε ἐκείνων φύσιν ἐκ τούτων ἐλέγχῃ καὶ τούτους ἐκ τῆς ἐκείνων ὁμολογίας τεκμηριοῖ.* Has argumentationes ipsas ex fontibus suis recipere solet, sed eas quoque breviter conceptas. Huc accedit, quod ille varias quidem sententias diligenter perpendit, non autem historiam eiusdem rei usque ad finem secum persequi solet, ita ut non semper sibi constet [1]) neque cognitione conspectuque totius rei nisus, sed singulas partes tantum volutans materiam suam elegerit excerptaque sua confecerit [2]).

Talibus excerptis usus Dio opus suum composuit neque mirum narrationem eius parva varietate esse, non tam languenti genere scribendi quam genere materiae collectae, quae eius tarditate ingenii atque intelligentia non artificis recreari non potuit.

Ad extremum admonere velim genus materiae collectae quadamtenus mutatum esse atque etiam hunc Dionis languorem diminui, ubi de principibus agit; de iis narrans paene omnia cuiusdam momenti putat; et cum ad suum ipsius tempus pervenit, quaecumque vidit, audivit, dixit, memoratu digna fiunt, ut ipse dicit lib. 72, 18, 3 et 4 (ed. Boiss. III p. 300 vs. 4 sqq.) *καὶ μή μέ τις κηλιδοῦν τὸν τῆς ἱστορίας ὄγκον, ὅτι καὶ τὰ τοιαῦτα συγγράφω, νομίσῃ. ἄλλως μὲν γὰρ οὐκ ἂν εἶπον αὐτά· ἐπειδὴ δὲ πρός τε τοῦ αὐτοκράτορος ἐγένετο καὶ παρὼν αὐτὸς ἐγὼ καὶ εἶδον ἕκαστα καὶ ἤκουσα καὶ ἐλάλησα, δίκαιον ἡγησάμην μηδὲν αὐτῶν ἀποκρύψασθαι, ἀλλὰ καὶ αὐτά, ὥσπερ τι ἄλλο τῶν μεγίστων*

1) Cf. infra p. 331 adnotatio mea 7 ad lib. 38, 31, 3 et adn. 7 ad lib. 38, 32, 3.

2) Ita factum est, ut ex Dionis vocabulis crescentem principatus potestatem satis recognoscere non possimus.

Digitized by Google

καὶ ἀναγκαιοτάτων, τῇ μνήμῃ τῶν ἐσέπειτα ἐσομένων παραδοῦναι. καὶ μέντοι καὶ τἄλλα πάντα τὰ ἐπ' ἐμοῦ πραχθέντα καὶ λεπτουργήσω καὶ λεπτολογήσω μᾶλλον ἢ τὰ πρότερα, ὅτι τε συνεγενόμην αὐτοῖς, καὶ ὅτι μηδένα ἄλλον οἶδα τῶν τι δυναμένων ἐς συγγραφὴν ἀξίαν λόγου καταθέσθαι δικριβωκότα αὐτὰ ὁμοίως ἐμοί.

Fortasse Dio in conscribendo sensit singulas res quamvis leves saepius clariorem historiae notionem praebere quam argumentationem longam; sed etiamsi iam antea quoque meliora sequi voluisset, excerpta semel collecta ei obstitissent eumque coegissent formam praestitutam retinere, quamvis operis suscepti nonnunquam, quamcumque ob causam, eum taederet, cf. lib. 72, 23, 4 τὴν δὲ θέον ταύτην (τὴν Τύχην) ἐπιρρωνύουσάν με πρὸς τὴν ἱστορίαν, εὐλαβῶς πρὸς αὐτὴν καὶ ὀκνηρῶς διακείμενον, καὶ πονούμενον ἀπαγορεύοντά τε ἀνακτωμένην δι' ὀνειράτων.

III

COMPARATIO CAESARIS BELLI HELVETIORUM CUM DIONIS HISTORIIS LIB. 38 CAP. 31—33.

Iam plures haec inter se comparaverunt, ex quibus hic nominare velim:

D. G. Jelgersma *De fide et auctoritate Dionis Cassii Coccejani* (Diss. Lugd. Bat. 1879), qui primus unicum Dionis fontem Caesaris commentarios fuisse exposuit;

J. Will *Quae ratio intercedat inter Dionis Cassii de Caesaris bellis Gallicis narrationem et commentarios Caesaris de bello Gallico* (Diss. Erlangensis 1901), qui Jelgersmae sententiam tuetur quique ceteros quoque, qui hac de re egerunt, enumeravit;

G. M. Columba *Cassio Dione e le guerre galliche di Cesare* (Memoria presentata all' Accademia di Archeologia Lettere e belle Arti di Napoli 1902), qui negat Dionem commentarios ipsos secutum esse; id quidem ei non assentior, quod ad bellum Helvetiorum attinet; ceterum multis in partibus cum eo consentio, praesertim de iis, quae de bello Ariovisti disseruit, ubi Dio Caesaris commentarios non secutus est.

Adhuc utrique recte viderunt, utrique erraverunt, cum id eos fefellerit, quod Dio modo excerptum ex Caesaris commentariis factum, modo ex alio quodam scriptore fundamentum

Digitized by Google

sibi sumpsit, semper plures auctores consuluit. Satis igitur causae est, cur ego rem denuo tractem.

Iam ex iis quae prioribus capitibus disserui, ponendum est Dionem Caesaris commentarios cognovisse, sed accurata comparatio statim demonstrat excerptum ex his commentariis factum eum sibi fundamentum sumpsisse ad bellum Helvetiorum enarrandum. Itaque ex commentariis excerptum breve vocibus non mutatis facere conatus sum, quod omnia facta quae Dio habet, contineret; atque hoc excerptum iuxta textum ipsum posui hac ratione:

a . . . . a litteris iisdem apud utrumque eas partes designavi, ubi eaedem res narrantur;

oppida litteris latius dispositis apud Caesarem nonnulla verba scripsi, quae Dio fere eadem ipse quoque habet;

(. . . . .) uncis aduncis in Caesaris textu ea inclusi, quae perspicuitatis causa vel aliam ob causam retinui;

[. . . . .] uncis quadratis in Caesaris textu ea inclusi, quae quidem fere eadem apud Dionem leguntur neque tamen ex Caesare eum sumpsisse puto;

1, 2 . . . . numeros iis Dionis locis apposui, de quibus aliquid adnotavi.

Cap. 2, 5 [a][Pro multitudine autem hominum... angustos se fines habere arbitrabantur, . . .]

Lib. 38, 31, 1 et 2 . . . Καῖσαρ δὲ εὗρε μὲν οὐδὲν ἐν τῇ Γαλατίᾳ πολέμιον, ἀλλὰ ἀκριβῶς πάντα ἡσύχαζεν, οὐ μέντοι καὶ ἐν εἰρήνῃ διεγένετο, ἀλλὰ αὐτομάτου τὸ πρῶτον πολέμου τινὸς αὐτῷ συμβάντος ἕτερος συνηνέχθη, ὥστ' αὐτόν, ὅπερ ἐς τὰ μάλιστα ἐπεθύμει, πάντα [1]) καὶ πολεμῆσαι καὶ κατορθῶσαι. Ἑλουήτιοι γὰρ [a]πλήθει τε ἀκμάζοντες καὶ χώραν οὐκ αὐτάρκη τῇ πολυανθρωπίᾳ σφῶν ἔχοντες, μέρος μέν τι ἐκπέμψαι ἐς ἀποικίαν οὐκ ἠθέλησαν, μὴ καὶ διασπασθέντες εὐεπιβουλευτότεροι τοῖς λυπηθεῖσί ποτε ὑπ' αὐτῶν γένωνται, πάντες δὲ δὴ ἀπαναστῆναι βουληθέντες, ὡς καὶ ἐς ἑτέραν τινὰ καὶ πλείω καὶ βελτίω χώραν μετοικισθησόμενοι, . . .

1) πάντα ⟨τὸν τῆς ἡγεμονίας χρόνον⟩ Bekkerus.

Digitized by Google

Quae Caesar de Galliae divisione atque de Helvetiorum ingenio cap. 1 et 2 narravit, Dio non habet, sed aliam praefationem aliunde sumptam; quod de quieto Galliae statu ante Caesaris adventum atque de perpetuis Caesaris bellis dicit, id sumpsisse videtur ex maiore quodam opere; illud autem argumentum de Helvetiorum multitudine atque angustis finibus uterque quidem habet, sed ipsa explicatione commotus, quam Caesar non habet, Dio in materia colligenda id recepisse mihi videtur; nam eum tales explicationes non de suo adiecisse, sed saepiis iis permotum esse, ut auctorem aliquem sequeretur, prope pro certo adseveraverim; non autem nego eum auctorem, quem Dio secutus est, argumentum ex Caesare sumpsisse explicationem de suo addentem.

Notandum est bellum cum Helvetiis gestum, aliter atque cetera bella, sua sponte ortum, non a Caesare arcessitum esse hoc loco dici; nobis autem non constat Caesarem omnia temptasse, ut id prohiberet.

Id argumentum de natura loci, qua Helvetii continentur, quod Dio, etiamsi fons eius id non habuit, apud Caesarem legit, ideo omisisse mihi videtur, quod totam geographiam quam plurimum aspernatus est.

Huius praefationis sententiam Dio pergit sequi initio narrationis de bello cum Ariovisto gesto (cap. 34, 1), cum non amplius excerptum ex Caesaris commentariis factum sibi fundamentum sumpsit: *οὕτω μὲν δὴ τὸν πρῶτον πόλεμον ὁ Καῖσαρ ἐπολέμησεν, ἀρξάμενος δὲ ἐκεῖθεν οὐχ ἡσύχασεν, ἀλλ' αὐτός τε τὸ ἑαυτοῦ βούλημα ἅμα ἀπεπλήρωσε...* In hac igitur parte ille eundem scriptorem, unde haec praefatio sumpta est, secutus esse videtur.

Cap. 3, 3 **a**Orgetorix dux deligitur.

Cap. 5, 2–3 **b**oppida sua omnia... vicos... incendunt... **c**(ut domum reditionis spe sublata paratiores ad omnia pericula subeunda essent),....

Lib. 38, 31, 2–3 **b***τάς τε κώμας καὶ τὰς πόλεις ἁπάσας*1 *ἔκαυσαν* **c***ὥστε μηδένα μετάμελον*2 *τῆς ἀναστάσεως ποιήσασθαι.*

Digitized by Google

5, 4 (Persuadent) d(Rauracis et Tulingis et Latobrigis finitimis), uti e(eodem usi consilio e. q. s.) funa cum iis proficiscantur, (Boiosque) greceptos ad se socios sibi adsciscunt.

Cap. 6, 2 inter fines Helvetiorum (et Allobrogum) hRhodanus fluit....

6, 3 ....Genava. Ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet. i(Allobrogibus sese vel persuasuros ... existimabant vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur).

καί dτινας3 [μὲν] καὶ ἑτέρους eτῶν αὐτῶν δεομένους4 gπροσλαβόντες fἀπῆρεν5, a'Ορκετόριγός σφισιν ἡγουμένου6, ⟨ἐν νῷ⟩ ἔχοντες hτόν τε Ῥοδανὸν διαβῆναι iκαὶ πρὸς ταῖς Ἄλπεσί που κατοικισθῆναι7.

Ea satis inter se consentiunt. Apparet Dionem omisisse quae de Helvetiorum rebus domesticis agerent (*Caes.* cap. 3 et 4).

Haec adnotare velim:

1. *ἁπάσας* Dio more suo numeros, qui apud Caesarem inveniuntur: *ad duodecim*, *ad quadringentos*, omisit.

2. *μετάμελον* Caesaris verba ad sententiam reddita sunt; *μετάμελος* cf. Thuc. 7, 55, 1.

3. *τινὰς καὶ ἑτέρους*, Dio nomina propria commemorare, quantum potest, vitat.

4. *τῶν αὐτῶν δεομένους* quod ad sententiam, haec non nimis a Caesare differunt.

5. *ἀπῆρεν* Caesaris verba: *persuadent uti una cum iis proficiscantur* a Dione non perperam reddita sunt.

6. *Ὀρκετόριγός σφισιν ἡγουμένου* Hoc Dionis vitium excerpto eius nimis brevi deberi puto, quod domesticas Helvetiorum res non commemoraret; nisi forte hic alium fontem secutus est; nam varios fuisse rumores de Orgetorige ex eo colligas, quod Caesar praeter consuetudinem caute dicit (1, 4, 4): *neque abest suspicio, ut Helvetii arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciverit.*

Digitized by Google

7. πρὸς ταῖς Ἄλπεσί που κατοικισθῆναι Dionem Caesaris commentarios secutum esse, sed *eos considere* vel tale quid in excerpto suo legisse pro Caesaris verbis: *per suos fines eos ire*, non verisimile puto (in excerpto facile εἶναι pro ἰέναι vel ἴέναι vel εἴναι legere poterat); mihi constat hoc loco eum ex alio fonte Caesarem supplesse. Nam in promptu est alios auctores iam inde ab initio narravisse, quo Helvetii in animo haberent proficisci, atque eos Dionem secutum esse puto ex verbis: ἐν νῷ ἔχοντες. Fortasse ceterorum sententiae discrepabant atque Dio eam elegit quae ei verisimillima videbatur; non facile autem diiudicari potest, quid Helvetii moliti sint atque in quam partem re vera profecturi fuerint; nam etiamsi Dio recte elegit, verba πρὸς ταῖς Ἄλπεσίν που incertissima sunt; praeterea ille in rebus geographicis non diligens est; attamen verisimillimum puto hic vitium quoddam eius subesse in regione designanda; itaque iure quodam alii aliud Helvetiorum consilium sibi fingere licet.

Caesar de Helvetiorum consilio tacet; id tantum narravit Orgetorigem Castico Sequano atque Dumnorige Haeduo adiutoribus totius Galliae sese potiri posse speravisse (1, 3, 8), neque postea addidit Helvetios hoc consilio abstitisse; intellegere autem non possum, quomodo id assequi potuerint Ariovisto regnante; itaque neutiquam verisimile mihi videtur, Helvetios statim inde ab initio consilium cepisse in Santonos proficiscendi. Etiam postea (cap. 10, 1) Caesar non pro comperto narrat Helvetiis esse in animo iter in Santonum fines facere, sed id ei nuntiatur per nuntios ignotos; attamen Caesar alia velut consilia sortemque Orgetorigis compertam habet atque ipse antea cum legatis Helvetiorum collocutus erat (cap. 7 et 8). Quare igitur Caesar de Helvetiorum consilio tacuerit, incertum est, atque sibi cuique aliquam causam fingere licet.

Notandum est Dionem cum postea Caesaris commentarios sequeretur atque Helvetios Tolosam proficiscentes faceret (cap. 32, 3), hoc consilium non denuo commemoravisse. Dio igitur singulas sententias diligenter secum reputans historiam eiusdem rei usque ad finem persequi nonnunquam neglegit.

Digitized by Google

Cap. 7, 2 a(Caesar maturat ab urbe proficisci e. q. s. Provinciae toti quam maximum potest militum numerum imperat)... bpontem, qui erat ad Genavam, iubet rescindi.

7, 3 (Helvetii) clegatos ad eum mittunt,... dqui dicerent sibi esse in animo esine ullo maleficio fiter per gprovinciam facere,... hrogare, i(ut eius voluntate id sibi facere liceat).

7, 4 et 5 Caesar, jquod memoria tenebat L. Cassium consulem occisum e. q. s., kconcedendum non putabat; lneque homines inimico animo e. q. s.

7, 6 Tamen, m(ut spatium intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, convenirent), nlegatis respondit diem se ad deliberandum sumpturum; o(si quid vellent, ad Id. Apriles reverterentur).

Cap. 8, 1 pInterea... a lacu Lemanno e. q. s. milia passuum XVIIII murum in altitudinem pedum sedecim fossamque perducit.

8, 2 (Eo opere perfecto praesidia disponit, castella communit), qquo facilius... prohibere possit.

Lib. 38, 31, 3 καὶ ἐπειδὴ ὁ Καῖσαρ bτήν τε γέφυραν1 διέκοψε καὶ ατἄλλα ὡς κωλύσων2 αὐτοὺς διαβῆναι ἡτοιμάζετο, cἔπεμψαν πρὸς αὐτὸν fetiδίοδόν τε haἰτούμενοι καὶ3 dπροσυπισχνούμενοι eμηδὲν gτὴν τῶν Ῥωμαίων4 γῆν eκακώσειν.

31, 4 καὶ ὅς, jetlεἰ καὶ τὰ μάλιστα μήτε ἐπίστευε5 αὐτοῖς μήτε προχωρῆσαί τι kἐπιτρέψειν ἔμελλεν5, ἀλλὰ mὅτι γε οὐδέπω καλῶς5 παρεσκεύαστο, nβουλεύσεσθαί τε ὑπὲρ ὧν ἠξίουν6 μετὰ τῶν ὑποστρατήγων7 ἔφη καὶ τὴν ἀπόκρισιν oἐν ῥητῇ τινι ἡμέρᾳ8 δώσειν9. καί τι καὶ ἐλπίδος, ὡς καὶ ἐπιτρέψων σφίσι τὴν δίοδον, ὑπετείνατο10.

pκἀν τούτῳ τὰ ἐπικαιρότατα11 διετάφρευσε καὶ ἀπετείχισεν12, qὥστ' ἄπορον αὐτοῖς τὴν ὁδὸν γενέσθαι13.

Digitized by Google

8, 3 r(Ubi ea dies.... venit et legati ad eum reverterunt, negat se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare e. q. s.)

8, 4 Helvetii... si sperrumpere possent, conati toperis munitione... repulsi (hoc conatu destiterunt).

32, 1 roῖ οὖν βάρβαροι χρόνον μέν τινα ἐπέσχον14, ἔπειτ' ἐπειδὴ μηδὲν ἤκουσαν15 κατὰ τὸ συγκείμενον16, sᾴραντες τὸ μὲν πρῶτον διὰ τῶν Ἀλλοβρίγων17 ἐπορεύοντο18 ἧπερ ὥρμηντο, ἔπειτ' tέντυχόντες τοῖς κωλύμασιν....

Comparatio ipsa satis probat Dionem Caesaris commentarios hic quoque secutum esse; infra apparebit discrepantias quasdam huic sententiae nequaquam obstare.

Haec adnotare velim:

1. τὴν γέφυραν Dio lectorem non certiorem fecit, de quo ponte agebatur; in rebus geographicis Dio minime diligens est; cf. διὰ τῆς λίμνης lib. 54, 22, 4 (II p. 463. 3), quamquam de lacu quodam nondum sermo fuit; ibi intellegitur *lacus Venetus*, ut Boissevain adnotat.

2. Dio ordinem narrationis mutavit; idque non mirum, cum unam modo rem nomine commemoraret, ceteras breviter complecteretur.

3. Dio ordinem narrationis mutavit.

4. Pro *provincia* Dio τὴν τῶν Ῥωμαίων γῆν, recte quidem quod ad sententiam attinet, sed geographice prorsus incerti dimittimur; nisi forte re vera Helvetii polliciti sunt se fines imperii Romani non transgressuros atque Dio nobis veritatem tuetur; cf. adn. 17.

5. Dio haec libere Caesarem secutus narrat.

6. ὑπὲρ ὧν ἠξίουν Dio de suo perspicuitatis causa addidisse videtur.

7. μετὰ τῶν ὑποστρατήγων More Romano proconsul cum legatis consilium habet, atque Dioni id notum fuisse res ipsa monet. Sed negare non ausim eum quadamtenus Caesaris verba correxisse, quia re vera ita legatis Helvetiorum responsum esset.

8. ἐν ῥητῇ τινι ἡμέρᾳ Certos dies nominare Dio vitare solet,

Digitized by Google

praeter eos, quibus principes imperium acceperunt; *Kalendae Nonae Idus* apud eum non occurrunt, cf. lib. 44, 18, 4 (II p. 116, 7) ἡ ἡμέρα ἣν ἐδεδίεις ad Idus Martias significandas, quo die Caesar occisus est.

9. δώσειν Dio a Caesare discrepat, non casu quodam, sed ex composito; nam quater hanc discrepantiam repetivit (cf. 14, 15 et 16) atque id non sine gravitate quadam; vix dubitari potest, quin consulto ille hoc loco Caesaris narrationem impugnaverit atque optima argumenta habuerit. Res ipsa non magni momenti videtur; ceterum huius loci non est disserere, utrum Caesar in commentariis conscribendis festinationis plenus vel memoria lapsus erraverit an de industria cives suos decipere voluerit.

10. καί τι καὶ ἐλπίδος ὑπετείνατο. Hoc quamquam diserte non dicitur, facile ex Caesaris quoque verbis intellegitur; Dio autem ex alio fonte id addidisse videtur, ut Caesarem corrigeret.

11. τὰ ἐπικαιρότατα. Dio Caesaris commentarios correxit ex fonte suo. Columba (p. 12) iure quodam Melberum refellit, qui existimabat Dionem ipsos commentarios recte interpretatum esse, sed errat, quod dicit casu quodam Dionem verum narrasse; facile enim scriptor aliquis id cognovisse poterat, et ex scriptore quodam eum id supplesse eo probatur, quod plures emendationes in hac ipsa parte intulit.

12. Dio, ut saepius, ordinem mutavit.

13. ὥστ' ἄπορον αὐτοῖς τὴν ὁδὸν γενέσθαι. Aliis verbis Dio fere idem dicit atque Caesar.

14, 15 et 16. χρόνον μέν τινα ἐπέσχον, ἐπειδὴ μηδὲν ἤκουσαν, κατὰ τὸ συγκείμενον, vide ad adnotationem 9.

17. διὰ τῶν Ἀλλοβρίγων. Dionem qui quam plurimum nomina propria vitare studet, haec verba de suo addidisse non credibile est; potius putandum est etiam hoc loco Caesaris commentarios impugnari, atque Helvetiis fuisse in animo per Allobrogum fines, non per provinciam Romanam iter facere, quod etiam a Caesaris ipsius commentariis (1, 6, 3) non alienum est; quod Allobroges nondum omnes ad imperium Romanum adiuncti erant, id Caesaris verbis (1, 11, 5) confirmatur. Hic in eo omnia mihi videntur verti, quod Caesar finem imperii Romani ad Rhodanum flumen posuit, is autem quem

Digitized by Google

Dio sequitur atque Helvetii ipsi Rhodani vallem in hac regione adhuc liberam existimaverunt. Itaque de exigua parte vallis fluminis Rhodani agitur; ceterum de hac re conferatur adnotatio 4.

18. ἄραντες τὸ μὲν πρῶτον διὰ τῶν Ἀλλοβρίγων ἐπορεύοντο (*conati...*) ἥπερ ὥρμηντο. Ex his verbis effici potest Helvetios non exspectavisse a Caesare se transitu atque itinere prohibitum iri, eos autem vi non usos esse, sed cum populo Romano congredi omni modo vitavisse; haec ne a Caesaris quidem verbis aliena sunt, quippe qui de impetu Helvetiorum taceat; tamen hoc quoque loco Dionem Caesaris narrationem corrigere conatum esse patet.

Cap. 9, 1–4 (Relinquebatur una) **a**per Sequanos via... (legatos ad Dumnorigem Aeduum mittunt..... a Sequanis) **b**impetrat, **c**ut per fines suos Helvetios ire patiantur, **d**(obsidesque uti inter sese dent, perficit).... Helvetii ut **e**sine (maleficio et) iniuria transeant.

Cap. 10, 1–2 (Caesari nuntiatur Helvetiis esse in animo) **f**per agrum Sequanorum et Aeduorum iter, (in Santonum fines) facere, **g**qui non longe a Tolosatium finibus absunt, (quae civitas est in provincia). (Id si fieret, intellegebat) **h**magno cum periculo (provinciae) futurum, ut.....

Cap. 11, 1 **i**(Helvetii iam per angustias et fines Sequa-

Lib. 38, 32, 1–2... **a**ἐς Σηκουανοὺς ἀπετράποντο, καὶ **f et i**διά τε τούτων καὶ **l** διὰ τῶν Αἰδούων **b**ἐθελοντί σφισι **c**τὴν δίοδον, **d**ἐφ' ᾧ **e**μηδὲν ἀδικηθῶσι, **b**πχρεχόντων **f et i**διόντες οὐκ ἐνέμειναν **2** τοῖς ὡμολογημένοις,

Digitized by Google

norum suas copias traduxerant et in Aeduorum fines pervenerant) keorumque agros populabantur.

11, 2–3 (Aedui)... llegatos ad Caesarem mittunt mrogatum auxilium:... n(ut... agri vastari, liberi in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint).

11, 4–5 o(Eodem tempore Ambarri, necessarii et consanguinei Aeduorum, Caesarem certiorem faciunt sese depopulatis agris non facile ab oppidis vim hostium prohibere, e. q. s.)

11, 6 ... pCaesar non exspectandum sibi statuit, dum (qomnibus fortunis sociorum consumptis)r in Santonos Helvetii pervenirent.

ἀλλὰ ktὴν χώραν αὐτῶν3 ἐλεηλάτουν. lπέμψαντες οὖν οἵ τε Σηκουανοὶ καὶ4 οἱ Αἴδουοι πρὸς τὸν Καίσαρα mἐπικουρίαν τε παρ' αὐτοῦ ἤτουν, καὶ nἐδέοντο μὴ τῶν περιιδεῖν5 ἀπολομένους.

32, 3. καὶ oἔλεγον μὲν οὐδὲν ὅμοια6 οἷς ἔπραξαν, pἔτυχον δ' οὖν ὅμως ὧν ἠξίουν· ὁ γὰρ Καῖσαρ hφοβηθεὶς μὴ καὶ ἐπὶ τὴν getrΤόλοσαν7 οἱ Ἑλουήτιοι τράπωνται, εἵλετο qμετ' ἐκείνων8 αὐτοὺς ἀμύνασθαι μᾶλλον ἢ συμφρονήσασί σφισιν, ὅπερ εὔδηλον ἦν ἐσόμενον, πολεμῆσαι.

Dionem in hac parte Caesaris commentarios secutum esse comparatione ipsa iam satis probatum est. Quae a Caesare cap. 9 narrantur, Dio pleraque omisit, quippe quae res externas tractarent; et quae cap. 10, ut quae ei non satis gravia viderentur.

Ceterum pauca mihi adnotanda sunt:

1, 3, 4. Dio rem quodammodo simpliciorem reddidit atque Sequanis Aeduisque non idem accidisse Caesarem (1, 10, 1) secutus neglexit; fortasse *eorum agros* (*Caes.* 11, 1) ad Sequanos quoque rettulit.

2. *οὐκ ἐνέμειναν τοῖς ὡμολογημένοις.* Dio diligenter, de suo ut videtur, addidit, quod quisque facile ex Caesaris verbis intellexit.

5. Dio breviter Caesaris narrationem complexus est; verbo *περιιδεῖν* usus est, veteres secutus, cf. Thuc. 1, 25.

Digitized by Google

6. *ἔλεγον μὲν οὐδὲν ὅμοια οἷς ἔπραξαν.* Alio fonte collato Dio intellexisse videtur has querelas veritatem excedere; idque recte; ne ipse quidem Caesar id praestat, sed Aeduorum socios querentes facit; sane eo consilio, ut facilius omnes probent, quod ille intervenit.

7. *τὴν Τόλοσαν.* Dio nomen Santonum parum notum vitare maluit atque Tolosam substituit; verba ipsa a Caesaris commentariis non abhorrent; ceterum patet, quantulum Dio geographiae studuerit; eum fugisse videtur supra se iam aliud Helvetiorum consilium commemoravisse, cf. adn. 7 ad lib. 38, 31, 3.

8. Hanc argumentationem Dio vel ex alio fonte pro Caesaris verbis: *omnibus fortunis sociorum consumptis* substituit, vel potius de suo addidit, quia verbis *ὅπερ εὐδηλον ἦν ἐσόμενον* quadamtenus ea excusatur; argumentationem ipsam apud veterum quendam invenisse eum puto.

Cap. 12, 1 [a]Flumen est Arar... Id Helvetii [b]transibant.

12, 2 (Caesar) [c]ad eam partem pervenit, quae nondum flumen transierat.....

12, 3 Eos.... [d]aggressus magnam partem eorum [e]concidit.

Cap. 13, 2 Helvetii [f]repentino eius [g]adventu [h]commoti, cum [i](id quod ipsi diebus XX aegerrime confecerant, ut flumen transirent, illum uno die fecisse intellegerent),

13, 3 [(legatos ad eum mittunt);... [k]si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, ituros atque ibi futuros Helvetios, ubi

Lib. 38, 32, 4 [d]*προσπεσὼν οὖν διὰ ταῦτα*[1] *τοῖς Ἑλουητίοις* [a]*τὸν Ἄραριν* [b]*διαβαίνουσι* [c]*τοὺς μὲν τελευταίους ἐπακολουθοῦντας*[2] [b]*ἐν αὐτῷ τῷ πόρῳ*[3] [e]*διέφθειρε, τοὺς δὲ προκεχωρηκότας*[4] *ἐς τοσοῦτον*[5] *ἐκ τοῦ* [f]*αἰφνιδίου καὶ* [i]*ἐκ τοῦ τάχους τῆς* [g]*διώξεως καὶ* [i]*τῆς πύστεως*[6] *τῶν ἀπολωλότων* [h]*ἐξέπληξεν* [k]*ὥστε ἐς ὁμολογίαν ἐπὶ χώρᾳ τινὶ*[7] *ἐθελῆσαι ἐλθεῖν.*

Digitized by Google

eos Caesar constituisset atque esse voluisset;]

13, 5 l[Quod improviso unum pagum adortus esset]

Cap. 14, 6 m[(His Caesar ita respondit)... si obsides ab iis sibi dentur]

14, 7 n[(Divico respondit).... uti obsides accipere, non dare consuerint;.... oHoc responso dato discessit.]

Lib. 38, 33, 1 οὐ μέντοι καὶ συνέβησαν· mἐπειδὴ γὰρ ὁμήρους ἠτήθησαν, ἠγανάκτησαν8 οὐχ ὅτι ἠπιστοῦντο, nἀλλ' ὅτι ἀπηξίουν ὁμήρους τισὶ δοῦναι.

Comparatio ipsa monstrat Dionem Caesaris commentarios secutum esse; sed quae Caesar de Arari narravit, omisit Dio nomine tantum servato; more suo non recepit, quae narrantur cap. 12, 4—7, quippe quae ad rem ipsam non pertinerent; Tigurinorum et Diviconis nomina tacentur. A Plutarcho (*Caes.* 18) atque Appiano (*Celt.* 15) Labienus Tigurinos vicisse dicitur; quod Dio cum Caesare consentire videtur, id Caesaris auctoritatem non confirmat; hic enim, a nominibus commemorandis abhorrens, hanc correctionem non satis gravem existimavit; ceterum iure quodam imperatori attribuitur, quod legatus perfecit. Huius loci non est disserere, cur Caesar, quod Labienus rem bene gesserit, hoc loco reticuerit.

Quae cum Caesaris commentariis 13, 3 usque ad 14, 7 congruunt, ea Dio non ex Caesare ipso sumpsit, ut disserui infra adn. 6.

Haec notare velim:

1. διὰ ταῦτα Dio de suo addidit.

2 et 4 τοὺς μὲν τελευταίους ἐπακολουθοῦντας et τοὺς δὲ προκεχωρηκότας ad hunc ambitum verborum Dio confugit, ut nomen Tigurinorum vitaret.

3. ἐν αὐτῷ τῷ πάρῳ *in ipso vado* vel *traiectu* Dio ex alio fonte addidisse videtur; non prorsus idem Caesar dixerat 12, 1 *incredibili lenitate.*

4. vide ad 2.

5. ἐς τοσοῦτον satis cum sensu commentariorum congruit.

Digitized by Google

6. *τῆς πύστεως* Dio non de suo id addidit libere Caesarem secutus; ab ipsius mente plane abhorret narrationem procedere per orationes; eas quoque orationes, quae apud alios historiae scriptores occurrebant, excerpere vitavisse atque ubi alii fontes ei praesto erant, alium fontem inde ab his vocibus sequi praetulisse videtur; non solum ordo atque forma totius narrationis, sed etiam singulae partes plus solito a Caesare discrepant, ac tamen tota narratio ita cum Caesare consentit, ut is auctor quem Dio secutus est, Caesare praecipuo fonte usus esse videatur. Quod ad rem, Dio atque Caesar ita inter se conveniunt, ut in Caesare nihil reprehendendum fuisse videatur.

7. *ἐπὶ χώρᾳ τινί* Dio cum Caesare consentit; Helvetii igitur suo ipsorum consilio absistere parati fuisse videntur.

8. *ἠγανάκτησαν οὐχ ὅτι ἠπιστοῦντο* Dio vel de suo vel potius ex alio fonte addidit, quamquam ipsa sententia a commentariis non abhorret.

Cap. 15,1 (Postero die) **a**castra ex eo loco movent.... **b**Caesar equitatumque omnem.... **c**praemittit;

15, 2 Qui **d**cupidius **e**novissimum agmen insecuti (alieno loco) **f**cum equitatu Helvetiorum **g**proelium committunt; et **h**pauci de nostris cadunt.

15, 3 **i**Quo proelio **j**sublati Helvetii....

Cap. 23, 1 ...**k**(quod a Bibracte, oppido Aeduorum... non amplius milibus passuum XVIII aberat, rei frumentariae prospiciendum existimans) **l**iter ab Helvetiis avertit ac **m**Bibracte ire contendit.

Lib. 38, 33, 1–2.... *καὶ τῶν μὲν σπονδῶν* **a***κατεφρόνησαν*1, **a***προχωροῦντες δὲ αὖθις*2 *τήν τε* **b***ἵππον τοῦ Καίσαρος, ἀπό τε τοῦ πέζου πολὺ*3 **c***προδραμοῦσαν καὶ τοὺς* **e***ἐπιστοφύλακας αὐτῶν* **d***παραλυποῦσαν*4, **g***ὑποστάντες* **f***τῷ ἱππικῷ*5 **h***ἐνίκησαν*6, **i***κἀκ τούτου αὐτοί τε* **j***φρόνημα λαβόντες*

Digitized by Google

Cap. 23, 3 Helvetii, seu nquod timore perterritos Romanos discedere a se oexistimarent, p(eo magis, quod pridie superioribus locis occupatis proelium non commisissent), sive q(eo, quod re frumentaria intercludi posse confiderent),... ritinere converso snostros.... insequi... coeperunt.

καὶ nἐκεῖνον Φυγεῖν7 pδιά τε τὴν ἐλάττωσιν8, καὶ ὅτι ket qσπαν ίσας9 τῶν ἐπιτηδείων mπρὸς πόλιν τινὰ10 ἔξω τῆς ὁδοῦ οὖσαν lἐξεπράπετο, onομίσαντες rτοῦ τε πρόσω ἀφεῖντο καὶ sἐπεδίωξαν αὐτόν.

Ipsa collatio monstrat Dionem Caesaris commentarios secutum esse, sed ille non solum res domesticas Aeduorum omisit, sed etiam contentiones quas Caesar cum Aeduis habebat (cap. 16—20), et praeterea opportunitatem a. P. Considio dimissam (cap. 21, 22).

Pauca non gravia adnotare velim:

1. τῶν μὲν σπονδῶν κατεφρόνησαν Dubium utrum Dio haec de suo, ut rursus ad commentariorum excerptum suum redeat an ex alio fonte addiderit; id quidem parvi momenti est, sed haec verba quadamtenus refutant Dionem de industria Caesari infestum fuisse, ut quidam putant; utique ex re Romana rem spectare solet.

2. αὖθις non multum discrepat a Caesaris *postero die.*

3. ἀπὸ τοῦ πέζου πόλυ Haec apud Caesarem desunt; cetera quidem e Caesaris verbis colligi possunt, sed vocem πολύ utique a Dione vel de suo vel ex alio fonte additum est.

4. παραλυποῦσαν, cum Caesar habeat „*cupidius insecuti*"; equitatus igitur initio quadamtenus feliciter rem gessisse dicitur, quod ex Caesaris verbis non potest colligi.

5 et 6. ὑποστάντες τῷ ἱππικῷ quod ad rem, non multum discrepat a Caesare: „*alieno loco cum equitatu Helvetiorum proelium committunt*", sed tamen res ab altera parte spectatur; et quia deinde Dio verbo ἐνίκησαν ex alio fonte Caesarem correxit, haec quoque ex eodem fonte fluxisse videntur.

7. ἐκεῖνον Φυγεῖν *timore perterritos Romanos discedere*; id

Digitized by Google

simplicius quidem, neque tamen correctio putanda est; tale quid quivis de suo mutare potest neque ullius momenti est.

8. *διὰ τὴν ἐλάττωσιν* quod ad locum, haec respondent Caesaris verbis: *eo magis quod* e. q. s., quam rem cap. 21 et 22 narratam Dio omisit; apud eum autem haec ad cladem equitatus spectant, compluribus diebus ante acceptam. Vix alii fonti, sed potius ipsius Dionis excerpto nimis brevi hic error adscribendus est.

9. *σπανίσας* quod ad locum, respondet ad cap. 23, 3; quod ad sententiam, potius ad cap. 23, 1.

10. *πρὸς πόλιν τινὰ ἔξω τῆς ὁδοῦ οὖσαν* Dio geographiae non studens nomen urbis Bibracte vitat.

Cap. 24, 1 [a]Postquam id animadvertit, [b]copias suas in proximum collem subduxit, [c]equitatumque [d]qui sustineret hostium impetum, misit.

24, 2 [e]Ipse interim in colle medio (triplicem aciem) instruxit... e. q. s.

24, 5 ipsi (confertissima acie) [f]reiecto nostro equitatu (plalange facta) [g]sub primam nostram aciem successerunt.

Cap. 25, 2 [h]Milites... [i]facile hostium phalangem perfregerunt. Ea disiecta... [hh]in eos impetum fecerunt.

25, 5 (Helvetii) Tandem... [j]pedem referre... coeperunt.

25, 6 (Capto monte) et [k]succedentibus nostris [l]Boi et Tulingi, [m]qui.... agmen

Lib. 38, 33, 3–5 [a]*ἰδὼν οὖν τοῦτο ὁ Καῖσαρ, καὶ φοβηθεὶς τήν τε ὁρμὴν αὐτῶν καὶ τὸ πλῆθος*[1], [b]*τῷ μὲν πεζῷ πρὸς μετέωρόν τι ὥρμησε,* [c]*τοὺς δὲ ἱππέας προεβάλετο* [d]*προκινδυνεῦσαί σφισιν,* [e]*ἕως ἐν ἐπιτηδείῳ*[2] *παρατάξῃ.*

[f]*τρεψαμένων τε αὖθις*[3] *αὐτοὺς ἐκείνων, καὶ* [g]*πρὸς αὐτὸ τὸ ὄρθιον θυμῷ*[4] *φερομένων,* [hh]*ἐπικατέδραμέ σφισιν ἐξαίφνης*[5], *καὶ ἅτε συντεταγμένος* [h]*σποράδας ἐξ ὑπερδεξίων*[6] [i]*οὐ χαλεπῶς ἀπεώσατο*[7]. [j]*τραπομένων δὲ τούτων,* [l]*ἄλλοι τινὲς*[8] *τῶν* [m]*μὴ μαχομένων*[9] *(ὑπό τε γὰρ τοῦ πλήθους καὶ ὑπὸ τῆς σπουδῆς οὐ πάντες ἅμα παρεγένοντο*[10]) [p]*προσέμιξαν* [n]*ἐξαίφνης*[11] [o]*κατὰ νώτου*[12] *τοῖς* [k]*ἐπιδιώκουσί σφας, καὶ* [q] *et* [u]*ἐθορύβησαν μὲν αὐτούς, πλεῖον δὲ οὐδὲν ἔσχον*[13].

Digitized by Google

hostium claudebant... [n]ex itinere nostros [o]ab latere aperto [p]aggressi [q]circumvenire, et id (conspicati Helvetii, qui in montem sese receperant, rursus instare et proelium redintegrare coeperunt).

25, 7 Romani signa bipertito intulerunt: [r]prima et secunda acies, [s]ut victis ac summotis resisteret, [t]tertia, ut venientes sustineret.

ὁ γὰρ Καῖσαρ[14] [r]τοῖς ἱππεῦσι[15] τοὺς [s]φεύγοντας[16] πρὸς τάξας αὐτὸς[14] [t]τῷ ὁπλιτικῷ πρὸς ἐκείνους ἐτράπετο,

Cap. 26, 1 [u]Ita ancipiti proelio diu atque acriter pugnatum est. [uu]Diutius cum sustinere nostrorum impetus non possent, [v]alteri se, ut coeperant, in montem receperunt, alteri ad impedimenta et [w]carros suos se [x]contulerunt.

καὶ [uu]κρατήσας [w]πρός τε τὰς ἁμάξας [v]ἀμφοτέρωσι[17] σφίσι [x]συγκαταφυγοῦσιν [z]ἐφέσπετο[18], κἀνταῦθα κἀθις[19] ἰσχυρῶς [y]ἐπ' αὐτῶν[20] [aa]ἀμυνομένους σφᾶς [bb]ἐνίκησε.

26, 3 ... quod pro vallo carros obiecerant et [y]e loco superiore in nostros [z]venientes [aa]tela coniciebant e. q. s.

26, 4 ..... [bb]impedimentis castrisque nostri potiti sunt.

Patet Dionem Caesaris commentarios secutum esse. More suo ille nonnulla omisit vel mutavit; quae autem mutavit atque addidit, sive ea de suo finxit, sive ex alio fonte sumpsit, quamquam pauca sunt, narrationem deteriorem fecerunt; quod ille, cum dilucida pugnae descriptio ei praesto esset, tamen eam quodammodo sibi exornandam atque depravandam esse

Digitized by Google

putabat, id demonstrat eum non solum rei militari non studuisse, sed etiam re vera in disciplina militari non multum intellexisse; quod ex pugna Ariovisti etiam magis apparet.

1. *Φοβηθεὶς τήν τε ὁρμὴν αὐτῶν καὶ τὸ πλῆθος* Mihi non constat utrum Dio ea de suo addiderit vel ex alio fonte sumpserit; illa *ὁρμή* ex tota Caesaris descriptione clarius patet quam ex Dionis una voce; atque illud *πλῆθος* ex Caesaris cap. 29.

2. *ἐν ἐπιτηδείῳ* cf. Caesaris *in colle medio*; Dio sequitur quidem Caesarem, sed perspicuitatem eius non aemulatur.

3. *αὖθις* deest apud Caesarem, a quo iam multo ante, in cap. 15, de priore pugna equestri actum erat, quae pugna prorsus alio genere fuit; Dio qui brevi ante de hac pugna egit, excerpto suo nimis brevi nisus hanc vocem de suo addidisse videtur.

4. *θυμῷ* Dio talia addere amat; quod deinde *φέρεσθαι* habet, ubi Caesar *succedere*, ad idem pertinet.

5. *ἐξαίφνης* haec quoque vox, quae apud Caesarem deest, Dioni accepta est in pugnae descriptionibus.

6. *ἅτε συντεταγμένος σποράδας ἐξ ὑπερδεξίων* apud Caesarem haec desunt; sensus vocis *σποράδας* conici potest ex Caesaris verbis: *perfregerunt. Ea disiecta*, cap. 25, 2. Dubium est utrum Dio ea de suo veterum aliquem imitatus an ex alio fonte addiderit.

7. *ἀπεώσατο* deest apud Caesarem; quod ad sententiam, verbo *perfregerunt* fere idem significatur, sed locus tempusque discrepant.

8. *ἄλλοι τινές* Dio nomina propria quam plurimum vitare studet.

9. *τῶν μὴ μαχομένων* quod ad sententiam, recte pro Caesaris verbis: *qui ... agmen hostium claudebant.*

10. *ὑπό τε γὰρ τοῦ πλήθους καὶ ὑπὸ τῆς σπουδῆς οὐ πάντες ἅμα παρεγένοντο.* Hic rursus idem *πλῆθος* atque eadem *σπουδή* (vel *ὁρμή*) producuntur atque sub 1°; in pugnarum descriptionibus hi Dioni sunt dei ex machina atque haec summa eius sapientia. Dubium est utrum ea hic quoque rursus de suo addiderit an in alio fonte invenerit.

11. *ἐξαίφνης* hic apte, sed minus clare, dicitur pro Caesaris vocibus: *ex itinere.*

12. *κατὰ νώτου*, cum Caesar habeat: *ab latere aperto.*

13. *πλεῖον δὲ οὐδὲν ἔσχον* haec totam Caesaris narrationem complectuntur.

Digitized by Google

14. ὁ γὰρ Καῖσαρ, ubi Caesar habet *Romani*; recte igitur, quod ad sententiam; in hac pugnae descriptione Caesar ipse nusquam se ostentat; sed vox αὐτός, quam Dio paulo infra praebet, correctio esse potest ab eo vel de suo vel ex alio fonte allata.

15. τοῖς ἱππεῦσι, cum Caesar habeat *prima et secunda acies*; equites hostes victos persequi solent; itaque Dio excerptum suum nimis breve factum male explicavisse videtur; ceterum si ipsam pugnam satis intellexisset vel pugnae descriptionibus studuisset, talem errorem non commisisset; tertia acies ei τὸ ὁπλιτικόν fit.

16. τοὺς φεύγοντας tali verbo plane aliter afficimur quam Caesaris descriptione.

17. ἀμφοτέροις σφίσι συγκαταφυγοῦσιν Caesar de utrisque separatim agit, atque neutros fugientes facit.

18. ἐφέσπετο id quidem a Caesare non diserte dicitur, sed facile ex ipsa narratione colligi potest, atque facilius ex tota narratione quam e verbo *venientes*.

19. αὖθις Dio de suo addidit; ceterum in eius narratione quadamtenus mirum est rursus pugna vehementi opus esse; quod autem non sentit.

20. ἐπ' αὐτῶν recte pro Caesaris verbis: *e loco superiore*.

Cap. 27, 1 aHelvetii... legatos de deditione ad eum miserunt.

27, 4 ... circiter hominum milia VI... bsive timore perterriti, ne armis traditis supplicio afficerentur... cad Rhenum finesque Germanorum contenderunt.

Cap. 28, 1 ...dquorum per fines ierant, his, (uti conquirerent et reduceret,... imperavit); (ereductos in hostium numero habuit);

Lib. 38, 33, 6 παθόντες δὲ ταῦτ[1] οἱ βάρβαροι δίχα διῃρέθησαν.[2] aetfοἱ μὲν γὰρ ὡμολόγησαν αὐτῷ καὶ gἔς τε τὴν οἰκείαν hὅθεν ἐξανέστησαν ἐπανῆλθον[3], κἀνταῦθα kτὰς πόλεις ἀνορθώσαντες ᾤκησαν[4]· bοἱ δὲ οὐκ ἐθελήσαντες[5] τὰ ὅπλα παραδοῦναι cπρὸς τὸν Ῥῆνον, ὡς καὶ ἐς τὴν ἀρχαίαν σφῶν γῆν ἐπανελθεῖν δυνάμενοι[6], ὥρμησαν, καὶ αὐτοὺς οἱ σύμμαχοι[7] τῶν Ῥωμαίων dδι' ὧν διῆσαν ῥᾳδίως, ἅτε καὶ ὀλίγους καὶ νενικημένους[8], eἔφθειραν[9].

Digitized by Google

Cap. 28, 2 freliquos omnes... in deditionem accepit.
28, 3 (Helvetios, Tulingos, Latobrigos) gin fines suos, hunde erant profecti, ireverti iussit... kipsos oppida (vicosque, quos incenderant,) restituere iussit.

Haec quoque ita inter se consentiunt, ut dubium non sit, quin Dio Caesarem secutus sit; sed brevitatis causa, ut videtur, omisit, quod pugna commissa Helvetii in fines Lingonum evaserunt; itaque ei, qui saepius Caesaris narrationem correxit, operae pretium non fuit, quippe qui rei militari nihil studeret, ut nos certiores faceret, neque quo modo re vera haec pugna committeretur neque qui verus exitus esset; satis ei fuit, quod ad extremum Helvetii victi sunt neque curavit, ut Caesaris commentarios suppleret.

Praeter cetera ille ea quoque omisit, quae Caesar cap. 29 de numero Helvetiorum eorumque sociorum narravit; et numeros et quae ad populos externos pertinent, neglegere solet.

1. *παθόντες δὲ ταῦθ'* Haec addidit, ut omittere posset, quae Helvetii re vera facerent.

2. *οἱ βάρβαροι δίχα διηρέθησαν* Haec Dio addidisse videtur, ut narrationem contraheret, quamquam hae duae partes numero permultum differebant neque inter se in aequo ponenda erant; id eum fefellit, quia in excerpto suo numeri non commemorabantur.

3. *ἐπανῆλθον* Helvetii apud Dionem ipsi faciunt, quod apud Caesarem facere iubentur.

4. *ᾤκησαν* Id apud Caesarem non legimus, sed paulum differt, utrum Dio id de suo an ex alio fonte addiderit.

5. *οἱ δὲ οὐκ ἐθελήσαντες* Satis bene ita Caesaris narratio contracta est.

6. *ὡς καὶ ἐς τὴν ἀρχαίαν σφῶν γῆν ἐπανελθεῖν δυνάμενοι* Dio ex alio fonte Caesaris narrationem correxisse videtur, qui eos ad fines Germanorum contendisse dicit; quamquam Caesar non

Digitized by Google

aperte dicit periculum fuisse, ne se cum Germanis coniungerent, tamen talis cogitatio nos subit atque graviorem in eos poenam excusat, qui tantum in patriam redire voluerint.

7. *οἱ σύμμαχοι τῶν Ῥωμαίων* Ita Dio Caesaris verba explicavit; nam hoc loco Caesarem non correxisse vel supplevisse videtur.

8. quod ad *ὀλίγους*, cf. *bell. Gall.* 27, 4 *circiter hominum milia VI*; *νενικημένους* Dio de suo addidit, nisi tota argumentatio ex alio fonte sumpserit.

9. *ἔφθειραν* Quod Caesar dixit, Dio vel de suo vel ex alio fonte libere atque simplicius reddidit.

Hac comparatione ad finem perducta id confirmatum esse mihi videtur, quod prioribus capitibus disserui, sc. Dionem plures scriptores legisse atque consuluisse; excerptum modo ex hoc modo ex illo factum fundamentum sibi sumpsisse; id excerptum ex ceteris scriptoribus saepius supplesse vel correxisse; hoc excerpto nimis breviter facto in historiis conscribendis nonnunquam erravisse. Praeterea geographiae atque rei militari non studuit, res externas plerumque omisit.

Inde a capite 30 ex Caesaris commentariis excerptum suum facere Dio desiit; cum is fons, quem ille in bello Ariovisti enarrando secutus est, non supersit, incertum est, utrum excerptum suum nonnunquam ex Caesare correxerit an omnino Caesarem neglexerit. Id eo difficilius est ad diiudicandum, quod ille scriptor, quem Dio sequitur, Caesaris commentariis usus esse videtur [1]); narratio autem Dionea multo inferior est quam Caesaris; nonnunquam vix statui potest, quod de eadem re agitur; Melbero [2]) id contigit, ut ostenderet Caesarem (lib. 1 cap. 50) atque Dionem (lib. 38, cap. 48—50) de eadem pugna egisse, sed ille putavit se demonstravisse Dionem Caesaris commentarios secutum esse. Ceterum Dionis narratio

1) Cf. Columba *l.l.* p. 58 *La narrazione delle guerre galliche in Cassio Dione è unicamente derivata dal resoconto dei Commentari. ..... La fonte immediata di Dione ... era la tradizione liviana, ...* Iam vidimus Columbam rem nimis simplicem cogitavisse.

2) cf. Melber *Der Bericht des Dio Cassius über die gallischen Kriege Cäsars, I Die Kriege mit den Helvetiern und gegen Ariovist.*

Digitized by Google

huius pugnae deterrima est. Sed ex ipsa utriusque comparatione etiam de hoc bello nonnulla memoratu digna patefiunt, quam ob rem postea fortasse hanc quoque comparationem exscripturus sum; Columba enim rem nondum exhausit.

Doleo me adhuc ignorare, ubi Dio rursus excerptum ex Caesare factum sequi coeperit, si saltem id rursus secutus est.

De Caesaris commentariis iudicium aliquod proferre consulto abstinui, quoniam omnes commentarios nondum diligenter pervolutavi atque comparavi; atque id quoque plerumque vitavi dicere, uter Dio an Caesar rem recte narravisse mihi videatur; id reservetur ad alia tempora.

Hoc opus aliquando me confecturum non polliciturus sum, aliorum promissorum memor quae servare non potui; attamen hoc donum, parvum quidem sed ex imo pectore oblatum Tibi hoc die gratum sit.

Digitized by Google

DE ARISTOTELIS ERGA DEMOSTHENEM ANIMO.

SCRIPSIT

J. D. MEERWALDT.

In Aristotelis libris rhetoricis tribus locis ita fit mentio Demosthenis, ut, diligentius si ad singula attenderis, ipsum philosophi erga hunc oratorem animum haud obscuris indiciis significari appareat. Quodsi uno et definito temporis spatio opus, quo usuri sumus, conditum esset, exspectare liceret, ut unam atque eandem aestimandi rationem per cunctos, quos volumus, locos continuatam inveniremus; nunc vero, ea cum sit corporis huius scholarum condicio, recentiora ut mixta legantur cum vetustioribus [1]), nil erit mirum, si alia alio spectantia deprehendemus; tantum autem aberit, ut documentorum hanc discrepantiam antiquioribus criticae artis remediis tollere liceat, ut data potius opera sit quaerendum, quatenus ex ipsorum temporum ratione commutata intellegi possit mutatus philosophi animus.

His praemissis ad ipsos locos, de quibus agere volumus, accedamus. Ac primum quidem, ut ipsum et capitum et librorum ordinem observemus, tractare hic visum est testimonium illud memorabile, quod legitur libro II cap. 23. 1397 *b*, 8 sqq.

1) Bis enim Athenis rhetoricam docuit Ar., primum ante annum 346, iterum inde ab anno 334; inter diversa haec temporis spatia Theodectes aliquamdiu magistri commentariis usus artem docuit. — Post mortem philosophi redactor quidam partim, ut videtur, ipsius Ar. commentariis partim auditorum libellis usus inconditam, impeditam, multis locis praeterea adumbratam magis quam elaboratam hanc 'artem', quam legimus, conflavit.

Digitized by Google

Ubi cum agitur de enthymematum loco, qui dicitur ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, praeter generis eiusdem alia, quae suo tempore infra considerabimus, hoc exemplum proponitur: καὶ ἡ περὶ Δημοσθένους δίκη καὶ τῶν ἀποκτεινάντων Νικάνορα· ἐπεὶ γὰρ δικαίως ἐκρίθησαν ἀποκτεῖναι, δικαίως ἔδοξεν ἀποθανεῖν.

Pro lectione tradita Νικάνορα — sic Dionysius quoque Ad Amm. 748 — Spengeli ex coniectura Νικόδημον postulant Sauppe, Schaefer, Usener: omnino, ut mihi quidem videtur, recte. Namque et Nicodemi haec caedes, cuius conscium atque adeo auctorem Demosthenem fuisse contenderant inimici [1]), causa fuit omni aetate vel celeberrima, neque contra de 'Nicanore' illo textus traditi alibi quidquam memoriae proditur; id quod eo magis premere licet, quia neminis unquam fama aut magis invidiosis aut saepius repetitis criminibus exagitata fuit quam ipsius Demosthenis — iure an iniuria hic non quaeritur. Age, consideres velim hinc Aeschines et Dinarchos, illinc et rerum scriptores aequales et biographos posteriores mille tamquam Argi oculis omnes vitae illius latebras rimatos esse, rimantes autem vel ea nonnulla invenisse, nusquam locorum quae essent: hosne ut fugerit cunctos tam prompta, tam praeclara calumniandi materia? Accedit denique res gravissima, quod neque Aristotelis scholiasta a. l. neque ipse Dionysius Halicarnassensis, cui tanta adhuc auctorum copia integra praesto fuit, quidquam de hac causa eruere potuit.

His perpensis emendationem Νικόδημον in textum recipere non dubitamus: ipsa corruptelae aetate hellenistica factae origo ex Νικάνορος nomine proprio Alexandri et successorum eius temporibus satis frequenti facile explicatur. Est tamen unum, primum quod consideranti obstare videbitur. Apud Aristotelem enim agitur de caede 'iure' facta, de Nicodemi vero interfectore — Aristarchum dico adulescentulum — ita agunt cum recenti adhuc huius rei memoria ipse Demosthenes et Aeschines, tum multis annis post Dinarchus, ut appareat in perpetuum

1) Eubulus, cuius sectator fuerat Nicodemus, *sceleris conscientiae reum fecit* Demosthenem (schol. ad Dem. Mid. 205; Sopat. Walz VIII p. 42); Nicodemi propinquos causam susceptam omisisse apparet, quocum optime consonat, quod post Demostheni testes adfuerunt (Mid. 104); scholiasta ab oratore corruptos eos esse contendit. — Midias *ipsius caedis* auctorem fuisse Dem. criminabatur.

Digitized by Google

patria illum caruisse. Hic si audias Schaefer, facile admodum res dirimitur; scribit enim vir doctus (Dem. u. s. Zeit II² p. 104. 4): 'Wegen eines Bedenkens, das Spengel an seiner Vermutung irre gemacht hat, erinnere ich dass wir von einer *Verurteilung* des A. nichts wissen. Er hatte während der Untersuchung die Flucht ergriffen um sich persönlicher Haft zu entziehen und wenn auch das Gericht nachmals seine That für erlaubten Totschlag erkannte, *so musste er dennoch die Heimat meiden*, e. q. s.' — Atqui eis, qui aut plane inviti aut iure a legibus concesso usi hominem occidissent, et in patriam reditus et in integrum restitutio ita patebat [1]), si sollemnibus caerimoniis perfungendis quasi ipsa cruoris macula se purgassent; oratores vero, quos supra dixi, cuncti ita de Aristarcho exsule agunt, ut appareat, condemnatum esse.

Testimonia haec sunt: Dem. Mid. 117, *εἰργάσθαι τι τούτων ἐφ' οἷς ἀπόλωλεν κ. τ. λ.* — Aeschin. Timarch. 171, 24, *τοιούτων εἰσηγητὴς αὐτῷ καὶ διδάσκαλος ἔργων ἐγένετο, ἐξ ὧν ἐκεῖνος μὲν φεύγει τὴν πατρίδα, οὗτος δ' αὐτοῦ τὰ τῆς φυγῆς ἐφόδια προλαβὼν τρία τάλαντα ἀπεστέρηκε.* Id. de falsa leg. 165 p. 50, *εἰσῆλθες εἰς εὐδαιμονοῦσαν οἰκίαν τὴν Ἀριστάρχου τοῦ Μόσχου· ταύτην ἀπώλεσας. προύλαβες τρία τάλαντα παρ' Ἀριστάρχου φεύγοντος· τοῦτον τὰ τῆς φυγῆς ἐφόδια ἀπεστέρηκας, οὐκ αἰσχυνθεὶς τὴν φήμην, ἣν προσεποιήσω ζηλωτὴς εἶναι τῆς ἡλικίας τοῦ μειρακίου.* — Dinarch. Contra Dem. 30 p. 94, *οὐκ εἰς μὲν τὴν Ἀριστάρχου οἰκίαν εἰσελθών, βουλεύσας μετ' ἐκείνου τόν Νικοδήμῳ θάνατον — κατασκευασθέντα ὃν ἴστε πάντες — ἐξέβαλε τὸν Ἀρίσταρχον ἐπὶ ταῖς αἰσχίσταις αἰτίαις; καὶ τοιούτῳ φίλῳ Δημοσθένει ἐχρήσατο, ὥστε δαίμονα αὐτῷ τοῦτον καὶ τῶν γεγενημένων συμφορῶν ἡγεμόνα νομίσαι προσελθεῖν;*

Patet, opinor, cunctis his locis agi de reo capitis damnato. Etenim quod Demosthenes scribit 'periisse' adulescentem, id ne exaggeratius dictum putemus, impedimur verbis illis Aeschinis 'domum locupletem pessum dedisti', quae palam docent bona Aristarchi publicata fuisse. Praeterea attendas quaeso ad tria illa talenta, quibus amicum 'fraudasse' arguitur perfidus ille Demosthenes. Invidiose scilicet 'fraudasti' dicit

1) Cf. O. Gilbert, Gr. Staatsalt. I II p. 433 sq..

Digitized by Google

Aeschines, dicere cum velit 'tua culpa perierunt'. Facile enim intellegimus Aristarchum ex patria fugere properantem protectori suo pecuniam illam interim commisisse, quam exsuli sibi post remitteret; illum vero, bonorum cum facta esset publicatio, depositum hoc magistratus celare ausum non esse. Ita demum explicari potest, quod Aeschines, de falsa leg. l.l., hoc exemplo utitur, quo demonstret '*ἐκ φύσεως προδότην*' esse Demosthenem.

Haec cum ita sint, necessario consequitur aut omnino procul esse habendum Aristotelis illud, de quo quaerimus, testimonium, aut sic esse statuendum: *caedis ipsius* culpa, utpote 'iure' facta quae videretur, liberatum fuisse Aristarchum reum, alia vero et capitalia accessisse, quibus purgari idem non potuerit. Praeter ipsam autem caedem quae in causa fuerint, hoc ex Aeschinis descriptione, quae legitur Timarch. l. l. cognoscitur. Verba volo haecce: Νικ. *ὑπὸ Ἀρ. τετελεύτηκε βιαίῳ θανάτῳ, ἐκκοπεὶς ὁ δείλαιος ἀμφοτέρους τοὺς ὀφθάλμους καὶ τὴν γλῶτταν ἀποτμηθείς, ᾗ ἐπαρρησιάζετο τοῖς νόμοις πιστεύων καὶ ὑμῖν.* — Habes ipsam rerum materiam ita dispositam, ut interfuit accusatoris. Significant enim participia illa aoristi, quibus *τὸ βίαιον* huius mortis explicatur, taeterrimos inter cruciatus [1]) exanimatum fuisse hominem miserum; definitio autem linguae ea, quae adiungitur, velut ipsa re ducente totius huius facinoris consilium ad Demosthenem refert, quem de medio tollendum curasse adversarium in re publica sibi molestum [2]). — Quid

1) Cf. quod traditur Hyperidae oratori, cum a Macedonibus comprehensus esset, *vivo* linguam ex ore resectam esse. — Crediderintne ipsi accusatores, parum attinet; satis erat, quod ita necessario cohaererent caedis initium et ulciscendi cupiditas. Aeschinem accusatorum expositionem referre tantum non consentaneum est.

2) Pergit Aesch. l. l.: *Δημ. ὁ τηλικαύτας τιμωρίας λαμβάνων ὑπὲρ τῆς ἰσηγορίας.* Nicod. Eubuli sectatorem Dem. adversari solitum esse schol. ad Mid. 102 et 104 commemorat; imprimis cogitatur de desertionis ea lite, quam haud ita multo ante oratori intenderat. Cf. Aesch. de falsa 148: *τὸν γραψάμενον* (sc. *λιποταξίου*) *Νικόδημον.... χρήμασι πείσας ἐσώθης, — ὃν ὕστερον μετὰ Ἀρ. συναπέκτεινας* (tropice dictum?; ceteris locis Aesch. (ut Dinarch) *consilii* auctorem eum fuisse significat; an Midiae crimen admiscet?). — Schaefero contigit, ut sibi persuaderet *ἐπαρρησιάζετο* illud pertinere ad convicia coram populo *in Aristarchum* iactata. Idem ex loco de falsa leg. 148 confidenter colligit: 'Aesch. *setzt den Mord nicht in Verbindung* mit der.... Anklage wegen gebr. Dienstpflicht'. — Quasi non haec sit ipsa ars calumniandi audientibus conclusionem relinquere.

Digitized by Google

contra effecerit Demosthenes *βουλεύσεως* correus idemque post fugam Aristarchi causae communis defensor unicus, collato Aristotelis testimonio facile intellegitur. Nempe conexa illa et unum quasi in corpus coacta crimina ita divisit, ut singulis aut repulsis aut alio saltem conversis ipse in tuto constiterit. Divisio autem, quam obtinuit apud iudices, haec est:

1° *Ipsa caedes*: non malo dolo, sed iusta de causa facta.

2° *Iniuriae*: non vivo, sed mortuo homini illatae.

Quomodo singula haec expedisse videatur, mox videndum erit, interim autem notatu dignum videtur vel optime hinc intellegi, quod cuncti hi tres oratores, quos laudavimus, tum cum indicant, quid Aristarcho reo perniciosum fuerit, et indefinite loquuntur et plurali numero utuntur: Aeschines et Dinarchus, quia ipsius caedis culpa liberatum esse memorare nolunt; Demosthenes autem, quod nefaria illa et ipsi caedi adiecta expressis verbis nuncupare veretur. Aeschin. l. l. *τοιούτων.... ἔργων, ἐξ ὧν.... φεύγει κ. τ. λ.* Dinarch. l. l. *βουλεύσας* [1]) *μετ' ἐκείνου τὸν Νικ. θάνατον — κατασκευασθέντα ὃν ἴστε πάντες* [addit hoc quia contra ipso hoc crimine liberatus erat Aristarchus unaque Demosthenes correus] — *ἐξέβαλε τὸν Ἀρ. ἐπὶ ταῖς αἰσχίσταις αἰτίαις* [2°]. Apud Demosthenem Mid. 116 sq. Midias 'calumniator' iudices deliberantes sic interpellans inducitur: *'τὸν αὐτόχειρ' ἔχοντες.... μέλλετε;'* Deinceps *ultra ipsam caedem* prospiciens [2]) sic pergit orator: *εἰ μὲν οὖν εἰργάσθαι τι τούτων ἐφ' οἷς ἀπόλωλεν* [2°] *ἡγού-*

---

1) Cf. Harpocr. p. 64 (*β.*), *ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάσῃ* (Dinarch. l. l.) *θάνατον*. — Promiscue de ipso caedis malo dolo factae auctore (v. c. Antiph. tetr. III 2. 689 et 3. 693) et de unius consilii sive auctore sive conscio, v. c. Plat. legg. IX 871 e et Antiph. de myst. 94, ubi lex affertur *τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον*. Eandem atque Aristarcho poenam sibi certam fuisse, si damnaretur, Demosthenes commemorat Mid. 122. — Ceterum adnotandum hic videtur argutius totam rem a Dinarcho brevem in conspectum comprimi, quam ut credi possit nil nisi Aeschinis orationes documento loco praesto ei fuisse. Reputemus oportet celeberrimam hanc causam senioribus aequalium cunctis notam fuisse: primum ab Aristotele, deinde procul dubio a Theodecte, qui post annum 347 commentariis magistri usus rhetoricam docuit, in scholis tractata erat.

2) Neque enim scribit, id quod Midiae exclamationi respondisset, *εἰργάσθαι τῶ ὄντι* vel eiusmodi aliquid, sed ipso plurali numero respicit iniurias illas atroces caedi additas. Quare autem ita excurrit? Quia caedem ipsam commissam esse ab

Digitized by Google

μενος τὸν Ἀρ. ταῦτ' ἔλεγεν (scil. domi comprehendendum eum esse quantocius nec iam cessari oportere 'parricidam' cum teneant) κ. τ. λ., mox autem idem denuo excipiens 'αὐτόχειρ' illud, quod supra solum rettulit, ultro adiungit haec ἐφ' οἷς ἀπόλωλεν, cum scribit: μετὰ.... τούτους λόγους, ἐν οἷς αὐτόχειρα καὶ τὰ δεινότατ' εἰρήκει τὸν Ἀρ., κ. τ. λ. — Midiae ergo calumniam referens simul ipse suam criminum bipartitionem respicit. Et 'atrocissima' quidem illa, 'quae perdiderunt reum', obscure tantum indicat, idem vero ea ipsa de causa bis definite odiosum [1]) illud 'αὐτόχειρ' Midiae laudat, quia *ipsa caedes* φόνος δίκαιος iudicatus erat. Ceterum ita de Aristarcho per totam hanc partem agit orator amicus, ut appareat ne hoc quidem eius sententia constare iure ac merito ex capite 2° damnatum esse ἄθλιον illum καὶ ταλαίπωρον (l. l. 104). — Age hinc iam videamus, quid ad utrumque caput utilitatis nobis praebeat Aristotelis testimonium.

1°. Docet hic philosophus l. l. duas atque diversas species esse rationis ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα: a) εἰ μὲν θατέρῳ ὑπάρχει τὸ καλῶς ἢ δικαίως ποιῆσαι, θατέρῳ τὸ πεπονθέναι. b) εἰ τῷ πεπονθότι τὸ καλῶς ἢ δικαίως ὑπάρχει, καὶ τῷ ποιήσαντι. Deinde postquam praecepit pro re ac pro tempore, i. e. ex ipsius causae quae sibi sit tuenda usu, altera utra utendum esse defensori, rationis prioris [2]) (ἄξιος ὁ ποιήσας ποιῆσαι) exemplum proponitur ἡ περὶ

Aristarcho ipse in causa agenda concesserat, 'iure' autem commissa cum esset, ipsum hoc factum exprobrari non licuerat. — Aristarchum caedis auctorem fuisse oblique (recte scholiasta hoc docet) ipse significat Demosthenes Mid. 110, αἰτίαν ἐπήγαγέ μοι φόνου ψευδῆ καὶ οὐδὲν ἐμοὶ προσήκουσαν (cf. 111 et praesertim 104 cum scholio).

1) Licet enim caedis vel iure factae reum sic interim appellari liceat (cf. Platonis verba legg. IX 865*b*) tamen ita per se ipsum positum mali doli notionem ultro adiunctam habet atque certe Demosthenis in ore, qui paulo supra (Mid. 106) Midiam 'αὐτόχειρα' suum vocaverit. — In universum hoc observari potest ignominiose et invidiose ab aliis dicta eo fidelius ab hoc oratore ipsis auctoris verbis referri, quo magis innocua sibi videantur, ea vero circumscribi, decurtari, obscurari, omitti, quae plena in luce aspicere non audeat. Quod magis hoc fecit quam alii, non ex eo est intellegendum quod peior homo fuerit, sed quod artis cum illis communis peritior fuit.

2) Praemittitur l. l. exemplum Alcmaeonis, eiusdem generis atque Oresteum illud: 'mater morte digna, sed filius matrem occidere non debebat'. Ut hic utraque species consideratur, ita in duobus iis, quae deinceps abrupte adnectuntur, exemplis Nicodemi et viri Thebis interfecti altera utra singulatim.

Digitized by Google

Δημ. δίκη κ. τ. λ., alterius vero (ἄξιος ὁ παθὼν παθεῖν) causa ceteroquin ignota περὶ τοῦ Θήβησιν ἀποθανόντος, περὶ οὗ κελεύει [1]) κρίνεσθαι εἰ δίκαιος ἦν ἀποθανεῖν, ὡς οὐκ ἄδικον ὂν ἀποκτεῖναι τὸν δικαίως ἀποθανόντα. Ad intellegendum statum causae, de qua quaerimus, alterum et oppositum hoc exemplum nonnihil confert. Patet enim reum hic defensum esse caedis 'malo dolo' factae, cui quia misere defuerit iusta ac legitima causa occidendi, refugiendum fuisse ad statum [2]) q. d. compensationis: „omnibus — vel „plurimis" — bono fuisse talem virum interimi". Ex quo nequaquam necessario consequi honesto illo consilio caedis auctorem revera usum esse, nemo non sentit; hoc quoque manet: in ius vocare, non suo arbitrio supplicium sumere convenisse. Verum haec et talia opponere atque augere adversarii est; ipse defensor scilicet, quatenus argumentando de medio ea non sustulit [3]), enthymematis quasi saltu obstantia superat. — Hinc iam animum convertamus ad nostrum illud: ἐπεὶ γὰρ δικαίως ἐκρίθησαν ἀποκτεῖναι, δικαίως ἔδοξεν ἀποθανεῖν. Apparet in Nicodemo, contra atque in viro illo Thebis interfecto, nihil argui potuisse, quapropter 'homo morte dignus' fuisset. Quodsi ius tamen occidendi tam firmiter constitit, ut ex eo proficiscendum fuerit defensori, consequens est ex cunctis φόνου δικαίου generibus unum dumtaxat nobis respiciendum esse, illud dico, ἐάν τις ἀμυνόμενος ἄρχοντα χειρῶν ἀδίκων κτείνῃ (cf. Apollod. II 94; Plat. legg. IX 869c). Hic enim ut impune erat caedes illata, ita tantum aberat, ut morte statim dignus haberetur 'ultro adgrediens' qui occisus esset, ut partim vel ad casum vel ad necessitatem vel ad animum corpus defendentis perturbatum referri soleret δικαιολογίας ratio; ita volo, ut statui q. d. 'relatio criminis' adiungeretur [4]) affinis ille 'purgationis'. Dubitari ergo nequit, quin de rixa hic actum sit subito orta, [5])

1) Defensor scil..

2) Cf. Volkmann, *Rhet. der Gr. u. R*^{2}. § 7, p. 74 sqq., imprimis pag. 79 sq.. ('compensationis' status in causa Milonis defendenda M. Bruto et aliis probatus, a Cicerone infirmior habitus).

3) V. c. quod mature facto opus fuerit: e duobus malis minus eligendum esse (cf. Volkmann l. l. pag. 76).

4) Alia v. c. est condicio in Ciceronis Miloniana, quae 'compensationem' adiunctam habet (Sulp. Vict. p. 318).

5) Omnia referenda erant ad repentinos affectus hominum intemperantium (fortasse ebriorum); eiusdem notae est Antiph. tetral. III. Omnino autem con-

Digitized by Google

in qua a conviciis ad manus, a manibus autem ad caedem ventum esset: 'vim oblatam cum quoquo modo posset a corpore defendisset Aristarchus, *iure* occisum esse Nicodemum'. — Et ipsum sane hunc rerum eventum testimoniis scilicet productis satis superque confirmatum fuisse ipsa nos iudicum sententia docet (ἐκρίθησαν l. l.); quid vero enthymematis saltu hic superaverit defensor, quidve ut hoc contingeret de medio ante sustulerit, breviter iam ex iis, quae supra cognovimus, repetendum est. Adversarii enim cum ex ipsis indiciis Nicodemi in corpore repertis effecissent caedem ἀδίκῃ διανοίᾳ utpote ἀδίκῳ τρόπῳ commissam, Demostheni contigit, ut iudicibus fidem faceret caeso denique homini illatas esse iniurias illas, ideoque seorsum suam has iam ad causam referri oportere. Ita autem 'caedis ipsius' capite separato locum iam nactus erat enthymematis eius adhibendi, quod in iudicio ratum habitum esse Aristoteles tradit. Quippe iudicibus, viris et religiosis et iuris prudentibus, fas non fuit id decernere, quod ἰδιώταις crede multis persuasum erat, malo dolo 'iusta' rixae sibi oblatae occasione [1]) abusum fuisse Aristarchum, Demosthenis scilicet in hoc ipso instrumentum. — Mali autem doli crimen [2]) ita

---

ferenda hic sunt quae ipse Dem. Contra Con. 5 et 18 sqq. habet de caedibus ex *conviciis* natis. [cf. linguam exsectam, quod crimen a Dem. tamquam derivandum erat alio]. Nec minus vero dignus, qui conferatur, locus de plagis cum contumelia intentis et de caede vel leviore hac ex causa nata vulgo excusata Contra Mid. 71 sqq. (praesertim exemplum Euaeonis). Consentaneum est in causa Aristarchi probatum esse graviora multo quam 'plagas' Nicodemum illi attulisse, docet autem locus hic Midianae, apud criticos veteres aeque celeber atque superiora illa, quantum in hoc rerum genere valuisse putanda sit vis et ars illa huius oratoris propria agendi et quasi abripiendi secum audientium animos.

1) Proprie ergo Aristoteles, qui hanc suspicionem l. l. respicit (patet fusius haec cum discipulis *tractata* fuisse), dicere debuit ἐπεὶ γὰρ δίκαιοι ἀποκτεῖναι κ. τ. λ. (cf. exemplum alterum εἰ δίκαιος ἦν ἀποθανεῖν, κ. τ. λ. ubi in fine eodem sensu δικαίως ἀποθανόντα). Demosthenis enthymema saltu superat id, quod a rhetoribus dicitur ἡ ἑτέρα διάνοια (Hermog. de statt. 6, 45. p. 73 Rabe).

2) Si quis miratur in hac causae condicione mali doli absolutum esse Aristarchum, is velim conferat causam hanc recentissimam viri decem abhinc annis Amstelodami suspiciosa morte absumpti. Hic quoque causae patronus diligentissime *ea quae ante et quae post mortem facta sint*, inter se *divisit*: illinc caritas erga suos, aedium ac liminis defensio legitima, animus curis commotus: mors casu illata; hinc delicta secundaria ex timore et ex subita cupiditate nata: corpus occultatum; pecunia aversa. Malus dolus in priore capite non compertus est.

Digitized by Google

de causa sublatum uni — ut rerum exitus docet — Demostheni profuit machinationis correo.

2°. Ne disputationem vel sic satis perplexam ultro confunderemus, ita hucusque singula persecuti sumus, quasi unus Aristarchus caedis auctor fuisset. Plures vero Nicodemo manus intulisse cum accusatores arguisse apertum est [1]), tum expressis verbis docet Aristoteles. Apparet ergo socium quendam Aristarcho in cruenta hac rixa adfuisse; cuius cum nulla fiat mentio apud oratores [2]), dubium mihi vix videtur, quin servus ac 'sine nomine homo' hic fuerit, is puta, cuius negotium fuerit dominum a convivio domum deducere [3]). In hunc autem servum, qui periclitanti succurrisset, traiecisse putandus est orator secundarias illas et post caedem ipsam illatas iniurias: 'domini periculo exasperatum atrocia illa commisisse virum barbarum'. — Enimvero, etsi vel ipsa prioris capitis ratio tantum non postulabat, ita ut res poneretur, vix tamen quidquam Aristarcho spei hic erat: causae exitus testimonio est iudicibus persuaderi non potuisse 'neque imperante nec sciente nec praesente domino' — Ciceronis [4]) ut verbis utar — a servo mutilatum esse hominem mortuum. Ὕβρεως seu ἀσεβείας [5]) potius nomine condemnatus et civitatem et bona omnia amisit reus profugus.

Hac quaestionis parte absoluta sequitur, ut videamus, quid de Aristotelis erga Demosthenem animo primus hic locus doceat. Nec sane dubium est, quid nobis sit statuendum. Pri-

---

1) Insidiis positis comprehensum fuisse Nic. a pluribus consentaneum erat, si *vivo* illatae erant iniuriae illae atroces.

2) Moneo Aristotelem *praeter* Dem. plures commemorare. Ipse orator adfuerit necne, parum refert.

3) Mos notissimus. Ceterum cf. Epicharm. ap. Athen. VI 236, ubi parasita conqueritur nullum sibi puerum noctu facem praeferre, solus autem cum per tenebras vagetur, a vigilibus pro latrone habitum verberari se solere.

4) Pro Milone 10. 29.

5) Cf. Ps. Aristot. De virtt. et vitt. 7. 1251 *a*, ἀσέβεια... ἡ περὶ θέους πλημμέλεια καὶ περὶ δαίμονας καὶ περὶ τοὺς κατοιχομένους καὶ γονεῖς καὶ πατρίδα. Conferri ergo possunt patriae proditores et sacrilegi, quorum de poena (exsilium aeternum, bonorum publicatio) vid. Xenoph. Hell. I 7. 22. Cf. etiam litem post pugnam ad Arginusas factam ducibus Ath. intentam. — Ceterum notatu dignum levissimam ὕβρεως speciem (maledicta) in *mortuis* duplici multa punitam esse, Dobr. lex. rhet. p. 671.

Digitized by Google

mum enim, ulla si gratia id temporis inter hos viros fuisset, nunquam commissurus fuit philosophus, ut Aristarchi hanc defensionem ab ipsa illa parte in suspicionem [1]) vocaret, qua Demosthenis salutem spectasset; nec vero praeter Nicodemum ipsum — quod satis omnino fuerat — rei principis nomine omisso unum oratorem correum nominasset [2]). — Ceterum quod vel ipse per se cum consideratur, unus hic locus docet, ab alia quadam parte et tamquam ex obliquo confirmari potest. Supra enim vidimus Eubulum illum, Demosthenis in re publica adversarium, postmodo excepisse accusandi partes a Nicodemi propinquis omissas. Ecce autem in eadem hac Arte Rhetorica (I cap. 15, 1376*a* 9 sqq.) scripta legimus haecce: *οἷον Εὔβουλος ἐν τοῖς δικαστηρίοις* (*δικασταῖς* dubit. Spengel) *ἐχρήσατο κατὰ Χάρητος ὃ Πλάτων εἶπε πρὸς Ἀρχίβιον, ὅτι 'ἐπιδέδωκεν ἐν τῇ πόλει τὸ ὁμολογεῖν πονηροὺς εἶναι'*, cf. III cap. 10, 1411*a*, 6 sqq. et 1411*b*, 1 sqq. ubi item odiose in Charetem dicta referuntur. Quae quo iure conferenda hic putemus, ex

1) Quod l.l. Alcmaeonis illi exemplo praemittitur *ἔστι δ' ἐν τούτῳ παραλογίσασθαι*, moneo *id ipsum*, quod quis captiose concludat, ab Aristotele ad mores eius non relatum esse. De universo huius Artis Rhet. consilio (quasi bifrons est ex Gorgia et Platone) vide I cap. 1, 1355*a*, 29 sqq. et III cap. 1, 1404*a*, 5 sqq. et ipsam rhet. definitionem I cap. 2 (*πιθανόν*). Quamvis 'mala ut persuadeantur' commendare nolit auctor, tamen singulos captiose argumentandi locos (parum interest inter 'vera' eius — cap. 23 — et 'quae videntur' — cap. 24 — enthymemata, cf. 1399*a*. 10 sqq. et 18 sqq., 1399*b*, 13 sq.) diligenter persequitur, neque dubitat praecipere, ut pro causae utilitate eodem enthymemate modo in hanc modo in contrariam partem utamur. Docet enim ll. ll. artificiorum peritia opus esse, ne inermes conficiamur ab adversariis callidis. In bello ut in bello! Item omnia, quae ad psychagogiam inanem auditorum pertineant, ita excusantur, quod illorum 'pravitas' nos cogat persuadendi instrumentis uti, quae ad ipsam rem nihil faciant.

2) E. Drerup, *Dem. im Urt. des Alt.*, p. 23, 'Selbst der für uns unverständliche Hinweis II 23..... kann eine Bosheit enthalten'. Ea, quae et hac et superiore eiusdem libri pagina de Aristotele Demosthenis iudice parum amico breviter dicuntur, causam mihi praebuerunt diligentius de his rebus investigandi; magnam partem ad contraria ipsis rebus, quantum video, deducentibus perveni. Quo autem minus in singulis rebus consentio, eo magis meum puto confiteri, quid idem a rationibus universis notabili huic libro debeam. Namque ea, quae cum alibi fusius, tum breviter p. 253 sq. de recta in his rebus quaerendi ratione ac via praecipiuntur, me retinuerunt, quominus rationem haberem Idomenei, Sopatri, similium aetatis recentioris. Sopatri (Walz VIII 42 sqq.) ineptiae exemplo sunt confusionis perfectae.

Digitized by Google

eo intellegas licet, quod idem hic Chares a Demosthene usque purgari solebat (cf. Schaefer l.l. II p. 52 sqq., p. 77, p. 400). — Ipsa autem ratio cum doceat recenti ipsarum rerum memoria exempla, de quibus diximus, notata fuisse, iudicium hic tenemus philosophi ad annos [1]) ante 346 actos pertinens, quibus annis — id quod memoratu dignum videtur — multo minus adhuc interfuit inter eos, qui post Philippi Macedonis rebus studuerint et rerum Atheniensium unice cupidos. Longe ad diversum et temporis spatium et rerum condicionem nos transferet alter ille eiusdem de enthymematis partis locus, quo iterum mentio fiet Demosthenis.

Libri II cap. 24 ex partitione totius generis, quae proposita est cap. 22 sub finem, de altera enthymematum specie agitur, enthymemata quae non sint, sed esse videantur. Ubi cum alia speciose fallendi artificia perlustrantur, tum notissimum illud 'post, ergo propter', l.l. 1401 *b*, 30 sqq.: *ἄλλος (τόπος) παρὰ τὸ ἀναίτιον ὡς αἴτιον, οἷον τῷ ἅμα ἢ μετὰ τοῦτο γεγονέναι· τὸ γὰρ μετὰ τοῦτο ὡς διὰ τοῦτο λαμβάνουσιν, καὶ μάλιστα οἱ ἐν ταῖς πολιτείαις, οἷον ὡς ὁ Δημάδης τὴν Δημοσθένους πολιτείαν πάντων τῶν κακῶν αἰτίαν· μετ' ἐκείνην γὰρ συνέβη ὁ πόλεμος.* — Priusquam hic quaeramus de voluntate auctoris, paucis agendum videtur de ipsa temporum ratione, quae quid valeat ad totum hunc locum rectius aestimandum, mox apparebit.

Schaefero (III p. 24) Demadis illud desumptum videtur ex contione quadam (l.l. p. 78. 2) brevi post cladem ad Charoneam acceptam habita, sive ex illa, qua Philippi mandata civibus suis exposuit hic orator, sive ex aliqua temporis eiusdem. Atqui neque est, cur putemus ulla alia de re tunc actum esse nisi de eligendis legatis, qui regis condiciones audirent, neque omnino credendum videtur quattuor annis post, cum Athenas rediret philosophus, contionis id genus memoriam ita adhuc viguisse, ut iis, qui adfuissent, verba illa harum rerum studioso referenda visa sint, *cum praesertim nihil haberent faceti*

1) Caedes Nicodemi facta esse videtur anno 349 ineunte (Schaefer III p. 440). De Charete illa partim utique (III cap. 10, 1411 *a*, 9 sqq.) ad bellum Olynthiacum pertinent. Aristoteles Athenas reliquit post Platonis mortem (347), nihil autem existimare nos cogit statim post mortem illius eum profectum esse.

Digitized by Google

et Demadis proprii [1]). Eandem hanc postremam ob causam ne ad annum quidem 335 referenda haec sunt, quo anno deliberatum est de Demosthene, Lycurgo, aliis oratoribus Alexandro postulanti tradendis, pro quibus quod veniam impetravit ipse Demades legatus memoratu saltem dignum videtur. — Immo facile intellegimus *ipsum* philosophum animi causa sibi notasse falso illud conclusum, viva ut ita dicam cum quaereret exempla persuadendi rationis eristicae. Quo autem post a. 434 tempore habita sit oratio, de qua quaerimus, vix dubitari potest. In oratione enim contra Ctesiphontem habita a. 330 Aeschines iisdem quibus Demades verbis usus omnium, quae acceptae sint, calamitatum culpam in unum Demosthenem confert: 57. 61, *τῶν... ἀτυχημάτων ἁπάντων Δ. αἴτιον γεγενημένον*, cf. 154. 73, 188. 80, ubi eadem fere sunt verba, imprimis autem 253. 89: *ἀνὴρ ῥήτωρ ἁπάντων τῶν κακῶν αἴτιος.... οὗτος στεφανοῦσθαι ἀξιοῖ κ. τ. λ.* — Patet autem in *συνηγόροις* [2]) Aeschinis, quos ipse indefinite respicit l.l. 207. 83, principem fuisse Demadem, qui eodem hoc anno magistratum gerebat [3]). Quod cum ita sit, iure colligere nobis videmur disertissimum hunc virum libentissime arripuisse occasionem [4]) pauca et arguta quaedam adiciendi orationi illi et uberiori et parum contortae, quam Aeschines modo habuisset [5]).

Frequentissimum ex tota Graecia concursum ad supremam hanc inter Aeschinem et Demosthenem contentionem factum esse cum ab aliis tum ab ipsis his oratoribus traditur (Cic. opt. gen. or. 7. 22; Aesch. l.l. 3. 8; 56. 61; Dem. Cor. 196);

1) Aliter atque Dem. Aesch. Hyper. orationes suas non edidit Demades, 'ex tempore' autem dicendi facultate unus eminebat. Facete ab eo dicta Demadeorum nomine tradebantur. Infra huc redibimus.

2) Cf. de Dem. *συνηγόροις* ibid. 196. 82; 257. 90. — Dem. de Cor. 285 sqq. Aeschinem cum suis dum adloquitur, nominatim perstringit Demadem speciose de patria meritum, pacem cum fecerit.

3) Administrabat *τὰ θεωρικά*.

4) Cf. Gilbert, Gr. Staatsalt. I pag. 460.

5) Ut optime ipsius iuris partem procuravit Aeschines, ita, quae ad invidiam conflandam Demostheni exprobrat, confusa sunt. Cf. Schaefer p. 251: 'statt sich zu seiner Farbe zu bekennen und gerade herauszusagen:..... 'weil Dem. als ihr (sc. regum Mac.) Widersacher aufgetreten ist, darum hat er euch übel beraten' e. q. s..... Aeschines will zu viel beweisen und beweist darüber nichts'. — Demades vero id ipsum breviter arguit, quod in defensione sua refutat Demosthenes.

Digitized by Google

Aristotelem urbis incolam afuisse non credendum. — Iam vero hoc tecum reputes quaeso non modo ipsum illum Athenis adfuisse, cum prima contra Philippum consilia inirentur[1]), verum etiam — multo quod gravius — hospitem eum Macedonum fuisse, quo tempore pax Philocratea dissolvi coepta sit (a. 342 sqq.): concedes, opinor, vix quemquam inventum esse, qui melius 'culpae' illud crimen[2]) ad verum exigere posset quam hic philosophus. Hoc autem probe cum scirent Athenienses, facile intellegitur, quanti Demosthenis interfuerit tam locupleti testimonio confirmari iudicium illud et sibi decorum et Aeschini exitiale, quo absolutus esset. Consentaneum vero cum sit ne Aristotelem quidem id fugisse, quanta sententiae suae, declarari si videretur, auctoritas foret, sequitur, ut diligentius iam quaeramus, quaenam ratio alteri huic de Demosthene testimonio cum priore illo intercedere videatur[3]), quove sit referendus mutatus philosophi animus.

Ac primum hoc est considerandum, quod ita, si Demadis illud iudicium ipsa dumtaxat concludendi ratione falsum, re tamen rectum, putasset philosophus, nullo pacto commisisset, ut hanc Demostheni victori ultro gloriandi copiam praeberet: 'vel in ipsis scholis adversarios suos sophistas declarari.' — Accedit, quod tantum abest, ut usquam alibi in his libris quidquam de Macedonum illis fautoribus reperiatur, quod contra valeat, ut ne nomina quidem compareant aut Demadis aut Aeschinis, aut si quis alius factionis Demosthenicae adversarius fuit post pacem Philocrateam. Sed ut hoc notandum videtur, ita illud maioris iam momenti habendum, quod tam insigni loco exemplum illud, de quo agimus, audientibus[4])

---

1) Populi scita cum aliis tum *Eubulo* auctore facta tunc erant. Totum hoc temporis spatium ante pacem Philocrateam positum silentio praeteriit Aeschines.

2) Aeschines ita rem fingit, quasi post pacem demum Philocrateam belli consilia agitare coeperit adversarius. Cum Demadis criminatione conferas velim totum or. De Cor. partem 60—80.

3) Apud Christ-Schmid[6] p. 760. 1 notatur: 'A. Kantelhardt, *De Ar. Rhet.* Diss. Gött. 1911, 60 hält die Stelle für einen nachträglichen Zusatz des Ar. selbst.' Libri huius consulendi copia mihi non fuit.

4) Ad id enim attendendum est de *scholis* hic agi Alexandro regnante Athenis habitis. Nemo autem nescit, quanto cum studio in temporibus rei publicae ab artium studiosis excipi soleant, si qua a professoribus, necopinato et alia cum

Digitized by Google

est propositum. Namque cetera in hoc capite cum pertineant omnia ad argumenta sive poetica sive epideictica atque adeo ludicra, hoc unum *ex media re publica sumptum* tantopere eminet inter ficticia illa, ut fieri non potuerit, quin omnium animos, primum cum proferretur, vel maxime in se converterit. Haec autem cum ita sint, pro certo affirmare licet anno vel 330 vel 329, i. e. post ipsum coronae aureae honorem obtentum, Demosthenis patriae defensoris rationes atque consilia publica olim inita coram discipulis Atheniensibus comprobasse Aristotelem illum, auctorem de his rebus locupletissimum. Simul vero verisimillimum evadit non sine causa ipsum hoc 'de enthymematis falsis' caput elegisse philosophum, quo benevolentiam suam testaretur; immo vix est dubium, quin Aristoteles, recens hoc exemplum cum adderet vetustioribus, id habuerit consilii, ut suspiciosum illud capitis superioris, quod etiamsi in novis his scholis omitteretur [1]), in scholarum utique olim habitarum commentariis exstaret [2]), honorifice atque urbane compensaret.

Multo autem quam peculiaris haec causa gravius est ducendum id ipsum, quod isdem his annis, quibus rex Alexander, quamvis nomine protector re tamen imperator, civitatibus Graecis libere decernendi arbitrium derogaret ac saltem praecluderet, ab Aristotele contra Macedonum sectatores defensus est ille Demosthenes, qui ad cupiditatem Philippi cuncta sibi subiciendi causam atque originem rettulisset belli illius fatalis, quo omnia periissent. Quod autem vel ipse per se cum spectatur unus hic locus Artis Rhetoricae docet Aristotelem non [3]) studuisse rebus Macedonum, id cuncta quae ceteroquin de huius philosophi rationibus q. d. politicis ex scriptis eius colligi possunt, plane con-

agantur, eiusmodi adhibentur exempla, quae illorum de rebus extra scholae parietes agitatis opinionem significare videantur.

1) Cf. supra pag. 348. Quatenus 'vulgata' haec tunc iam fuerint, non constat.

2) Ceterum etiam ita tractari hoc poterat, ut invidiosum non iam videretur. Nempe etiam ita, si revera omni culpa liber fuit Aristarchus, enthymemate illo ad causam defendendam opus erat.

3) Gomperz, Gr. Denker III p. 351: 'Wäre Ar., wie neuerlich behauptet ward, ein Parteigänger *Philipps* gewesen, er hätte sicherlich nicht die gegen Dem., den Hauptgegner dieses Königs, erhobene Beschuldigung zu entkräften unternommen (cf. p. 434 adn.).

Digitized by Google

firmant; egregie quod exponitur apud Gomperz, Griech. Denker III p. 276 sqq., praesertim p. 280 sq. et p. 297, cum adnotationibus p. 434 sq.. Cuius ad viri docti disputationes relegare legentes satis haberem, nisi et praeiudicata illa opinio Aristotelem μακεδονίζειν etiamnunc nonnullorum in animis resideret [1]), et ipse Gomperz quaestionem de qua agitur una a parte imperfectam reliquisset, parum cum perspexerit Aristotelis in civilium artium institutione consilium. Qua a parte cum similiter deficiant ceteri, quos quidem noverim, auctores, proficisci hic licet a brevi ea descriptione, quae legitur apud Christ-Schmid, Griech. Literaturgesch.[6] p. 751: 'Den Begriff des Reichs oder des nationalen Bundesstaats [2]) hat er überhaupt nicht erfasst, und es ist wirklich ein merkwürdiges Schauspiel, den Lehrer Al. des Grossen in dem Moment, als dieser ein internationales Weltreich gründete, mit einem Werk hervortreten zu sehen, in dem alle Befangenheiten der altgriechischen πόλις ihre philosophische Rechtfertigung erhalten. Der *makedonisch gesinnte* Philosoph steht hier zusammen mit dem Makedonierfeind Demosthenes und hat ein Buch geschaffen, das von der praktischen Seite her beurteilt, bei seinem Erscheinen schon veraltet war'.

Primum rogare hic subit, quanam tandem re constare putandum sit illud '*maked. gesinnt*', si, ut est, ea omnia et fovit et vindicavit Aristoteles, quae tamen integra conservari omnino non possent, si regis Macedonis imperio subiectae et obnoxiae futurae essent civitates Graecae. — Tum vero et hic et apud alios auctores ex eo, quod πόλεως formae atque imagini tam-

1) Cautius et partim recte Gercke (P. Wiss. s. v., 1017) 'er galt als Makedone' (de hac re infra dicemus). Praeter Christ-Schmid p. 722. 1 et pag. 751 cf. E. Drerup, l. s. l. pag. 22: 'Leicht erklärlich ist es demnach auch, weshalb sich bei Ar., dem *Makedonenfreunde*, für den Politiker Dem. nicht eine Spur von Sympathie zeigt'. Subest hic error ad Demadis illud ab Aristotele laudatum pertinens (ibid. pag. 23).

2) 'Imperium' enim 'omnium commune' silentio premitur in Politicis; 'foederis' autem 'Graecorum cunctorum', quale cogitari poterat, breviter uno tantum loco ratio habetur, i. e. l. l. VII cap. 6. 1337*b* 31 sqq. ἐλεύθερόν τε διατελεῖ καὶ βέλτιστα πολιτευόμενον καὶ δυνάμενον ἄρχειν πάντων, μιᾶς τυγχάνον πολιτείας (i. e. si mediocriter ubique temperetur, — unde Gercke, P. Wiss. l. l. arripiat illud 'unter energischer Leitung' plane me fugit). Revera (ut hoc separatim absolvam) cauto consilio breviter tantum indicat Ar., quid pro imperio Alexandri optatum iudicet, breviter, sed ut a gnaro apud gnaros.

Digitized by Google

quam se addixerit [1]) hic philosophus, ultro colligitur vim ac notionem 'imperii', rei praeter omnia tempestivae, captum eius effugisse; ita autem res mihi fingi videtur, quasi homo umbratilis et veram, quae extra ageretur, vitam nec perspiciens nec respiciens, simplici quadam et innocenti curiositate adductus 'antiquiora' omnia elucubrare perrexerit. — Verum prorsus aliter habet, neque enim *iuxta* ea quae interim nascerentur, sed *contra* eadem docuit Aristoteles. Quippe inde a foedere Corinthiaco magis magisque odisse coeperat imperium illud Macedonum, quod ex initiis, ut ita dicam, Isocrateis ortum cum damno libertatis et gloriae Graecorum augeri et crescere videret: hinc, quod a contemplativa et metaphysica philosophia ad actuosam atque politicam speciem tanto cum studio se convertit. [2]) Quodsi ausus esset, palam, hoc tibi crede, aggressurus fuit arrogantiam et superbiam Alexandri, qui non tam omnes gentes pares inter se quam pariter infra ipsum reddere cuperet; — ut erat, eo se continuit, ut ab ipso aedificio abstinens solum subrueret caute et callide. Hinc retrospiciendi et dudum acta repetendi illa species, qua insignis est doctrina rerum civilium ab Aristotele proposita [3]); revera cum omnia pertineant ad inspiciendum — per ἔμφασιν scilicet — tempus praesens. Quod quo iure dicamus, ex his velim iudices. — Libri Politici non sunt 'opus' secretis studiis conditum et quasi ex ipsa bibliotheca editum, verum scholas continent complures

1) Sed cf. superiorem adnot. in fine. Foedus hoc panhellenicum et purum tacite adversatur hinc Isocrateo illi *regis Mac. sub ducatu posito*, illinc imperio Alex. ex foedere Cor. et iniquo nascenti. — Cur, rogo, Philippo dissuaserat, ne regum Persarum diadochus fieri cuperet? (Philodem. pap. 1015, 832 LVI 16 sqq.). Nempe penitus, opinor, iam tum timebat libertati 'sociorum' Graecorum. Consonat, quod post Alexandrum, cum is tamen rem suscepisset, significanter monuit, ut *pro amicis et familiaribus* Graecos haberet, *pro brutis ac stirpibus* barbaros (Plut. de fort. Al. c. 6): sentiebat nimirum revera mediam inter utramque (*imperio obnoxiorum* scil.) condicionem et hos et illos manere! De notione *amicitiae* infra agemus.

2) Opinione praeiudicata captus Sudhaus (Rh. Mus. 1893 p. 563) nescioquomodo rem a Philod. notatam et reprehensam ad *Macedonismum* Aristotelis refert, ipse cum recte p. 559 (ad LVI 16) Aristotelis cum Isocrate dissensum notet.

3) Quid Aristoteles habuerit, quod iure repudiaret vim ac rationem 'imperii' a Phil. et Alexandro conditi vel optime intelleget, qui ea consideraverit, quae leguntur apud Pöhlmann, Gr. Gesch.[4] pag. 247 sq. et pag. 269 sqq.

Digitized by Google

per annos [1]) cum discipulis Graecis et suae quisque civitatis civibus habitas, atque ita habitas, ut magistri ad praeceptionem 'theticae' auditorum in utramque partem disputationes adiungerentur [2]). His autem scholis quod tam gentium quam monarchorum [3]) ingeniis examinatis ea omnia pleniore in luce collocantur, quae pertineant ad 'Civitatem' illam vere graecam civibus ipsa natura liberis et aequo iure utentibus vindicandam, 'Monarchia' vero, quamvis honoribus cumulata, ad alias aut aetates aut gentes dimittitur [4]) —, haec cum ita sint, manifestum iam fit illud: Aristotelem philosophum, artes civiles et ad ipsam vitam pertinentes cum doceret, sedulo id egisse, tecte aperte ut demonstraret ius et imperium in Graecos omne derogandum esse regi Macedoni. Singulas dissimulatae huius contentionis artes persequi huius loci non est; rem universam vero ita probare et quasi ad obrussam exigere potes, haec si

---

1) Vix est, quod hodie moneam, indicia ea, ex quibus olim certi 'ante' et 'post quem' termini repeti solebant, nihil iam utilitatis ad hunc saltem finem praebere, postquam intellectum est Aristotelem modo vetera sua commentaria, ut erant, adhibuisse, modo recentiora addidisse. (vide Gercke, P. Wiss. l. l.; Ueberweg-Praechter, Grundr. I[11], p. 372 sqq. et 377).

2) Diog. L. V 3; Cic. Or. 46; Theo Progymn. II 69. 1. In catalogo scriptorum memorantur *θέσεις πολιτικαὶ β̄*. Respici hae solent in oratoria institutione, sed artissime haec cum 'politica' cohaerebat (Arist. Rh. I 2. 1356 *a*, 25 sqq.). — Alias copiam mihi fore spero separatim agendi de declamationum Romae *sub imperatoribus* habitarum vi atque indole una cum ipsis argumentis ad Alexandri aetatem referenda. Interim quantum ad Romam attinet conferas velim J. de Decker, Bulletin de la Soc. p. le prog. d. ét. phil. et rhét.; 1909, p. 58 sq. (de compensatione *acroatica* post libertatem dicendi *in foro* amissam).

3) Praesertim attendendum est ad causas corruptionis, quae diligentissime tractantur: ex eo, quod expressis verbis nex Philippi 'monarchi' (una cum tyrannis l.l. hoc nomine comprehenditur rex) ad *ὕβριν* eius refertur, facile colligitur, alibi hic et illic de Alexandro *cogitari*. Eadem ratio duplex erga Phil. mortuum et Al. rerum dominum — quid mirum — apud Demosthenem in or. De Cor. observatur.

4) Quemadmodum a Platone Homerus. — Quatenus dissentiamus cum Gomperz ex eo intellegetur, quod hic scribit: 'Ar. hat mit der Monarchie zu Tische gesessen, ohne sie gewahr zu werden' (p. 298) et (p. 17) 'Der Stagirit war niemals ein praktischer Politiker gewesen. Der maced. Expansion hat er keinerlei Vorschub geleistet. Ja der scharfblickende Denker hat, so wundersam es klingen mag, die Tragweite des vor seinen Augen sich vollziehenden weltgeschichtlichen Umschwungs nicht geahnt — vielleicht eben darum, weil ihm dessen Träger zu nahe stand'. — Partim haec recta: verum quatenus quae instarent perspexit, *θεωρίας* specie *πρακτικῶς* adversatus est Aristoteles.

Digitized by Google

tecum consideraveris: quove animo fuisse putandus sit Alexander absens, Aristotelis verba cum vel ipsa vel sermonibus aucta in Asiam perferrentur, quove modo hic rex egisse tradatur cum magistro pristino. — Nempe spe deceptus a submolesto hoc amico, qui consilia pro obsequio praestaret, non modo *tacite* ab eo *negari sibi* videbat fautorium illud officium, quod patri olim obtulisset Isocrates praeco, verum etiam *penitus subrui sentiebat* ipsa fundamenta, in quibus exstrui sibi potuisset rerum dominatio id genus, quae lege ac iure naturae sancta videretur. Itaque cum pro opibus ac subsidiis primo utique in illum collatis [1]) ministeria, ut ita dicam, sibi rependi videret nulla, immo specie amicitiae [2]) conservata eludi se tamquam a vulpe leonem, fieri sane non poterat, quin magis magisque ab eo alienaretur. Ac revera de tectis horum virorum inimicitiis testimonia tradi notum est (cf. in univ. Plut. Alex. cap. 8; de Ar. et Callisthene cap. 54 sq.; de Ar. et Antipatro suspectis cap. 74 et 77); gravius autem, quantum ad quaestionem nostram, hoc est, quod ea quoque apud Plutarchum commemorantur, ex quibus appareat et ancipitem disputandi artem ab Aristotele excultam Alexandro haud innocentem visam esse, et ex obliquo eundem reprehendisse institutionem eius politicam; illuc pertinet regis illud: *ταῦτα ἐκεῖνα σοφίσματα τῶν Ἀριστοτέλους εἰς ἑκάτερον τὸν λόγον κ. τ. λ.* (cap. 74 cf. cap. 55), huc autem locus ille memorabilis, ibidem cap. 7, ubi rex conqueritur *edi atque vulgari* 'acroamaticas' illas [3]) rationes, quibus ipse eruditus sit; — quas alter (more scil. suo) '*et vulgari nec tamen vulgari*' respondisse traditur. Quippe non de libris hic agebatur proprie 'editis' et apud

1) Aelian. V. hist. IV 19 (de Phil.); Athen. IX p. 398 *e* (de Alex.). Post donare eum desiit Alexander, Xenocrati vero opes obtulit idem (cf. Plut. Al. cap. 8); quas homo liber et magnanimus ea urbanitate, qua posset, repudiasse traditur (vide Comp. III p. 5).

2) Cf, Arist. Eth. Nic. IX 1165 *b* et 1164 *b* 31 sqq. (de beneficiorum referendorum rationibus incertis): habes eius erga Alexandrum animi habitum. Cf. quae infra *de hac Eth. parte* monebimus.

3) Inepte Plut. ad Metaphysica hoc refert: indefinite locutum esse regem (utpote conscio) apertum est. 'Acroamatica' non minus erant Politica et Ethica (vid. Ueberweg-Praechter). Ab Alex. ergo respicitur mutata ea philosophiae tractandae ratio, de qua Philodemus l. s. l. agit; aliter rem intellegere non possum.

Digitized by Google

bibliopolas veneuntibus (ut dialogi illi, quibus scriptoris egregii nomen debebat), verum de scholis ab auditoribus magistri ex ore notatis et studiorum ad usus conservatis — interdum et aliis legendi ac transscribendi causa traditis.....

Satis apparet, quid sibi velit, quod tectis armis Alexandro adversatum esse posuimus Aristotelem. Quodsi tectis tantummodo armis, ex ipsa hoc temporis necessitate magis adhuc est intellegendum quam ex cauto et prudenti 'moderatissimi' huius viri ingenio: permulti nimirum, eadem qui sentirent, ne sic quidem ausi sunt, quoad rerum potiretur ὁ Μακεδών. — Et quid sane causae habuerit, quod rerum condicione mutata liberum illud Graecorum arbitrium restitui posse speraret [1]), hoc divinari cum plurimum licet: habuisse vero eo ipso apparet, quod interim exspectantem egit et praeparantem. Auditores enim quamvis variis ex civitatibus ortos cum communi quadam rerum suarum veterum pietate ac studio imbueret, non modo, quid ab aliis illis deberetur praecipiebat, verum etiam, quid sibi ipsi deberent, homines Graeci et ad libertatem utendam nati: tempus si cogeret servire, servirent tamen inviti. — Ceterum omnibus id genus rationibus et consiliis Alexander postremo Olympiae palam opposuit rem tyrannidis, exsiliorum decreta legitima cum sperneret, speciem vero idem iuris affectans iustum illud fundamentum, quod Graecorum in animis desideraret, ipse sibi in caelo collocavit [2]). Quid Aristoteles? — In gravissima ea Ethicorum [3]) parte, quae est de *amicitiis*, ante-

1) Ea ipsa de causa, quia clandestina fuerunt omnia hac aetate, documenta nos deficiunt. Ceterum veri simile est modo intentius modo remissius egisse Aristotelem pro re ac pro tempore; ne hoc quidem cogitari non potest postremo sub Alexandri reditum periculosius ei visum esse quidquam animi sui significare. Alexandro mortuo temerarium rebellandi consilium ei displicuisse consentaneum mihi videtur: suspicor *exspectandum eum putasse, dum duces Alexandri inter se discordes fierent* — ut facti sunt (cf. Schaefer III p. 359 adn. 2). Apud populares bellandi auctores μακεδονίσμου ita suspicionem movisse Aristotelem facile intellegitur, cum praesertim Antipatri amicus esset — quem socium olim futurum esse Graecorum iam liberorum haud scio an philosophus ante rebellionem intempestive factam speraverit. (cf. Polyperchonis cum Graecis rationem anno 319. Pöhlmann, Gr. Gesch[4]. p. 276 sq.; eadem in Antipatrum cecidissent, si exspectassent Graeci). 2) Vide Pöhlmann l. l. p. 269.

3) Quo anno non liquet, diutius rem iam ante agitaverat Alex. — Monere velim operae pretium fore, si quis data opera de politico Aristotelis consilio

Digitized by Google

quam veniat ad excursum, qui videtur, de civitatis formis ex hoc loco considerandis (E. Nic. VIII cap. 11 sqq.), expressis verbis docet summam rei in eo hic verti, ut alter amicus alterius aut par sit aut suppar; velut inter deum et hominem nullam iam esse amicitiam. Pergit autem suaviter *ὅθεν καὶ ἀπορεῖται, μή ποτ' οὐ βούλονται οἱ φίλοι τοῖς φίλοις τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν, οἷον θεοὺς εἶναι· οὐ γὰρ ἔτι φίλοι ἔσονται αὐτοῖς, οὐδὲ δὴ ἀγαθά· οἱ γὰρ φίλοι ἀγαθά. κ. τ. λ.* (l. l. 1159 a 5 sqq.). Ecce misericordiae melle conditum fel invidiae: vultu composito dici haec tibi finge apud auditores pro *amicis* [1]) servos, pro sociis instrumenta haberi se indignantes — adgnosces, quid in Lyceo ad odium clam acuendum valuerit *δεινότης εἰρωνείας*.

Apparuit, credo, quam prope a Demosthene regum Macedonum inimico steterit Aristoteles pristinus ille sed spe deceptus amicus. Atque eo sane minus mirandum erit, quod similiter iudicata apud hos viros deprehenduntur, cum perpenderimus, quae ipsis his annis, de quibus quaeritur, oratoris illius in republica agendi ratio fuerit et consilium. Namque pariter atque philosophus ille aureae cuidam mediocritati studens inter Macedonum sectatores et rebellandi cupidos locum sibi elegerat interim tutum; adeo autem cavebat, ne Alexandrum irritaret, ut hinc anno 330 ab Aeschine quasi regis adulator in suspicionem vocatus sit (Ctesiph. 159 sqq., cf. Blass, Att. Ber.[2] III 1, p. 432 sq.), illinc anno 324 Hyperides, dux factionis extremae, non secus atque Dinarchus ille obscurior tamquam mercenarium Alexandri clandestinum eundem adiunxerit Demadi palam profitenti (Hyp. I frg. VI 12 sqq.; Din. 98–104). — Eodem autem quasi in confinio partium cum pari consilio versarentur et philosophus et orator, facile intellegitur non

---

et in hac parte et alibi quaerere velit. Ceterum omnino respiciendus est locus *εἰρωνείᾳ* — ubi semel attenderis — insignis, de hominibus 'divis' ibid. VII 1145 a, 24 sqq. *εἰ, καθάπερ φασίν, ἐξ ἀνθρώπων γίγνονται θεοὶ κ. τ. λ.* — Cf. Dem. ap. Hyp. I frg. VIII 30.

1) Hoc nomen quasi tectum in se continet cardinem dissimulati Aristotelis contra Alexandrum antagonismi. Collatis descriptionibus in Eth. et Rhet. *τῆς φιλίας* (cf. etiam Pol. ubi usque redit) constat praegnanter Arist. hac voce uti solere, ubi tacite impugnare velit hominum liberorum et aequo iure dignorum pro instrumentis abusum. Hinc v. c. intellegendum consilium illud celeberrimum, quod Alexandro dedit in Asiam proficiscenti.

Digitized by Google

modo ipso consensu politico, verum etiam usu quodam et consuetudine ea, quam volumus, aetate inter se iunctos fuisse; cum praesertim accedat, ut natura pariter cauti ac prudentes eademque seu dialecticae seu mavis eristicae artis peritia eminentes, ab ingenio quoque ac studiis aliquid commune habuerint. Cuius gratiae cum supra testimonium cognoverimus apertum, locum illum dico ex Rhetorica alterum, tum novo indicio idem confirmat tertius eiusdem operis locus, quem tractare hinc iam aggrediemur.

Lib. III c. 4, ubi agitur de metaphoris et comparationibus, allatis aliorum nonnullorum exemplis, post ipsum Periclem comparet Demosthenes: *καὶ ὁ Δ. τὸν δῆμον, ὅτι ὅμοιός ἐστιν τοῖς ἐν τοῖς πλοίοις ναυτιῶσιν.* Haec verba, quae in orationibus iis, hodie quas legimus, non reperiuntur, procul dubio pertinent ad unam ex contionibus illis [1]) ab oratore non editis, quas Aeschines (Ctes. 166) propter ipsam hanc dictionem metaphoricam perstringit [2]). Potiora ut afferam: *'ἀμπελουργοῦσί τινες τὴν πόλιν, ἀνατετμήκασί τινες τὰ κλήματα τὰ τοῦ δήμου, ὑποτέτμηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων' κ. τ. λ.* — *μιαρὰ καὶ ἀπίθανα* haec esse, *θαύματα* non *ῥήματα.* — Duae hic res notandae videntur. Ac primum id, quod Aristoteles, probe cum sciret Demosthenem oratorem propter popularem eius in contionibus licentiam reprehendi ab Isocrateis et moderatioribus, quique coram audisset Aeschinem ita ut vidimus cavillantem, ex ipso tamen hoc genere exemplum recipit ceteris illis — Aeschinum certe iudicio — haud minus 'abiectum'. Accedit vero hoc alterum, quod multo quam Demosthenes in metaphoris et imaginibus inveniendis clarior erat Demades, cuius scite dicta omnium statim in ore ferebantur; velut [3]) de Demosthene illud: 'similem esse *hirundinibus*, quas neque quiete dormire homines sinere neque prorsus ex somno excitare eosdem (sc. ut galli)', aut — ut metaphoram afferamus ipso argumento Demosthenicae illi imagini affinem [4]) — quod de ipso se dixit *'πολιτεύεσθαι*

1) Non multo ante 330 habitae sunt.

2) Contra: Demosthenes, De Cor. 232. De tota re cf. Blass, l. l. p. 66 sq.

3) Diels IV (Rh. Mus. XXIX p. 107 sqq.).

4) Aeschines quoque in Ctesiphontea (158) aliquid simile habet: 'portitori, qui semel navigium suum subverterit, adimi ius transvehendi homines: Demostheni, qui urbem et Graeciam subverterit, gubernaculum denuo traditum iri?'

Digitized by Google

τὰ ναυάγια τῆς πόλεως' (Plut. Mor. 803 A, ubi *contionali* dicendi generi aptum hoc dicitur). Vides ergo ipsam eam libere fingendi facultatem, in qua Demosthenes et ab Aeschine carperetur et a Demade vinceretur, ab Aristotele l. l. haud obscure eidem vindicari. Parvum autem quod ipsum per se dum spectas, gratiae documentum videtur, magnum revera et locuples illud evadit, una si consideramus ex duobus et clarissimis Demosthenis in eloquentia aemulis alterum in Rhetoricis eius plane silentio praeteriri, alterum vero ita dumtaxat 'laudari', gloriae ut sit adversario suo (II cap. 24). — Ita pariter omnia eo iam nobis coeunt, ut appareat Alexandro regnante cum iterum et mutato consilio Athenis rhetoricam doceret Aristoteles, gratum atque probatum ei fuisse Demosthenem, ut apertum ante Philippi ita tectum in praesens Alexandri adversarium, civem denique Graecum et veteris suae πόλεως desiderio atque amore tamquam in ipso servitio liberum.

Digitized by Google

Soph. El. vs. 772 sq.:

ΠΑΙΔ. μάτην ἄρ' ἡμεῖς, ὡς ἔοικεν, ἥκομεν.
ΚΛΥΤ. οὔτοι μάτην γε· πῶς γὰρ ἂν μάτην λέγοις;

Non erat difficile ex hac verbi repetitione suspicari et conicere aliquid occultum insinuari a Sophocle, qui est eius frequens mos.

Dixerat Orestes in prologo vs. 63: ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς λόγῳ μάτην θνήσκοντας. Μάτην significat (praeter quam *incassum*) *fictum*, *commentitium*, *falsum*, praesertim in hac fabula et in hac ipsa re, non solum vs. 63 quem dixi, sed etiam vs. 1298, ubi de sua morte Orestes: ἐπ' ἄτῃ τῇ μάτην λελεγμένῃ.

Ideo hoc loco manifesta latet ironia: „totum igitur meum iter factum est *μάτην*", ait paedagogus, dum spectator intellegit: „totum igitur meum iter est false confictum?" Clytaemestra vero intellegit: „inutile", et repetit ignara quid sua ipsius verba dicant auditoribus: οὔτοι μάτην γε· πῶς γὰρ ἂν μάτην λέγοις;

Pariter, quoniam de sua ficta morte nuntianda dixerat Orestes vs. 59: ὅταν λόγῳ θανών, et vs. 63: λόγῳ μάτην, et postea dicet vs. 1218: πλὴν λόγῳ γ' ἠσκημένον. Per vocabulum λόγῳ significatur etiam suavis ironia a paedagogo vs. 761, cum ait: τοιαῦτά σοι ταῦτ' ἐστίν· ὡς μὲν ἐν λόγῳ ἀλγεινά. Quapropter non possum assentiri scriptoribus, qui cum T. v. Wilamowitz (Dram. Techn. des Soph. p. 187) dicunt nullam omnino esse in tota hac narratione fictionis aut falsi nuntii insinuationem spectatoribus factam.

I. E. S. I.

Digitized by Google

Cic. Phil. II 34, 87: „Iam iam minime miror te otium perturbare, non modo urbem odisse sed etiam lucem; cum perditissimis latronibus non solum *de die*, sed etiam *in diem* bibere".

Hoc verbum *bibere* quod multi editores admiserunt, reiecto quod in omnibus codicibus exstat „vivere", difficultatem quae solvenda erat minime solvit: illa enim rei ponderatio, qua dicit Cicero „*non solum* de die *sed etiam* in diem", tam fugit nos in verbo *bibere* quam in verbo *vivere*. Praeterea illa totius loci gradatio, otium perturbare, odisse lucem, *bibere* in diem perit omnino, si hoc vocabulum adhibetur.

De die vivere et *in diem vivere* refert Cicero ad vitam latronum. Et primum quidem patet et ab omnibus conceditur quid significet, id est, Antonius vivit iis quae singulis diebus rapit eaque vorat iis ipsis diebus quibus rapit, ita vivit *de die*; sed praeterea vivit *in diem*, id est, ut ceteri latrones habet vitam veluti neci destinatam et tamdiu vivit quamdiu vitat ne corripiatur, nullo modo sibi crastinum diem promittere potest; neque id eo sensu quo ceteri mortales, sed sicut latrones quos praeter communes hos nostros casus, persequuntur omnes quotquot iusta quaerunt aut sua defendunt.

I. E. S. I.

Digitized by Google

Cic. Phil. II 35, 88.

„Sed incidi in id tempus, quod eis rebus, in quas ingressa erat oratio, praevertendum est."

Neminem vidi qui explicet quaenam sint hae res, in quas ingressa erat oratio, quidnam illis praevertendum sit.

Distinguenda sunt tria tempora:

1) ante mensem martium electio Dolabellae et auspicia declarata nulla ab Antonio;

2) idus martiae, interitus Caesaris eo die, fuga Antonii, reliqua;

3) tempus quo Antonius, tacito consensu et agendi ratione, ratam habuit electionem Dolabellae.

De primo tempore egerat hucusque Cicero; de tertio incipiebat agere, nam quaerebat „num etiam tuum de auspiciis iudicium interitus Caesaris sustulit?" hoc enim mutatum iudicium Antonius *postea* ostenderat. Sed huic quaestioni praevertendum erat secundum tempus; in id enim tempus iam incidebat.

Sensus igitur est: „Sed incidi in id tempus (id est in idus martias, quas commemorat dum dicit 'interitus Caesaris') quod iis rebus in quas ingressa erat oratio, (id est, in tempus cum Antonius mutatum consilium ostendit de electione Dolabellae) praevertendum est". Praevertit igitur et agit de his quae idibus martiis gesta ab Antonio sunt.

Ceterum in easdem res ingressa erat etiam paulo ante oratio, n. 84, „quamdiu tu voles, vitiosus consul Dol., rursus cum voles, salvis auspiciis creatus"); inde coniectura eorum confirmatur qui dicunt ea, quae ad Lupercalia pertinent (nn. 85—87), interiecta serius fuisse a Cicerone.

I. E. S. I.

Digitized by Google

V 2 1928

MNEMOSYNE.

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, F. MULLER JAC. FIL., C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

C. Brakman, A. W. Byvanck, D. Cohen, P. J. Enk, P. Groeneboom,
B. A. van Groningen, A. J. Kronenberg, J. C. Naber,
A. G. Roos, M. C. Valeton, H. Wagenvoort, J. van IJzeren.

NOVA SERIES.
VOLUMEN QUINQUAGESIMUM QUARTUM. PARS IV.

LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL.

LIPSIAE,
O. HARRASSOWITZ.
1926.

Digitized by Google

INDEX

Pag.

Ad C. Caecilii Plini Secundi Epistulas, scripsit JOH. P. POSTGATE † . . . . . 373—384

Corrigendum, W. BAEHRENS 384

Varia, scripsit JOH. P. POSTGATE † . . . . . 385—388

ΚΤΑΙΝΔΡΟΣ, scripsit G. V. 389

De Octavia praetexta, scripsit P. J. ENK . . . . . 390—415

De Reguli in Taciti Dialogo partibus, scripsit H. WAGENVOORT . . . . . 416—439

De Virginibus Vestalibus, scripsit H. J. ROSE . . . . . 440—448

Digitized by Google

AD C. CAECILII PLINI SECVNDI EPISTVLAS.

SCRIPSIT

IOH. P. POSTGATE. †

Hodie qui ad emendandas Plini Secundi epistulas uolt accedere ab editione Merrilliana (1922) eiusque copiis debebit proficisci. quibus ut cum maiore fructu utatur, quod quidem ad libros I—IX attinet (nam decimi plane alia est ratio), in codicum discrepantiis existimandis neque illius „decem librorum familiae" quae dicitur (Merrill. praef. pp. VII sqq. B F cett.) plus aequo tribuet testimoniis quod uetustior sit neque illi „nouem librorum" (Merrill. l. c. pp. XVI sqq., M V cett.) quod sincerior. Merrillius illud, hoc Gunnar Carlssonus (Zur Textkritik der Pliniusbriefe 1922) dum Merrillium reprehendit interdum uidetur admisisse. unde factum est ut de locis haud ita paucis Merrillio Keilius, de nonnullis Carlssono A. Otto (Hermes XXI (1886) pp. 287 sqq.) rectius iudicauerint. haec ita esse nuper res ipsa mihi persuasit cum rogantibus Societatis Budaeao cognomine apud Parisios praesulibus ad curas A. Mariae Guillemin, feminae in litteris Latinis et intellegentia et industria nulla inferioris, nouem illos libros editurae quasi corrector et expolitor quidam accesseram. quod facere nullo modo potui quin saepius animo agitarem quibusnam de causis codicum ab eadem quasi stirpe originem ducentium tanta exstitisset uarietas et dissensio. uisae sunt autem fere quattuor quas hoc tempore satis erit indicare exemplis, superuacaneum longis rationibus comprobare. et principio quidem loci illi noscitandi sunt in quibus dissensio codicum propius inspecta in nihil uidetur abire, quippe ubi non de consilio seu libidine diuersa aucupandi sed de casu consilium adsimu-

Digitized by Google

lante res agatur. in quo genere operae pretium erit cognoscere codices quos habemus omnes ex eo exemplari pendere quod litteris maiusculis et uerborum interuallis nullis sit exaratum. rem clariorem luce efficiet mendorum hinc natorum multitudo. huiusmodi sunt 'palma' (percussit) B F, 'palam' p. M D unde 'palamque' p. III 14. 7, 'contactum' M V D, 'contagium' B F, CT et GI inter se confusis, IV 11. 9, 'nouis sumptibus' IX 33. 10 male in 'nouissum ptibus' diuisum ex eoque in D cett. ingrauescente errore 'nouissimum partibus' est factum. neque aliter iudicandum de illo 'aestimare licuit' quod B F D praebent in III 15. 3 et in 'est iam placuit' corruperunt M V distracto 'aestimare' et P pro R inlato. iam in V 19. 2 'quanto nunc illa magis eget' rectissime M et Aldina; sed D cett. 'quanto nunc utilior humanitas (haec de suo inferciunt) iam agiss et'. alia plane sunt ea quae nunc adlaturus sum quod uel ex uno loco manifestum erit. in VI 30. 5 'quid tamen nobis praestare possit ignoro, uelle plurimum *credo*' ita D cett. sed 'scio' M duplicem hic ab initio apparet esse lectionem, non simplicem eamque uarie corruptam. talium lectionum haud una est origo; sed illa in procliui est cum de uocabulis binis utrisque in exemplari exstantibus alterum ab hac familia codicum seruatum est, alterum ab illa. quod ut fieret saepenumero in causa fuit homoeographon, ceteroquin in libris nostris paene nulla non pagina grassatum, sicut in IV 13. 2 scripserat ἀσυνδέτως Secundus 'uereor enim ne si hanc intentionem iam in fine laxauero, intermisero'; intercidit in B F D 'intermisero', in M V 'laxauero'. similia etiam aliquando in ordine uerborum animaduertas quae omissa sunt non ubi oporteret in contextum repositis. quo de genere est I 20. 24 'cedere auctoritati debeam tuae' M V, 'cedere auctoritati tuae debeam' B F, 'auctoritati tuae credere debeam' D. cf. I. 5. 4 II. 4. 3. quid quod particulae uelut 'et' 'uel' aliae saepius apud alterutram familiam comparent, apud alteram desiderantur? ludit haec casus, non regit consilium. ab his plane secernenda est alia librorum dissensio quam fecit aut interpretantium aut corrigentium (hos enim non semper facile est internoscere) importuna diligentia. interpretamenta habes in II 17. 25 'tanta maris uicinitati corruptus' ubi 'salsus' M, in VI 16 18

Digitized by Google

'frigidam aquam poposcit' libri, 'aquam' om. Aldina et ueteres edd., IX 22. 3 'non minus aeger' D cett. pro quo 'aeque sanus' M ut uidetur stolide interpretatus potius quam in emendando nugatus. quod uero in V. 21. 4 pro 'summa consecuturus si uirtutes eius maturuissent' (D cett.) dat idem codex 'maxima consecutus. amabam uirtutes eius maturitatemque' interpolatoris est eiusque improbissimi. his similia facile in quouis codice cuiuscumque scriptoris inuenias. est tamen in Plinianis proprietas quaedam. familiis enim, quarum altera libros B F, altera M V in se continet, tanta est inter se dissidendi constantia ut ad diuersas editiones redire non sine causa criticis uideantur, cum praesertim haud ita raro diiudicare difficile utrius lectio sit potior, ut puta 'parentis loco' B F D cett., 'parentis uice' M V IV 19. 7, nec quam ob rem alteram in alteram quispiam mutatam uoluerit. haec diuersitas unde nata sit aut quo tempore nescimus et nescire confitendum est. illud unum restat ut locis de quibus discrepet singillatim excussis illam amplectamur lectionem quae sententia oratione numeris Plinio dignissima uideatur. in quo genere Carlssonus egregie operam nauauit. haec in uniuersum disputata sint; nunc ad singula accingendum.

I 7. 6

paene praeterii quod minime praetereundum fuit accepisse me caryotas optimas quae nunc cum ficis et boletis certandum habent.

Hoc quod exhibent M V (B^1) excusatione certe non indiget sicut uisum est Doeringio qui similia ad locum adnotauit. sed scrupulum nobis inicit quod 'certamen nondum habent' in F et B a manu quidem secunda scriptum est. mira haec: sed fortasse ad 'certamen nudum' in ceteris aliquot litteris 'cer*tamenn*udum' contractius scriptum, redeuntia. 'nudum certamen' habet Ouidius Met. 13. 159 'ergo operum quoniam nudum certamen habetur' et Silius 6. 46. serio illi quidem sed noster, si quidem scripsit, scripsit iocabundus de cibis quos nullo quasi cultu ad sapores ornatos nuda simplicitate inter se certare putaueris.

Digitized by Google

I 8. 12

si medici salubres sed uoluptate carentes cibos blandioribus adloquiis prosecuntur.

Hic quoque nihil est quod in M V 'blandioribus' reprehendas, sed 'blanditoribus' B idemque paene F, fortasse Plinius *blanditoriis* scripsit. 'blanditorius' Fulgentius et similia noster non semel, scilicet *bellatorius*, *castigatorius*, *dormitorius* illudque ipsum de quo dissentiunt in IV 13. 2 *praeceptoria* B F (quod exquisitius de rem praesumente epistula) *praecursoria* M V (D).

I 20. 5 multorumque animalium.

Lege *mutorumque*, Classical Quarterly XVI (1922) p. 175.

I 20. 7

ex his apparet illum permulta dixisse cum ederet omisisse.

Hic Theodorus Mommsen 'permulta *quae* dixisset cum ederet omisisse' ad sententiam quidem recte; sed paullo facilius et, ut uidetur, elegantius 'permulta dixisse *quae* cum ederet omisisse. ne de 'omisisset' cogites quod infinitum uerbum 'quae' relatiuum sequatur adeas, si tanti est, Kuehner Stegman gramm. Lat. II II. p. 5. 43 (3).

I 20. 22

nec uero cum haec dico illum Homericum ἀμετροεπῆ probo sed hunc

καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν·

non quia non et ille mihi ualidissime placet

παῦρα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως

si tamen detur electio illam orationem niuibus hibernis id est crebram et assiduam et largam, postremo diuinam et caelestem uolo.

De hoc loco quem sic exhibet Merrillius disputauit A.-M. Guillemin (Revue de Philologie XLIX (1925) p. 96) et recte quidem D codicis 'plenam' in honorem reuocauit, sed paulo imprudentius illud non ante 'orationem' sed ante 'et largam' ubi languidius esset uoluit reponere. optime enim de oratione et de oratoribus dicitur ut apud Cicerorem de or. I 59, III 16 'Antonium iciuniorem aut Crassum pleniorem' de officiis I 2, sicut de flumine πολλῷ ῥέοντι (Ouid. trist V 4. 10). at

Digitized by Google

recte eadem M V lectionem 'sed et' ('sed' om. B F) commendat. expensa codicum uarietate 'illam plenam' D m u, 'illam illam' B F, 'illam' M V Aldina, 'illam illam plenam' uerisimillimum uidetur 'illam plenam orationem, illam similem niuibus hibernis, id est crebram et adsiduam sed et largam'.

II 11. 1.

Solet esse gaudio tibi si quid actum est in senatu dignum ordine illo.

Ita Merrillius ceterique cum libris deterioribus u x et Aldina sed reuocandum quod ceteri habent 'acti'. in genetiuo noli haerere sed adeas Quintiliani locum instit. 4. 2. 21 'scire ... quid acti sit' et quos alios in Thesauro Lat. I p. 1406 inuenies.

II 17. 12

hic turris erigitur sub qua diaetae duae, totidem in ipsa, praeterea cenatio quae latissimum mare, longissimum litus, uillas amoenissimas *prospicit*.

Hoc B F cett. quod si omnes haberent, nihil puto esset in quo haereres. sed ab altera parte ecce tibi 'possidet' M V ingerunt quod ex illo 'prospicit' uix natum esse credas et proxime ab ista cenatione turris alterius fit mentio in qua erat cubiculum cum fenestris in diuersa spectantibus. quidni de cenatione idem cogitemus ut triclinio ei sit adsimile de quo paulum supra (5) Secundus 'a fronte quasi tria maria *prospectat* a tergo cauaedium — siluas et longinquos *respicit* montes'? haec tibi si placent, quidni confitearis cenationem illam ab altera parte mare et litus 'prospicere' potuisse, ab altera uillas amoenissimas 'post se uidere'? quidni illud 'possidet' ex hoc '*post se uidet*' esse factum coactis in artius litteris quod haec tibi si placent, quidni confitearis cenationem illam ab altera parte mare et litus 'prospicere' potuisse, ab altera uillas amoenissimas 'post se uidere'? quidni illud *possidet* ex hoc *post se uidet* esse factum coactis in artius litteris quod alibi quoque in M V libris admissum esse uides ut in IV 24. 5 'computes' pro '(a)euom putes' (praecesserat 'computes') IV 25. 5 'inter se tam' pro 'iners sed tamen'? nam *uidet* illud ne defensione quidem ulla indiget cum proxime Secundus 'hortum et gestationem *uidet* qua hortus includitur'.

Digitized by Google

II 17. 16

Hinc cryptoporticus prope publici operis extenditur. utrimque fenestrae, a mari plures, ab horto singulae sed alternis pauciores.

Ita BF. MVD nisi quod *sed* MVD *et* BF. utrumque ut uidetur ex *set* natum. sententiam loci dispexit Keilius recteque 'singulae' et 'pauciores' inter se transire iussit; nec tamen rem absoluit. *set* enim illud plane sensu caret. certe congruentia non diuersa sunt 'pauciores' et 'alternis singulae', itaque reponendum est *scilicet* cui per siglum quidem notato simillimum erat *set*.

II 19. 5

porro ita natura comparatum est ut ea quae scripsimus cum labore etiam cum labore audiri putemus.

Ita BF sed alterum 'cum labore' om. MVD, nimirum homoeographo decepti 'cum labore, *cum labore etiam*' quod legendum, cum et concinnius sit et a Secundo frequentatum (Carlsson op. cit. pp. 13, 15 adn. ad IV 8. 3, 11. 16).

III 1. 8

deinde mouetur pila uehementer et diu. nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. lotus accubat et paulisper cibum differt.

Hic pro 'lotus' MV 'illic' nimis peruerse nisi aliquid de ueritate haberet. idque ipsum probarem si idem quod Francogallice 'sur le champ' significare posset. quod cum nusquam appareat, legendum uidetur *ilico* post 'lotus' reponendum. hic, sicut uides, ueritatem totam neutra familia seruauit, utraque dimidiam. 'lotus' enim nullo modo sollicitandum; conf. VI 16. 12.

III 14. 2

ille siue quia non sentiebat siue se non sentire simulabat.

Hic quoque idem nocuit homoeographon quod in II 19. 5. scriptum fuerat 'sent*ire se*' ut in cod. Vindobonensi 48 (x) sed excidit 'se' abestque in BF, in MVD cett. repositum est post 'quia', imperite.

III 20. 5

testes et laudatores dabat uel eum sub quo militauerat uel cum cui quaestor fuerat uel utrumque.

Digitized by Google

Hic 'militauerat' B F D cett. sed 'legatus' MV. neutrum caue asperneris sed scribe *militauerat legatus*, collato III 5. 3 'cum praefectus alae militaret'.

III 21. 6

tametsi quid homini potest dari maius quam gloria et laus et aeternitas?

Sic MV sed 'aeternitas harum' BF quod 'harum' unde uenerit nescitur. puto, ex *rerum*; conf. Plin. N. H. 35. 106, Tac. hist. 1. 84 'muta ista et inanima intercidere ac reparari promisca sunt; aeternitas rerum et pax gentium et mea cum uestra salus incolumitate senatus firmatur'.

IV. 11. 9 (de Vestali Domitiani iussu defossa)

quin etiam cum in illud subterraneum cubiculum (*om. MVD*) demitteretur haesissetque descendenti stola uertit se ac recollegit cumque ei carnifex manum daret auersata est et resiluit foedumque contagium (contactum *MVD*) quasi (*BF*, plane *add.* in *MVD*) quasi a casto puroque corpore nouissima sanctitate reiecit.

Ex hoc loco quem secundum Merrillium exscripsinius de familiis BF et MV facile intellexeris quantum interdum inter se discrepent, quam discrepantiam hic potissimum utile erit per singula perquirere atque expendere. ac primum de illo subterraneo cubiculo uidendum. 'subterraneum' ut adiectiuum esse libris BF concedàmus, suadet non unius uersus fabulae nobilissimae Plinioque haud ignotae recordatio. Antigonam Sophoclis dico cuius u. 891 hic est ὦ τύμβος, ὦ νυμφεῖον, ὦ κατασκαφὴς | οἴκησις ἀεὶ φρούρος, conf. 1100 ἐκ κατώρυχος στέγης, 1204 λιθόστρωτον κόρης | νυμφεῖον Ἄιδου κοῖλον. positiuum tamen nihilo minus esse poterit, ut in Apuleii Met. 11. 6 'in ipso subterraneo semirutundo' apudque Sophoclem (Ant. 774) κατώρυχι, illudque ipsum cubiculum interpretantis commentum, cum praesertim sepulcralia quoque essent cubicula, de quibus adeundus est Thesaurus Lat. s. u. p. 1268. talem controuersiam equidem diiudicare uix ausim. quod autem ad 'contactum' et 'contagium' attinet, simplex ab initio lectio est (conf. quae supra diximus), non duplex. bonitate uero

Digitized by Google

praestat 'contactum': tactus enim uirgo refugiebat carnificis. mox offertur in MVD 'quasi plane' de quo editores aut nihil aut inutilia. atqui ueritas non longe aberat. pro 'plane' enim isto totidem litteris 'labem' legendum; de labe conferas Iuu. 2. 78 'dedit hanc contagio labem', iam quod in ordine uerborum bifariam in diuersa abeunt familiae, melius, quia exquisitius, MVD 'manum carnifex daret' et (quod adnotauit Carlssonus pp. 19, 20 n.) 'casto puroque corpore' idem cum F habeat 'casto corpore puroque'.

IV 10. 4

moretur ergo in libertate sinentibus nobis, fruatur legato quasi omnia diligentissime cauerit. cauit enim quae heredes bene elegit.

Hic 'moretur' de Modesto seruo dicitur, mox 'fruatur' de eodem, 'cauerit' uero sicut 'cauit' de domina eius Sabina, quod ut intellegatur '*ipsa*' post 'omnia' reponendum.

IV 18. 2

quod si haec quae sunt et Latina et mea habere tibi aliquid uenustatis uidebuntur, quantum putas inesse eis gratiae quae mihi et a te et Graece proferuntur?

Hoc 'mihi' incommodo loco in BF legitur abestque a MVD, credo quod de sua sede exciderat et postea non ubi oporteret repositum est. ut Plinio suam reddas concinnitatem, scribe 'quantum ⟨mihi⟩ putas inesse eis gratiae', hoc est 'mihi quam grata sunt'.

IV 27. 4

et quaerit quod amet putatque amari.

Quod olim pro 'amari' Classical Quarterly l. c. p. 176 *amare* conieci, commendat alter quoque epistularum locus VIII 21. 5 'amat enim qui se sic amari putat ut taedium non pertimescat', re congruens quamquam prima specie differens. utrobique enim agitur de amante eodemque redamari concupiscente.

V 6. 16

ante porticum xystus concisus in plurimas species distinctusque buxo.

Digitized by Google

Ita Merrillius cum BF cett., excepto quod 'que' abest a BF, sed 'in plurimas species distinctus concisusque buxo' MV. hic tenendum est apte de eadem re dici cum 'concisus' tum 'distinctus', sed notione illud prius esse, quod uel ex Cicerone colligas de re publica 3. 3 '(uoces) incidit has et distinxit in partis' uel ex Plinio N.H. 10. 81 'modulatus editur sonus — et nunc uariatur inflexo nunc distinguitur conciso'. quare in ordine uerborum turbato BF codicibus obsecuti 'concisus' primo loco consistere iubebimus, 'distinctus' posteriore. iam bene quoque in isdem 'distinctus' sine 'que'. restat in 'concisus' mendum leuissimum quod uocabulum 'xystus' uicinitate corruperat. hoc sic correxeris 'concisā in plurimas species distinctus buxo'.

V 6. 21

est in hac diaeta dormitorium cubiculum quod diem clamorem sonum excludit, iunctaque ei cotidiana amicorumque cenatio porticum aliam eademque omnia quae porticus adspicit.

Hic 'areola illa' D solus, 'porticum aliam' M, 'porticus alia' BF cett. haec absunt a D, totus locus a V. corrupta uerba ex aliqua parte emendauit Otto 'porticum aliā' coniectura adsecutus. debuit etiam 'illa ⟨aliā⟩' quo addito res absoluta erit ad hunc quidem modum 'areolam illa aliā, porticum aliā eademque omnia quae porticus adspicit', cum quo conferendus est II 17 20 'in hac heliocamino quidem aliā xystum, aliā mare, utrāque solem cubiculum autem ualuis cryptoporticum, fenestra prospicit'. hic non una ex uicinitate corruptio; in M codice 'porticum' 'alia', in BF autem 'alia' 'porticum' corrupit.

VI 2. 9

nam tu quoque amore communium soles emendari cupere quae iam corrigere difficile est.

Hic 'emendari' emendatione egere legendumque amendare siue 'amandari' abhinc annos IV docui, Classical Quarterly loc. cit. nunc adicio 'communium' neutrius esse generis ut Graece τὰ κοινά frustraque a criticis uexatum. quod recte adnotatum est in Thesauro Lat. s. u. *communis* p. 1977.

Digitized by Google

VI 31. 16

adsurgit autem arte uisenda: ingentia saxa latissima nauis prouehit *contra* haec alia super alia deiecta ipso pondere manent ac sensim quodam uelut aggere construuntur.

Haec manifesto emendationem postulant sed prius etiam distinctionem. perperam post 'prouehit' interpungitur, oportuit ante 'haec', illa scilicet saxa de quibus hic sermo est. nunc de isto *contra* uidendum. quod quid sibi uelit criticorum nemo expediuit, sed quantum quidem ad litteras eius attinebat aliquid ut in tenebris dispexit Kukula cum *onera* temptauit. adiectis tribus litterulis *oneraria* tibi euadet. '*oneraria*' pro positiuo et Cicero usurpat et noster VIII 20. 7 'saepe minores maioribus uelut cumbulae onerariis adhaerescunt' ut nihil iam opus sit ut ad illam 'nauis' applicetur. quare abeat in malam crucem interpretamentum insulsum.

VII 4. 7

transii ad elegos; hos quoque non minus celeriter explicui: addidi *alios* facilitate corruptus.

Conieci 'alios ⟨atque alios⟩' Classical Quarterly loc. cit. p. 176. possis etiam 'alios ⟨super alios⟩' ut supra VI 31. 16.

VII 6. 14

similiter nunc et probatum et exceptum est quod pro Vareno *non tacui*.

Hic 'conticui' ego (Classical Quarterly loc. cit.) similia quaedam adferens. sed A. M. Guillemin *modo non tacui* quod uerum esse potest hausto *mō* ante *nō*. 'tantum non tacui' iam Stanglius.

VII 17. 13

nam quod M. Cicero de stilo ego de metu sentio. timor est, timor emendator asperrimus.

Abrupta haec sunt, nec mirum si Keilio post 'timor est' excidisse uidetur aliquid ex iis. de stilo pluribus locis dicit Cicero de or. I 33. 150 'stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister', ad fam. VII 25 'stilus est dicendi opifex'. de hac re utut iudicaueris, 'timor est timor' caue distrahas uimque totam orationis dissoluas. consimili impetu

Digitized by Google

Lucretius 2. 433 sqq. 'indicio nobis est tactus uterque. | *tactus* enim *tactus*, pro diuum numina sancta, | corporis est sensus'.

VII 25. 1

at nos eos tantum dicturi aliquid aut lecturi timemus qui studia sua proferunt.

Hic 'lecturi' D cett. sed 'lectituri' M. scripsitne *'lectitaturi'* Secundus ut de eadem re VII 17. 4 'orationes quoque et nostri quidam et Graeci lectitauerunt'?

VII 27. 6

Nam interdiu quoque quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis *inerrabat* longiorque causis timoris timor erat.

Ita libri editoresque, nec sensum uerbi nec Plini dictionem satis respicientes; nam 'montibus inerrare' I 6. 3 aliud est plane. quare *inhaerebat* legamus ut princeps et Aldina aut *oberrabat* arcessamus ex IX 13. 25 'hanc imaginem menti eius, hanc oculis oberrasse' ubi 'oberasset' M, 'inesse' D cett.

X 39. 1

neque enim ratio plus excussa est.

Pro 'plus' Schaefer *penetis*, Orellius *prorsus* temptauerunt; an *plenius*? comparatiua frequentat Plinius.

X 68

Petentibus quibusdam ut sibi reliquias suorum aut propter iniuriam uetustatis aut propter fluminis incursum *aliaque his similia quaecumque* secundum exemplum proconsulum transferre permitterem.

De transferendo reliquias narras, Secunde: quo transferantur illae, taces. locus ne sensu careat omnino sic puto reformandus est 'propter fluminis incursum *et quaecumque* his similia *alio quo* secundum exemplum proconsulum transferre permitterem'. *alio quo* et leuiter corruptum et loco motum est; hoc idem passum est 'quaecumque', illud 'alio quo' cum in *aliaque* abiisset, *et* ipsum quoque intercidit. consimilis in IX 33. 5 uerborum conformatio 'prospectant mare et si quid mari simile' quod frustra a quibusdam damnatur.

Digitized by Google

X 98. 2

quod fiet, si permiseris, curantibus nobis ne desit quoque pecunia operi tam magno quam necessario.

Vitiosum est 'quoque'. scribendum '*utique*' cui cum *ut* post *it* homoeographo absumptum esset, *que* in *quoque* reformatum est.

X 116. 2

concedendum ius inuitationis.

Cum 'iussi', uel 'iussisti' traditum sit, *ius istud* legendum esse docui, Classical Quarterly l. c. p. 176.

Corrigendum.

Supra p. 131 (= p. 31 corollae U. Ph. Boissevain oblatae) l. 3. 6. 15 pro *infinitivis historicis* cett. lege *infinitivis pro imperativis positis* cett. — p. 131, l. 31 pro *e Platone* legendum est *e Platonis Sophista*.

W. Baehrens.

Digitized by Google

VARIA.

SCRIPSIT

IOH. P. POSTGATE. †

1. *De Lapide* cylindro.

Vtilissima de hoc disputauit uir doctus Guilelmus Vollgraff Mnemos. vol. LII 1924 pp. 207 sqq. demonstrauitque κύλινδρον illum non modo de oblongis ac teretibus et quasi κιονώδεσι dici sed etiam de quibuslibet uolubilibus et rotundis, uelut illo Stoicorum τῷ κατὰ τοῦ πρανοῦς κυλιομένῳ κυλίνδρῳ (Alexander Aphrodisiensis de fato XI loco ab ipso adlato). de ὁλοσιτρόχῳ, quem idem quod κύλινδρος significare docuit. testis etiam Hesychius qui cum alia tum κυκλοτερὴς στρογγύλος λίθος· ἢ ὁλότροχος, ἐπεὶ στρογγύλος καὶ παντὶ μέρει ἐφαπτόμενος τῆς γῆς· ὁ γὰρ τετράγωνος ἐνὶ μέρει ἐφάπτεται, quae nisi de κυλινδομένοις non possunt intellegi. haec uocabuli significatio usque in Byzantinorum ultimam quam dicunt aetatem uidetur permansisse; nam translatiue de testiculis (sicut *stones* et *balls* apud Anglos in plebeio quidem sermone) a Constantino Manasse non uno loco usurpatur et Iacobus Diassorinus, qui Arcadii dicto de Graecorum accentibus libro epimetrum de suo adfixit (de quo Cohnius Pauly-Wissowa Encycl. s. u. Diassorinus), ut grauis prosodiae mobilitatem repraesentet κυλινδροειδῆ eam appellat ἡ δὲ βαρεῖα τίθεται ὅτε ὁ λόγος τρέχει στιγμὴν μὴ ἔχων τὴν τελευταίαν ὀξεῖαν τρέπων εἰς αὐτὴν οἷον· καλὸς καὶ σοφὸς καὶ σεμνὸς καὶ εὐσεβὴς ἀνὴρ ἐμοὶ συνδραμὼν διελέχθη. πᾶσα λέξις τούτου τοῦ λόγου αὐτὴ καθ' αὑτὴν ὀξύνεται ἀλλ' ἐν τῇ συνδρομῇ τοῦ λόγου μεταβάλλεται εἰς βαρεῖαν· κυλινδροειδὴς γάρ ἐστι καὶ δείκνυσιν ὅτι στιγμὴν οὐκ ἔχει (Arcadius, ed. Barker p. 192, 5 sqq., Herodian, Lentz tom. I praef. p. 44 sq.).

Digitized by Google

2. *De mensura* rubri, fibrae *et* ciniflonis.

Paenitet me quod Quicheratium, Thesaus. poetic. s. u. *ruber*, incautius secutus in Mnemos. uol LI p. 284 de Catalept. 9. 32 haec scripsimus 'rŭ-bro a consuetudine poetarum alienum inscitiae arguit scriptorem' correptam enim syllabam Lucretius quoque seruare sustinuit 'iamque rubrum tremulis iubar ignibus erigere altis' 4. 402, estque illud, etsi rarissimum, uetustum potius quam inscitum nec non uetuste quoque 'cuius' ibid. 35 monosyllabi uice fungitur.

De *fĭbra* recte idem Quicheratius nos monet primam eius syllabam produci solere. producitur autem a poetis inde a Lucilio fere sexagiens septiens inter quos a Seneca tragoedo sexiens. corripitur a Manilio uno quidem loco, 1. 92 (producitur 4. 912), sed in Hercule Oetaeo fabula tribus, prudentibus etsi paruum non leue tamen documentum ne Senecae eam esse credant.

Ciniflo ex scriptoribus solus usurpauit Horatius atque uno ille quidem loco S. I 2. 98 'custodes lectica ciniflones parasitae' significatione paene eadem, ut uidetur, qua 'cinerarius' Catullus alii, quod non cum uocali eadem, haud magni momenti est. constat enim *i* litteram ante *r* in *e* solere conuerti, quod in *cinere* pro '*cinis-e*' aliisque id genus est factum nec si Lucretius simul *benefactum*, simul *labefactum*, *timefactum* cett. male recordatus *cinefactum* portentosum uerbum excogitauit multum moueri debemus. compositum esse uidetur 'cini-flo' in quo si correpte *nĭ* diceretur, nihil iam opus erat ut distraherentur consonae, *fl* dico, quas praeterquam in primoribus uerbis, seu simplicia sint ea siue aliis tantum subiuncta, ut puta *reflare*, non agnoscit Latina consuetudo, cum per metrum utique liceret cĭnĭflōnēs. his permotus rationibus suspicor uerbum illud non tamquam *cinĭf-lones* sed tamquam *cinī-flones* pronuntiatum fuisse. Cognata certe sunt Latinum *cinis* et Graecum κόνις, quod olim suum iota produxisse docent cum κονίω, κονί(σ)σαλος semper producta, tum multis locis κονίη neque ignotum peritis est *cinīflones* et ad *cinīs-flones* redire posse et ad *cinĭs-flones*.

3. *Ad* Pindari Nemea *corrigenda*.

Cum illa quae in Mnemosyne uol. LIII (1925) pp. 383 sqq.

Digitized by Google

de Pindari Nemeis scripseram non omnia satis emendate lectoribus sint tradita, nunc occasione data ea per quae aliquis in errorem posset induci corrigere uisum est.

Nem. IV 4 sq. (p. 383) *τεύξει* scripseram collatis et quod Pindari codices habent *τεύχει* et quod Plutarchus *τέγξει*. VII 31 sqq. (p. 387) in sententia 'in paeane', non 'in priore' legendum est. VIII 4 (p. 389) *ἀγαπατά γε*, non *ἀγαπητά γε* Pindaro reddebam. ad VIII 24 (p. 390) in Isthm. 1. 36 *ἐρειπόμενον* Hartung temptauerat, non *ἐσειπομενον*. iam de p. 385 illud 'pepeperit', pro 'pepererit', monstruosus partus, furcillis eiciendum. quod in ultimis (p. 392) de Aiace et armento cauillatus sum ad Sophoclis spectat tragoediam.

4. De Lucretio, lib. V. u. 1006.

Hic uersus cum in codicibus sic esset traditus

improba *nauigii* ratio tum caeca iacebat

Lachmannus illud *nauigii* nec sensu nec flexu Lucretianum esse iure uereque contendit, idem in ceteris incautior dum arduum poetae impetum seu mauis furorem litteratoris nescio cuius adsignat uanitati. scio quidem Briegerum dixisse 'uersum si Lucretius scripsit, hora non fausta scripsit'. atqui scripsit, etiamsi hora non fausta, quod excutere hoc tempore nihil attinet. libet tamen similia adferre quae cauillantibus de singulis opponas. iam illud *improba* quod paulo improbius Lachmannus improbauit satis excusat Seneca qui nauium inuentores in Medea 325 sqq. insectatus ratem *Argo* non 'inpiam' dixit ut Lachmanno satis fieret sed 'inprobam' (ib. 340). alia ad docendum quae habui satis erit si adscribam; sunt autem haec. *caeca* iacebat, hoc est 'inuisitata' 'inreperta' quippe de ea *ratione* quae nondum oculis obuersetur. 'nescio quod libramentum abditum et caecum' Plin. Ep. 4. 30. 10; 'quidquid in imo [animo] iacet abditum' Senec. Ep. 83. 16 ne *latebat* hic pericliteris. tum salse ac potius amare *ratio* de 'improbis' quibusdam dicitur cum de philosophis usitatius esset, ut ap. Ciceronem de fin. 3. 68 'Cynicorum ratio atque uita' ib. 5. 86 'iacet omnis ratio Peripateticorum' et cum de se ipso Lucretius 1. 943 'haec ratio' tum de magistro suo 3. 14 'ratio tua'. pro *nauigii* Munro *naucleri* reponebat atque ad rem quidem optime (quod idem *cum* pro eo quod codices habent *tum* silen-

Digitized by Google

tio praetereo, ne illam cogar attingere quam supra refugi quaestionem); sed Plautinum potius quam Lucretianum uidetur istud uocabulum. adde quod a scriptis litteris paulo longius abest. haec omnia dum reputo, in mentem mihi uenit ut complura alibi, sic aliquid hic quoque a poeta nouari idque nauiregi esse Guilelmio D. Rouse, editorum Lucreti recentissimo, persuasi. sub hoc 'nauiregio' intellegi uolebam artem gubernatoris siue nauis rectoris ('nauem-regit' Lucretius ipse 4. 903 ut de aliis taceam). hoc 'nauiregium' ad iunctorum similitudinem uerborum qualia sunt *spicilegium*, *artificium*, *sacrificium*. *naufragium* (* nauifragium), *regifugium*, *stil(l)icidium* (*stilicidî* noster 1. 313) finxisse putaueris Lucretium. multo melius hoc uidetur quam ut de *nauigerio* cogites cuius uocabuli commonuit nos Rousius, quippe quod, etsi et sensu et litteris proximum, aetate a Lucretio longe longeque abesse confitendum sit. potest tamen illud nostrum *nauiregi* non ad 'nauiregium' sed ad *nauiregum* pertinere ut idem uelit quod Munronis *naucleri*. neque enim refragetur 'ratio'. nam Cicero in libris de diuinatione 1. 115 'atque haec quidem *uatium* ratio nec dissimilis sane somniorum' (Anglice 'the theory of predictions (predictors)... and that of dreams') nec temere Columella cum in praefatione operis sui de artificum generibus diceret, ab altera parte 'fabros et architectos' posuit, ab altera uero 'gubernandi peritos', hoc est 'nauiregos'. iuncta ad hanc similitudinem uerba non opus est enumerare. pro exemplis sint *sortilegus*, *florilegus*, *sacrilegus*, *pinnirapus*, *fluctifragus* Lucr., *frugiparus* idem.

Digitized by Google

ΚΥΛΙΝΔΡΟΣ.

Cum ea quae ante duos annos scripsi viris doctis non prorsus displicuisse videam, ego quoque locis scriptorum de quibus tunc verba feci unum adiungam:

Dionys. Perieg. 1075 sqq. (agitur de flumine Choaspe):

τοῦ δ' ἂν ἐπὶ πλευρῇσιν ἴδοις εὐωπὸν ἀχάτην
κείμενον οἷα κύλινδρον ἐπὶ χθονὸς ὅν ῥ' ἀπὸ πέτρης
χειμερίου ποταμοῖο κάτω σύρουσι χαράδραι.

Difficultatem quam in voce quae est κύλινδρος inesse sensit, callide vitavit interpres Avienus, Descr. orb. terr., 1275 sqq.:

cuius ad undam
incola flaventem studio sectatur achatem.
nam cum brumali ceciderunt sidere nimbi,
imbribus et coelo fusis furit auctior amnis,
hos lapides late flumen trahit...

Priscianus quoque id quod Dionysius voluerat non plane assecutus esse videtur, Perieg. 976 sq.:

in cuius ripis praeclarus fulget achates,
pondere consimilis volvit quos unda cylindris.

Ex quo loco tamen id lucramur, quod nunc intellegimus etiam saxa quae vi aquae corrotundantur graece κυλίνδρους esse dicta (v. Mnemos. 1924, p. 209, 2).

Eustathius vero adnotatione sua: οἷα κύλινδρος ἐπὶ χθονὸς κεῖται, τούτεστιν ὡς σχῆμα κιονοειδές· τοιοῦτον γὰρ ὁ κύλινδρος, ostendit se non magis cognovisse quid sit κύλινδρος quam scholiastes ad Apollonii Rhodii Argon. II, 594.

G. V.

Digitized by Google

DE OCTAVIA PRAETEXTA.

SCRIPSIT

P. J. ENK.

Septem annis ante Edwinius Flinck, alumnus Universitatis Helsingforsiensis, in libello qui inscribitur „De Octaviae praetextae auctore" [1]), planum facere conatus est viros doctos falso hanc fabulam a Seneca philosopho abiudicasse multisque philologis se verum vidisse persuasit. Nam ei adstipulati sunt et alii philologi et Iohannes Tolkiehn [2]), Vilhelmus Lundström [3]), Aluredus Gudeman [4]). Etiam vir doctus A. S. Pease [5]) Octaviam Senecae philosopho tribuendam esse censet. Et ante Flinckium et Peasium fuerunt, qui Senecam Octaviae poetam habebant, ex quibus nomino Martinum Antonium Delrio [6]) qui exeunte saeculo XVI° Octaviam totam Senecae esse adfirmant, virum doctum J. G. C. Klotzsch [7]), Ranke [8]) clarissimum illum rerum scriptorem, Antoniumque Siegmund [9]). Sed licet opinio Octaviam a Seneca scriptam esse hodie tam

1) Helsingforsiae 1919.

2) Philologische Wochenschr. 1921, p. 198.

3) Tacitus' Poetiska Källor, Inbjudningsskrift till filosofie-doktors-promotionen vid Göteborgs Högskola, Elanders Boktryckeri aktiebolag, Göteborg 1923.

4) Geschichte der Lateinischen Literatur II, p. 81.

5) 'Is the Octavia a play of Seneca'? Classical Journal 15, 1920.

6) In L. A. Senecae Cordub. tragoedias X amplissima adversaria, Antverpiae, 1576.

7) Prolusio de Octavia L. Annaei Senecae, Wittenberg, 1804.

8) Werke 51, 65, Abhandelung über die Tragödien Senecas.

9) Zur Texteskritik der Tragödie Octavia, Leipzig und Wien, Franz Deuticke, 1907.

Digitized by Google

late percrebuerit, ut Eduardus Norden [1]) ironice loquatur de huius saeculi *more* Octaviam Senecae tribuendi („die heutige Mode dieses Stück für echt zu halten"), operae pretium esse videtur rem denuo perscrutari, nam mihi quidem viri docti quos supra nominavi prorsus non persuaserunt.

Quaeritur, utrum Seneca Octaviam scripserit necne.

Conabor autem in huius commentationis parte priore ostendere Octaviam non esse opus Senecae, quoniam fabula nostra post philosophi mortem scripta sit.

Qui demonstrare volebant Octaviam a L. Annaeo Seneca scribi non potuisse, versus 620 sequentesque citabant, quibus Agrippinae umbra mortem Neronis praedicere videtur. Nam cum Seneca anno post Christum natum sexagesimo quinto e vita decesserit i. e. tribus annis ante Neronem, qui anno duodeseptuagesimo mortem sibi conscivit, Senecam Octaviae poetam esse incredibile videbatur.

Agrippinae simulacrum de imperatore Nerone haec exclamat:

620 Ultrix Erinys impio dignum parat
letum tyranno, verbera et turpem fugam
poenasque quis et Tantali vincat sitim,
dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem
Ixionisque membra rapientem rotam.
625 Licet exstruat marmoribus atque auro tegat
superbus aulam, limen armatae ducis
servent cohortes, mittat immensas opes
exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna divitias ferant,
630 veniet dies tempusque quo reddat suis
animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus
desertus ac destructus et cunctis egens.

Quibus versibus vulgo praedici putant complura quae postea evenerunt quaeque ante Neronis mortem nemo praedicere potuit.

Vocem *verbera* alludi putant ad poenam Neroni a senatu more maiorum constitutam, cf. Sueton. Nero 49: „inter moras perlatos a cursore Phaonti codicillos praeripuit legitque se hostem a senatu iudicatum et quaeri, ut puniatur *more maiorum*,

1) Einleitung in die Altertumswissenschaft, I Band, 4 Heft, Römische Literatur von E. Norden, 1923, p. 74.

Digitized by Google

interrogavitque, quale id genus esset poenae; et cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus *virgis ad necem caedi*, conterritus duos pugiones, quos secum extulerat, arripuit".

Vocabula *turpem fugam*, si plerosque philologos audis, adludunt ad illam fugam, de qua legimus apud eundem Suetonium, in vita Neronis 48.

Tantali sitim alludere credunt ad sitim qua in fuga vexabatur Nero.

Postremum cum versu 632 comparant ea quae Suetonius c. 47 et 48 narrat; *desertus*: „misitque circum amicos, et quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit, unde iam et custodes diffugerant"; *cunctis egens*: „fameque et iterum siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquae autem tepidae aliquantum bibit".

Quibus locis inter se comparatis viri docti concludunt Agrippinae praedictionem apertiorem esse quam quae ante Neronis mortem scribi potuerit.

Flinckius contra planum facere conatur verbis *verbera* et *fugam* nihil designari quod Neroni vivo accidat, sed poenas significari ei post mortem apud inferos imponendas. Quoniam versu 620 Erinys commemoratur, — sic disputat Flinckius — Erinyos verbera fugaque ab ea incitata fingitur ad exemplum Orestis, qui matre interfecta a Furiis agitatus earum verbera sensit. Adfert autem exempla e Senecae tragoediis, e quibus apparet *verbera* illa prorsus non ad veram rerum narrationem pertinere: Herc. Fur. 86 sqq.:

adsint ab imo Tartari fundo excitae
Eumenides; ignem flammeae spargant comae,
viperea saevae *verbera* incutiant manus.

Oedip. 644 sq.:

et mecum Erinyn pronubam thalami traham,
traham sonantes *verbera*.

In Agamemnone sic loquitur Cassandra 759 sq.:

instant sorores squalidae
sanguinea iactant *verbera*.

Digitized by Google

In Hercule Oetaeo precatur Deianira v. 1013 sq.:

parce verberibus precor,
Megaera, parce, sustine Stygias faces.

Quibus addatur hic locus Suetonii, Ner. 34: „neque tamen conscientiam sceleris, quamquam et militum et senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut unquam postea ferre potuit, saepe confessus exagitari se materna specie *verberibus*que *Furiarum* ac taedis ardentibus".

Deinde negat Flinckius vocabulum *sitim* (v. 622) ad sitim spectare qua Nero vivus vexabatur, sed confert Herc. Oet. 944:

meamque fallax unda deludat *sitim*.

Cum versu 632 comparat Medeae versus 13 sqq., quibus Medea Furias orat, ut Creontem eiusque familiam morte puniant:

nunc, nunc adeste, sceleris ultrices deae,
crinem solutis squalidae serpentibus,
atram cruentis manibus amplexae facem,
adeste, thalamis horridae quondam meis
quales stetistis: coniugi *letum* novae
letumque socero et regiae stirpi date,
date peius aliud, quod precer sponso malum:
vivat, per urbes erret ignotas *egens*
exul pavens invisus incerti laris.

Eadem Electrae minatur Aegisthus Agam. 991:

inops *egens* inclusa, paedore obruta,
vidua ante thalamos, exul, invisa omnibus
aethere negato sero subcumbet malis.

Me si rogas, quid de hac Flinckii interpretatione sentiam, confiteri non vereor versus 620—632 non iam adhiberi posse ad demonstrandum Octaviam post Neronis mortem scriptam esse.

Legitur tamen in Octavia alius locus, quo Neronis exitium tangi videtur. Nam versibus 714 sequentibusque Poppaea somnium narrat, dignissimum quod accuratius interpretemur:

Confusa tristi proximae noctis metu
visuque, nutrix, mente turbata feror,
defecta sensu. Laeta nam postquam dies
sideribus atris cessit et nocti polus,
inter Neronis iuncta complexus mei
somno resolvo; nec diu placida frui

Digitized by Google

720 quiete licuit. Visa nam thalamos meos
celebrare turba est maesta: resolutis comis
matres Latinae flebiles planctus dabant;
inter tubarum saepe terribilem sonum
sparsam cruore coniugis genetrix mei
725 vultu minaci saeva quatiebat facem.
Quam dum sequor coacta praesenti metu,
diducta subito patuit ingenti mihi
tellus hiatu; lata quo praeceps toros
cerno iugales pariter et miror meos,
730 in quis resedi fessa. Venientem intuor
comitante turba coniugem quondam meum
natumque; properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula:
irrupit intra tecta cum *trepidus* mea
735 ensemque *iugulo condidit* saevum Nero.
tandem quietem magnus excussit timor.

Ladek [1]) iure suo putabat versum 735 ad voluntariam mortem Neronis spectare, de qua legimus apud Suetonium c. 49: „Iamque equites appropinquabant, quibus praeceptum erat ut vivum eum adtraherent. Quod ut sensit, *trepidanter* effatus: *ἵππων μ' ἀκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει ferrum iugulo adegit*".

Flinckius (p. 7) de versu 735 sic iudicat: „verba non tam aperta esse quam primo aspectu videntur, inde apparet, quod alii ea aliter intellegunt ad vocem *iugulo* eius audientes, ita ut Crispinus in somnio designetur a Nerone interfectus; quorum in numero sunt Stahr [2]), Nordmeyer [3]), Gustafsson [4]). Hoc utut est, et ego quidem nescio an rectius ex sententia suo *iugulo* addatur, certum est tam obscura esse verba somniantis, ut nihil quod ad res gestas in Octavia non commemoratas pertineat, ex iis elicere possit interpres."

Mea sententia nihil certius versu 735 ad vocem *iugulo* supplendum esse suo, nam nutrix Poppaeae, quae somnium

1) De Octavia praetexta (Diss. philol. Vindob. III. 1), p. 6.
2) Agrippina p. 244 sqq.
3) De Octavia fabula, Diss. 1892, p. 14 sqq.
4) Octavia, en romersk tragedi. Helsingforsiae, 1915, p. 30.

Digitized by Google

interpretari conatur, versum 735 sic intelligit, ut Ladekius vult, cf. 754

iugulo quod ensem condidit princeps tuus:
bella haud movebit, pace sed ferrum teget.

Versu 754 ad vocem *iugulo* nihil aliud suppleri potest nisi pronomen suo. Cum autem versus 754 ab eodem poeta scriptus sit atque versus 735, etiam versu 735 suo, non Crispini vel eius addere debemus.

Praeterea vocabulum *trepidus* (v. 734) luce clarius ostendit Neronem in somnio semet ipsum occidere, nam quis dixerit quemquam *trepidum* iugulo inimici ensem adegisse? Nos sic recte locum interpretari docet et Suetonii narratio, in qua idem vocabulum *trepidanter* invenimus.

Quae si feliciter disputata sunt, — et nego versus 735 aliter intelligi posse —, apparet poetam Octaviae, si Seneca fuerit, tribus annis ante Neronis mortem non solum scivisse *Neronem se ipsum necaturum*, sed etiam *quo modo Nero se esset occisurus*. Quae divinationi tribuat qui res futuras praevideri posse opinatur.

Sed et aliam rem Seneca, si eum cum Flinckio Octaviae poetam habemus, praevidit. Quid enim media pars Poppaeae somnii sibi vult? Cur Poppaea, postquam „tellus diducta ingenti hiatu patuit", Crispinum apud inferos videt? Hanc ob causam quod poeta significare vult Crispinum aut iam mortuum esse aut mox moriturum. Crispinus autem, ut e Taciti Annalium libri decimi sexti capite decimo septimo discimus, anno sexagesimo sexto mortem sibi conscivit. Quodsi Seneca Octaviam scripserit, *Crispini mortem praedixit.*

Postremum ipsius *Poppaeae mors in Octavia praedicitur*, cf. v. 596 sqq.:

Nubat his flammis meo
Poppaea nato iuncta quas vindex manus
dolorque matris vertet ad tristes rogos.

Revera Poppaea a Nerone calcis ictu necata est paucis mensibus post Senecae mortem, cf. Sueton. vitam Ner. 35 et Tac. Ann. XVI. 6.

Vaterus (Iahni Annal. 1853, Supplem. 19. p. 594 sqq.) coniecit Octaviae poetam v. 597 id quoque scivisse Neronem

Digitized by Google

propter *Iulii Vindicis* conatus destitutum esse; nam et hunc locum et v. 255: „forsitan *vindex* deus existet aliquis, laetus et veniet dies" ad Vindicem pertinere. „Neque enim dubito", inquit v. d. Vater, „quin omnes *Vindicis* admoniti mecum affirment *non temere* usum esse poetam vocabulo quod aptum quidem sine alia notione est, sed tum demum plenam significationem consequitur, ubi resciveris potissimum Vindicis defectu Neronem principatu exutum esse. Sic cum Nero oppressa Pisonis coniuratione pugionem quo petitus fuerat θείᾳ μοίρᾳ IOVI VINDICI dedicaret, Tacito teste Ann. xv, 74: „in praesens haud animadversum, post arma Iulii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur."

Ego tamen Flinckio concedo hunc locum nullam praedictionem continere, nam *vindicis* vocabulum saepius in Senecae tragoediis ad ultionem significandam adhibetur, cf. Troad. 470 sqq.

eritne tempus illud ac felix dies
quo Troici defensor et *vindex* soli
recidiva penas Pergama....

Phaedr. 261

proin castitatis *vindicem* armemus *manum*.

Thyest. 1110

....*Vindices* aderunt *dei*.

Quaerenti autem, quo nostra redeat disputatio, respondeo: qui credit Senecam scripsisse Octaviam, ei sumendum est poetam praesagire potuisse fore, ut Nero ipse mucrone iugulum sibi transfigeret, ut Poppaea, utque Crispinus ante Neronem obirent: nam hi omnes hoc ordine post Senecam mortui sunt. Cum autem credibile non sit hominem, etiamsi fuerit callidus rerum gestarum aestimator, haec omnia vaticinatum esse, sequitur, ut Octavia a L. Annaeo Seneca conscripta non sit. Accedit quod Octavia praetexta deest optimo codicum manu scriptorum Etrusco; nam invenitur in iunioribus tantum codicibus, qui, si viro clarissimo Leo credimus, originem debent uni libro recentioris aetatis. Audiamus de hac re Flinckium, qui prima pagina dissertationis supra laudatae scribit: „quod codici Etrusco deest Octavia, nihil valet ad eam tamquam spuriam notandam, etiamsi vera esset, quam iam non multi

Digitized by Google

tuentur, sententia Leonis illi uni codici summam auctoritatem in textu novem tragoediarum recensendo tribuentis, alterum genus codicum data opera interpolatum esse contendentis. Nam facile est ad intellegendum iam Senecae temporibus vel brevi post duo exstitisse tragoediarum eius corpora, unum quo Graecae tantum fabulae continerentur, alterum quo praetexta quoque recepta esset Octavia .... Post Neronis tandem mortem aut Senecae saltem interitum probabile est Octaviam prius latentem ex editoris curis exiisse et auctoris nomen esse proditum".

Sed num credibile Senecam fabulam scripsisse, quae vivo tyranno in lucem prodire non posset? Rectissime enim sic disputat sic doctus Desprez [1]): „Comment supposer, que le précepteur de Néron ait composé contre son élève, uniquement pour soulager sa haine, dans l'ombre, un ouvrage qu'il ne pouvait ni faire jouer pendant la vie du tyran, ni répandre par le seul moyen de publicité possible alors, par une lecture en public?.... Ce moyen n'était pas sans danger parce que de vils espions se mêlaient aux hommes éclairés: la lecture du *Caton* de Maternus lui coûta la vie. Sénèque eût-il pris la peine d'écrire une pièce qui pouvait le compromettre ou qui, condamnée a ne pas voir le jour, ne devait pas augmenter sa gloire littéraire?"

Praeterea iam anno 1371 vir doctus Coluccio Salutati, qui Octaviam post Senecae fata compositam putabat, scripsit: [2]) „nec praetereundum censeo quod, cum Senecam ad eligendam mortem Nero compulerit, si inter libellos eiusdem *Octavia* fuisset reperta, metu Caesaris atque iubente senatu, prorsus fuisset deleta."

Quae si perpendimus, videmus *Octaviam* revera spuriam esse. Quo tempore Octavia scripta sit, quaeritur.

Si quis omnia quae viri docti de Octavia disputaverunt perlegit, sentit nondum constare quo tempore praetexta nostra composita sit. Quodsi omissis philologorum disputationibus ipsa Octavia accurate lecta quaerimus, utrum poeta paulo post

1) De l'art dramatique sous les empereurs romains, p. 15.

2) Epistolario di Colaccio Salutati a cura di Francesco Novati, tom. III. 8, Forzani, Roma, 1891.

Digitized by Google

Neronem an posterioribus temporibus vixerit, multa sunt quae nobis persuadeant scriptorem Neronis tempora vidisse. Nam quamquam poeta historiam scribere in animo non habet omniaque agit, ut acerbissimum odium in Neronem concitet, ubique tamen apparet eum rerum Nerone imperatore gestarum peritissimum esse, quod vir doctus Ladek [1]) in commentatione de Octaviae fontibus historicis p. 679 sqq. optime ostendit. Citatis enim Octaviae versibus 926 sequentibusque haec addit: „Diese Worte verraten die genaueste Kenntnis des Geschickes der erwähnten Frauen in allen Details. Der Dichter prunkt aber nicht mit seiner Gelehrsamkeit, es ist nur das erwähnt, was an der Stelle zu erwähnen passend war, und in einer Weise, welche auch beim Leser das volle Verständnis, dieselbe Kenntnis der Einzelheiten voraussetzt. Allerdings konnte sich der Dichter dieses Wissen durch die Lektüre eines Werkes, wie das des Tacitus war, aneignen, es musz wohl alles das — bis auf ein Detail vielleicht — in den Büchern V—XIV der Annalen erwähnt gewesen sein; aber gewisz wäre ein sehr eingehendes Studium nötig gewesen."

Quin etiam aliquas res narrat quae a nullo alio scriptore nobis tradito commemorantur. Cogito enim de versibus 193—197, ubi Octaviae nutrix sic loquitur:

> Violare prima quae toros ausa est tuos
> animumque domini famula possedit diu,
> iam metuit eadem
> *Oct.* nempe praelatum sibi
> *Nutrix*
> subiecta et humilis, atque monumenta exstruit
> quibus timorem fassa testatur suum.

Coniecit Ladekius [2]) his verbis significatum esse Acten, Neronis illam libertam, dis templa aedificasse, quibus ab iis impetraret, ut Neronis amorem perpetuum facerent. Confert enim C. I. L. XI 1414

⟨C⟩ERERI SACRVM
⟨CLAVDIA⟩ AVG LIB ACTE

1) Zur Frage über die historischen Quellen der Octavia, Zeitschr. für die Österreichischen Gymnas. 1905, p. 673—701; p. 864—883; p. 961—972.

2) De Octavia praetexta, Diss. philol. Vindobon., vol. tertium 1891, p. 25.

Digitized by Google

qui titulus medio aevo ex Sardinia Pisas allatus est [1]). Collatis Servii verbis ad Aen. III. 139 „quidam dicunt diversis numinibus vel bene vel male faciendi potestatem dicatam, ut Veneri coniugia, Cereri divortia" coniecit Ladekius Acten, ne Poppaea se Neronis amore privaret, talia monumenta exstruxisse, quale est illud Cereri divortii numini aedificatum; libertam ditissimam in Sardinia possessiones habuisse inscriptiones [2]) docent.

Quae Octaviae poeta hic narrat Acten diis monumenta exstruxisse, neque e Tacito neque ex alio scriptore cognita habemus. E qua re veri simile est nostrum poetam brevi post Neronem vixisse. Nam etiamsi homines posterioribus temporibus puta saeculo post Christum natum secundo templa ab Acte aedificata videre potuerint, tamen scire non poterant, quam ob rem Acte exstruxisset.

Dabo alterum exemplum. Versibus 610 sequentibusque Agrippinae umbra saevitiam queritur Neronis:

> saevit in nomen ferus
> matris tyrannus, obrui meritum cupit,
> simulacra, titulos destruit matris metu
> totum per orbem.

Simulacra Agrippinae a Nerone destructa esse discimus etiam ex excerpto Constantiniano (Dio, ed. Boissevain III, p. 38) ὅτι εἰσιόντος Νέρωνος εἰς τὴν Ῥώμην τοὺς τῆς Ἀγριππίνης ἀνδριάντας κατέλεσεν. Tacitus de ea re nihil narrat. Neronem titulos quoque matris destruxisse nullus scriptor tradidit. Veri simillimum tamen est senatum post Agrippinae mortem quae principi insidias struxerat (Tac. Ann. XIV. 10. 11) idem decrevisse atque post Liviae (Tac. Ann. VI. 2) et Messalinae (Tac. XI. 38) interitum, cum earum nomina erasa sunt, ut ipse Tacitus docet. Accedit quod unum exemplum erasi nominis Agrippinae superest, CIL X 1574 = Dessau, inscript. lat. sel. I. 226 (anno 56 post Chr. natum):

---

1) cf. E. Bormannum in Additamentis ad C. I. L. XI p. 1263 ad n. 1414. Ladek, Zur Frage über die historischen Quellen der Octavia, Zeitschrift f. d. Österr. Gymn. 1905, p. 969.

2) cf. Steinium, Pauly-Wissowa III, 2888.

Digitized by Google

Q. Volusio Saturn. / P. Cornelio Scip. cos / Augustales / qui *Neroni* Claudio / Caesari / August. et / *Agrippinae* Augustae / I. O. M et Genio coloniae / ludos fecer. XIII. XII K. Mart. / C. Tantilius C. C l. Hyla / Cn. Pollius Cn. l Victor / C. Iulius C. l Glaphyr. / curatoribus.

Ad quam inscriptionem recte adnotat v. d. Nordmeyer[1]): „quamquam nomen Agrippinae ab ipso Nerone erasum videtur non esse, demonstratur tamen hoc exemplo fuisse titulos in quibus nomen Augustae esset oblitteratum".

Hinc quoque apparet Octaviae poetam aliquid scivisse, quod nullus alius scriptor tradiderit, ne Tacitus quidem, qui ex omnibus rerum scriptoribus accuratissime et copiosissime Agrippinae historiam narraverit. Neque igitur veri simile Octaviae poetam posterioribus temporibus vixisse. Si quis dixerit eum talia hausisse ex aliis scriptoribus qui res Neronianas scripto mandaverant, quales sunt Cluvius, Plinius, Fabius Rusticus, ei respondeo eos scriptores brevi obrutos esse oblivione; saeculo secundo vel tertio solos Tacitum et Suetonium in manibus legentium fuisse.[2])

Postremum hinc quoque concludo Octaviam non ita multo post Neronis finem esse compositam, quod poeta non id agit, ut omnia etiam historiae imperitioribus quam maxime perspicua sint. Scribit hominibus, quibus historia aetatis Neronianae notissima erat.

Dabimus aliquot exempla:

Versibus 105 sqq. Octavia et alia queritur et haec:

subiecta famulae luce non grata fruor,
trepidante semper corde non mortis metu,
sed sceleris — absit crimen a fatis meis.

In hoc loco interpretando philologi inter se dissentiunt. Neque igitur assumere licet quemquam poetam saeculo secundo vel tertio viventem tam obscure scripsisse, ut ii, ad quos delectandos praetextam suam composuisset, in dubio haererent neque horum versuum sensum capere possent. An solos historicos poeta

1) De Octaviae fabulae fontibus historicis (in libello, cui titulus „Schedae philologae Hermanno Usener oblatae"), 1891, p. 101.

2) cf. Nissen, Mus. Rhen. XXVI, p. 498.

Digitized by Google

noster curavit? Non ita: aequalibus Neronis scripsit qui statim intellegebant quid poeta sibi vellet.

Quaeritur autem primum, quis fuerit *famula*, de qua versu 105 legimus. Farnabius hanc famulam *Poppaeam* esse putat; eum nostra aetate secutus est v. d. Ladek [1]). Sed collato versu 194

animumque domini *famula* possedit diu

videmus versu 106 sermonem esse de *Acte* ancilla, id quod Vuertheimius [2]) et Hosius [3]) bene perspexerunt.

Sed etiam versus 106/7 difficultatem praebent interpretantibus.

Ladekius [4]) reiecta interpretatione vulgari, secundum quam poeta hic ad Aniceti cum Octavia adulterium fictum alludit, novam explicationem excogitavit: „Unmöglich kann das Verbrechen, das sie zu begehen fürchtet, — sic disputat Ladekius — ein Ehebruch sein. An welches Verbrechen also denkt Octavia, indem sie es gleich von sich weist? Sie sagt es selbst bald darauf. Nachdem die Unglückliche eine anschauliche Darstellung ihres jammervolles Daseins gegeben hat und von der Amme durch die Schilderung aller Greueltaten im Hause des Claudius in ihrer Hoffnungslosigkeit noch bestärkt worden ist, bricht sie in höchster Erregung in die Worte aus (V. 174): *exstinguat et me, ne manu nostra cadat*; da denkt sie wieder daran, das Verbrechen zu begehen, das sie kurz zuvor in Gedanken von sich gewiesen hat — Nero zu ermorden".

Addit Ladekius virum clarissimum Hauler versus 105—107 eodem modo esse interpretatum.

Si in praetexta nostra primum versum 174, deinde versum 107 legeremus, Ladekii et Hauleri interpretationem non statim damnaremus; sed nunc res ita se habet, ut versum 107 legamus, priusquam versum 174 legimus. Quis autem versu 107 lecto vocabulum *sceleris* ita intellegat, ut Ladekius vult? Si poeta id sibi voluisset, nemo loci sententiam cepisset.

Vuertheimius interpretationem Farnabii veram habet. Far-

1) Zur Frage über die histor. Quellen der Octavia, Zeitschr. für Österreich. Gymn. 1905, p. 690.

2) in editione Octaviae, Lugduni Batavorum, apud Sythoff, 1909, p. 29.

3) in editione Octaviae, Bonn, Marcus und Weber, 1922, in adnotatione ad vs. 106.

4) Zur Frage p. 690.

Digitized by Google

nabio enim si credimus, versus sic interpretandi sunt: vitam miserrimam ago, cum cor meum semper trepidet non mortis metu, sed sceleris, quo Nero me necare vult (scelus autem est Octaviam falso crimine capitis damnare); absit crimen a morte mea, i. e. ne ullum neci meae praetexatur crimen vel ne falso crimine adulterii interficiar. Eodem modo locum intelligit v. d. Desforges [1]), qui vertit: „Je tremble sans cesse, non par la peur de la mort, mais par celle du crime. Que la calomnie ne flétrisse point ma gloire, et je mourrai avec joie. C'est pour moi un supplice plus cruel que la mort, de voir le visage hautain et farouche du tyran..." Conferri potest versus Ovidii, Fasti I, 484 *est aliquid magnis crimen abesse malis.*

Farnabium si sequimur, sumendum est feminam verecundam et pudicam apertis verbis dicere nolle quodnam crimen in mente habeat.

Simplicior est interpretatio, quam legimus apud Bothium (L. Annaei Tragoediae, Lipsiae, 1819, volumine tertio p. 264). Bothius enim verba *absit crimen a fatis meis, mori iuvabit* sic explicat: „crimen Neronis. Modo non violenta morte peream, libens e vita excedam". Eodem modo loci sententiam intellegit Jacobus van Wageningen (Museum vol. 17 [1909], p. 47): „*sceleris* heeft hier geen betrekking op hetgeen Nero aan Octavia heeft ten laste gelegd omtrent eene verstandhouding tusschen haar en Anicetus, maar de geciteerde woorden beteekenen eenvoudig, dat Octavia voor een natuurlijken dood niet beducht is, maar wel voor sluipmoord. Kort daarop wordt ook van Britannicus gezegd: *fata post fratris..... scelere interempti* (112—113)".

Versu 260 Octavia de matre sua loquitur,

quae nupta demens nupsit incesta face

i. e. quae nupta Claudio nupsit Silio, cf. Tac. Ann. XI. 31. Hoc quoque loco sumit poeta legentes se intellecturos; non mirum, cum aequales Neronis matrimonii Messallinae et Silii meminissent.

De veribus 926 sequentibusque adnotat v. d. Ladek [2]): „Es

1) In collectione Nisardii, Paris, 1851. 2) Zur Frage p. 680.

Digitized by Google

ist nur das erwähnt, was an der Stelle zu erwähnen passend war, und in einer Weise, *welche auch beim Leser das volle Verständnis, dieselbe Kenntnis der Einzelheiten voraussetzt*".

Ex omnibus quae disputavimus apparet Octaviam praetextam compositam esse a poeta qui brevi post Neronis mortem scripserit.

Attulit autem Vuertheimius aliquot argumenta, quibus planum facere vult Octaviam sero demum post Neronis mortem innotuisse.

I. Versibus 833—835 Nero ira incensus populo oranti, ut Octaviam repudiatam reducat, his verbis minatur:

mox tecta flammis concidant urbis meis,
ignes ruinae noxium populum premant
turpisque egestas, saeva cum luctu fames

quae alludunt ad Romae incendium quod anno sexagesimo quarto factum est, id est duobus annis post Octaviam dimissam.

„Num veri simile videtur", inquit Vuertheimius [1]), „imperatorem duobus demum post uxorem repudiatam annis iram suam in plebem exercuisse? Non opinor. Duo igitur facta satis longo intervallo dirempta neque ulla ratione inter se coniuncta tragicus ita dextre copulavit, ut, si revera connexa fuissent, nemo nostrum miraretur. Ecquis est, qui putet auctorem haec probabilia reddere potuisse legentibus vel spectatoribus qui ipsis Neronis facinoribus interfuissent".

Poeta tragicus autem non est rerum scriptor; hoc saltem argumentum nullam habet πειθανάγκην.

Iure suo scribit Ladekius [2]): „Genauere Daten von Miterlebtem pflegt man schon nach 10 oder 15 Jahren nicht mehr im Kopf zu haben. Wie hätte jedoch überhaupt ein Zeitgenosse an der nicht ungeschickten Verbindung Anstoss nehmen sollen? Will denn ein Dichter jemanden glauben machen, dasz die Schöpfungen seiner Phantasie in allen Einzelheiten der Wirklichkeit entsprechen, will er Geschichte fälschen?"

---

1) In editione p. 8.

2) Deutsche Literaturzeitung 1909, p. 1509.

Digitized by Google

II. Octaviae scriptor praefectum, qui v. 848 in scaenam prodit, contra fidem historicam hominem misericordem depingit. „Hicine est Ofonius — sic legimus apud Vuertheimium [1]) — ex Iuvenale nobis notus? Credisne Romanos, aequales eius vel aequalium liberos, in scena tulisse tale monstrum εἰς τὸ καλόν depictum?"

Hoc argumentum a Ladekio [2]) bene refutatum est: „Tigellinus kommt aber im Drama gar nicht vor. Der namenlose, fur diese rhetorische Tragödie geschaffene Präfekt trägt die Züge des kurz vor Octavias Verstoszung gestorbenen Sex. Afranius Burrus und dessen anderen Nachfolgers, des Faenius Rufus".

III. Poppaea in praetexta *sancta* vocatur:

841 malis domanda est (sc. turba) et gravi semper iugo
842 premenda, ne quid simile temptare audeat
843 contraque sanctos coniugis vultus meae
844 attollere oculos.

Vuertheimio si credimus, vox *sancta* de Poppaea adhibita, quae modestiam praeferre callebat et lascivia uti, ostendit Octaviam praetextam sero demum post Neronis mortem scriptam esse. Sed non mirum est Neronem feminam a se amatam vocabulo honorifico significasse; et praeterea a Flavio Iosepho Poppaea θεοσεβὴς nominatur.

IV. „Dimisit Nero", inquit Vuertheimius, „Octaviam ob sterilitatem. Licet aliae eum moverint causae, res ipsa, sterilitas, negari non potest: ὁ χρόνος μεμήνυκεν. Quid vero in fabula? De sterilitate ne verbum quidem. Immo si Senecam in scena audis, satis fecunda Octavia esse videbatur:

534 implebit aulam stirpe caelesti tuam
535 generata divo Claudiae gentis decus.

Aegre, credo, conatus si esset, spectatoribus Neronis temporum memoribus probasset auctor, divortium ni voluisset imperator, futurum fuisse ut stirpe sua aulam impleret Octavia. An forte obliti erant hi homines tot per annos iterum atque

1) In editione p. 10.
2) Deutsche Literaturzeitung 1909, p. 1509.

Digitized by Google

iterum, sed frustra, heredem imperii se exspectasse et cupiisse? Sed posteri tot aliis rebus distracti memoria non tenebant".

Ipse Nero in scena sic loquitur (v. 533)

digna[que] nostram subole fundaro domum,

scilicet e Poppaea. Imperator igitur hoc loco aut fingit aut putat Octaviam sterilem esse, quod nondum pepererit. Seneca autem suis verbis Neronem a proposito avertere conatur spem ostentans Octaviam quoque serius aut ocius parituram esse.

Videmus ad hoc e Taciti Annalibus, XIV. 63 Neronem in edicto Octaviam fecundam nominasse:

> At Nero praefectum in spem sociandae classis corruptum, et incusatae paulo ante sterilitatis oblitus, abactos partus conscientia libidinum, eaque sibi conperta *edicto* memorat eqs.

Et certe nondum tempus erat spem omittere Octaviam viginti duos annos natam unquam heredem imperii parituram.

Vides locos a Vuertheimio allatos impedimento non esse, quominus sumamus, id quod supra sumpsimus, Octaviam praetextam non ita multo post Neronis interitum esse compositam.

Quae ratio Tacito cum Octaviae poeta intercedat, quaeritur.

Reperiuntur tamen in Octavia aliquot loci qui nos de Taciti Annalibus admonent. Iam Braunius [1]) anno 1863 quaecumque potuit congessit, ut demonstraret Octaviam scriptam esse a poeta qui Taciti Annales legisset atque hic illic imitatus esset. Etiam Birtius [2]) Cima [3]) Vuertheimius [4]) credunt Octaviae poetam Taciti Annalibus fonte usum esse. Ladekius [5]) contra libris supra laudatis planum facere conatus est ne unum quidem ex locis Taciti ab his viris doctis citatis ullum imitationis vestigium ostendere. Hoc certe verum est multos locos

---

1) Die Tragoedie Octavia und die Zeit ihrer Entstehung, Kiel 1863.

2) Rhein. Mus. 34 (1879) p. 559.

3) La tragedia Romana 'Octavia' e gli 'Annali' di Tacito, Pisa 1904; Octaviana, nuovi appunti sulle relazioni della tragedia 'Octavia' cogli 'Annali' di Tacito, Rivista di filol. 34 (1906) p. 529.

4) In editione Octaviae, Lugduni Batavorum, apud Sythoff, 1909.

5) De Octavia praetexta, Dissert. philol. Vindobonens. vol. tertium, 1891; Zur Frage über die historischen Quellen der Octavia, Zeitschr. für die Österreich. Gymnas. 1905, p. 673—701, p. 864—883, p. 961—972; Deutsche Literaturzeitung 30 (1909) p. 1508—1511.

Digitized by Google

Octaviae cum Taciti Annalibus comparatos esse qui inter se dissimillimi sint.

Restant tamen aliquot loci a Vuertheimio in editione sua collecti qui documento sunt inter Tacitum et Octaviam commune vinculum extare.

I. Primum comparanda sunt Taciti verba in libro XIV, capite 63 cum Octaviae versibus 102 sequentibusque.

Octavia enim sortem suam miserrimam hisce verbis deflet:

> genetrice caesa, *per scelus rapto patre*,
> *orbata fratre*, miseriis luctu obruta,
> maerore pressa, coniugi invisa ac meae
> *subiecta famulae* luce non grata fruor,
> trepidante semper corde non mortis metu,
> sed sceleris — absit *crimen* a fatis meis;
> mori iuvabit; poena nam gravior nece est

qui versus in mentem revocant Taciti locum modo laudatum:

huic (i. e. Octaviae) primum nuptiarum dies loco funeris fuit deductae in domum in qua nil nisi luctuosum haberet, *erepto per venenum patre* et *statim fratre*; tum *ancilla domina validior* et Poppaea non nisi in perniciem uxoris nupta, postremo *crimen omni exitio gravius*.

Quibus locis inter se comparatis non potest fieri quin moveamur „similitudine quadam (ut Vuertheimii verbis utar) non modo rerum, sed quod plus est verborum".

Vir doctus Ladek [1]) contra negat hos locos, quos exscripsi, inter se cohaerere; nam *famula* (Octav. v. 105) ei non Acte est, sed Poppaea; falso, ut supra vidimus. Voce *crimen* (Octav. v. 107) non ad Aniceti cum Octavia adulterium fictum alludi putat, sed ad Octaviae consilium Neronem e medio tollendi, quam interpretationem iam refutasse mihi videor. Postremum rationem hoc modo concludit: „so bleibt denn als an beiden Stellen erwähnt übrig: Der Tod des Claudius und des Britannicus und die Herschaft Poppäens; von all dem ist schon bis zum Vers 100 in der Prätexta mehrmals die Rede. Um aber *per scelus rapto patre* sagen zu können, brauchte der Dichter nicht *erepto per venenum patre* bei Tacitus zu lesen".

1) Zeitschr. für die Österreich. Gymn. 1905, p. 690.

Digitized by Google

Ego quoque credo non constare versu 107 de Aniceti et Octaviae adulterio ficto sermonem esse; sed restant tamen similitudines non modo verborum sed etiam rerum, quas mero casui tribuere non possum. Nam primum conferri possunt verba *per scelus rapto patre* apud Octaviae poetam cum Taciti verbis *erepto per venenum patre*, deinde verba *orbata fratre* in Octavia cum verbis *et statim fratre ⟨erepto⟩* apud Tacitum; tertium verba *subiecta famulae* in Octavia Taciti verborum *ancilla domina validior* similia sunt, cum apud utrumque scriptorem eadem Acte significetur. Postremum veri simile est Tacitum lectis verbis Octaviae *absit crimen a fatis meis* de adulterio ficto cogitasse, licet Octaviae poeta fortasse id voluerit, quod viri docti Bothe et van Wageningen exposuerunt.

Rectissime igitur Vuertheimius hos locos Octaviae et Taciti Annalium inter se cohaerere statuit.

II. Versus 934 sequentesque Octaviae

Tu mihi primum
tot natorum memoranda parens,
nata Agrippae, nurus Augusti,
Caesaris uxor, cuius nomen
clarum toto fulsit in orbe,
utero totiens enixa gravi
pignora pacis, mox exilium,
verbera, saevas passa catenas,
funera, luctus, tandem letum
cruciata diu. Felix thalamis
Livia Drusi natisque ferum
ruit in facinus poenamque suam.
Iulia matris fata secuta est;
post longa tamen tempora ferro
caesa est, quamvis crimine nullo

utique conferendi sunt cum Taciti verbis (Annal. XIV. 63): non alia exsul [sermo est de Octavia] visentium oculos maiore misericordia affecit. meminerant adhuc quidam *Agrippinae* a Tiberio, *recentior* Iuliae memoria observabatur a Claudio pulsae. sed illis robur aetatis affuerat; laeta aliqua viderant et praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione allevabant.

Digitized by Google

Antequam hos locos inter se comparabimus, primum statuendum est, utra Iulia versu 946 Octaviae significetur, nam apud Suetonium, Senecam in satura, quae Apocolocyntosis dicitur, Dionem legimus duas Iulias a Claudio supplicio adfectas. Suetonius c. 29 vitae Claudii haec habet:

> Appium Silanum, consocerum suum Iuliasque, *alteram Drusi, alteram Germanici filiam*, crimine incerto nec defensione ulla data occidit

Seneca, Apocol. X. 4:

(tunc divus Augustus surrexit... et summa facundia diseruit.)... iste quem videtis per tot annos sub meo nomine latens hanc mihi gratiam rettulit, ut *duas Iulias* proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame.

Dio narrat (LX. 18):

> *τήν τε Ἰουλίαν, τὴν τοῦ Δρούσου μὲν τοῦ Τιβερίου παιδὸς θυγατέρα, τοῦ δὲ δὴ Νέρωνος τοῦ Γερμανικοῦ γυναῖκα γενομένην, ζηλοτυπήσασα* (ἡ Μεσσαλῖνα) *ὥσπερ καὶ τὴν ἑτέραν ἀπέσφαξεν.*

Vuertheimius Iuliam quae versu 946 Octaviae commemoratur filiam Germanici et Agrippinae esse putat (vide eius editionem ad vs. 946); Ladekius [1]) contra filiam Drusi et Livillae significari docuit. Ego prorsus non dubito quin Ladekii opinio vera sit, idque has ob causas:

1. Vox *matris* v. 946 spectat ad Liviam versibus proxime antecedentibus commemoratam, sed non ad Agrippinam de qua v. 936 sermo est.

2. Iulia Germanici filia *incestum cum* fratre *Gaio* (Dio, 59, 3, 6. Sueton. Gai. 24. 36) et *adulterium cum M. Lepido* commisit (Dio 59. 22. 6, Sueton. Gai. 24); postea propter *adulterium cum Seneca* commissum (Dio 60, 8. 5; 61, 10, 1. Tac. Ann. XIII. 42) primo in insulam Pandateriam relegata pauloque post necata est; vide vitam Divi Claudii a viro docto H. Smilda commentario instructam [2]), p. 148.

De tali femina poeta Octaviae, qui rerum, quas commemorat, semper peritissimus est, non potuit uti verbis: *caesa est*

---

1) De Octavia praetexta p. 38—42.

2) Groningae apud J. B. Wolters 1896.

Digitized by Google

quamvis crimine nullo. In Iuliam vero Drusi filiam illa verba *aptissime* quadrant, nam rectissime scripsit vir doctus Fitzler (Pauly-Wissowa, Real-Encyclopädie, 908/9: „Ein Verbrechen hat ihr nicht nachgewiesen werden können", cf. etiam v. d. Smilda, l.l. p. 147; Dessau, Prosopographiam imper. Rom. II (1897), p. 223.

Constat igitur Octaviae versum 946 Iuliam Drusi filiam respicere.

Apud Tacitum XIV. 63, quem locum supra citavimus, utra Iulia intellegenda sit, patet e verbis *a Claudio pulsae*; nam sola Iulia Germanici filia relegata est; nusquam tamen legimus Iuliam Drusi in exilium pulsam esse.

Tacitus igitur et Octaviae poeta non eandem Iuliam commemorant, ex quo Ladekius colligit locos Taciti et Octaviae non inter se nexos esse.

Sed Tacitum locum accuratius examinemus. Primum evolvamus commentarios ad Taciti Annales exegeticos; in editione, quam curaverunt viri docti Nipperdey et Andresen, legimus: ‹*Iulia*, die Tochter des Germanicus› wurde 23 Jahre alt verbannt, war also zu der Zeit kaum älter als jetzt Octavia. Daher passen die Worte *sed illis robur aetatis adfuerat* schlecht auf die *Iulia Germanici.* Sie würden passen auf die *Iulia Drusi*; aber es ist nicht überliefert, dasz diese verbannt worden ist".

Iulia enim *Germanici* nata erat anno 18, relegata autem anno 41; erat igitur, cum in exilium eiecta est, viginti tres annos nata.

Iulia vero *Drusi* nata erat ante annum 8; necata est anno 43; recte igitur dici potuerat *ei robur aetatis adfuisse.*

Vir clarissimus Holbrooke, qui Taciti Annales cum commentario edidit [1]), adnotat ad Ann. XIV. 63:

'The reference is perhaps to Iulia the daughter of Drusus... who was *probably* banished first'. Sed haec coniectura reicienda est, cum, ut iam diximus, nusquam legamus Iuliam Drusi relegatam esse. Quomodo autem explicandum est Tacitum verbis *illis robur aetatis adfuerat* in Iuliam Germanici non

1) The Annals of Tacitus, edited with notes by G. O. Holbrooke, London, Macmillan, 1882.

Digitized by Google

quadrantibus usum esse? Respondeo: assumendo Tacitum Octaviae locum legisse, sed in eo errasse, quod cogitaverit poetam tragicum Iuliam Germanici significare voluisse.

Verba *illis robur aetatis adfuerat* e calamo Taciti fluxerunt, cum verba *post longa tamen tempora* in mente eius haererent.

III. Versu 659 Octavia laeta exclamat:

soror Augusti, *non uxor* ero,

quocum comparanda sunt apud Tacitum, Ann. XIV. 64

paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam *viduam* se et *tantum sororem* testaretur.

Loci inter se similes sunt, quamquam tempora, quibus Octavia haec verba apud utrumque scriptorem pronuntiat, inter se differunt. Non tamen demonstrant hi loci Tacitum ab Octaviae poeta vel Octaviae poetam a Tacito pendere; fieri potuit ut Tacitus haec e fonte historico hauriret.

IV. Nutrix in praetexta dicit (v. 185)

vis magna populi est.

Apud Tacitum, Annal. l. XV, 36, legimus:

⟨in re publica⟩ populum Romanum vim plurimam habere,

qui loci a Gronovio et Vuertheimio comparati sunt. Sed haec similitudo casui tribui potest.

Locis duobus posterioribus, in quibus parum auxilii est, omissis, restant duo loci qui contra Ladekium demonstrant Tacitum et Octaviae poetam inter se nexos esse.

Utrum Tacitus Octavia usus est an Octaviae poeta Tacito?

Quaeritur, quomodo similitudo duorum horum locorum Taciti et Octaviae explicanda sit.

Aut enim Octaviae poeta Annalibus Taciti usus est aut Tacitus Octaviam legit aut uterque scriptor hausit e fonte communi.

Incipiamus a sententia Vuertheimii. Is vir doctus, ut demonstraret praetextam nostram a Tacito pendere, usus est argumento, quod ipsi firmissimum esse videtur.

Poppaea apud Tacitum XIV. 61 arma plebis effigies suas proruentis contra principem sumpta esse mentitur.

Apud praetextae poetam ipse Nero rogat:

Digitized by Google

853 Quid illa turba, petere quae flammis meos
ausa est penates, principi legem dare?

neque audimus, *unde* Nero haec habeat. „Tragicus, inquit Vuertheimius, dextre usus est iis quae Tacitus praepararat.... Praetexta igitur nititur Annalium libro XIV°."

Sed cur non liceat sumere tragicum verum rerum ordinem scientem mutavisse, ut popelli Neronem detestantis mentionem facere posset? Non necessarium est eum, facere ut hoc posset, Tacitum legisse.

Quid igitur de Vuertheimii sententia iudicemus putantis Octaviae poetam e Tacito hausisse Dionisque diebus vixisse? Contigit ei, ut demonstraret aliquot locos Taciti et Octaviae — de quibus supra egimus — inter se simillimos esse; neque tamen potuit planum facere Octaviae scriptorem Taciti Annales legisse. Accedit quod, ut supra demonstravimus, non verisimile est Octaviam tam sero prodiisse; iure igitur Ladekius rogat (Deutsche Literaturzeit. 1909 p. 1510): „Wie wäre es denkbar, dasz es in späterer Zeit einen Menschen gegeben haben sollte, der sich in die Seneca-Dramen so eingelesen hätte, dasz er deren Stil vollkommen beherrschte, einen Menschen, der auch die Prosaschriften des Philosophen, die Dichtungen Vergils, Ovids usw., die griechische Tragödie, die Werke des Livius und Josephus gekannt, die Schriften des Tacitus, Dio und Sueton studiert hätte, um eine höchst merkwürdige Vorliebe für das Claudische Haus durch diese fabula praetexta zu bestätigen, die an vielen Stellen nur ganz besonders Geschichtskundigen verständlich sein konnte, dasz dieser Mensch gutes Latein in guten Versen geschrieben, dabei nirgends sich als Angehörigen einer anderen Zeit verraten hätte, so dasz sein Stück ohne weiteres unter die lange Zeit vorher geschriebenen Seneca-dramen hätte eingeschmuggelt werden können".

Neque igitur in hac re cum Vuertheimio sto, neque tamen, ut supra iam dixi, cum Ladekio, qui nullam similitudinem Taciti et Octaviae agnoscit.

Cum autem ex iis quae supra disputavimus appareat Octaviam praetextam opus esse poetae qui non multo post Neronis mortem scripserit, conici potest Tacitum hic illic ex Octavia hausisse.

Digitized by Google

Iam vir doctus E. C. Chickering [1]) putabat Tacitum praetextae scriptore uti potuisse; scripsit enim de Annalium libri XIV[i] capite VIII°: 'it is certainly conceivable that the historian *may* have drawn upon the dramatist for material'.

Etiam vir doctus Léon Hermann [2]) in libro copiosissimo, quem scripsit de Octavia nostra, Octaviam Taciti fontem habet. Legimus enim apud eum: „en ce qui concerne le chapitre LXIII du XIV livre et les passages correspondants de la tragédie (v. 932 etc., v. 103, etc.), ou le chapitre LXIV et les v. 912 et 658, nous devons reconnaître une influence d'un des textes sur l'autre plutôt qu' admettre l'hypothèse d'une source commune et nous ne voyons pas pourquoi la tragédie ne serait pas précisément l'oeuvre dont Tacite s'est inspiré dans les chapitres où il relate la fin d'Octavie.... *Peut-être* une tragédie dans le goût de Sénèque et comportant celui-ci parmi les personnages a-t-elle eu de l' influence sur l' historien comme les oeuvres authentiques du philosophe..... D'autre part les sources de Tacite sont *peut-être* plus variées qu'on ne l'a dit, comme l'indique G. Boissier [3]), et un historien aussi averti n'a pas pu négliger un texte littéraire si important".

Vides Hermannum in re obscurissima, de qua tot et tanti viri docti inter se dissentiunt, argumenta adferre levia atque infirma. Vocabulum quoque „fortasse", quo utitur, non aptum est quod persuadeat adversariis.

Certioribus igitur argumentis opus est. Ante omnia declaro, si demonstrari possit Tacitum Octaviam praetextam legisse, me credere eum fabula non fonte primario usum esse; loci enim Octaviae et Annalium, qui inter se similes sunt, paucissimi numero!

Quaeritur autem, aliosne poetas Tacitus in operibus suis historicis componendis adhibuerit.

Qui hac de re dubitat, legat mihi librum, quem scripsit femina docta Germana Luise Robbert *De Tacito Lucani imitatore* [4]). Omissis omnibus locis, qui nihil sunt nisi loci com-

1) An introduction to Octavia praetexta, diss. of Columbia University, New York, 1911.

2) Octavie, Tragédie prétexte, Paris, 1924, p. 85/6.

3) Tacite p. 19.

4) Göttingen, 1917.

Digitized by Google

munes, restant similitudines quas nemo neglegere potest. Ex iis eligam locos hos:

Hist. I. 16 duae legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt

Lucan. I. 5 certatum totis concussi viribus orbis.

Hist. I. 24 flagrantibus iam militum animis velut faces addiderat

Lucan. VII. 559 ignes animis flagrantibus addit.

Hist. II. 40 aeger mora et spei impatiens

Lucan. VII. 240 aeger quippe morae

„ VI. 424 inpatiensque morae venturisque omnibus aeger.

Hist. I. 86 iacentia et plana urbis loca

Lucan. II. 4167 si non per plana iacentis / Aegypti Libycas Nilus stagnaret harenas.

Vides omnes hos locos ex Historiis sumptos esse. Unde apparet, ut v. d. Lundström acute perspexit in libello Suecice scripto, cui titulus est „Tacitus' poetiska Källor" [1]) (de Taciti fontibus poeticis), Tacitum, cum bellum civile sui temporis narraturus esset, Lucani Bellum civile legisse. Nam neque in prioribus Taciti operibus usquam Lucani vestigia certissima inveniuntur neque in Annalibus uno loco excepto, qui lepide nostram opinionem confirmat:

Ann. XV. 54 pugionem.... asperari saxo et in mucronem ardescere iussit.

Luc. VII. 139 nec gladiis habuere fidem nisi cautibus asper / exarsit mucro; tunc omnis lancea saxo / erigitur.

Veri simillimum enim est Tacitum, Lucani exitum in decimo quinto libro Annalium narraturum, Pharsalia denuo perlegisse, quod explicat, cur in hoc potissimum libro Annalium aliquot verba Lucani memoraverit; non dico eum Lucanum imitatum esse, sed versus in eius memoria haesisse. Memor enim Tacitus est XV. 70 versuum Lucani III. 635. Haec Taciti ipsius verba sunt:

„recordatus carmen a se compositum, quo volneratum militem

1) Elanders Boktryckeri aktiebolag, Göteborg, 1923.

Digitized by Google

per eius modi mortis imaginem obisse tradiderat, versus ipsos rettulit".

Idem Lundströmius carmen quod inscribitur *Laus Pisonis* (Baehrens, Poetae Minores I p. 225—236) a Tacito adhibitum esse putat [1]), cum Annalium libro XV, 48 mores C. Calpurnii Pisonis descripturus esset.

Prostremum nobis persuadere conatur [2]) Tacitum in pingenda procella terribili (Ann. II 23—24), quae classem Romanam prope litus Germanicum dispersit et magna ex parte pessumdedit, usum esse carmine *Albinovani Pedonis*, ex quo viginti duo versus supersunt.

Licet verum sit Tacitum in enumerandis Pisonis virtutibus eundem fere ordinem secutum esse atque Laudis Pisonis poetam, tamen similitudines inter hunc poetam et Tacitum non tam insignes sunt atque inter Lucanum et Tacitum. Neque contigit, credo, viro docto Suecico, ut planum faceret Tacitum Pedonis carmen in suum usum convertisse.

Sed Lucani versus cum Historiarum locis inter se comparati luce clarius ostendunt Tacitum interdum poetas consuluisse.

Quae si recte disputata sunt, non mirum est Tacitum, ut mentem habitumque animi Octaviae, miserae Neronis uxoris, vividis coloribus depingere posset, praetextam nostram perlegisse. Cum autem Tacitus et aliis fontibus usus sit, intelligimus, qui fiat, ut Octavia praetexta et Annalium liber XIV multis locis inter se differant.

Lundströmio persuasum est Senecam Octaviae scriptorem esse, quod cur ego negem, iam scis; sed etiamsi Seneca Octaviam non scripsit, tamen Tacitum eam adhibuisse non mirum est; nam quisquis poeta Octaviam composuit, artem callebat misericordiam erga feminam miserrimam, quae fabulae nomen dedit, mirum in modum excitandi, et tales scriptores Tacito τὰ πάθη exprimere conanti magnae utilitati fuisse quisque semel monitus intelliget.

Nunc id quoque apparet nos supra non immerito ex comparatis versibus Octaviae 934 sequentibusque cum Taciti verbis

1) Tacitus' Poetiska Källor p. 10—14.
2) Tacitus' Poetiska Källor p. 15 et 16.

Digitized by Google

quae leguntur Annalium libro XIV°, 63 effecisse eum Octavia praetexta usum esse. Si quis autem rogat, cur reiciam opinionem eorum, qui Tacitum et Octaviae poetam communi fonte usos esse putant, respondeo Octaviae poetam, cuius aetas in Neronis tempora inciderit, non e fontibus historicis hausisse. Neque igitur fieri potuit, ut poeta noster et Tacitus eodem scriptore uterentur.

Quodsi rogas, quid ex iis quae disputavimus sequatur, haec concludi possunt: Octaviae poeta Senecae tragoedias magnopere admiratur optimeque novit, tam bene novit, ut, si vaticinia illa non obstarent, credi posset Senecam esse scriptorem; favet Claudianae domui, Neronem atrocem tyrannum depingit; historiam aetatis Neronianae tamquam digitos novit; aliquas res narrat, quae aliunde incognitae sunt, quaeque Neronis aequalem indicant. Quae omnia idem docent Octaviam non multo post mortem Neronis scriptam esse. Sin, ut Vuertheimius vult, eam Dionis diebus compositam sumimus, i. e. saeculo tertio vel serius, frustra quaerimus poetam, qui tale opus iis temporibus scribere potuerit. Sed brevi post Neronem tragoediae et praetextae scribebantur; nam tunc temporis *Maternus* scripsit Catonem, Thyestem, Domitium. Non dico Maternum Octaviae poetam esse, quae Francisci Ritteri [1]) incertissima coniectura est, sed eius aetate et alios tragicos vixisse novimus. Et hinc igitur veri simillimum Materni temporibus Octaviae poetam quaerendum esse.

---

1) Cf. eius libellum, qui anno 1843 Bonnae prodiit: „Octavia praetexta. *Curiatio Materno* vindicatam edidit F. Ritter."

Digitized by Google

DE REGULI IN TACITI DIALOGO PARTIBUS.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT.

Quando Taciti Dialogus scriptus et in lucem emissus sit, si quis quaerit, semper adhuc diversa dantur responsa. Gudeman in editionis praefatione contendit, aureum libellum Tacito iuveni attribuendum esse et Tito imperante esse compositum. quam sententiam multis variisque argumentis corroborare conatus est. Quod conamen quin parum ei successerit non dubito equidem; praeter ea, quae iam Reitzenstein ei obiecit in egregia disputatione [1]), de qua infra quoque sermo erit, etiam plura exstare indicia existimo eaque gravia, quae falsam esse eius opinionem luculenter demonstrent quaeque in fine huius commentationis fusius tractare mihi proposui. Contra plerisque interpretibus Dialogus paulo post Domitiani mortem editus esse videtur, anno fere 98 p. Chr. n., isdem temporibus quibus Germania et Agricola. Ita e. g. censuerunt Fridericus Leo, Norden, Wilamowitz, Reitzenstein, nisi quod hic solus, quod sciam, disertis verbis negavit, annis etiam posterioribus opusculum adscribi posse, quippe qui hoc ordine opera minora composita esse iudicet: Dialogum, Agricolam. Germaniam. Nihilo minus procedente disputatione quare Tacitum anno fere 105 vel 106 scripsisse hunc libellum credam disponam. Alias quaestiones nonnisi obiter tangere potero; meo iudicio e. g. ipse auctor c. 17, 5 indicat, sermonem habitum esse se velle anno 78 [2]); id tantum moneo, etiamsi quattuor annis ante Maternus eiusque amici sermocinantes ab auctore inducti

1) Gött. Nachr. 1914 p. 186 sqq.
2) Cfr. A. Klotz, PhWS. 1923 c. 263 sq.

Digitized by Google

essent, ut vult Gudeman, veri non perquam simile esse, Dialogum iam anno 80 in lucem prodisse, siquidem cum eodem viro [1]) statuere necesse est, quattuor illos amicos ante libelli editionem vita decessisse; sin revera anno 78 adhuc vivebant, vix ac ne vix quidem nisi urgente argumentatione adducar omnes illos viros aetate florentes intra tres annos morte abreptos esse.

Studio manifesto Curiatii Materni, sodalicii hospitis, imago a Tacito depicta est, quique non tantum dialogi socios domi suae recipit, sed etiam sermonem incohat moderatur concludit, quin prae ceteris ipsam auctoris sententiam aperiat dubitari nequit. Conveniunt eum M. Aper et Iulius Secundus. Aper, quinquagenarius fere [2]) et Materno, ut videtur, aliquanto maior natu, specimen praebet non rabulae quidem, verumtamen sciti causidici; homo est facilis nervosus acer, incerta coniectura suspicans, etsi non libere confitetur, aliam quoque eamque praestantiorem animi indolem cogitatione posse comprehendi. In eloquentiae usu genus dicendi sequitur Asiaticum, quodque teste Tacito 'contemnebat potius litteras quam nesciebat' (2, 6), artissime haec res cum illa cohaeret [3]). Secundus natu minor est, sed nihilo secius tranquillior et circumspectior; minus loquitur expedite et multi opinantur sermonem ei esse non promptum (2, 5), sed rerum causas inter se nexas historice libenter considerat; et rerum memoriae conscribendae operam iam dederat — Iulii Africani vita ab eo composita c. 14, 9 laudatur — deque ea quaestione, cui in hoc dialogo intentus est amicorum circulus, ratione historica explicat. Quartus sermonis socius est Vipstanus Messalla iuvenis, ex antiqua gente ortus Valeriorum Messallarum, nec solum '*clarus maioribus*' sed etiam '*egregius ipse*' (Hist. III 10). Bello Vitelliano tribunus meruerat in Vespasiani exercitu posteaque commentarios de eo bello foras dederat; mox praematura mors cursum honorificum eum auspicatum videtur abripuisse. Ipse Tacitus iuvenem admodum se adfuisse narrat, sermonis autem non participem.

---

1) p. 67 n. 4.
2) Cfr. Gudeman l.l. p. 68.
3) Cfr. Norden, Ant. Kunstpr. I³ p. 131 sqq.

Digitized by Google

Capite primo auctor appellat Fabium Iustum, Plinii quoque familiarem, qui crebro ex eo quaesiverat, quomodo accidere potuisset, cum priora saecula ingeniis tam illustribus totque oratoribus praestantissimis gloriarentur, ut ipsum praesens tempus omnino iis careret et vix nosset oratoris nomen: '*horum autem*', inquit, '*temporum diserti* '*causidici*' *et* '*advocati*' *et* '*patroni*' *et quidvis potius quam* '*oratores*' *vocantur*'. Cuius vocis ludibrium Gudeman non sensit: rationem ut solet componit [1]) calculumque subducit unde appareat Tacitum in scriptis posterioribus nomine 'oratoris' saepius usum esse quam in ceteris cunctis: proinde, ita ille, Dialogus isdem temporibus scribi non potuit. Quasi vero me perhibentem hodie non iam licere famulam („dienstbode") dicere sed dispensatricem („hulp in de huishouding") redarguas demonstrando famulae nomen plus semel occurrere in hesternis actis diurnis! — Tacitus quaestionem illam gravem pariter ac molestam iudicat; prospere autem evenisse fingit, ut antea viros egregios his de rebus sermocinantes audierit, e quibus unus, Aper scilicet, recentioris eloquentiae causam acerrime dixerit, ceteri licet diversis nisi argumentis a Fabii Iusti partibus steterint: ergo muneri sibi delato se satisfacere posse videri modo eorum quae tunc in medium prolata sint memoriam diligenter repetat.

Deinde capita 2—13 exordium praebent, quod primo quidem aspectu nonnisi laxiore vinculo cum sequentibus colligatum esse videtur; Messalla huic colloquio nondum interest. Intrantibus Apro et Secundo Maternus intentus est in perlegenda Catone tragoedia, quam pridie pluribus recitaverat eo eventu, ut '*offendisse potentium animos diceretur*' (1, 2). En magni momenti res, atque id quidem has ob causas: primo dubium non est quin Maternus et Messalla praecipuo studio ab auctore depicti quid ipse sentiat prae ceteris pronuntient; ergo notatu dignum est utriusque dicta facile in discrimen incidere offendendi, nam Messalla quoque c. 32, 14 perorans affirmat: '*ego iam meum munus explevi et, quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi*'. Secundo loco quaestio oritur, qualis fuerit offensa illa in Materni fabula praetexta.

1) p. 52 n. 3.

Digitized by Google

Plerumque iudicibus elegantiae scrupulum eam iniecisse opinantur; iure autem Reitzenstein [1]) huic sententiae repugnat: ad rem publicam pertinebant quae gravabantur [2]). Maternus igitur nimis audacter ipse partes egerat Catonis Uticensis, qui aetate imperatoria plerisque habebatur exemplum viri liberae rei publicae studiosi et perfectissimae secundum Stoicorum doctrinam virtutis imago. Quae conclusio multum, nisi fallor, valebit ad perspiciendum, quid Tacitus in componendo Dialogo sibi voluerit. Ex iis, quae Maternus a Secundo interrogatus respondet, satis liquet nihil eum rei paenitere; quin immo sperat fore ut brevi post altera fabula quae Thyestes inscribetur apertius sententiam suam illustret atque expressius. Aper se fugere plane fatetur, quomodo quis operam forensem dimittere queat ut totum se dedat arti poeticae; cui respondens (c. 4) Maternus condicionem fert ut Secundi arbitrio controversia deferatur, quem procul dubio iudicium laturum existimat, ut in posterum poësin colat, '*sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam*'. Qui etiamsi id munus detrectat [3]), tamen Aper causam dicere incipit; de iis tantum poetis agere se declarat, quibus facultas et vis oratoria non desit: hi sunt quos deceat ad dicendum potius se conferre, quippe cum cursus oratorius uberrimos fructus afferat et utilitatis (c. 5) et voluptatis (c. 6) et dignitatis (c. 7) et gloriae (c. 8), contra poetae vita, dignitatis et utilitatis omnino expers (c. 9), umbram tantum suppeditet voluptatis et gloriae (c. 10). Duae in hac Apri oratione sunt res, in quas potissimum velim animum advertas. Primam dico, quod non semel sed bis Aper provocat ad auctoritatem virorum, qui non fuerunt ex hominum genere optimo: exeunte c. 5 in memoriam revocat, quomodo brevi ante Eprius Marcellus eloquentiae beneficio vehementem Helvidii impetum eluserit. Eprius Marcellus illustris orator sed infamis delator erat: multis ex proceribus civitatis mortis fuerat auctor; at Helvidius Priscus, Thraseae Paeti viri honestissimi gener ipse honestissimus, partium in senatu stoicarum

1) l.l. p. 209 n.

2) Cfr. c. 10, 9: '*quod periculosius est, pro Catone offendis*' et paulo infra, 10: '*meditatus videris elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam*'.

3) De hoc loco inspiciantur quae exposui Mnemos. LIII (1925) p. 85 sqq.

Digitized by Google

sicut socer dux erat et princeps. Ann. XVI, 29 legimus, alteri cum altero iam antea altercationem ortam esse; quod hic significatur iurgium copiosius enarratur Hist. IV 43; utrobique autem nil est quod haesitemus, stetne ipse auctor ab Helvidio et delatorum genus detestetur. Neque in Dialogo res in dubio est, modo conferamus alterum locum, qui est c. 8. Iuxta Marcellum alter delator ibi exemplum sumitur: Vibius Crispus, homo aeque flagitiosus quique ex damnatorum bonis in publicum redactis parte sua sibi vindicanda magnas divitias congesserat. Quorum dicendi copiam licet Aper laudibus extollat, tamen obiter confitetur neutrum moribus egregium esse (§ 6) neque infitias it eos agere et ferre cuncta, '*atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus, venerabilis senex et patientissimus veri, bene intellegit.... Marcellum.... et Crispum adtulisse ad amicitiam suam, quod non a principe acceperint nec accipi possit*'. Fieri potuisse ut tale quid in lucem emitteretur imperante alterutro e Vespasiani filiis missis ambagibus nego [1]); at maior haec quaestio est: qua re adductus Tacitus Aprum inducit recentioris eloquentiae patronos eligentem duos delatores, quos ipse concedat necesse est haudquaquam omni ex parte imitandos esse? Cur Marcelli et Helvidii imaginibus inter se opponendis iterum auctor nobis ante oculos ponit controversiam non litterariam, sed ad mores potius publicos spectantem? Quin et qui diligenter animum attenderit, iam tertium eandem rem contrariam videbit emergentem c. 8, 10: '*minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen neglegunt, tam hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies qui vituperet quam qui fastidiat*', quo aculeo philosophos peti etiam Gudeman perspexit, nisi quod non cum eo de ipso Seneca potissimum accipiam iamdudum mortuo.

Maternus causam dicit c. 11—13. Loqui incipit '*remissus et subridens*', capite 11 videlicet, ubi summa cum dexteritate, qua ipse Aper non potuerit non obstupefieri, grave telum adversarii manu excutit. Aper tantum praedicaverat de delatorum potentia gloriaque, — iam audi poëtam subtiliter ita loquen-

1) Fusius redarguit Reitzenstein l.l. p. 227 sq.

Digitized by Google

tem (11, 3): '*recitatione tragoediarum... ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi*'. *Ingredi famam auspicatus sum* — hic Gudeman longam seriem abundantis orationis exemplorum congessit, sed verborum ironiam non gustavit. Gloriae meae curriculi primum rudimentum id fuit — ita Marcellus — ut tragoedia mea, quales tu tantopere despicis, tantum tuum delatorem, quales tu tantopere suspicis, fregerim! Quae dissimulatio subtilior excogitari possit, me quidem latet. Vatinium ipse Tacitus Ann. XV 34 tristibus his coloribus nobis depingit: '*Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus; primo in contumelias adsumptus, dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi etiam malos praemineret*'. Sed inde a c. 12 orationis color mutatur, sonus attollitur: ipse poëta est, quem auscultamus quique finit '*concitatus et velut instinctus*'. Aper miseratus erat vatem, qui inter nemora et lucos solitudines captet, Maternus puris sonis suavibusque eum beatum dicit. Antiquitus per aureum illud saeculum eloquentiam et poësin ne discerni quidem inter se esse solitas: numerosis verbis locuta esse oracula. Iam teneas quaeso quae sequuntur: '*nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus atque, ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus*' (12, 4). Haec, inquam, teneas, nam luce clarius est Maternum eloquentiam vetustiorem a recentiore non toto genere disiungere; omnis quae fertur bene dicendi facultas nihil est neque priore saeculo fuit nisi facultas altercandi verbisque disceptandi; depravatus est igitur mundus, qui magis magisque id genus telo utatur.

Cetera quoque Apri argumenta deinceps refutantur; c. 13, 5 ad Crispum et Marcellum pervenit, de quorum virtutibus nihil facit reliquum, immo ita verba concluduntur: '*quae haec summa eorum potentia est? Tantum posse liberti solent*'. Cumque continuo ante (§ 4) Maternus contendit Pomponium Secundum poëtam neque dignitate vitae neque perpetuitate famae Domitio Afro oratori concessisse, non minore cura haec quoque exempla sumpta sunt, sicut dignitas vitae primo loco posita

Digitized by Google

consulto declarat. Nam de Pomponio haec nos docet auctor Ann. V 8: '*multa morum elegantia et ingenio illustri, dum adversam fortunam aequus tolerat, Tiberio superstes fuit*'; contra Domitius '*capessendis accusationibus aut reos tutando prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit*' (Ann. IV 52).

Dialogi prooemium ad finem usque iam perductum est: illico post Materni orationem conclusam Messalla cubiculum intrat, qui c. 15, 5 propriam huius sermonis causam disserendi proponit; quaerit enim, quaenam habendae sint corruptae eloquentiae causae. Verum nobis altera haec quaestio primum oritur: quid spectans hoc prooemium Tacitus opusculo praemisit? Quae ratio intercedere potuit inter hanc litem de arte poëtica contractam et corruptam illam eloquentiam? Num Leo acu rem tetigit[1]) talem exstitisse sententiarum nexum praecise negans, quippe cum dialogus sit *μίμησις τοῦ βίου*, ubi vox fortuita et temere emissa totum sermonem alio possit convertere? Quo haec etiam adicit: '*Nach dem Zusammenhang, den eine Abhandlung haben musste, darf man also hier nicht fragen, wie man es dem stoischen Dialog gegenüber dürfte*'. Mihi quidem Dialogus magis 'stoicus' esse videtur, quam Leo suspicatus est, nec dubito quin artissime haec cum illis cohaereant. Nempe qui extremas opiniones tuentur sermonis socii in prooemio inter se opponuntur. Maternus in reicienda eloquentia eo usque progreditur, ut ratione saltem et instituto ne recentiore quidem eloquentia vituperanda teneatur. Quid Aper? Sententiam defendit contrariam, attamen Tacitus talem eius partis causidicum elegit, ut alter cum altero familiariter colloqui posset. In reliqua oratione videbimus Aprum multo propius a Materni partibus stare quam principio simulavit et re vera medium potius obtinere locum. Sane si Tacitus hominem inducere voluisset, cui iusto iure partis adversae patrocinium mandari posset, e delatorum turba aliquis fuisset deligendus; sed delatorem omisit vel potius, ut videbimus, post siparium restare iussit. Neque eo minus propositum assecutus est: e prooemio aequales eius statim intellegere poterant, quo pacto sequentes de corrupta eloquentia disputationes inter-

1) Gött. Gel. Anz. 1898 p. 171.

Digitized by Google

pretandae essent. Etenim non agebatur de quaestione in mera ratione versante, sed ulcus publicum tangebatur, disserebatur de loco lubrico et ancipiti, qui inde ab aetate factionis stoicae imperantibus Nerone et Domitiano in senatu refractariae, cui nomina coniuncta sunt Thraseae Paeti, Helvidii Prisci, Herennii Senecionis, Iunii Maurici, Aruleni Rustici, aliorum complurium, semper adhuc optimi cuiusque cogitationes occupabat. Id quaerebatur, nonne necessario unius dominatio afferret societatem, in qua potentia divitiae honores, cunctae denique opes obnoxiae essent facultati τὸν ἥττω λόγον κρείττω faciendi, turpi scilicet eloquentiae et altercandi copiae. Gudeman efficere conatus est [1]), Dialogum iam eam ob causam Domitiani temporibus scribi non potuisse, quod tunc temporis haec quaestio iam obsoleta esset: Traiano imperatore neminem iam de infinita illa differentia cogitasse perhibet. Nequaquam quidem eius imperii aetas tam. bene nobis pernotuit quam cupiamus, sed Plinii epistulas percurrere tantum opus est ut sentiamus quaestionem eam, dummodo recte definiatur, tum quoque fuisse admodum iustam. Quintilianus librum XII Institutionis Oratoriae, scriptum anno fere 92 aut 94, incohat in memoriam revocans Catonis illud: '*orator est vir bonus dicendi peritus*' et deinde exponit prudentis esse ab ipso oratore exigere ut sit moribus probis honestisque. Dictum illud Catonis cum antea iam tesserae vice fungebatur, sicuti Seneca pater nos docet [2]), tum aetate Traiani: si minus, perpauci intellexissent facetias, quas Plinius nobis tradidit Ep. IV 7, 5, ubi sermo est de Regulo delatore infami: '*itaque Herennius Senecio mirifice Catonis illud de oratore in hunc e contrario vertit*, '*orator est vir malus dicendi imperitus*'. Propterea postulante quadam matre (Ep. III, 3), ut praeceptorem idoneum filio ipsius prospiciat, hominem ei commendat, quem possit praestare, quod nimirum valde necesse esse confirmat, atque his verbis epistulam claudit: '*...dicendi facultas aperta et exposita statim cernitur: vita hominum altos recessus magnasque latebras habet.... Proinde faventibus dis trade eum praeceptori, a quo mores primum, mox*

1) l.l. p. 49 sqq.
2) Controv. Praef. I 9, 10.

Digitized by Google

eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur'. Complures Plinii locos ad hanc rem illustrandam adhuc afferre possumus, malumus vero ad Tacitum reverti, qui etiam sine subsidio alieno affatim nos facit rei certiores.

Continuo c. 14 ansam dat ponendae quaestionis non nullius momenti. Iam Hirzel [1]) monuit, raro factum esse in dialogis, ut nova persona induceretur, quae non ab initio affuisset quaeque alio prorsus sermonem converteret; Platonis tantum Symposium hac in re comparari posse, ex litteris autem latinis nullum aliud exemplum ad nos pervenisse. Sane errat, qui semper et ubique argute et subtiliter talia persequi vult: quis enim neget integrum esse auctori arbitrium novandi quaedam et immutandi? Atqui hoc loco aliter rem se habere aio et ad comprobandum argumentis accingor. [2])

Post Domitiani mortem tantum aberat ut delatorum res evasissent prosperae, ut imperantibus Nerva et Traiano nullo modo ipsam artem suam exercere accusationesque factitare possent. Nihilo minus quem quaestum palam facere coacti desierunt, ad eundem subdole obrepere perrexerunt. Unus ex iis atque is notissimus potentissimusque M. Aquilius Regulus fuit, qui quam fuerit foedus vir et abiectus Plinius aliquot epistulis nos docet, quas ad sententiam meam stabiliendam brevi recognoscere operae erit pretium. Iam primo loco, ubi Regulus in scaenam prodit, Ep. I 5, non solum patefit quam maligne quamque invidiose impurus homo viros honestissimos, ipsum quoque Plinium lacessere solitus sit, sed etiam videmus Stoicis imprimis infestum eum fuisse: '*Vidistine M. Regulo timidiorem, humiliorem post Domitiani mortem? Sub quo non minora flagitia commiserat quam sub Nerone, sed tectiora.*

1) „Der Dialog" I 220 sq.; cfr. Gudeman l.l. p. 64, qui praeterea recte quidem admonet loci qui est Varr. r. r. II 5, 1, sed socius superveniens haudquaquam ibi eundem in modum sermonem alio deflectit.

2) Quod Gudeman l.l. p. 65 prooemii cum disputationis summa nexum ita indagare sibi visus est, ut perhiberet corruptae eloquentiae causas necessario perscrutandas fuisse posteaquam Aper Materno artem poeticam bene dicendi facultati praelatam obiecerit studiumque oratoris summis laudibus extulerit, id perperam sic expositum esse opinor. Immo si ex contrario in celebranda arte poetica Dialogi cardo verteretur ac quae nunc summa disputationis est, quasi appendix esset adiuncta, hanc eius rationem sequendam fuisse non nego.

Digitized by Google

Coepit vereri ne sibi irascerer; nec fallebatur, irascebar. Rustici Aruleni periculum foverat, exsultaverat morte, adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur atque etiam 'Stoicorum simiam' appellat; adicit 'Vitelliana cicatrice stigmosum'. Agnoscis eloquentiam Reguli. Lacerat Herennium Senecionem.....' Cetera quamquam exscribere longum est, tamen nonnulla silentio praeterire nequeo. Contractis cum Plinio inimicitiis Regulus id agit, ut cum eo reconcilietur: ipsum Fabium Iustum, cui Dialogus dedicatus est, rogat ut ad veniam impetrandam operam suam praestet. Plinius vero huius rei arbitrium permittendum censet Iunio Maurico, qui factioni stoicae ille quoque adnumerabatur. Insuper § 11 discimus, Regulum inter et Plinium disputatum esse de optimo genere dicendi. Oblique enim hunc designans ille dixerat: '*Satrius Rufus, cui non est cum Cicerone aemulatio, et qui contentus est eloquentia saeculi nostri*'. Quibus de verbis cum aliquanto post sermo incidisset, Plinius '*est enim*' inquit '*mihi cum Cicerone aemulatio, nec sum contentus eloquentia saeculi nostri: nam stultissimum credo ad imitandum non optima quaeque proponere*'.

Aptissime haec excipiunt quae Ep. I 20 disputata sunt; notissima est illa epistula ad Tacitum data, qua quid sentiat quaerit de orationis praeceptis: utrum brevitas servanda sit, ut velint antiquorum sectatores Lysian praecipue imitati, an magis placeat copia dicendi et diligentia, cuius speciem Ciceronis prae se ferant libri. Apparet § 14, ipsum Regulum hac in re eum quondam aggressum esse: '*tu omnia quae sunt in causa putas exsequenda, ego iugulum statim video, hunc premo*'. Rectissime alii iam monuerunt, post Taciti Dialogum hanc epistulam, anno fere 97 vel 98 compositam, vix scribi potuisse, quaeque Gudeman [1]) contra arguit, huc non pertinent, nam etiamsi Messalla et Secundus copiae et ubertati orationis patrocinantur neque inter utramque sententiam Tacitus in hoc opusculo plane diiudicasse censendus est, tamen non perspicio equidem, quomodo hanc quaestionem Plinius movere potuerit

1) l.l. p. 42.

Digitized by Google

nulla Dialogi mentione facta, quasi numquam Tacitus eam tetigisset.

Sequitur Ep. II 11. Iussu senatus Plinius et ipse Tacitus anno 100 p. Chr. n. incolis provinciae Africae adsunt in causa Marii Prisci Africae praefecti repetundarum postulati. Litem obtinent; tamen propemodum consilium eorum disiectum est et Marius poenam effugit propugnante Pompeio Collega senatore (§ 20), qui postremo ab omnibus fere destitutus de Regulo imprimis conqueritur, '*qui se in sententia quam ipse dictaverat deseruisset*'. Unde Plinius: '*est alioqui Regulo tam mobile ingenium, ut plurimum audeat, plurimum timeat*'.

Hereditatum captator Regulus depingitur Ep. II 20. Ad mores hominis cognoscendos utilissimum est videre, quam nequiter viros feminasque graviter aegrotantes et iamiam morituros illudat, credulitatem eorum appetat et sine ullo scrupulo per unici filii salutem peieret. Qui autem persuasum habent, Traiano dominante nil iam fuisse, cur Tacitus de corruptae eloquentiae causis ageret, attenti quaeso perlegant huius epistulae partem ultimam inde a § 12: '*Ἀλλὰ τί διατείνομαι in ea civitate, in qua iam pridem non minora praemia, immo maiora nequitia et improbitas quam pudor et virtus habent? Adspice Regulum, qui ex paupere et tenui ad tantas opes per flagitia processit, ut ipse mihi dixerit, cum consuleret, quam cito sestertium sescentiens impleturus esset, invenisse se exta duplicata, quibus portendi miliens et ducentiens habiturum. Et habebit, si modo, ut coepit, aliena testamenta, quod est improbissimum genus falsi, ipsis quorum sunt illa dictaverit*'.

Brevi post, anno 102 vel 103, filium illum mortuum esse Ep. IV, 2 narratur; incredibile est quantopere Regulus maerorem exclamet, dolorem ostentet inque suam gratiam vertat. Iam animadverte tam improbi viri in Traiani civitate locum atque amplitudinem (§ 4): '*Convenitur ad eum mira celebritate. Cuncti detestantur, oderunt, et quasi probent, quasi diligant, cursant, frequentant, utque breviter quod sentio enuntiem, in Regulo demerendo Regulum imitantur*'. Filii defuncti magnifice deinde ipse describit vitam — ut narratur Ep. IV 7, ex qua supra iam § 5 attuli — et libelli exemplaria in omnes orbis regiones dimittit.

Digitized by Google

Postremo Ep. VI, 2 Regulum vitam posuisse audimus, ac licet non omnibus numeris constet, quo ordine Plinii Epistulae scriptae sint, iure sumas Regulum mortuum esse anno 105 vel 106. Notatu hic digna videtur § 4: '*Sed utcumque se habent ista, bene fecit Regulus quod est mortuus; melius, si ante. Nunc enim sane poterat sine malo publico vivere sub eo principe, sub quo nocere non poterat*'. At nonne prorsus haec discrepant cum verbis supra allatis ex Ep. II 20, 12: '*ἀλλὰ τί διατείνομαι* in ea civitate, in qua....' e. q. s.? Ego non credo: nulla enim in re princeps reprehendendus est, sed laudabilis eius administratio non extemplo neque brevi temporis spatio miseriis domesticis finem imponere potest. Quod Tacitus ipse mox etiam apertius declarabit, — sane iam hic quoque § 9 locus occurrit omnem tollens haesitationem: '*Sed de his melius coram, ut de pluribus vitiis civitatis. Nam tu quoque amore communium soles emendari cupere quae iam corrigere difficile est*'.

Etiam plura afferri possunt, sed iam mihi videmur ex iis quae Plinius tradidit Reguli imaginem cogitatione comprehendere posse; simul satis apparuerit a Traiani principis temporibus non fuisse alienum investigare depravatae eloquentiae causas, utique si non ea tantum consideremus, quae ad artem oratoriam pertineant, sed id teneamus, praesertim agi de periculis moribus publicis imminentibus. Iam vero notatu dignissimum esse mihi videtur, Regulum illum fuisse fratrem maiorem natu.... ipsius Messallae, qui Dialogi c. 14 inducitur. Quam necessitudinem inter eos exstitisse Tacitus docet Hist. IV 42, ubi de utroque memorabilia quaedam nobiscum communicat. Ita caput illud: '*Magnam eo die* (anni sc. 70, ergo non ita multo ante hunc sermonem habitum) *pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messalla adeptus est, nondum senatoria aetate ausus pro fratre Aquilio deprecari*'. Regulus enim in deferendis accusationibus nimis se in discrimen commiserat atque in eo erat ut condemnaretur. Et alia eius accusator dixerat et acerbe haec: '*Retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis aetas instructa sit et quomodo senes nostri Marcellum, Crispum, iuvenes Regulum imitentur*'. Itaque quas partes antea in ciiv-

Digitized by Google

tate Marcellus et Crispus agebant, delatores illi in Dialogo quoque vellicati, eaedem nunc Regulo mandandae erant. Messalla patrocinium eius suscepit, sed nullam aliam ob causam id eum fecisse disertis verbis Tacitus affirmat, nisi quod sanguinis vinculo cum eo coniunctus esset: '*non causam neque reum tueri*' voluit. Quibus rebus perspectis complures nodos facile extricari arbitror. An adhuc difficile est intellectu, quanam de causa Messalla capite demum 14 inducatur, cum c. 13 delatores ultimum amare perstringantur? Verecundia enim praecipiebat ut Maternus et Aper de illis tacerent praesente iuvene amico, cuius fratri iam tum artificium accusatorium infamiam moverat.

Quae si recte collegimus, aliae insuper conclusiones in promptu sunt. Tum enim Tacitus in componendo Dialogo ab initio utriusque fratis rationem habuit; Messallam sermonis socium desiderare aliumque eligere haud ambigue noluit. Cur noluisse eum credamus? Quoniam unusquisque aequalium Dialogum evolvens non poterat non perspicere, illic post siparium restare Regulum, qui et quo temporis vestigio hic sermo haberi fingebatur et cum libellus in lucem prodibat famosus adhuc erat et formidolosus. Clarius illustrari ea quaestio, quae hic examinabatur, non poterat quam tacite neque eo minus manifesto inter se oppositis diversarum partium fautoribus Messalla iuvene amabili generosoque et Regulo delatore. Regulum adhuc in vivis fuisse, cum Dialogus ederetur, iam inde efficere licet, quod nomen eius contra atque Eprii Marcelli et Vibii Crispi siletur, — sane nemo, quod sciam, umquam Dialogum post Reguli vitae annum supremum ortum esse credidit. Tamen auctor non praetermisit quasi digito illum demonstrare, ne quem fugeret illum respiciendum esse. Caput 15 ita incipit: '*Tum Aper: 'non desinis, Messalla, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia inridere atque contemnere. Nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes* ⟨*parem*⟩ *antiquis eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem non verebaris, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt ipse tibi denegares*'. Miram copulationem rerum toto caelo diversarum: *et tuae et fratris*

Digitized by Google

tui eloquentiae! Etenim nemo somniare potuit, Messallam fratrem adaequaturum esse oratoribus antiquis, et Regulus longe arcessitus esse videtur; ipsa res monet ex amicis disputantibus solum Aprum quamvis timide verba de eo facere potuisse sine offensa [1]). Et Messalla nequaquam se eius sententiae prolatae paenitere affirmat; quin addit se persuasum habere non solum Secundum et Maternum, sed etiam ipsum Aprum, licet interdum in contrarium disputet, funditus secum facere. Notanda haec est res, cumque protinus Messalla ipsam quaestionem in medium protulit: '*ac velim impetratum ab aliquo vestrum, ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat*', longam quidem orationem Aper pronuntiare incohat, qua primo demonstret vocis quae est *antiquus* non per se stare significationem, verum quis sit orator antiquus ex aliorum semper contentione cognoscendum esse, deinde magis id agat ut antiquioris eloquentiae vitia vituperet quam ut recentiorum oratorum insignia merita exponat, — sed Messallae effato satis mirifico ne verbo quidem respondet. Immo vero loquendi vix finem fecit, cum Maternus c. 24, 4 Messallae verba rata esse confirmat. Messalla pollicitus erat se causas inclinationis illius reddere temptaturum: ita fac, Maternus inquit, at hoc memento: '*neque.... defensorem antiquorum exigimus nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis quos insectatus est Aper comparamus. Ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri et a nostris philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contra dicendi partes*'. Satis mirari nequeo horum locorum, quorum alter Apri disputationi continuo praecedit, alter subsequitur, semper deminui vim et attenuari. Gudemannum [2]) si audimus, quod Aper non ex

---

1) Quantopere Reguli figuram in interpretando Dialogo hactenus respicere neglexerint, ex iis appareat quae R. Helm, vir ceteroquin de litteris latinis optime meritus, in disputatione c. t. 'Zwei Probleme des Taciteischen Dialogs' (Nov. Ann. XI — 1908 — p. 496 n. 3) adnotavit. Loco paulo infra allato ex c. 24, 4 legendum proponit '*vestris philosophis*', ubi cogitat de Messalla deque eius fratre, et propter c. 15, 2 haec adicit: 'Es liegt kein Grund vor, anzunehmen, dass der Bruder anderen Prinzipien gehuldigt hat als Messalla selber (sic!) Also wird auch er die Bedeutung der philosophischen Bildung anerkannt haben und ebenso das Ciceronische Bekenntnis (c. 32) gelobt haben, dass er seine Erfolge in der Beredtsamkeit nicht der Rhetorenschule, sondern der philosophischen Ausbildung in der Akademie verdankte'. 2) l.l. p. 69.

Digitized by Google

animi sententia ita locutus esse dicatur, id nihil aliud esset nisi artificium etiam a Cicerone adhibitum, quo adversarii argumenta praeoccupentur eiusque auctoritati obtrectetur. Paulo minus quam ridicula haec; mihi quidem ex Ciceronis operibus tale artificium, quod malitiose factum potius dicam, non innotuit neque adducar sive ipsum oratorem sive eos qui audirent legerentve talia non aspernaturos fuisse. Nimirum aliter res se habet, si frequenter quis apud Ciceronem more academico sententiam tuetur non suam, quae egregia disputandi exercitatio habebatur; nam aliud quid est tradita consuetudine disserere in contrarias partes, aliud prorsus eum, qui suam sententiam ingenue aperuerit — quod fecisse Aprum Gudeman sibi persuasit — non tantum dissimulatae opinionis incusare, sed etiam quasi omni dubitatione sublata totam eius disputationem in posterum temere silere ac neglegere. Sin optime cognitum habebant amici Apri animum penitus in diversas partes distrahi, omnia fieri puto perspicua; quod si loco modo allato Maternus suspicatur eum sibi sumpsisse contra dicendi partes more vetere et a philosophis saepe celebrato, specioso praetexto de industria verum obvelat ut amico parcat.

Unum alterumque Apri dictum diligentius velim perpendas. C. 18, 5 et 6 profitetur: '*nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi nec statim deterius esse quod diversum est, vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse*'. En locus communis et aliis multis illa aetate probatus et Regulo. Martialis enim post Plinium Reguli vitae auctor est non spernendus, sed acceptissimus illi et summa apud eum gratia valens nihil umquam praetermittit quominus eum aduletur. Epigr. V, 10 Regulum loquentem facit et quaerentem, cur tandem vivus quis tam parum colatur atque observetur; respondet poëta: '*Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores, praeferat antiquos semper ut illa novis*'. Porro attendas orationis finem, c. 23, 11. Laudes ibi enumerat, quas ipse in Messallae Materni Secundi facultate dicendi agnoscat, in quibus gradationem quandam inesse facile perspicias eo procedentem ut asseveret: '*sic libertatem temperátis ut, etiamsi nostra iudicia*

Digitized by Google

malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri'. Habes alteram aetatis illius quasi tesseram: libertas enim hoc loco est animi sententiam libere et ingenue pronuntiandi consuetudo, quam Graeci παρρησίαν vocabant, quaeque multis hominis turbulenti novisque rebus studentis esse videbatur. Cum igitur Aper adversarios laudat, quod utuntur illi quidem libertate, sed moderate — etiamsi nondum omnes aequales confiteantur — luce fit clarius cum Aprum minime aegre tulisse Materni in Catone liberam linguam, tum non caecum esse eum ad ipsam rem moralem potius et politicam quam ad artem rhetoricam pertinentem.

In posterum quoque Apri disputatio simpliciter sed pertinaciter ut irrita nec quicquam valens neglegitur; Maternus c. 24 his verbis Messallae dicendi facit potestatem (§ 5): '*igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserimus*': Ergo: Aprum sine fabulantem, quippe cui fides non sit habenda; accedit quod antiquorum maior praestantia nemini in dubio est: eo igitur utere pronuntiato nec ita esse sed cur ita sit nobis quaeso exponas. Messalla ei assentitur (25, 1: '*neque enim diu contra dicendum est Apro*'); Aper autem usque ad caput ultimum nil iam muttit, — ibi eum audimus unam sententiolam pronuntiantem.

Iam Messalla exorditur nec facere potest quin c. 25 superiores oratores laudibus efferat, c. 26 recentiores perstringat. Hoc capite scholastici qui dicebatur specimen ab unguibus usque ad verticem pingitur verbis a primo ad ultimum in Regulum, ipsius oratoris fratrem, aptissime valentibus. Num putas Romanos Taciti aequales id latuisse, factionem stoicam non delectasse, Regulum, cum haec legeret, sui fuisse compotem? Tantummodo ad capitis finem animum quaeso advertas, § 11 et 12: '*Quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum*' (rhetorem scil. tunc temporis celeberrimum). Apte huc conferas Martialem IV 16, utpote qui Regulum Ciceroni omnino parem esse iudicet. Iam sic pergit: '*At ego non verebor nominare singulos, quo facilius propositis exemplis adpareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta elo-*

Digitized by Google

quentia'. '*Parce*', *inquit Maternus*'..... Quid mirum? En tibi animi impetu iuvenis ille caldicerebrius quem quaeso primum protinus nominabit? Cogita Regulum talia legentem: nonne ex temporis articulo nata haec, nonne etiam salsissime tractata?

Perget Messalla, modo promittant sodales non cito se offensum iri. Ac denuo Tacitus rationem propositam identidem personantem paulisper expromit (27, 4): '*Perge*', *inquit Maternus*, '*et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate,* ⟨*a*⟩*qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia*'. Primam causam Messalla dicit mollem illam educationem, quae indulgentia vocabatur (Quint. I 2, 7); antea (c. 28) honesta et severa inque conformandos puerorum mores intenta erat, nunc (c. 29) famulae superstitiosae et servo scelerato tota permittitur; ubi autem adoleverunt pueri, in omni licentia vivunt impotentiaque. Neque in scholis probe iam instituuntur (c. 30), '*sed expetuntur, quos rhetoras vocant*', quo nomine quin digni sint illi videtur haesitare. Beatum Ciceronem, qui omnibus philosophiae partibus instructus sit; admirabilis enim antiquorum illa eloquentia ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia emanaverat: intellegebant enim nihili esse rhetoricam scholasticam, nihili controversias excogitatas (31, 1 et 2), sed iis artibus animos imbuendos esse, '*in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputetur*'. Quae fusius deinde explicantur; plane igitur Asianis repugnat, qui ingenii cultum et sapientiae imprimis doctrinam fastidiebant. '*Ego hanc primam et praecipuam causam arbitror*', ita legimus 32, 10, '*cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus*'. Etiam plures exstare causas non negat, sed alii tractandas eas delegare vult, se officio satisfecisse putat. Unde ita pergit § 14: '*quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi*'. Ecquis quin vere haec locutus sit adhuc in dubium vocet, ecquis quem primo loco spectaverit iam ignoret?

Maternus autem nondum eum dimittendum censet: neminem enim nescire antea adulescentes non tantum philosophia solitos esse imbui, sed etiam dicere causas didicisse; quibus id fecerint rationibus pluribus iam exponat. Nec diu Messalla totius sodalicii precibus resistit: quomodo Romani adulescentes olim *pugnare in proelio* (34, 2) didicerint enarrat, illam fuisse veram

Digitized by Google

et incorruptam eloquentiam declarat (§ 5). Inter c. 35 et 36 omnes fere aliquot paginas intercidisse iure existimant, quo et Messallae orationis finis periit et exordium orationis sequentis, quam Gudeman non immerito Secundo attribuisse mihi videtur. Magnam partem Messallae ille assentitur; pravae vero eruditioni et institutioni non omnia recentiorum vitia imputanda esse demonstrat, sed rei publicae commutationem effecisse ut fines exercendae eloquentiae valde contraherentur. Quietae eius et moderatae disputationis non solum initium sed etiam exitum frustra quaerimus, nam cum Gudemanno, quem Schanzius quoque sequitur, etiam c. 40, 4 textum hiare et nonnulla deesse necesse est existimemus. Itaque inde a verbis quae sunt '*non de otiosa et quieta re loquimur.....*' Maternus loqui putandus est, ac revera quae sequuntur alterius omnino sunt indolis, quae etiam alio sensu quam iam Gudeman perspexit soli Materno conveniat. Ipse hic locus, c. 40, 5 e. q. s., attentius nobis intuendus erit, quandoquidem Reitzenstein inde collegit quae latissime pateant nec tamen meo iudicio veritati congruant. Primus enim vidit Maternum hic insectari Ciceronis in Bruto effatum, quod nescio an in praecedentibus, quae per lacunam perierunt, fuerit allatum. Cicero enim § 45 haec dixerat: '*pacis est comes otiique socia et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia*'. Profecto nemo infitiabitur, huius loci cum Taciti verbis concrepantiam maiorem esse quam ut fortuita sit: *otium*, *alumna eloquentia*, *comes*, *bene constituta civitas*, omnia haec apud Tacitum recurrunt. Iam quid dicit Maternus? '*Non de otiosa et quieta re loquimur et quae probitate et modestia gaudeat, sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae quam stulti libertatem vocabant*, *comes seditionum*, *effrenati populi incitamentum*, *sine obsequio*, *sine* ⟨*severitate*⟩, *contumax*, *temeraria*, *adrogans*, *quae in bene constitutis civitatibus non oritur*'. De quibus verbis Reitzenstein ita ratiocinatur: perfectissimam civitatem Cicero liberam rem publicam ducebat, licet aliam quam in qua ipse vivebat. Repugnat Maternus: libera res publica, quae claros illos oratores tulit, aetas fuit discordia, factionum simultatibus, morum dissolutione, largitione seditionibusque quam maxime disturbata. Ergo Maternus studium

Digitized by Google

liberae rei publicae damnabat, principatui favebat. Quod optime quadrare perhibet in ea quae c. 41 idem disseruerit, ubi enim doceat ibi tantum eloquentiae fertilem agrum patefieri, ubi multae lites inferantur et proinde multa scelera perpetrentur, ubi multae contiones habeantur neque igitur *sapientissimus et unus* (§ 7) rem publicam administret. Quanto magis vivatur (§ 6) '*inter bonos mores et in obsequium regentis paratos*', tanto minus opus esse putat oratoribus. Aspicite, ita Reitzenstein, quam benevolus sit Maternus erga principatum! '*Das Volk ist sittenreiner geworden und folgt im willigen Gehorsam dem einen Leiter; im Senat sitzen wieder wirklich die optimi, und die höchste Entscheidung hat der eine, der wahrhaft Weise*' [1]). Quae eo notabiliora sint, quia Maternus procul dubio magis ceteris ipsius auctoris reddat opinionem. Haec recta esse concedo, in illis autem vereor ne audacter nimis progressus sit commentator egregius. Iam prius enim Maternus verba fecit neque ambigue sententiam professus est. Primo hoc rogo: quomodo recitanda tragoedia cui Cato titulus Maternus in potentiorum offensionem cadere potuit, si ad rem publicam ea pertineret, Maternus vero unius imperii studiosus esset? Nolo premere illud: '*omissis forensium causarum angustiis, in quibus mihi satis superque sudatum est*', ubi saltem apparet etiam sub principibus perfectissimam illam civitatem nondum repraesentatam esse. Sed memoriam quaeso repetas capitis 13, ubi in Crispum Marcellumque invehitur (§ 6), qui '*nec imperantibus umquam satis servi videntur nec nobis satis liberi*'; deinde quae legimus § 7: '*nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem* [2]) *trepidus experiar*', nec minus (§ 8): '*nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam*', nam licet Traianus, si fidem habemus Plinio [3]), hereditates non iniuste captaverit, tamen id malum huic rerum statui necessario inhaerere Maternus asseverat. Quid, quod totam Reguli figuram adhuc missam facio? Immo Maternus principatum non simpliciter admiratur; quod si orationis eius initium servatum

1) l.l. p. 238.

2) *Fallacem* probabiliter Reitzenstein l.l. p. 217 n. 2; iam prius Boetticher.

3) Paneg. 43, 1.

Digitized by Google

esset, veri simile est non futurum fuisse ut diu moraremur in huius salebrae explanatione. Supra iam paulisper constitimus in loco qui est c. 12, 4: '*Nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et ex malis moribus natus....*', monui hic non discerni inter prioris aevi eloquentiam et recentiorem, sed inter omnium temporum quorum ad nos pervenit memoria altercandi facultatem et aurei illius saeculi eloquentiam poëticam. Etenim hodierni oratores, ita Tacitus, lucri aviditate pristinis minime cedunt, nec contra. Itaque Maternus hac in re opinator est; cum Messalla disputante hactenus dumtaxat facit, ut in educandis pueris ratio rectae honestaeque vitae premenda sit; quando vero ille et Secundus aiunt aetate liberae rei publicae tanto meliore loco res stetisse, negat vehementer et dicit: immo vero, sodales, tum quoque res secus ceciderunt. Non in culpa est civitatis genus, nam etiam uno imperante perfectissimam illam civitatem ratione quidem cognitam aemulari possumus. Caput 41 non ipsum rei publicae sub Traiano statum describit — etsi non fefellerit auctorem ita accipi posse neque ei fuerit ingratum — sed a coniectura proficiscitur; e. g. *inter bonos mores* (§ 6) non idem valet quod 'cum hodie mores boni sint' — pili puto ei inhorruissent si talem interpretationem vivus audisset — sed quod 'si mores boni sunt' [1]). Quanta autem animi fluctuatione Maternus distringatur documento est capitis finis, inde a § 9: '*credite, optimi et in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis et illi, quos*

1) Nec minus haec valent in ea quae sequuntur; ad verba q. s. '*Quid voluntariis accusationibus* (sc. opus est), *cum tam raro et tam parce peccetur? Quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat?*' Reitzenstein p. 237 haec adnotavit: '*Die ganz individuelle Färbung der letzten Behauptung zeigt am besten, dass es sich um eine Wirklichkeitsschilderung handeln soll. Gewiss ist diese Wirklichkeit idealisiert, aber zugrunde liegt die Überzeugung: unser Staat unter dem Princeps ist zwar nicht im absoluten Sinn die 'bene constituta res publica', kommt aber einer solchen so nahe, wie es in der Wirklichkeit überhaupt möglich ist*'. Certe imperium Romanum et rei publicae eximia quaedam species quodammodo inter se commixta sunt, verum qui supra scripserat, se 'insanum et lubricum forum ultra non trepidum experturum' (13, 7), — utque aliis pluribus rebus omissis hoc addam: cui in toto hoc opusculo conscribendo Reguli imago ob oculos versabatur, aegre exspectare potuit fidem sibi habitum iri affirmanti raro peccari et parce.

Digitized by Google

miramur, his nati essent, aut deus aliquis vitas ac vestra tempora repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset: nunc, quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam et magnam quietem, bono saeculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur'. Summum igitur huius saeculi bonum, quod superiorum laudi et gloriae possit aequiperari, quies est, quae oritur ex modo et temperantia. Haec autem opponi patet '*licentiae, quam stulti libertatem vocabant*' (40, 5); teste Apro ipsius Materni virtutes sunt, quippe qui temperet libertatem (23, 11); nihilo secius ipsum audivimus Messallam adhortantem: '*utere antiqua libertate, ⟨a⟩qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia*'! Quae repugnantia tum demum tolli mihi videtur, si Tacitum ita fere cogitasse sumamus: omnis quae dicitur eloquentia e lucri cupiditate malisque moribus originem duxit ideoque damnanda est. Quod principatus fines eius coartavit prohibuitque ne eadem qua ante vi potestatem exerceret, id laudi ei tribuendum est; contra quod cum vetere licentia antiquam quoque veramque libertatem exstirpavit, id omnes boni doleant oportet.

Hac in re quamquam longus esse nolui, tacite eam praeterire non est visum, quoniam artissime cohaeret cum quaestione illa, quando Tacitus Dialogum composuerit. Non enim Reitzensteinio adstipulor, aliter Tacitum in Dialogo, aliter in Historiis iudicasse de principatu, quaeque scripsit Hist. I 16, ubi Galba Pisonem in hunc modum adloquitur: '*imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem*', ea multo melius concinere arbitror cum iis, quae ex c. 13, 6 et 27, 4 supra attuli quam cum Agricolae c. 3, ubi impetu quodam animi et ardore miscuisse Nervam et Traianum res olim dissociabiles, principatum ac libertatem, magna voce praedicat. Sane Dialogum aliquanto post Agricolam scriptum esse compluribus indiciis constabilitur. Primo constat Eprium Marcellum et Crispum Vibium non iam vixisse: si minus, ne acerbe dicta ulciscerentur timendum erat; cumque Crispum anno fere 93 mortuum esse norimus [1]), ante id tempus

1) Cfr. Prosopogr. imp. Rom. III p. 420.

Digitized by Google

opusculum condi non potuit [1]). Regulus contra adhuc in vivis erat, ergo inter annos 93 et 106 Dialogus ortus est, vel potius, quoniam in Agricola ipse auctor narrat sub Domitiano se siluisse, spatium contrahitur intra annos 96 et 106. Iam denuo inspiciamus Plin. Ep. IX 10. Olim Langius Dialogi significationem odoratus est in his verbis: '*Itaque poëmata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas*' (cfr. Dial. c. 9 i. f., c. 10 init.); et alii multi et Reitzenstein iure ei assenserunt. Quam sententiam Gudeman impugnat, multisque exemplis collatis de loco communi hic agi frustra demonstrat. Frustra, inquam, nam siquidem locus communis est, ipsam eam ob causam eo minus licet dubitare ne Taciti verba ad litteram repetita hic afferantur, quae si ex Taciti epistula desumpta essent, non pervideo equidem quo pertinuisset talia premere nihil singulare praebentia, nam ipsum quoque Plinium ita censuisse eadem sententia luculenter docet. Epistularum librum IX Mommsen anno 107 editum esse voluit, nec qui post eum venerunt viri docti prius vulgatum esse iudicaverunt; pro intima amicitia quae Plinio intercedebat cum Tacito, quem summopere colebat et admirabatur, veri simile non est, hanc epistulam sero demum in corpus receptam esse. Quae si recte disputavi, praesenti tempore usus (*putas*) Plinius meo iudicio indicat, ad recentia Taciti verba haec pertinere, neque ad ea, quae multo ante publici iuris facta sint. [2]) Unde effici mihi videtur, brevi ante Reguli

1) Quae Gudeman l.l. p. 36 sq. contra arguit, claudicant. Pariter atque ceteros delatores Crispum Tito in odium venisse veri est simile, sed nemo nesciebat nec quisquam facile obliviscebatur, iamiam repente res mutari posse, nec non mutatae sunt. Quod Gudeman contendit: '*Später, wir wissen nicht wann, stand er bei Domitian wieder in hoher Gunst*', fallitur, nam non solum tertium consul fuit iam anno 83, ut videtur (cfr. Friedländer ad Juv. IV 81 et 113), sed etiam ex iis quae Suetonius narrat (Dom. 3) certum est *inter initia principatus* Domitiani Crispum ei proximum fuisse. Mirum in modum G. adicit non necesse esse Crispum libellum legisse. Quasi vero ipsa ea aetate non fuissent homunculi officiosi, qui spe praemiorum incitati potentiorum animos ad talia adverterent!

2) Cfr. quae exposui Mnem. XLVII (1919) p. 361 sqq., ubi Plin. Ep. VIII 20 tractavi, quam etiamnunc ad Dialogum spectare arbitror. Tantummodo Reguli figura manifesto vellicata me movet, ut potius anno 105 vel 106 libellum compositum esse nunc putem quam a. 108.

Digitized by Google

mortem, i. e. anno 105 vel ineunte anno 106 Dialogum scriptum esse.

Quibus rebus permotus Tacitus Dialogum scripserit iam enucleari posse existimo. Simulac Domitianus vita decessit, omnium animi se collegerunt. A Nerva novum regimen exordium capit; Tacitus ex iis est, qui inter primores statim numerentûr, et anno 97 consul creatur. Postero anno, brevi postquam Traianus imperium adeptus est, Agricolam componit, mox sequitur Germania. Historiae studiis devincitur, moribus hominum perscrutandis potissimum delectatur. Iam Agricolam scribenti sibi in animo fuisse componere Historias ipse commemorat, sed prius magna rerum silva comparanda erat, quo munere serio functus est, ut Plinii de clade Pompeiana epistulae testantur. Quo opere cum magis magisque distineretur, sensim consilium iniit operam forensem subicere historiae; tamen cur animo id proponeret et alia res valuit: quo magis enim in praeterita totum se abdebat, eo magis vir integer prioris aevi factionis stoicae studio capiebatur, eoque melius perspiciebat principatum non magis quam liberam rem publicam societatis humanae vitia radicitus exstirpare posse ac diligenter circumspiciens maerore commovebatur, quod idem homines, qui imperante Domitiano nobilissimos et honestissimos Romae alumnos pessum dederant, tali quaestu destiterant illi quidem, sed magnitudine fortunae adhuc fruebantur et fallacias componere legataque captare otiose pergebant. Quid mirum si Regulus eum pungit: nimirum est senator iste, nemo eum non tremit et adulatur. In Historiarum praemeditatione identidem ei succurrit dissimilitudo illa delatores inter et Stoicos: ab altera parte homines videt quales Marcellus, Vibius, Regulus, ab altera Thraseam, Helvidium, ceteros. Ac semper ei fit clarius uno potissimum gravique morbo Romam laborare; eloquentiam dico corruptam, licet aliter consideratam quam aliquot annis ante fecerat Quintilianus in libro cui titulus 'De causis corruptae eloquentiae'. Nam venit Tacito in mentem, dum ii qui cum principe rem publicam gubernent in linguis exercendis speciem tantum et vafritiam persequantur, vitae societatem inhonestam mansuram esse et perversam, quaecumque sit imperii forma.

Digitized by Google

Quando Tacitus foro salutem dixerit, ignoramus; utique anno 100 adhuc cum Plinio pro Afris causam dixit, ac licet Reitzensteinio [1]) concedam non necessario inde effici etiamtum forensi operae se dare eum solitum esse, quia a senatu iussus [2]) id fecerit, tamen Marii Prisci causa non ea fuisse videtur, quam credas invito Tacito patres mandasse. Plinii epistularum ordine fretus probabile esse duco, Historiarum libros I et II, quos anno fere 104 seorsum editos esse vulgo arbitrantur, ante Dialogum in lucem prodisse. Nec scio an Regulo eiusque satellitibus conspectum moverint et sermonem; Tacitus autem a proposito non deterretur: iam sequitur Dialogus. Cepit eum Messallae et Reguli fratrum dissimilitudo vitae et morum diversitas; Messallam in scenam producit, Regulum adhuc vivum oblique perstringit. Ceteras quoque personas summa prudentia eligit: sicut Messalla, ita Secundus et Aper quoque, quamvis ingeniis inter se discrepantes, cuncti sentiunt imperio Romano pravi aliquid inhaerere et corruptioni id esse obnoxium; Messalla quidem, cuius vita domestica acerbos eius rei fructus percepit, omnium animos ad educationem moralem advertit. Nihilo minus eloquentiam nullo excepto permagni faciunt. Eorum autem opiniones amplectitur disputatio Materni, qui vel maxime quid ipse senserit auctor pronuntiat. Quae prologus professus est, ecce epilogo iterantur: eloquentia est res perdita. 'Nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus atque..... in locum teli repertus'.

1) l.l. p. 232. 2) Plin. Ep. II 11, 2.

Digitized by Google

DE VIRGINIBVS VESTALIBVS.

SCRIPSIT

H. I. ROSE.

Quamquam de uirginibus Vestalibus multi multa scripserunt, et nuper Georgius Wissowa [1]) suas alienasque opiniones doctissime exposuit, tamen nondum mihi uidetur satis enucleata haec quaestio, cur eae uirgines fuerint; quacum coniuncta est, mea quidem sententia, nondum finita controuersia, utrum scilicet matrum familiarum loco an filiarum sint habendae, de quibus rebus aliquid dicere et argumentum proferre adhuc, ut opinor, neglectum, in animo mihi nunc est.

Atque ut a domestico Vestae cultu proficiscamur, nulla omnino causa est cur dubites a matre familias Vestam cultam fuisse; quod ita esse satis omnium fere iudicio demonstrat locus Catonianus totiens iam a uiris doctis adhibitus [2]), quo iubet uilicam, quae uice matris familias rem diuinam facere putanda est, *focum purum cotidie, priusquam cubitum eat, habere*, et festis diebus *coronam in focum indere.* quippe manufestum est eo ritu saeculis rudioribus matrem ipsam familias usam fuisse, ipsamque suis manibus sordes a foco et Vesta sustulisse, coronas et alia donaria dedisse, ligna ad ignem pascendum adtulisse et si quid aliud in domo paupere uel ad domesticos usus uel ad deum penatium caeremonias pertinebat. ergo in publico cultu neque ridiculum erit neque ueri dissimile si statueris publicam quandam fuisse, ut ita dicam, matrem familias, reginam puta, quae eisdem prope caeremoniis aeternum illum ignem foueret quibus priuatae domesticos. neque scrupulum inicere debet quod Euclionis illius Plautini larem familiarem non uxor

1) In Lexico Roscheriano, s. u. VESTA.

2) *De agri cultura* 143.

Digitized by Google

eius sed filia colebat, quam etiam Vestam coluisse ueri simillimum est; nempe matris demortuae munera obibat puella.

Verum ne in domestica quidem Vesta semper omnia matrem solam fecisse credamus. nam ut priscorum Romanorum uitam nobis proponamus, non magis doctorum libri quam cuiuslibet coloni aut artificis uxor est consulenda. ea enim rei familiaris angustiis coacta nullas fere habet ministras mercede conductas, ut ne antiquitus quidem ancillas habebat, et si forte unam et alteram habere contingebat, eae in lanificio, assiduo mulierum opere, satis superque exercebantur. at ipsa quidem semper aut aedis uerrit aut cenam coquit aut paruulos suos nutricat aut aliquid certe facit, neque minus occupatas fuisse Romanas matronas licet credere. ergo ipsa illa Romanae familiae mater, ut lignum in focum reponeret, quod hiemis praesertim tempore non semel atque iterum sed potius centies die faciendum fuit, totiens opera seriora et magis necessaria relinquebat? immo filiolis potius ut id facerent imperabat; opus enim huiusmodi nullis corporis uiribus eget, neque minus bene a puellula quam a matre confici potest. filiolas dico; nam filios nisi admodum paruos adsiduos patris fuisse comites Plutarchus (*quaest. Rom.* 33) aliique docuerunt. ergo in una quaque fere familia, modo filiae fuerint, uirgines quasdam Vestales fuisse crediderim, quae et ignem ipsum cotidie pascerent et matri rem diuinam facienti camillarum operam praeberent. itaque puellae, ut hodie ita antiquitus, dum matri parent, quid officium matris familias esset discebant.

Ergo siue matrem familiarem siue filiam imitata est uirgo Vestalis, habuit profecto in cultu domestico quod imitaretur. hoc est quod quaerimus, utram harum re uera imitata sit, matremne an filiam. sed antequam ad eam rem accingamur, illud quoque meminisse debemus, e Vesta et foco regis ortam esse Vestam publicam. etenim Regiam prope ab aede Vestae esse sciunt qui forum Romanum uel obiter oculis inspexerint, et in pontificis maximi potestate, qui uidetur multis regum muneribus functus esse, Vestalis fuisse quis nescit? Sed ne apud regem quidem Romanum filiabus ut cessarent ab operibus domesticis licuisse censemus, neque enim ab Alcinoi, sed pauperioris, aedibus Numae alicuius uel Tulli Hostili domum longe distu-

Digitized by Google

lisse. sane ueri simillimum est Romanas quoque Nausicaas fuisse quae aquam a fonte peterent, uestis sordidas lauarent, focum purgarent, ignem fouerent. quamquam quin reginam quoque quasi unam matrem familias domum suam regisse et seruasse, lanam fecisse, munera domestica filias docuisse credamus, nihil prorsus obstat.

Cum igitur si cultum Vestae domesticum respicis parum certa inde argumenta ad rem praesentem diiudicandam trahas, restat ut publicarum Vestalium caerimonias inspiciamus, et quaeramus utrum nuptarum potius ritu an innuptarum egerint. ac primum Wissowa rationes, quibus ostendere enititur omnia fere in illis nuptarum et matrum familiarum, excepto scilicet quod uirgines fuere, fuisse consimilia, consideremus.

Is ergo omnium primum captionem illam Vestalis quam enarrat Gellius nihil aliud esse quam in manum conuentionem docet [1]), qua effectum sit ut uxoris loco Vestalis apud pontificem maximum fuerit. iam uestitum Vestalium nihil omnino ab eo quo utebantur nouae nuptae differre recte monet; adeoque idem ius in Vestalis atque in uxorem habuisse pontificem ut eas et uerberare ob ignem neglegentius custoditum et morte multare ob incestum illi licuerit. quid quod Bonae Deae sacris, ut magistratus uxor eo nomine praefuit quod uir eius cum imperio erat, Vestales quoque praefuisse censendae sint quod pontifex maximus, qui quasi maritus earum fuerit, praepositus est deorum immortalium curae et caerimoniis? iam cum obuiam ibat Octauiano post proelium ad Actium factum populus Romanus cum uxoribus et liberis, eam ob causam Vestalis una iuisse censet quod inter matronas Romanas principatum quendam obtinuerint. [2]) sed ne id quidem praetereundum monet uir doctus quod saepe, ut uerbi causa ab Horatio, *Carm.*, III, 30, 9, ita una nominantur pontifex maximus et uirgo Vestalis ut aliquo saltem modo inter se coniuncti uideantur; unde non iniuria sibi uisus est concludere, ita Vestalem pontificem comitare ut uxor maritum suum. quodsi quaeres quam ob rem ergo uirgines illae, non nuptae fuerint, habebit quod dicat;

1) *Op. cit.* 264; Gell. I, 12, 14.
2) Wiss., op. cit. 267; Plut. *Cic.* 19; Cass. Dio li, 19, 2.

Digitized by Google

ait enim [1]), id quod nemo certe negabit, magnam atque adeo maximam in omnibus sacris esse uim uirginitatis et castitatis.

Equidem tamen dum singula recenseo, parum roboris in his rationibus inesse mihi persuadeo. ut enim a captione Vestalis incipiamus, multa in eo ritu inesse uideo, immo non inesse multa, quae efficiant ut a nuptiis mirum quantum discrepet. nam nouam nuptam scimus a complexu matris suae simulata ui raptam fuisse, dein pueris patrimis et matrimis circumdatam, adhibita pronuba, comitante magna caterua, obstrepentibus canticis iocisque, praelucentibus facibus, domum ad maritum ductam esse. [2]) quid harum rerum in Vestale capienda? ipsum Gellium audiamus. „Papiam legem", inquit, „inuenimus, qua cauetur ut pontificis maximi arbitratu uirgines e populo uiginti legantur sortitioque in contione ex eo numero fiat et, cuius uirginis ducta erit, ut eam pontifex maximus capiat eaque Vestae fiat." Tunc addit, non omnino necessarium fuisse ut sortitio fieret; posse enim uirum honesto loco natum filiam suam pontifici sponte offerre. sed ita pergit, „Capi autem uirgo propterea dici uidetur, quia pontificis maximi manu prensa ab eo parente" (ergo a patre aut ano, non e matris sinu), „in cuius potestate est, uelut bello capta abducitur. in libro primo Fabii Pictoris, quae uerba pontificem maximum dicere oporteat cum uirginem capiat scriptum est. ea uerba haec sunt: Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat quae ius siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus, uti quae optima lege fuit, ita te amata capio" sane dubitari potest, illudne „amata" participium sit an nomen; illud nonnullis, hoc Gellio et ut uidetur Vergilio, haudquaquam spernendo antiquitatis auctori, placuerat; saltem hic Latini regis uxori nomen fuisse Amatae finxit aut ab alio fictum recepit; quod mihi quoque placet, libenter enim crediderim id nomen antiquitus in usu fuisse, ominis scilicet causa, ut uirgo iam nubilis a marito suo amaretur (ita enim apud Graecos Philumenam nonnunquam uocatam esse mulierem accepimus), et hoc loco

1) Op. cit. 267.

2) Vide Rossbach, *Die röm. Ehe*, p. 328 sqq., qui auctores sedulo excerpsit, interdum pa rum bene, idque saeculi culpa, non sua, interpretatus.

Digitized by Google

exempli causa poni, ut sit „ita te, o Amata, uel quodcunque tibi nomen est, capio"; uel, ut Plutarcheis uerbis utar [1]), ita nomen usurpari ὥσπερ οἱ νομικοὶ Γάϊον Σήϊον καὶ Λούκιον Τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσιν. quod autem uelut bello captam Gellius dicit uirginem, plane nugas agit; capi enim et flaminem Dialem ipse testis est, qui profecto neque hostis unquam fuit neque bello captus, sed Romanus Romanis et confarreatis patriciorum nuptiis natus. sed idem flamen argumento erit quam nubenti dissimilis fuerit illa Vestalis, nam nec flamen nec pontifex nec augur cuiquam mortalium immortaliumue nubere potuere, quippe qui uiri fuerint, quos tamen omnis capi solitos esse ex loco Catoniano quem ibidem Gellius laudat intellegimus. uidetur ergo nihil aliud esse capere quam sacerdotem creare.

Nupta igitur e sinu matris rapiebatur, Vestalis capiebatur pontificis manu; illa multis adhibitis caerimoniis ad mariti domum ducebatur, in hac quid praeterea factum sit nescimus, nisi crines aliquando posuisse Verrius Flaccus et Plinius [2]) docent; sed hoc utrum statim captae factum sit necne, nescimus; illud uideo Wissowae placere. sed ducta est profecto ad aedes Vestalium ibique satis uigilanter custodiebatur, non mehercule uxori similior, quae tamen, teste Nepote Cornelio, in conuiuium ducebatur et primum locum tenebat aedium atque in celebritate uersabatur [3]), quam filiae familias bene et pudice educatae.

At enim ueste utebantur Vestales plane nuptiali. non infitias ibo; hoc tantum quaero, fueritne in illa ueste aliquid quod uirginem non deceret. age singulas eius uestitus partes [4]) recenseamus; induebatur nupta, antiquitus certe, pura toga: quippini, quae adulta iam fuerit? et Vestalem quoque, quamuis adulta non fuerit tum cum caperetur, sed annos ut maximum decem nata, tamen adeo pro adulta habitam esse ut etiam testamenti ei faciendi ius esset, docet idem Gellius. [5]) iam

1) *Quaest. Rom.* 30, 271 E.

2) Wissowa op. cit. 265; Paulus Diaconus p. 50, 12 Lindsay; Plin. *nat. hist.* XVI, 235. 3) *Praefat.* 6.

4) Auctores apud Rossbachium, p. 276 sqq., quaerito.

5) I, 12, 9.

Digitized by Google

tunica recta et a stantibus in altitudinem confecta nupta utebatur, de qua optime mihi uidetur iudicasse Rosbachius, ueterem eam fuisse tunicae formam et in his sacris conseruatam. etiam capillos ita structos ut tres utrimque crines et cicinni apparerent flammeum tegebat, quod uelum fuisse quod partem saltem capitis operiebat scimus, colore uero utrum rubro fuerit an luteo parum uidetur constare.[1]) etiam uittis capillos ligatos fuisse accepimus. crines ita uittatos et coopertos apud puellulas non fuisse, quamquam nullo, quod sciam, argumento euincitur, facile concedo; sane apud multas gentes moris est ut uirgines paruae capillos aut passos gerant aut ad occiput in restis formam reuinciant. sed eamne ob causam matronae Romanae sex illos crines et flammeum et uittas gerebant quod nuptae erant an quod rem diuinam cotidie apud Larem familiarem faciebant? nam tum ipsum cum nubebant quam maxime opus fuit ut uittis sacris, numero crinium sacro et magico, bis scilicet trinis crinibus, ut utrimque cernentibus ternarius numerus ostenderetur, uelamine quoque capitis uterentur, ne ab inuidis fascinarentur. Vestalibus uero, et ipsis cotidie sacra obeuntibus, qui minus necessarium fuit purpureo, siue is luteus fuit, comas uelare amictu? nam uittas quis sacerdotum non gerebat?

Is ergo uestitus, quem uel nupta uel Vestalis gerebat, non tam uirum se passam aut passuram ostendebat quam rem diuinam facere. quod autem ad poenas a Vestalibus sumptas attinet, id plane nihil ad rem; etenim ut uerum sit, ut est profecto, licuisse marito uxorem ob noxiam commissam uel morte uel leuiore poenae genere adficere, nonne pater familias idem ius habebat in filias? patris autem loco pontificem maximum fuisse abunde constat. is enim ceteros sacerdotes, uiri enim hi fuerunt, in morem fere magistratus coercebat[2]); Vestalis, quae cum essent feminae sui iuris esse non poterant, quasi patria potestate rexit. neque quod Bonae Deae sacris

1) Rossbach p. 279 sqq., cui adde F. M. Dana, *Ritual significance of yellow among the Romans*, Philadelphia 1919. de uestitu nubentium disputaui in libro qui inscribitur *The Roman Questions of Plutarch*, Oxford 1924, p. 101 sqq., et nuper E. Wunderlich, *Die Bedeutung der roten Farbe*, Giessen, 1925, p. 40 sqq.

2) Vide Wissowam, *Rel. u. Kult. der Römer*[2], p. 509 sqq.

Digitized by Google

praefuisse uidentur hinc uxor aut mater magistratus, illinc Vestales, inde, si quid uideo, argumentum adduci potest matronis eas similes fuisse. nempe mulierum eae caeremoniae fuerunt, et is finis earum fuisse uidetur ut mulieres agrique, alteri amboue, uel fructibus uel prole augeantur; unde consentaneum est ut Vestales, eam ipsam ob causam quod uirgines fuerint, ad eos ritus perficiendos adhibitae sint, ut persaepe in rebus magicis qui ipsi sunt steriles alienam fertilitatem adiuuare censentur [1]). etiam quod saepe cum pontifice maximo Vestalis prodisse dicitur, scimus filias familias saepe numero patribus suis in re diuina facienda praesto fuisse, ut adstat apud Vergilium iuxta genitorem sacra facientem Lauinia [2]). Octauianum uero uictorem accepimus uniuersum populum cum coniugibus et liberis (utriusque profecto sexus) ex senatus consulto salutasse; cui honori additum id quoque apparet ut ne Vestales quidem in tanto omnium gaudio domi se tenerent neque hominum coetus uitarent. quod autem addit Wissowa [3]) matronarum quodammodo duces et praefectas tunc fuisse, id nobis saltem non persuasit.

Sed esto; non certum est Vestalis matrum familiarum loco fuisse; numquid filias familias aut regiae aut cuiuslibet eas fuisse ostendi potest? equidem credo, idque duobus argumentis. nam primum id habebant peculiare Vestales quod non omnino necesse eis fuit totam aetatem apud Vestam agere; annum enim tricensimum post captionem uacationem dedisse scimus. ceteros uero sacerdotes constat nisi grauissimam ob causam a sacerdotio nunquam motos fuisse. ergo antiquitus saltem non per totam aetatem idoneae uidebantur quae Vestam pie sancteque colerent. sed matronam apud priscos Romanos numquam omnino iussam fuisse res suas sibi habere apud nonnullos [4]) legimus; qui igitur similis Vestalis, quae post certum annorum spatium a munere suo poterat abdicari (quam etiam coactam olim fuisse ut a sacerdotio recederet equidem non inuitus crediderim, scio tamen nullis id argumentis comprobari), uxori quae nisi morte

1) Huius superstitionis aliquot exempla dedi, *Class. Quart.* XVIII (1924), p. 14, *Classical Philology*, XX (1925), p. 240 sqq.

2) *Aen.* VII, 72. 3) In Lex. Rosch., l. c., 267, 16.

4) Vide Marquardt, *Privatleben*^{2}, p. 71.

Digitized by Google

matrimonium non relinquebat? sed maioris est forte momenti quod tradit unus Dionysius ille Halicarnassensis, si qua fides libris manu scriptis, quos qui mutare uoluerunt, ei parum caute rem uidentur egisse. Dionysius enim, dum de Rea Siluia uerba facit, haec de Vestalibus tradit: *πεντακετοῦς δὲ οὐκ ἐλάττω χρόνον ἔδει τὰς ἱερὰς κόρας ἁγνὰς διαμεῖναι γάμων, αἷς ἀνατέθειται τοῦ τε ἀσβέστου πυρὸς ἡ φυλακὴ καὶ εἴ τι ἄλλο θρησκεύεσθαι τῷ κοινῷ διὰ παρθένων νόμιμον ἦν.* [1])

Non sunt, si me audis, uerba Dionysii, quem nullus dubito id quod dicat ab idoneo aliquo auctore petiisse, abicienda aut contemnenda; interpretanda sunt potius. nam triginta annos sua quidem aetate Vestalis Vestam coluisse et omnes sciebant et ipse alibi tradit [2]); neque ad augendam Amulii erga Ream Siluiam crudelitatem haec eum addidisse patet (quippe improbitatem illius minuit, quem narret puellae non in perpetuum spem nuptiarum sed in quinquennium tantum abstulisse), sed eruditionis suae iactandae causa ultro intulisse. dein mali exempli est ea pro falsis habere quae neque cum antiquorum consuetudine repugnent et per se possint et ueri similia uideri et ad eorum temporum mores accommodari. quid enim? scimus, — nam iterum est mihi uocandus bonus ille Gellius ad partes, — scimus, inquam, Vestalem tum cum caperetur non minorem oportuisse quam annos sex neque maiorem quam annos decem natam esse. [3]) id etiam scimus, tum nupsisse uirgines Romanas cum quattuordecim fere annorum fuerint; exemplo esse potest Tullia M. Ciceronis f., quae annos decem nata C. Pisoni L. f. Frugi desponsa tredecim annos nata ei nupta est [4]). finge ergo aliquam Vestalem septimo aetatis anno captam a pontifice maximo, duodecimo anno dimissam; nempe nubendi tempore in ipso dimissa poterat uideri. sin decimo aetatis anno capta erat, plane nubilis erat quae annum quintum decimum agebat. iam fac eam non a pontifice, qui id temporis nullus fuerit, esse captam, sed regis filiam patriam Vestam sancte colere; quid mirum si tum tradita est uiro cum

1) *Ant. Rom.* I, 76, 3. 2) Ibid. II, 67, 2.

3) Gell. I, 12, 1, adhibito Labeonis Antistii testimonio.

4) Auctores habebis apud Friedrichii *Memorabilia uitae Ciceronis*, primo illius scriptorum uolumini ab ipso edito praefixa (Teubner), pp. X, XI.

Digitized by Google

nubilis uidebatur? id si sumas, moris fuisse regum temporibus, siue omnium mauis siue antiquissimorum, ut Vestam publicam eandemque regiam regis filiae una cum matre sua colerent, sed eo usque donec nubiles factae in matrimonium traditae essent, habeas unde totum Vestae cultum qualem nouimus possis deducere. nam profecto credibile est opinatos esse homines maxime acceptas esse Vestae matri puellularum preces, non quo ipsa uirgo fuisset (quod summo iure negat Wissowa, op. cit. 261, 44) [1]), sed quod, ut supra memorauimus, multum in rebus magicis et religionibus ualet castitas. quae cum ita essent, certe consentaneum fuit ut aut post expulsos reges ant antea aliquas eligerent quae id agerent ut caste Vestam et ignem aeternum [2]) seruarent. nam si religiones omnium gentium adspexeris, inuenies multum quidem ubique castitatem ualere, aliquanto tamen pluris esse eius castitatem qui ad res Venerias aptus sit. ita Delphis traditur idcirco tantum anum fuisse Pythiam quod aliquando Pythia puella uiolata a uiro sacrilego fuisset; iam Pausanias narrat apud Orchomenios Arcades sacerdotes fuisse uirum et feminam quos oporteret totam aetatem castitatem seruare [3]); ii Dianae Hymniae sacra faciebant. puellas igitur nondum nubiles ut prorsus non mirum est castas esse, ita eaedem si grandes factae etiam tum sancte castitatem seruabant, id demum et mirum potuit uideri et efficacius et magis idoneum ad res uel magicas uel sacras. quod autem ceteris sacerdotibus ita licebat matrimonio frui ut flamen certe Dialis nisi qui uxorem haberet esse non posset, hanc eius rei causam fuisse arbitror, quod olim ei sacerdotes patres familiarum aut potius gentium fuerint, qui antiquitus pro gentibus suis, mox uero pro populo supplicarent.

Haec fere habui quae de ea re dicerem; quod si quis aliter iudicarit, is ut nos meliora edoceat opto.

---

1) „Die Jungfräulichkeit der Priesterinnen von der Göttin abzuleiten, ist eine naive Umkehrung der Tatsachen".

2) Qui tamen eam praecipue ob causam aeternus et perpetuus fuit quod non sine maximo incommodo tunc ignis extinctus resuscitari poterat. audiui focos apud Brigantes nostros esse qui centum iam annos adsidue luceant.

3) VIII, 13, 1.

Digitized by Google

Bibliotheca Philologica Batava quater in anno prodibit Kalendis Ianuariis, Aprilibus, Iuliis, Octobribus.

Pretium annuum erit floren. 10.—.

Singuli fasciculi separatim non venibunt.

Ii quorum disputationes huic inserentur bibliothecae, gratis duodena earum accipient exempla. Qui plura cupiunt ad tempus nos faciant certiores! Iidem rogantur ut illas aut quam nitidissime scribant aut prelo Britannico („type-writer") utantur et sic parcant impensis.

Hoc loco posthac, ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica rogati, quidquid philologici generis ab illa proximo trimestri tempore erit editum commemorabimus. Nunc prodierunt:

1. N. G. H. Deen, Over taalverwantschap, Meeningen en Vragen. Vol. 61, Ser. A, N° 2. *f* 0.40
2. J. van Gelder, Naar aanleiding van Hirt's „Ueber den Ursprung der Verbalflexion im Indogermanischen". Vol. 61, Ser. A, N° 3. „ 0.40
3. J. van Ginneken, De erfelijkheid der klankwetten. Vol. 61, Ser. A, N° 5 . . . . . „ 0.40

Digitized by Google

Sumptibus E. J. BRILL prodierunt:

C. G. Cobet, Variae lectiones, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. Editio secunda auctior. 8°. . . *f* 5.—.

—— Miscellanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos praesertim Homerum et Demosthenem. - 5.—.

—— Collectanea Critica, quibus continentur observationes criticae in scriptores Graecos. 8°. . . . . - 5.—.

Halbertsmae, Tjallingi, Adversaria Critica. E schedis defuncti selegit, disposuit, edidit H. v. Herwerden. Accedit Epimetrum de Codicibus Bibliothecarum exterarum quos descripsit aut adhibuit Halbertsma. gr. in-8°. . . . . - 3.—.

J. J. Hartman, De Ovidio Poeta commentatio. 8°. . . . - 2.10.

—— Analecta Tacitea. 8°. . . . . - 5—.

—— De Plutarcho scriptore et philosopho. gr. in-8°. . . - 8.50

Lysiae Orationes. In usum studiosae iuventutis textum constituit C. G. Cobet. Editio quarta, quam novis curis recensuit J. J. Hartman. (Editio maior prolegomenis, fragmentis, indice nominum aucta). 8°. . . . . - 2.90.

Manilii, M., Astronomica. In het Nederlandsch vertaald door J. van Wageningen. 8°. . . . . - 2.70.

Smits, J. C. P., De geschiedschrijver Herodianus en zijn bronnen Een poging tot analyse van zijn werk. 8°. . . . . - 2.10.

—— Die Vita Commodi und Cassius Dio. — Eine quellenanalytische Untersuchung. 8°. . . . . - 2.10.

Valeton, M., De Iliadis fontibus et compositione. 8°. . - 3.50.

Mnemosyne. — Bibliotheca philologica Batava. Edid. C. G. Cobet, TJ. Halbertsma, H. G. Hamaker, E. J. Kiehl, etc. 1852—62. 11 vol. et Appendix ad vol. 2—7. 8°. (*f* 56.50) . . . . . - 30.—.

—— Nova series, Vol. I—XIV colleg. C. G. Cobet, H. W. van der Mey, Vol. XV—XLVI colleg. S. A. Naber, J. van Leeuwen J. f., I. M. J. Valeton, J. J. Hartman, P. H. Damsté, C. W. Vollgraff, 1873—1918. 8°. pro vol. . . . . - 5.25.

Xenophon, Anabasis. *(Graece)*. In usum scholarum edidit C. G. Cobet. Editio 8a, quam curavit M. Boas. Accedit tabula geographica. 1921. (XXV. 256). 8°. . . . . - 2.20

—— Hellenica *(Graece)*. In usum scholarum edidit C G Cobet. Editio 6a quam curavit M. Boas. Accedunt tabulae duae. 1916. (XV. 312). 8°. . . . . - 2.20

Ex officina typographica et bibliopolio quae antehac E. J. Brillii fuerunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


UNIVERSITY OF MICHIGAN